13
15 K
14
MAG 2130

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

22
G
23 13-15 D. 18

Digitized by Google

13
15 K

Digitized by Google

BULLARIUM

S E U

COLLECTIO BULLARUM

ET LITTERARUM APOSTOLICARUM

Pro Ordine Minoritano ſpecificè, & potiſſimum adhuc indiviſo editarum, ac Ordini Capucino *per viam comprehenſionis* con-propriarum; necnon aliarum pro Regularibus generaliter emanatarum

Ex Tabulariis & Archivis Vaticanis, libris authenticis, ac Auctoribus probatis excerpta, paucis aliorum Regularium Conſtitutionibus, quarum certa & utilis communicatio ſupponitur, intermixtis adauctæ.

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

SIGISMUNDI A FERRARIA

Totius Ordinis FF. Min. S. P. FRANÇISCI Capucinorum

MINISTRI GENERALIS

Ad uſum, commodum, & eruditionem tam Superiorum, quàm Subditorum hujus Ordinis compilata, ac plurimis Notis & Scholiis illuſtrata

A

P. FR. MICHAELE HELVETO-TUGIENSE,

Ejuſdem Ordinis Concionatore, Sacræ Theologiæ ex-Lectore, ac olim pro Natione Germanica Secretario Generali.

TOMUS SEXTUS.

ROMÆ MDCCL.

Typis JOANNIS ZEMPEL AUSTRIACO-VIENNENSIS prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



SANCTO JOSEPHO
A' LEONISSA
Ordinis FF. Minorum S. P. FRANCISCI
Capucinorum nuncupatorum
Profeſſori.

IN conquirendo Patrono, qui præſens Opus Minoriticum ſuam reciperet in tutelam, animus fluctuare diu non debuit; vaganti enim nonnihil cogitatui illa-

pſa Joſephi, Patriarchæ Jacobi Filii, hiſtoria extemplo hunc indigitavit. Pharaonem, ſeu Ægypti Regem, Joſephi fidei & oris imperio gratiarum diſpenſationem ita concrediđiſſe ſacris in paginis legimus, ut, qui gratiam in Aula quæreret, Joſephum adire illo juberetur triverbio, Ite ad Joseph. *Non regia juſſio, ſed ex ipſa hiſtoriæ prædictæ memoria naſcens internus ſtimulus ad Te, Divi Patriarchæ* Francisci *digniſſime Fili*, Josephe, *me direxit, & ex ipſa perenni gratiarum copia, quam ad preces tuas Rex Regum Deus effusè diſpenſat, me de tuo patrocinio reddidit eò tutiorem, cum figuræ accedat ratio Fraternitatis. Eam eſſe hujus prærogativam noſcimus, ut, ubi de gratia obtinenda agitur, certior potiſſimùm inter Fratres reperiatur. Judas ipſius Ægyptiaci Joſephi Frater, dum apud reliquos Fratres, de morte huic inferenda inter ſe conferentes, gratiam vitæ ſervandæ quæſivit, allegato Fraternitatis titulo eam popoſcit, dicens*, Frater enim & caro noſtra eſt, *ac feliciter eam impetravit. Porro, ſi Fraternitas in carne fundata, tam efficaciter gratias operatur, certiores illas ex Fraternitate, quæ ex ſpiritu eſt, ſperare debemus. Te inter-Dive* Josephe, *ac-me (indigniſſimum licèt) Fraternitatem ſpiritùs vigere ipſa ſacra Regula, in qua Seraphicus Pater, hujus Profeſſores* Fratres *nuncupat, patenter exhibet. Non otioſa hæc eſt,*

nec

nec inani dumtaxat clauditur affectu; ex ſpiritu cum procedat, charitati ſimilis & vicina, agit, in gratiarum & favorum communione Fratres diſtinguit, piaque præfert acceptatione. Firmat & auget hæc vis meam de Te conceptam ſpem, nec ei detrahit paris Fraternitatis diſpar conditio: Tu enim laureâ confeſſionis inſignitus in gloria patriæ inter Divinitatis delicias triumphas, ego autem infixus in limo profundi colluctor, & inter miſerias viæ & vitæ humanæ ſubſiſto: ipſa autem hæc ſtatûs diſparitas ſecuriorem mihi pollicetur tuum quæſiti præſidii annutum: non enim in Domo Patris cœleſtis torrente voluptatis ita inebriaris, ut Fratris tui in Domo luctûs & valle lachrymarum gementis obliviſcaris, aut oblatum Tibi dedigneris hujus munus, ex ipſo quoque argumento, nomine tuo digniſſimum. Complectitur id Monumenta, quibus Apoſtolica Sedes ſuam erga Ordinem Minoritanum curam ac benevolentam, & econtra Ordo Minoritanus ſuum erga Apoſtolicam Sedem zelum & venerationem probârunt. De hoc & illa Te optimè meritum eſſe nemo eſt, qui ignoret: de Sede Apoſtolica quidem, dum inter plurima alia Apoſtolici tui laboris acta pro dilatanda illius fide ad Regiam Bizantii penetrâſti, & in trabe, uſq; dum Dominus, *qui fuit tecum,* miſertus *Tui, per Angelicam manum ferreos ſolvit uncos, ſuſpenſus manſiſti; De Ordine Minoritano autem, dum votiva tuâ pro-*

feſſione,

feſſione, *vitæ ſanctimonia*, *canonicaque Apotheoſi gloriam ejus inſigniter colluſtrâſti*. *Eapropter confidenter ad Aras tuas procedo*, *munus & opus offero*, *meæ erga Te venerationis tributum*: *& dum hoc* in Capite JOSEPH benedictum *mihi aggratulor*, *capiti quoque meo ut* Filius, *in ſignorum & gratiarum ſplendore ſemper* accreſcens *benedicas*, *adgeniculatus precor*

Indigniſſimus Confrater, *& Cliens tuus*
Fr. Michaël Tugienſis Capucinus.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS infraſcripti Diffinitores Generales Ordinis FF. Minorum S. P. Franciſci Capucinorum, de mente & mandato Reverendiſſimi P. Sigiſmundi à Ferraria, Miniſtri noſtri Generalis, vidimus, revidimus, & attentè conſideravimus Tomum VI. Bullarii noſtri Ordinis, à P. Fr. Michaële Tugienſi, Ordinis noſtri Concionatore, & Provinciæ noſtræ Helveticæ olim Sacræ Theologiæ Lectore &c. magna ſollicitudine, & induſtriâ collectum, variiſque notis, ac notitiis ad majorem legentium utilitatem illuſtratum. Cumque in iiſdem notis nihil ſanæ Doctrinæ, aut bonis moribus diſſonum, nec aliud quidpiam, quod in præjudicium tertii vergere poſſit, invenerimus, dignum omnino cenſemus, ut ſervatis de jure ſervandis ad debitam Provinciarum ac rerum geſtarum notitiam typis dari & imprimi poſſit.

Dedimus Romæ die 5. Maji 1750.

Fr. Gelaſius Goritienſis Cap. Diffinitor Generalis, manu propria.
Fr. Hilarion à Feroleto, Diffinitor Generalis C. I.

Fr. Sigiſmundus à Ferraria, Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis (*l. i.*)

CUM Tomum Sextum Bullarii Ordinis noſtri à R. P. Michaële Tugienſe ejuſdem Ordinis Concionatore, Sacræ Theologiæ in Provincia Helvetica Ex-Lectore, & pro Natione Germanica olim Secretario Generali compilatum, variiſque notis, & notitiis illuſtratum duo ejuſdem Ordinis noſtri Diffinitores Generales reviderint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis typis imprimatur.

Datum ex Conventu noſtro ad S. Joannem Baptiſtam Cæſar-Auguſtæ in Aragonia die 29. Menſis Junii 1750.

Fr. Sigiſmundus, qui ſupra.

Loco ✠ Sigilli.

IMPRI-

Digitized by Google

PARÆNESIS.

UNico quidem, & ſolo adhuc tomo de Miſſionibus noſtris extra Provincias, & in partibus infidelium potiſſimùm conſtitutis agente, ſupplementumque præcedentium tomorum inſimul complectente, Romanum ſtudium abſolvere, ſpartamque de Bullis, aliiſque Conſtitutionibus Pontificiis, tum FF. Minores, tum alios Regulares indiſcriminatim concernentibus vulgandis alteri relinquere ſtatueram, cogitans autem tum de incertitudine hujus provinciæ ab alio ſuſcipiendæ, tum de neceſſitate operis conſummandi, enixis & repetitis plurium Superiorum Provincialium & Localium inſtantiis, elongato nonnihil meo Romæ incolatu, morem gerere, laudatiſſimo aliorum Regularium, qui pro ſuo commodiore uſu Bullaria, ſeu Pontificiarum Litterarum collectionem, etiam ſcholiis & commentariis illuſtratam compilàrunt, vel impræſentiarum compilant, inſiſtere, prædictoque Miſſionum & ſupplementi tomo præſentem præponere decrevi.

Porro quatuor eſſe litterarum Pontificiarum, ad nos Capucinos ſpectantium genera, perſpectum eſt: primum eſt illarum, quæ vel Ordinem noſtrum univerſaliter, vel Ordinis Provincias particulariter, & has & illum in ſpecie afficiunt: Secundum genus complectitur Bullas privilegiorum, quorum nos inter & alios Regulares viget communio: Tertium illarum eſt, quæ ad Regularis obſervantiæ cultum ſpectant, & indefinitè ad omnes Regulares extenduntur: Quartum includit Diplomata Pontificia directè & ſpecificè Ordinem Fratrum Minorum tangentia, quæ ad nos referuntur, nobiſque ex doctrina & ſenſu tum Fagnani *cap. quod nonnullis de privilegiis num.* 28. *fol. mihi* 83. tum Vincentii Cardinalis Petra *tom.* 2. *Comment. ad Conſtitut. Apoſtol. pag. mihi* 38. tum aliorum à Fagnano dicto loco citatorum non per viam extenſionis ſeu communicationis, ſed *per modum comprehenſionis* competunt.

De primis ſat actum eſt in prioribus quinque tomis, & agetur adhuc in totius operis Supplemento: paucæ de ſecundo genere ex ratione infra danda referuntur: illæ tertii generis huic tomo attentè inſerentur; ſcopus autem principalis eſt tractandi de Bullis & Litteris quarti generis eò fuſiùs, quò æquior eſt noſtra ad ea prætenſio.

Ceſsârunt dudum acerbiores, quibus Ordinis noſtri Natales impetiti fuerant, *Catalanæ* pugnæ: ceſsârunt *Ridderianæ &c.* contentiones, qui-

bus Ordinem noſtrum, *Minorum* epitheto privare, fruſtra fuit quæſitum, & firma conſiſtit Conſtitutio Pauli V. incipiens *Eccleſiæ Militantis tom. 1. pag. 57.* videnda, & ſequentem paragraphum concludens: *Nos . . . . cum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum conſilio, maturâ deliberatione habitâ, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, auctoritate Apoſtolica declaramus, Fratres Capucinos eſſe verè Fratres Minores*. Decretales, quæ Beatos Fidelem à Sigmaringa, Protomartyrem, Joſephum à Leoniſſa, & Felicem à Cantalicio, Capucinos, Sanctorum Ordinibus inſcriptos memorant, eos *Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini nuncupantur*, vocant. Dum impræſentiarum pro apotheoſi prodigia Beati Seraphini à Monte Granario, ſeu ab Aſculo, & pro ſacro honore virtutes Vener. Dei Servorum Laurentii à Brunduſio, & Bernardi à Corleone, Capucinorum, in ſacro Rituum conſeſſu diſcutiuntur, à profeſſione *Fratrum Minorum* illorum vita commendatur. Muricen Eccleſiæ dum Sacra Sedes Fratribus Anſelmo à Marzato, Antonio Barberino à Florentia, & Franciſco Mariæ ab Aretio Capucinis deſtinavit, & plures Capucinos Mytra Eccleſiaſticæ Hierarchiæ inſignivit, eos *de Ordine Fratrum Minorum* conſiſtoriale præconium vulgavit.

Dum Capucini Ordinis reformatio à Clemente VII. approbata; locus in Capella Pontificia à Benedicto XIII. ei conceſſus; & Apoſtolici Pulpiti proviſio à glorioſè regnante Benedicto XIV. in perpetuum fuit concredita, Capucini ſemper, *Ordinis Minorum Profeſſores* fuère nuncucupati, & Ordo Capucinus, ſemper identico Ordinis *Fratrum Minorum* titulo fuit decoratus. Apoſtolicum Diploma de Ordine Capucino non reperitur, quo ejus cum Ordine Fratrum Minorum unitas non deprædicatur: Auctor de Minoritis agit jam nullus, qui Acta Capucinorum libris ſuis non commiſceat, aut partem Ordinis Minoritani in Ordine Capucino non conſtituat. Eundem cum Fratribus Minoribus Patrem, D. Franciſcum, Capucini reverentur, eandem cum aliis Fratribus Minoribus Regulam profitentur, & omnia alia, quæ identitatem Ordinis notant, exprimunt, conſtituentes corpus Hierarchicum, non quidem ſeparatum, ſed corpori primitus jam formato per legitimam, & juxta enuntiatam Pauli V. Conſtitutionem *per nunquam interruptam lineam* unitum. Imò ſi rem penitius inſpiciamus, Nos altiore jure Minoritæ, quàm Capucini extamus, nam dum ab ore infantium, & diſtinctiva Habitûs noſtri parte Capucini duntaxat nuncupamur, Minoritæ econtra ex vera Sancti Patris Franciſci Filiatione & Regula vocamur & ſumus.

Hinc, ſi Ordinem quemcumque Ordinis privilegia frui, etiam ii, qui ſola juris limina ſalutârunt, probè noſcunt, Ordinem Capucinum ab Ordinis ſui Minoritani prærogativis nemo excludet: imò eò certior debet teneri noſtra harum communio, quò ſeverior noſtræ Regulæ obſervantia paſſim commendatur, & quò ſtrictiùs leges noſtræ diſtinctivæ, ſive municipales puritati hujus accedunt.

Intravimus quidem cum noſtra reformatione Minoriticam Vineam ultimi, operariis autem illis Evangelii, quos Paterfamilias primùm circa undecimam horam ad vineæ ſuæ culturam legavit, & in ſtipendio aliis primo manè conductis, & pondere diei & æſtûs laſſatis æquiparavit, ſimiles nos effectos gloriamur, & invido conamine in noſtræ ſortis & ſtipendii Apoſtolici uſu turbari non valemus. Textui ſacro ſi inſiſtamus, factum

Pa-

Digitized by Google

Patriſfamilias tum facta ex denario conventio, tum illius libera inæqualis laboris æqualiter præmiandi ſeu compenſandi voluntas perfecerunt. Figuram textûs ſi caſui noſtro aptemus, non quidem conventio, ſed ſucceſſio, quæ genericè & ex natura ſua poſtremos, ſaltem mediatè, conjungit primis, & quâ ſpecificè *origo ſeu principium noſtrum realiter, & cum effectu*, juxta Conſtitutionem Urbani VIII. *incipien. Salvatoris* = *tom.* 1. *pag.* 77. poſitam, *computandum eſt à tempore primævæ, & originalis inſtitutionis Regulæ*, dedit nobis ſtipendium Minoritici in Eccleſia Dei laboris, ſeu privilegiorum uſum æqualem, omnemque invidendi cauſam ſuſtulit ſumma Patriſfamilias in eminenti Apoſtolico throno Vineam Domini Sabaoth curantis, erga noſtrum in ſuis adhuc incunabilis vagientem Ordinem propenſa voluntas: ſuſtulit & Clemens Papa VII. dum ea ipſa Conſtitutione, qua Capucinum Inſtitutum approbavit, ſimul & conceſſit, ut *omnia & ſingula privilegia, indulta & gratias Fratrum Minorum .... hactenus conceſſas, & inpoſterum concedendas, & quibus ipſi quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſent in futurum, æquè principaliter, ſicut ipſi, uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeamus*.

Ex quo notandum eſt, quod nobis non ſolùm privilegia Ordini Minoritano, uſque ad Clementis VII. Pontificatum conceſſa, ſed etiam ab illo tempore eidem *concedenda*, æquè principaliter ſine contradictione communicentur.

Cuncta tamen in hoc tomo extenſa reperire non eſt, vel quod ſtatui noſtro non congruant, vel quod nec eruditionem hiſtoriæ Minoriticæ coadjuvent. Decretales tamen litteras, quibus Minoritæ Sanctorum catalogo fuêre inſcripti, ſicut & nonnullas alias, quibus ſacer iis decretus eſt honor, inſerui, ut, quorum fraternitate ex Regula gloriamur, expreſsâ in dictis litteris illorum virtute ad ſequelam accendamur, &, quorum officia celebramus in Choro, illorum gloria nobis pateat in Ordinis Bullario.

Reticeo & Pontificia vivæ vocis oracula tam copioſè aliàs ad Ordinis Minoritici favorem facta, cum labili jam fulcro ſuſtineantur, nec omni ex parte ad lydium lapidem ſint probata; imò, ſi aliis adminiculis non munita, aut aliàs Bullata non ſint, exoſa videatur illorum in Curia Romana allegatio.

Superſedeo & Apoſtolicis litteris privilegia continentibus, nobis cum aliis Regularibus tum Mendicantibus, tum non Mendicantibus communia. Scio quidem communicationem hanc, ex claro Pontificiarum litterarum tenore ita certam eſſe, ut nec negetur, nec negari poſſit. Scio ex Canonici juris conſultis eam eſſe illius efficaciæ, ut privilegia Ordinibus quibuſcumque conceſſa & concedenda; efficiat Ordini, cui communicantur, ita propria, ac ſi eidem primò, immediatè, nominatim, ac independenter ab aliis eſſent conceſſa. Scio à pluribus eam ita magnificari, ut, quotieſcumque allidunt ad ſcopulum litis, in ea quærant commune nutantis cauſæ effugium. Reperiò autem & illam ſimilem ſpatioſo mari, in quod dum quis ſolvitur, ad ſyrtes & charybdes abducitur; & ubi, dum aliquoties privilegii ſecuritas reperitur, centenis aliis vicibus pericula repetuntur.

Diſtrahit & illa Auctores ita in pugnantes ſententias, ut, cui fides debeat adhiberi, vix diſcernatur; & dum alii illa ſibi favere prætendunt,

alii eam vel cum—vel ſine cauſa excludunt : & , ut paucis multa dicam, quò majore niſu Regulares illam propugnant, eò anguſtiores ad limites Curiæ Eccleſiaſticæ eam coarctant. Hinc ex tanta privilegiorum communicatorum farragine , tomo huic paucas & illas dumtaxat Conſtitutiones, quarum communicatio ex communi Auctorum fide , certa & indubitata ſupponitur, ac Ordini noſtro conducit, immiſceo.

Ex quo meo delectu , vel etiam neglectu communicationi privilegiorum nec derogatum , nec præjudicatum cupio , cum tum ille , tum iſte, ex præcipuo vitandæ confuſionis motivo dimanent , aliàſque Ordini noſtro per privilegia Mari Magno Minorum inſerta , aut aliàs Ordini Minoritano conceſſa , ſufficienter proviſum videatur, quin hinc inde diſperſa inquirere debeamus . Æſtimo illam , ceu ſpecialem gratiam, quâ Apoſtolica Sedes æqualem erga Regulares affectum probare voluit , ut , ſicut teſte Pignatello *tom. x. conſultat. 1. fol. 3. col. 1. num. 26. Religiones omnes æqualiter inſudant , quælibet juxta propriam regulam , pro ſervitio Eccleſiæ , ita etiam æqualiter compotes ſint ac participes Apoſtolicarum conceſſionum*: non ſemel etiam in curſu & notis hujus tomi illâ utor , ut, quæ minus ſolida in Minoritanis indultis videntur, hujus adminiculo coadjuventur : hinc eam in pleno robore ſuo relinquo , illiuſque uſum pro caſibus , in quibus privilegium communicatum melius allegatur, quàm nullum, commendo.

Conſtitutiones autem , quæ Regulares promiſcuè tangunt , & ad regularis diſciplinæ cultum collimant , Minoriticis commiſceri , nemo ſuccenſebit: conſulitur enim exin ſtatûs noſtri paupertati & commodo : paupertati, qua ligati dum veneranda regularis Politiæ inſtituta , quæ nulli Sacerdotum Domini ſeu Regularium ignorare fas eſt , per multos libros diſperſa vel ære vel ore colligere non valemus, hìc, ex turba extracta, & ſerie chronologica in unicum tomum congeſta reperimus : commodo autem , dum , quæ manent præſcripta , in loco authentico conſpicimus expreſſa, &, quæ credulâ prætenſione aliquoties allegamus certa , invenimus in Romano typo ad directionem noſtram caduca vel nulla, &, quæ nonnunquam in foro & Curiis exhiberi oportet, ſine longa indagine in promptu habemus Romanâ cenſurâ limata.

Ex quo dum alii operis imprimendi neceſſitatem agnoſcent , alii connexam illius utilitatem advertent , non ſolùm Ordini Capucino peculiarem, ſed etiam in alios, inter quos privilegiorum viget communio , dimanantem.

Poſita ſunt nonnulla, quæ vel prorſus ſupervacanea , vel minus neceſſaria videbuntur , utpote Capucinum Ordinem aut non—aut vix attingentia . Sine fine & motivo , vel hiſtoricæ eruditionis , vel Monaſticæ utilitatis tranſcriptum eſt nihil; hinc, quæ aliqui ſibi ſuperflua cenſebunt, placebunt aliis ceu ſibi neceſſaria , & omnia approbabunt ii , qui antiqua monumenta ad hiſtoriam , quæ muta temporum teſtis , & nuncia veritatis , & vetuſtatis eſt , firmandam , verſari , & ea quoque , quæ olim conceſſa , & poſtea annullata , aut modificata fuère , ſcire geſtiunt.

Horum ſtudium & genium Notæ , quæ pluribus Conſtitutionibus, præſertim graviora & gratiora continentibus, ſubnectuntur, apprimè divertent . In his nihil gratis ſuppono , ſed veritatem ceu unicum ſcriptionis ſcopum , quæro: Hinc & illas tum auctoritate Doctorum , tum ratione ſuffulſi: Inter illos elegi eos , qui potiſſimùm Romæ ſcripſère, ibi ſcri-

pta

Digitized by Google

pæ typis edidêre, aut aliàs in Curia Romana commendantur, & quorum plures Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. tum in libris, quos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis publicæ luci dedit, tum in litteris, quas Papa vulgavit, non ſine honore in hoſce Auctores redundante citavit.

Quantumvis autem juxta Baronium in notis ad Martyrologium Romanum 13. Martii nihil *ſine certis Auctoribus affirmare religio ſit*, ab iisdem tamen veritas opinionis non ita dependet, quin efficaciùs ex ratione eruatur. In hoc declinavi à via illorum, qui, neſcio quo pio enthuſiaſmate abrepti pruritui, quo privilegiorum extenſioni inhiant, rationes ſuas accomodant, ſenſumque litterarum Pontificiarum torquent ad abuſum. Characterem Scriptoris ſeverioris ſervavi, &, quæ mihi veriora viſa ſunt, ſelegi, libenter cenſuram mei laboris, ſublimiori ſubmittens judicio. Ubi autem auctoritate vel ratione rei dubiæ necdum proviſum & conſultum exiſtimavi, utramque, ubi licuit, Sacrarum Congregationum Decretis communivi, ut, ubi harum oracula audiuntur, ceſſet omnis & diſſidentium Auctorum, & rationum conflictus.

In notarum extenſione ſtylo uſus ſum ſimplici, cum hunc legibus amicum *in inſtitut. de fidecom. hæred. §. ſed quia* legamus in verbis = *nobis in legibus magis ſimplicitas, quàm difficultas places*. Sique eas longiùs interdum produxi, feci, ut utilitas rei prolixitatem compenſaret ſermonis. *Quibus tamen ſi quis gravetur*, juxta monitum Petri Couſtant. TOM. I. EPISTOL. ROMAN. PONTIF. IN PRÆF. PAG. CXLIV., *aliis illarum uſum relinquat, & ille ſuo, ſi libet, faſtidio* obſequatur. Eos autem, qui de natione Criticorum opus ex integro deſpiciunt, non curo, cum à multis libros priùs contemni quàm legi paſſim ſciam: Notat hos D. Hieronymus *in proœm. lib. 9. Iſaiæ*, his verbis = *de eo audent judicare quod neſciunt, & ante deſpiciunt, quàm probent, eruditoſque ſe exiſtimant, & diſertos, & in eo ſe ſcire aliquid arbitrantur, ſi de cunctis Scriptoribus detrahant* = Sufficit mihi aſſecutum me eſſe terminum intentionis meæ ab omni prorſus vani plauſûs cupidine alienæ & depuratæ; ſufficit mihi opus antelucanis vigiliis, & multa contrarietate partum, ac Ordini noſtro Capucino tum utile, tum neceſſarium tandem quieſcere in fine.

ELEN-

E L E N C H U S

Conſtitutionum, necnon Decretorum principaliorum hujus Sexti Voluminis.

NOMEN PAPÆ.	INITIUM BULLÆ.	ARGUMENTUM.	Folium.
HONORIUS III.	Cum dilecti Filii.	*Commendat Fr. Franciſcum vivum &c.*	1
	Pro dilectis Filiis.	*Eadem de re*, cum nota.	2
	Solet annuere.	*Confirmat Regulam FF. Minorum.*	ibi
	In his quæ ad cultum.	*De Altari viatico*, cum nota,	7
GREGORIUS IX.	Mira circa Nos.	*Canonizatio Sancti Patris Franciſci.*	8
	Sicut phialæ aureæ.	*Promulgatio ejuſdem.*	10
	Quò elongati.	*Explicat varia Regulæ dubia.*	ibi
	Cum dicat Dominus.	*Canonizatio Sancti Antonii*, cum nota.	13
	Litteras, quas &c.	*Reſponſum Papæ ad Senatum Patavinum de ea re.*	14
	Cum jam per ejus.	*De non conveniendis FF. Minoribus.*	15
	Confeſſor Domini.	*De veritate Sacrorum Stigmatum S. P. Franciſci.*	ibi
	Uſque ad terminos.	*Eadem de re.*	16
	Non minus dolentes.	*Eadem de re.*	17
	Qui poſtpoſitâ.	*De cauſis &c. non acceptandis &c.*	ibi
CŒLESTINUS IV.	*Vacat.*		
INNOCENTIUS IV.	Licèt ad hoc.	*De abſolutione ſubditorum &c.* cum nota.	18
	In jure Canonico.	*Eadem de re.*	19
	Vobis extremam.	*De tranſitu & manſione in terris excomunicatorum.*	ibi
	Quia confuſio.	*De prohibitione portandi Habitum FF. Minorum.*	20
	Pro veſtro Collegio.	*De divino officio extra proprium Conventum.*	ibi
	Eis, qui ſanandis.	*De celebratione Divinorum in locis interdictis.*	ibi
	Nimis iniquâ.	*De moleſtiis illatis FF. Minoribus*, cum nota.	21
	Ordinem veſtrum.	*Explicatio quorumdam articulorum Regulæ.*	22
	Cum ſicut te.	*De ſubjectione FF. Minorum.*	24
	Quantò ſtudioſiùs.	*De Syndico inſtituendo.*	ibi
	Juſtis petentium.	*De vagabundis & expulſis.*	25
	Cæleſtis amor patriæ.	*De facultate Superiorum abſolvendi.*	ibi
	Cum tanquam veri.	*De Conventualitate Eccleſiarum*, cum nota.	26
	Cum olim.	*De FF. Minoribus non conveniendis.*	ibi
	Pacem veſtram.	*De Canonica portione &c.*	27
ALEXANDER IV.	Ut in veſtris Domibus.	*De Famulis &c. Minorum interdicto non ſubjectis.*	ibi
	Nec inſolitum eſt.	*De Parochianis Miſſam in Eccleſiis FF. audiendibus.*	28
	Clare claris.	*Canonizatio S. Claræ.*	29
	Convenit, ut ſacer.	*De ſententiis contra Principes non publicandis.*	32
	Ex parte veſtra.	*De ſupellectile Fratrum transferenda.*	ibi
	Benigna operatio.	*De veritate Sacrorum Stigmatum.*	33
	Ex parte veſtra.	*Ad Epiſcopatum promoti libros Ordini renuntiant.*	34
	Sacræ Religionis.	*De revocatione FF. in obſequiis Epiſcoporum.*	ibi
	Cum à Nobis.	*De ſepultura libera in Eccleſiis Minorum.*	35
	Preſſi gravi.	*De Hymno Angelico in Miſſis votivis.*	ibi
	Petitio tua.	*Minores Epiſcopatum ſine licentia non aſſumunt.*	36
	Ordinis veſtri.	*De Superiorum abſolutione à Confeſſariis ſuis.*	ibi
	Romanus Pontifex.	*Damnat libellum Guillielmi de S. Amore*, cum nota.	37
	Veri Solis radius.	*Quod Regi Galliæ renuntiatur.*	42
	Non ſine multa.	*Mendicitas Religioſa commendatur*, cum nota.	43
	Grande, & ſingulare.	*De veritate Sacrorum Stigmatum.*	44
	Felicis rec. Innoc.	*Incerta &c. recipiunt Minores ipſis donata.*	45
	Ex parte dilectorum.	*Eadem de re.*	ibi
	Pium eſt, & conſonum.	*De Canonica portione non exigenda.*	46
	Mente ſollicita.	*Minores abſque licentia non paciſcuntur.*	ibi
	Quia longum eſt.	*Impugnantes Sacra Stigmata excommunicantur.*	47
URBANUS IV.	*Vacat.*		
CLEMENS IV.	In quibuſdam locis.	*Violentia contra Minores vetitur.*	48
	Virtute conſpicuos.	*Privilegia Ordini conceſſa firmat.*	49
	Loca Sanctorum.	*De Indulgentiis in Eccleſiis Minorum.*	ibi
	Exigentibus.	*De Minorum facultatibus continuandis.*	50

Si

NOMEN PAPÆ.	INITIUM BULLÆ.	ARGUMENTUM.	Folium.
	Si circa veritatis.	*De libello Guillielmi de S. Amore.*	ibi
	Cum, ſicut ex parte.	*De Minoribus fugitivis non recipiendis.*	51
	Ordinis veſtri.	*De privilegiorum interpretatione.*	ibi
	Quia plerumque.	*De diſtantia Conventuum &c.*	52
	Ad conſequendam.	*De eadem re.*	ibi
	Providentia laudabilis.	*De Minoribus ad Epiſcopatum promotis.*	53
	Quæris à nobis.	*De Prædicatorum & Minorum Ord. pari perfectione.*	214
B. GREGORIUS X. INNOCENTIUS V. ADRIANUS V. VICEDOMINUS Electus. JOANNES XXI.	*Vacant.*		
NICOLAUS III.	Exiit, qui ſeminat.	*Dubia Regulæ declarat.*	56
MARTINUS IV.	Exultantes in Domino.	*De Syndico conſtituendo.*	67
HONORIUS IV.	Ex parte veſtra.	*De recurſu FF. Minorum ad Epiſcopos*, cum nota.	68
	Religionis ſavor.	*De pactis Minorum ſubditorum nullis.*	69
NICOLAUS IV.	Quia nonnulli.	*Minores eximit à jure Epiſcopi.*	71
	In veſtri Ordinis.	*De tranſeuntibus Minoritis ad alium Ordinem.*	ibi
	Cum ad aures.	*Impugnans Sacra Stigmata arguitur.*	72
S. CŒLESTINUS V.	*Vacat.*		
BONIFACIUS VIII.	Inter cæteros Ordines.	*Exemptio Minorum confirmatur.*	73
	Ad augmentum.	*De proceſſibus formandis.*	74
	Habet veræ devotionis.	*De ingreſſu Minorum in Monaſteria Monialium.*	75
	Quorumdam oculos.	*Aſſenſus electioni diſcordi Minoribus vetitur.*	ibi
	Super Cathedram.	*De diſſidiis Min & Rectorum Eccleſiarũ*, cum nota.	76
	Sublimi Sedis.	*De Indulgentiis Stationum.*	353
B. BENEDICTUS XI.	Inter cunctas.	*De Minorum privilegiis &c.*	79
	Inter cæteros.	*De exemptione Minoritana.*	82
CLEMENS V.	Exivi de Poradiſo.	*Regula Minoritana declaratur.*	83
JOANNES XXII.	Sol oriens.	*Canonizatio Beati Ludovici Epiſcopi.*	90
	Quorumdam exigit.	*Declarationes de veſtimentis Minorum.*	93
	Vas electionis.	*Joannis de Poliaco doctrina damnatur*, cùm nota.	96
	Quia nonnunquam.	*Minoribus obloqui vetat*, cum nota.	98
	Ad Conditorem.	*De diſtinctione uſûs juris & facti*, cum nota.	100
	Cum inter nonnullos.	*De paupertate Chriſti & Apoſtolorum*, cum nota.	105
	Quia quorumdam.	*De Conſtitutionibus binis non impugnandis.*	106
	Filiationi veſtræ.	*Confirmantur Indulgentiæ Minoribus conceſſæ.*	112
BENEDICTUS XII.	*Vacat.*		
CLEMENS VI.	Ad Sedis Apoſtolicæ.	*De Minoribus in modo vivendi diſcrepantibus.*	113
	Nuper pro parte.	*De Confeſſionibus à Minoribus audiendis &c.*	114
INNOCENTIUS VI.	Gravem dilectorum.	*Mendicantium privilegia firmantur*, cum nota.	115
URBANUS V. GREGORIUS XI. URBANUS VI.	*Vacant.*		
BONIFACIUS IX.	Ad hoc libenter.	*Exemptio Minorum renovatur.*	118
	Meritis veſtræ.	*Eadem confirmatur.*	ibi
	Ad uberes fructus.	*De Minorum privilegiis.*	119
	Pium & honeſtum.	*De feſto S. Antonii celebrando.*	120
INNOCENTIUS VII. GREGORIUS XII.	*Vacant.*		

NOMEN PAPÆ.	INITIUM BULLÆ.	ARGUMENTUM;	Folium.
ALEXANDER V.	Regnans ex excelſis.	*De Confeſſionibus Mendicantibus factis.*	122
JOANNES XXIII.	*Vacat.*		
MARTINUS V.	Viam ambitioſæ.	*De tranſitu Mendicantiũ ad alios Ordines,* cum nota.	125
	Amabiles fructus.	*Confirmatio Syndici.*	127
	Cum Generale Capitulum.	*Statuta Ordinis Minorum conduntur,* cum nota.	ibi
	Cum ſæpè.	*De Confeſſariis inadvertenter abſolventibus.*	137
EUGENIUS IV.	Licèt debitum.	*Privilegia Ordinis Minoritarum confirmantur.*	138
	Fide digna.	*De Communione Paſchali.*	ibi
	Regnans in excelſis.	*Philippus Norreys damnatur.*	139
	Exhibita Nobis.	*Errores ejus recenſentur,* cum nota.	140
	Gregis Nobis crediti.	*De Confeſſionibus à Minoribus excipiendis.*	142
NICOLAUS V.	Dudum fel. rec.	*Prædictus Norreys excommunicatur.*	144
	Etſi cunctorum.	*De FF. Minoribus non inquietandis.*	145
	Miſericordias Domini.	*Canonizatio B. Bernardini Senenſis.*	146
CALISTUS III.	*Vacat.*		
PIUS II.	Digna exauditione.	*De Indulgentiis Stationum Min. conceſſis,* cum nota.	150
	Sciens inimicus.	*De modo interdicti à Minoribus ſervando.*	151
PAULUS II.	Inter cæteros Ordines.	*Privilegia Minorum confirmantur.*	152
	Ambitioſæ cupiditati.	*De Eccleſia bonis non alienandis,* cum nota.	153
	Intelligentes.	*De nominibus Eligentium reticendis.*	154
SIXTUS IV.	Apoſtolicæ manſuetudinis.	*De cadaveribus cum Habitu Ordinis ſepeliendis.*	155
	Præclara Sanctorum.	*De Feſto S. P. Franciſci celebrando.*	156
	Dudum.	*De non ſolvenda Quarta.*	157
	Regimini, ſive *Mare Magnum* Minorum.	*Privilegia Ordinis Minoritani recenſentur.*	158
	Sacri Prædicatorum &	*De confirmatione & cõmunicatione privilegiorum &c.*	199
	Circumſpectis.	*De ſtatutis Minorum non ligantibus.*	203
	Superna.	*S. Bonaventura Sanctorum catalogo inſcribitur.*	204
	Nuper Nobis.	*Minoribus abutentibus &c. gratia ſuſpenduntur.*	207
INNOCENTIUS VIII.	Expoſcit.	*De benedictione Paramentorum.*	208
	Ordinis veſtri.	*De Minorum privilegiis ſolemnizandis.*	210
ALEXANDER VI. PIUS III.	*Vacant.*		
JULIUS II.	Exponi Nobis.	*De feſto S. Bonaventuræ ab interdicto exempto.*	212
	Exponi Nobis.	*De privilegio Minorum tempore interdicti.*	ibi
	Aliàs ad ſupplicationem.	*De cõmunicatione privil. Ord. Præd. & Min.* cum nota.	213
	Admonet Nos,	*De privilegio Mendicantium quoad Confeſſiones.*	215
	Exponi Nobis.	*De caſibus Bullæ Cœnæ circa Regulares.*	228
LEO X.	Religionis ſuadet.	*De facultate Minorum benedicendi &c.* cum nota.	217
	Cum, ſicut Nobis.	*De Minoribus ob ſilentium criminum ejiciendis.*	222
	Dum intra.	*De moderatione privilegiorum Mendicantium.*	ibi
	Exponi Nobis.	*De facultate abſolvendi &c.* cum nota.	225
	Omnipotens Deus.	*Ordo Minorum dividitur.*	230
	Intelleximus.	*Auditioni Miſſa in Eccleſiis Mendicantium ſatisfit.*	233
	Cum aliàs nonnulli.	*Exemptio ab interdicto extenditur.*	ibi
	Ratio exigit.	*De Statione Sacramentali,* cum nota.	234
	Cum Sancta Regula.	*De proviſione Minoribus tempore interdicti facienda.*	237
	Dudum per Nos.	*De Indulgentiar. cõmunicatione inter Ord. Mend.* cũ nota.	ibi
ADRIANUS VI.	*Vacat.*		
CLEMENS VII.	Dum uberes fructus.	*Confirmatio privilegiorum trium Ord. S. Franciſci.*	240
	Salvatoris.	*De Feſto Nominis Jeſu.*	241
PAULUS III.	Cum inter cunctas.	*De facultate abſolvendi Sæculares.*	242
JULIUS III. MARCELLUS II.	*Vacant.*		
PAULUS IV.	Poſtquam.	*De Regularibus fugitivis & eorum pœnis.*	244
	Ex clementi.	*Privilegia trium Ordinum confirmantur.*	247

In

NOMEN PAPÆ.	INITIUM BULLÆ.	ARGUMENTUM.	Folium.
	In ſacra.	*Regulares Epiſcopi ad officia Ordinis non promoventur.*	ibi
PIUS IV.	Ex clementi.	*Privilegia Ord. Minorum confirmantur.*	249
	In Principis Apoſtolorum.	*Concilio Tridentino adverſantia revocantur.*	253
S. PIUS V.	Dum ad uberes.	*De exemptione Mendicantium à gabellis.*	254
	Etſi Mendicantium.	*Enumerantur prajudicia contra privilegia &c.*	257
	Cum, ſicut.	*De libris è Bibliothecis Minorum non ſubtrahendis.*	264
	Quæcunque Sacrarum.	*De non retinendis alterius Ordinis Fratribus.*	265
	Summi Sacerdotii.	*De Profeſſione Novitiorum ante tempus*, cum nota.	266
	Debitum paſtoralis.	*De Notariis creandis*, cum nota.	268
	Romani Pontificis.	*De Confeſſario Bullæ Cruciatæ.*	272
	Romani Pontificis.	*De Regularibus Confeſſariis examinandis.*	273
	Ad hoc Nos.	*Quædam Mendicantium privilegia declarantur.*	274
	Cum, ſicut non.	*De Militibus apud Regulares non hoſpitandis.*	280
GREGORIUS XIII.	In tanta rerum.	*De reductione privilegiorum ad terminos juris.*	282
	Quoniam noſtro.	*De prohibitione recurſûs ad Tribunalia Sæcularium.*	283
	Expoſcit.	*De Proceſſionibus*, cum nota.	284
SIXTUS V.	Cum à primæva.	*De Indulgentiis plenariis perpetuis in feſtis Min.*	289
	Triumphantis Hieruſalem.	*S. Bonaventura Eccleſiæ Doctor declaratur.*	ibi
	Etſi Mendicantium.	*Privilegia trium Ordinum confirmantur.*	295
	Rex Regum.	*Canonizatur B. Didacus.*	297
	Cum de omnibus.	*De Illegitimis.*	308
	Ad Romanum ſpectat.	*De iiſdem.*	311
URBANUS VII.	*Vacat.*		
GREGORIUS XIV.	Circumſpecta.	*De illegitimis Regularium*, cum nota.	306
INNOCENTIUS IX.	*Vacat.*		
CLEMENS VIII.	Significatum fuit.	*De Miſſis in Eccleſiis Mendicantium*, cum nota.	314
	Sanctiſſimus.	*De caſibus Regularium reſervandis*, cum nota.	315
	Religioſę Congregationes.	*De largitione munerum interdicta.*	318
	Sacræ Seraphici.	*De privilegia tempore interdicti in Eccleſiis Min.* cũ not.	321
	Suſcepti muneris.	*De Regulari delinquente puniendo.*	323
	Nullus omnino,	*De Regularium reformatione.*	324
	Regularis diſciplina &c.	*De Novitiis in Conventibus aſſignatis admittendis.*	328
	In ſuprema.	*De nullitate Profeſſionum &c.*	335
	Editum fuit.	*De abſolutione à caſibus reſervatis*, cum nota.	336
	Quoniam ad inſtitutam.	*De audiendis Regularibus in fabrica novæ Domûs.*	345
LEO XI.	*Vacat.*		
PAULUS V.	Sanctiſſimus.	*De numero Fratrum Conventibus præfigendo.*	346
	Romanus Pontifex.	*Indulgentias revocat & ſubſtituit*, cum nota.	347
	Romanus Pontifex ea.	*De cauſis Regularium in Officio Inquiſit. judicandis.*	356
	Religioſorum.	*De Regularibus non conveniendis*, cum nota.	358
	Apoſtolicæ ſervitutis.	*De ſtudio linguarum*, cum nota.	360
GREGORIUS XV.	Sanctiſſimus.	*De Conſervatoribus Regularium*, cum nota.	362
	Inſcrutabili.	*De exemptione privilegiorum modificata*, cum nota.	365
	Romanus Pontifex.	*Vivæ vocis oracula revocantur.*	+84
	Cum aliàs.	*De conſenſu Regularium ad novas fabricas.*	385
	Univerſi Dominici gregis.	*De Confeſſariis ſollicitantibus &c.*	386
URBANUS VIII.	Romanus Pontifex.	*Nova forma pro Conventuum fabricis confirmatur.*	388
	Cum ſæpe contingat.	*De celebratione Miſſarum*, cum nota.	390
	Salvatoris & Domini.	*Cultus Martyrum Minorum Japoniæ approbatur.*	397
	Cum, ſicut accepimus.	*De Regularibus in litteris S. Officii comprehenſis.*	398
	Aliàs fel. rec.	*Revocatio oraculorum extenditur.*	399
	Sanctiſſimus.	*De Conſtitutionibus Inquiſit. ad menſam legendis.*	401
	Nuper pro parte.	*Regulares aſſociare cadavera non prohibentur.*	402
	Cum, ſicut dilectus.	*Abuſus Habitûs Tertii Ordinis reprobatur.*	403
	Nuper à Congregatione.	*Moderatio Conſtitutionis de largitione munerum.*	404
INNOCENTIUS X.	Exponi Nobis.	*De Confeſſione Paſchali & Communione*, cum nota.	406
	Inter cætera.	*De Regularium ſtatu in Italia.*	408

BULLARII
Ordinis Fratrum Minorum
CAPUCINORUM
Tomus Sextus.

HONORIUS III.
ROMANUS

Ex nobiliſſima gente Sabella, antea Centius, Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii vocatus, die 18. Julii 1216. in ſummum Eccleſiæ Pontificem Peruſii electus, & ibidem die Dominica 24. ejuſdem menſis conſecratus eſt. Sedit in Pontificatu annos 10. menſes VIII. *Obiit Romæ die 18. Martii anno 1227. & in Eccleſia S. Mariæ Majoris prope Altare Præſepis ſepultus eſt. De litteris ad favorem naſcentis Ordinis Minoritani ab eo datis ſelectæ ſunt ſequentes.*

Franciscum, & Socios pro benigna ubique receptione Eccleſiæ Prælatis commendat.

HONORIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis.

Cum dilecti Filii, Frater Franciſcus, & Socii ejus de vita & Religione Minorum Fratrum abjectis vanitatibus hujus mundi elegerint vitæ viam à Romana Eccleſia meritò approbatam, ac ſerendo ſemina verbi Dei Apoſtolorum exemplo diverſas circumeant manſiones, Univerſitatem veſtram rogamus & exhortamur in Domino, per Apoſtolica Vobis ſcripta mandantes, quatenus latores præſentium de prædictorum Fratrum Collegio exiſtentes, cum ad Vos duxerint declinandum, ipſos recipiatis, ſicut Catholicos & Fideles, aliàs eis ob reverentiam divinam & noſtram exhibentes Vos favorabiles & benignos.

Datum III. Idus Junii Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Monumenta Ordinis Minorum fol. 22. Rodriquez de privil. Mendicantium f. 7. col. 1. Wadding. *tom. 1. Annal. Ord. Minoritani fol. 301.*

Epiſcopos quoſdam, Fratres Minores in ſuis Diœceſibus manere non permittentes arguit, eoſque pro Divina & Pontificia reverentia commendatos habere monet.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis Eccleſiarum Prælatis per Regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedict.

PRo dilectis Filiis, Fratribus de Ordine Fratrum Minorum direxiſſe Vobis recolimus ſcripta noſtra, ut eos haberetis divini amoris intuitu commendatos; ſed, ſicut intelleximus, quidam veſtrûm quaſi habeant de ipſorum Ordine conſcientiam ſcrupuloſam, cum nihil in eis ſuſpicionis dignum invenerint, ſicut ab aliis intelleximus, quibus adhibere poſſumus plenam fidem: ipſos in ſuis manere Diœceſibus non permittunt, licèt ex eo ſolùm, quod litteras noſtras eiſdem conceſſimus, nihil de eis ſiniſtri debuerint opinari. Unde Univerſitati veſtræ volumus eſſe notum, quod Nos Ordinem talium de approbatis habemus, & Fratres Ordinis ipſius, viros recognoſcimus Catholicos & devotos. Quare monendos Vos duximus & exhortandos, per Apoſtolica Vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ipſos, tanquam verè fideles, & religioſos in veſtris Diœceſibus admittatis, habentes eoſdem pro Divinâ & noſtrâ Reverentia propenſiùs commendatos.

Datum Viterbii quarto Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Rodriq. pag. prædicta.

N O T A.

MEmoriâ venerationis dignæ ſunt hæ duæ litteræ, cum ſint primæ, quibus Sacra & Apoſtolica Sedes ſuæ erga Franciſcum adhuc in carne ambulantem, ejuſque Socios patefecit ac incepit dignationis affectum. Jam quidem anno 1206. Franciſcus Regulam ſuam cœlitùs dictatam conſcripſerat, ejuſque approbationem à Summo Pontifice Innocentio III. in Concilio Lateranenſi juxta Belgicum Ordinis Chronicon, Wadingum tom. 1. Annal. fol. 239. num. 33. alioſque ibi ab eo relatos vivæ vocis oraculo obtinuerat, ita, ut Franciſcus æquè ac Socii, Pontificia Benedictione muniti, ad culturam Vineæ Domini, illo tempore perſecutione non parum contritam paſſim exiverint; cum autem Regula, Apoſtolicâ Bullâ necdum eſſet communita, moduſque vivendi Fratrum multis ignotus ac exoſus, Honorius III. ad tollenda, quæ Apoſtolici Viri patiebantur, gravamina, præpoſitas litteras ad Eccleſiarum Præſules miſit, ut, quorum Regulam Eccleſia Dei Bullâ necdum probâſſet, Eccleſiarum Antiſtites hujus Profeſſores contra labia acuta tuerentur.

Regulam Fratrum Minorum confirmat.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SOlet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri, eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam, præſentibus, auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, quæ talis eſt.

In Nomine Domini.

Incipit Regula, & Vita Fratrum Minorum.

CAPUT I.

REgula, & Vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus ejus canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alii Fratres teneantur Fratri Franciſco, & ejus ſucceſſoribus obedire.

CAPUT

CAPUT II.

De his, qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ad ſuos Miniſtros Provinciales: quibus ſolummodo, & non aliis, recipiendi Fratres licentia concedatur. Miniſtri verò examinent eos de fide Catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis, & ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare, & ſi uxores non habent, vel ſi habeant, & jam Monaſterium intravenerint uxores: vel licentiam eis dederint auctoritate Diœceſani Epiſcopi: voto continentiæ jam emiſſo, & illius ſint ætatis uxores, quod non poſſit de eis oriri ſuſpicio, dicant illis verbum Sancti Evangelii, quod vadant, & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare. Quod ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres, & eorum Miniſtri nè ſoliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, ut liberè faciant de rebus ſuis, quicquid Dominus inſpiraverit eis. Si tamen conſilium requiratur, licentiam habeant Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſtea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum, & brachas, & capparonem uſque ad cingulum: niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper, & Regulam obſervare. Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, juxta mandata Domini Papæ, quia ſecundum Sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Et illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui voluerint habere: & qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis, & aliis peciis cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne deſpiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis, & coloratis indutos, uti cibis, & potibus delicatis, ſed magis unuſquiſque judicet, & deſpiciat ſemetipſum.

CAPUT III.

De Divino Officio, & Jejunio, & quomodo Fratres debeant ire per Mundum.

CLerici faciant Divinum Officium ſecundùm ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ (excepto Pſalterio) ex quo habere poterunt Breviaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noſter, pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet iſtarum horarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim, pro Completorio ſeptem, & orent pro Defunctis, & jejunent à Feſto Omnium Sanctorum, uſque ad Nativitatem Domini; ſanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania, uſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto jejunio conſecravit, qui voluntariè eam jejunant, benedicti ſint à Domino, & qui nolunt, non ſint aſtricti: ſed aliam uſque ad Reſurrectionem Domini jejunent; Aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſextâ feriâ jejunare. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Conſulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Jeſu Chriſto, ut quando vadunt per mundum non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent, ſed ſint mites, pacifici, modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus ſicut decet; & non debeant equitare, niſi manifeſtâ neceſſitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et ſecundùm Sanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis liceat manducare.

CAPUT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

PRæcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per ſe, vel per interpoſitam perſonam, tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales, Miniſtri tantùm, & Cuſtodes ſollicitam curam gerant ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire: eo ſemper ſalvo, ut (ſicut dictum eſt) denarios, vel pecuniam non recipiant.

CAPUT V.

De modo laborandi.

FRatres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, & devotè; ita quod, excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis, & devotionis ſpiritum non extinguant: cui debent cætera temporalia deſervire. De mercede verò laboris pro ſe, & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria ſuſcipiant: præter denarios, vel pecuniam. Et hoc humiliter, ſicut decet Servos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.

CAPUT VI.

Quod Fratres nihil ſibi approprient, & de eleemoſyna petenda, & de Fratribus infirmis.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; ſed tanquam peregrini, & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter: nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis, ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos, hæredes, & reges regni cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit; Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium; cui dilectiſſimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud, pro Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in perpetuum, ſub cœlo habere velitis. Et ubicumque ſint, & ſe invenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit, & diligit filium ſuum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei ſervire, ſicut vellent ſibi ſerviri.

CAPUT VII.

De Pœnitentia, Fratribus peccantibus, imponenda.

SI qui Fratrum, inſtigante inimico mortaliter peccaverint; pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres, ad eos recurrere, quamcitius poterunt ſine mora. Ipſi verò Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia injungant illis pœnitentiam. Si verò Presbyteri non ſunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis, ſecundùm Deum, meliùs videbitur expedire; & cavere debent, ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira, & conturbatio, in ſe, & in aliis impediunt charitatem.

CAPUT VIII.

De Electione Generalis Miniſtri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

UNiverſi Fratres, unum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere in Generalem Miniſtrum, & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio Succeſſoris fiat à Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus, in Capitulo Pentecoſtes, in quo Provinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul convenire, ubicunque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Et hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorum Provincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium, & communem utilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in Nomine Domini, alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri, & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis Cuſtodiis, ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare.

CAPUT IX.

De Prædicatoribus.

FRatres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et Nullus Fratrum Populo penitus audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo ſibi officium prædicationis conceſſum. Moneo quoque, & exhortor eoſdem Fratres, ut in prædicatione quam faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem Populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate ſermonis: quia

Digitized by Google

quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram.

CAPUT X.

De Ammonitione, & Correctione Fratrum.

FRatres, qui ſunt Miniſtri, & ſervi aliorum Fratrum, viſitent & moneant Fratres ſuos, & humiliter, & charitativè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram; Fratres verò qui ſunt ſubditi recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant ſuis Miniſtris, in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ & Regulæ noſtræ. Et ubicunque ſunt Fratres, qui ſcirent, & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint recurrere. Miniſtri verò charitativè & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis, & facere, ſicut Domini ſervis ſuis. Nam ita debet eſſe, quod Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum. Moneo verò, & exhortor in Domino Jeſu Chriſto, ut caveant Fratres ab omni ſuperbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura, & ſollicitudine hujus ſæculi, à detractione, & murmuratione. Et non curent neſcientes litteras, eas diſcere; ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſantam ejus operationem; orare ſemper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in perſecutione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt, & arguunt, quia dicit Dominus. Diligit inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

CAPUT XI.

Quod Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum

PRæcipio firmiter Fratribus univerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum, & ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolicâ conceſſa eſt licentia ſpecialis; nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione, inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.

CAPUT XII.

De Euntibus inter Saracenos, & alios infideles.

QUicunque Fratrum, Divinâ inſpiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Provincialibus; Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis, ut ſemper ſubditi ac ſubjecti pedibus ejusdem S. R. E. ſtabiles in fide Catholicâ, paupertatem & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini Noſtri Jesu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Laterani tertio Kalendas Decembris Pontificatûs noſtri Anno Octavo.

Explicit Regula Fratrum Minorum.

INCIPIT TESTAMENTUM BEATI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

§.1. Dominus dedit mihi Fratri Franciſco ita incipere facere pœnitentiam, quia cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos. Et ipſe Dominus conduxit me inter illos & fecit miſericordiam cum illis. Et recedente me ab ipſis, id quod videbatur mihi amarum, converſum fuit mihi in dulcedinem animæ, & corporis. Et poſtea parum ſteti, & exivi de ſæculo.

§.2. Et Dominus dedit mihi fidem in Eccleſiis, ut ita ſimpliciter adorarem, & dicerem. Adoramus te Sanctiſſime Domine Jeſu Chriſte, hìc, & ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

§.3. Et poſtea Dominus dedit mihi, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt ſecundùm formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, propter Ordinem ipſorum, quod ſi facerent mihi perſecutionem, volo recurrere ad ipſos; Et ſi haberem tantam ſapientiam, quan-

Digitized by Google

quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos Sacerdotes bujus ſæculi, in Eccleſiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra volnntatem ipſorum. Et ipſos, & omnes alios volo timere, amare, & honorare, ſicut meos Dominos, & nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in eis, & Domini mei ſunt; Et propter hoc ſacio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo, de ipſo Altiſſimo Filio Dei, niſi Sacratiſſimum Corpus & Sanguinem ſuum, quem ipſi conficiunt, & recipiunt, & ipſi ſoli aliis adminiſtrant.

§.4. Et hæc Sanctiſſima Myſteria ſuper omnia volo bonorare, & venerari, & in locis pretioſis collocare.

§ 5. Et Sanctiſſima Nomina, & Verba ejus ſcripta, ubicumqne invenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo, quod colligantur, & in loco honeſto collocentur.

§.6. Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis Sanctiſſima Verba Divina, debemus honorare, & venerari: ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum, & vitam.

§.7. Et poſtquam Dominus dedit mihi de Fratribus, nemo oſtendebat mibi, quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus revelavit mihi, quod deberem ſecundùm formam Sancti Evangelii vivere, & ego paucis verbis, & ſimpliciter ſeci ſcribi.

§.8. Et Dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia, quæ babere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica una, intus & ſoris repetiata, qui volebant, & Cingulo, & Brachis, & nolebamus plusbabere.

§.9. Officium dicebamus nos Clerici ſecundùm alios Clericos. Laici dicebant Pater noſter. Et ſatis libenter manebamus in Eccleſiis paupereulis, & derelictis, & eramus idiotæ, & ſubditi omnibus.

§.10. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alii Fratres mei firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad boneſtatem, & qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam otioſitatem.

§.11. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynas oſtiatim.

§.12. Salutationem hanc mihi Dominus revelaùit, ut diceremus, Dominus det tibi pacem.

§.13. Caveant ſibi Fratres, ut Eccleſias & habitacula, & omnia alia, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitus non recipiant, niſi eſſent ſecundùm ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſimus obſervare, ſemper ibi hoſpitantes, ſicut peregrini, & advenæ.

§.14. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus univerſis, ut ubicumque ſint, non audeant petere aliquam literam in Curià Romanâ per ſe, vel per interpoſitam perſonam, neque pro Eccleſia, neque pro aliquo loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum: ſed, ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram, ad ſaciendam ibi pœnitentiam cum benedictione Dei.

§.15 Et firmiter volo obedire Miniſtro Generali hujus Fraternitatis, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare, & ita volo eſſe captus in manibus ejus, ut non poſſim ire, vel facere ultra obedientiam & voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt.

§.16. Et quamvis ſim ſimplex & infirmus, tamen volo ſemper habere Clericum, qui mihi ſaciat Officium, ſicut in Regula continetur. Et omnes alii Fratres teneantur per obedientiam obedire Guardianis ſuis, & ſacere officium ſecundùm Regulam.

§.17. Et quicunque inventi eſſent, qui nollent ſacere Officium ſecundùm Regulam, & vellent aliquo modo variare, aut non eſſent Catholici, omnes Fratres, ubicumque ſunt teneantur per obedientiam, ubicumque invenerint aliquem ipſorum, proximiori Cuſtodi illius loci, ubi ipſum invenerint, debeant præſentare. Et Cuſtos teneatur per obedientiam ipſum cuſtodire ſortiter, ſicut bominem in vinculis, die noctuque, ità quod non poſſit eripi de manibus ſuis, donec repræſentet eum in manibus ſui Miniſtri. Miniſter verò teneatur per obedientiam mittere ipſum, per tales Fratres, qui dic, noctùque cuſtodiant eum ſicut bominem in vinculis, donec repræſentent eum coram Domino Hoſtienſi, qui eſt Dominus Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis.

§ 18. Et non dicant Fratres, bæc eſt alia Regula, quia hæc eſt recordatio, admonitio, & exbortatio, & meum teſtamentum, quod ego Frater Franciſcus parvulus veſter ſacio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, ut Regulam, quam Domino promiſimus, catholicè obſervemus.

§.19. Et Generalis Miniſter, & omnes alii Miniſtri & Cuſtodes teneantur per obedientiam in iſtis verbis non addere, vel minuere, & ſecum boc ſcriptum ſemper habeant juxta Regulam: & in omnibus Capitulis, quæ ſaciunt, quando legunt Regulam, legant & iſta verba: & omnibus Fratribus meis Clericis & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant gloſſas in Regula, nec in iſtis verbis dicendo, ita volunt intelligi, ſed ſicut dedit mihi Dominus ſimpliciter, & purè dicere & ſcribere Regulam, & iſta verba, ita ſimpliciter & purè ſine gloſſa intel-

liga-

ligatis, & eum ſanta operatione obſervetis uſque in finem.

§.20. Et quicumque hæc obſervaverit, in cælo repleatur benedictione Altiſſimi Patris Cœleſtis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filii ſui, cum Sanctiſſimo Spiritu paraclito, & omnibus virtutibus Cœlorum, & omnibus Sanctis.

Et ego Frater Franciſcus parvulus veſter & ſervus, quantumque poſſum, confirmo vobis intus, & foris iſtam ſanctiſſimam Benedictionem. Amen.

N O T A.

PRæpoſitam S Regulam varii commendant Scriptores, vel *Librum vitæ*, vel *medullam Evangelii*, vel *Statum perfectionis &c.* eam nuncupando: *Chriſtum, viam perfectionis oſtendentem, illam verbo docuiſſe, & exemplo firmâſſe*, in ſua Decretal: *exiit* Nicolaus III. commemorat. Eam Sanctitatis unctionem illi inſitam S. Vincentius Ferrerius deprehendit, ut (prout jam alibi memini.) *in Sermone de S. Franciſco* aurea hæc verba poſuerit = *qui illam regulam ſervat, ſanctus eſt, &, quando moritur, poſſet canonizari* = Spiritui lenitatis in ea tam perfecto nexu rigorem diſciplinæ conjunctum advertit eximius Martinus Navarrus. ut coment. in cap. ſtatuimus 19. q. 5. §.17. dicat = *adeo ſuſpicio & veneror regulam illam altiſſimam S. Franciſci, ut obſervantes eam ad unguem, & mentem Auctoris reputem eſſe quoſdam incruentos Chriſti Martyres*. Excellentiora cum vix poſſint addi encomia, ulterior in eam à me haud requiritur excurſus.

Unitur ſuprà eidem S. Patris teſtamentum, tum, quod illud plerumque à Scriptoribus ei annexum reperiam, tum, quod de eo in Pontificiis Conſtitutionibus repetita occurrat mentio.

Abſque Prælatorum Eccleſiaſticorum conſenſu Fratres Minores &c. Altari viatico uti poſſe declarat, omnemque ſcrupuloſam deſuper interpretationem reprobat.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Rhemenſi, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN his, quæ ad cultum Divinum facere dignoſcuntur, non maligna, ſed benigna potius eſſet interpretatio facienda. Unde mirari compellimur, quod cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duxerimus indulgendum, ut, ubicunque fuerint, ſine Parochialis juris præjudicio, cum Altari valeant viatico celebrare; quidam, ſicut nuper fuit propoſitum Nobis, ſtrictè nimis interpretando indulgentiam noſtram, nituntur aſſerere, quod per eam prædicti Fratres, præter Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum aſſenſum, facere hoc non poſſint; propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apoſtolicam non permittunt. Cum autem nihil eis conferret indulgentia memorata, ſine qua id Epiſcopis, & aliis Prælatis annuentibus, liceret eiſdem; Fraternitati Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, interpretatione hujuſmodi reprobatâ, dum tamen ab aliis, quæ jure Parochiali proveniunt, ſe prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi auctoritate noſtra non differas publicare: ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.

Datum Reate III. Kalendas Septembris Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Ex corpore juris Canonici cap in his de privilegiis, aliiſque libris Ordinis.

N O T A.

QUoties redit Altaris portatilis, ſeu viatici mentio, ſuſpendat Lector ſuum deſuper judicium, uſque ad Decretum ſub Clemente P. XI. emanatum, & incipiens *Quoniam Sancta*, ad cujus calcem dabitur tota hujuſmodi Altaris categoria; & interim meminiſſe ſufficiat, quod hujus uſus Ordini Minoritano tempore, quo Fratres nec adhuc Conventus, nec Cœmeteria, nec Eccleſias habebant, primò & ideo fuerit conceſſus, tum, ut eorum obviaretur incommodia, tum, ut aſſumptum ab iis Evangelici laboris opus facilitaretur. Poſtquam autem loca & manſiones illorum converſi fuerunt in Conventus, & Fratres Eccleſias habuêre ad uſum proprias, Sacra Sedes merita illorum ſæpe renovatâ quidem decoravit gratia, quæ tamen à Concilio Tridentino limitata, dicto videbitur loco.

GRE-

GREGORIUS IX.

Altera ab Honorii obitu die, videlicet 19. Martii 1227. aſſumptus eſt ad Summum Eccleſiæ Sacerdotium, Hugo (ab aliis Hugolinus dictus.) S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, natione Campanus, Patria Signinus ex Comitium Signiæ Stirpe, qui nomine Gregorii IX. aſſumpto, Dominica ſequente videlicet 21. ejuſdem menſis conſecratus eſt. Sedit in Pontificatu annos quatuordecim, menſes quinque, dies tres. Obiit ſenio, & curis confectus 21. Auguſti 1241. & ſepultus ad Sanctum Petrum. Conceſſit Ordini Minoritano inter alia ea, quæ ſequuntur, Diplomata.

B. P. Franciſcum Sanctorum Confeſſorum albo inſcribit, & quarto nonas Octobris ejus Feſtum ab univerſali Eccleſia celebrari ſtatuit.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI:

Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Diaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Mira circa Nos Divinæ pietatis dignatio, & inæſtimabilis dilectio charitatis, quâ Filium pro ſervo tradidit redimendo, dona ſuæ miſerationis non deſerens, & vineam dexterâ ejus plantatam continua protectione conſervans, in illam, qui ſalubriter ipſam excolant, evellentes ſarculo, ac vomere, quo Samgar ſexcentos Philiſtæos percuſſit, ſpinas, & tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora tranſmiſit, ut ſuperfluitate palmitum reſecata, & vitulaminibus ſpuriis radices altas non dantibus, nec non ſentibus extirpatis, fructum ſuavem afferat, & jucundum, qui prælo patientiæ deſacatus, in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profectò velut igne ſuccenſa, & frigeſcente charitate multorum, in ejuſdem maceriam diruendam, irruentibus Philiſtæis, potione terrenæ cadentibus voluptatis.

§. 1. Ecce in hora undecima Dominus, qui, cum diluvii aquâ terram deleret, juſtum per lignum contemptibilem gubernavit, ſuper ſortem juſtorum virgam peccantium non relinquens, excitavit Servum ſuum Beatum Franciſcum, Virum utique ſecundùm cor ſuum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, ſed paratam ad tempus ſtatutum, illam in vineam ſuam mittens, ut ex ipſa ſpinas & vepres evelleret, proſtratis illam impugnantibus Philiſtæis, illuminando patriam, & reconciliari Deo, exhortatione ſedula commonendo.

§. 2. Qui auditâ interiùs voce invitantis amici, impiger ſurgens, mundi vincula blandientis, quaſi alter Samſon gratiâ divinâ præventus dirupit, & ſpiritu fervoris concepto, aſinique arreptâ mandibulâ, prædicatione ſiquidem ſimplici, nullis verborum perſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornatâ, ſed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæcumque confundat, non tantùm mille, ſed multa millia Philiſtinorum, eo qui tangit montes, & fumigant, ſaciente proſtravit, & in ſpiritûs ſervitutem redegit, carnis illecebris antea ſervientes; quibus vitiis mortuis, & Deo viventibus, jam non ipſis, quorum pars peſſima periit, ex mandibula ipſa egreſſa copioſa eſt aqua, reficiens, abluens, & fœcundans lapſos ſordidos, & arentes, quæ in vitam æternam ſaliens, abſque argento, & commutatione aliqua poteſt emi, cujus rivuli longè latèque diffuſi, vineam irrigant uſque ad mare palmites, & uſque ad flumen propagines extendentem.

§. 3. Hic denique Patris noſtri Abrahæ imitatus veſtigia, mente de terra & cognatione ſua, nec non Domo Patris ejus egrediens, iturus in terram, quam ſibi Dominus divina inſpiratione demonſtrârat, ut expeditiùs curreret ad bravium vocationis cæleſtis, & per anguſtam portam poſſet faciliùs introire, ſarcinam terrenæ ſubſtantiæ depoſuit, ſe illi conformans, qui cum dives eſſet, pro nobis factus eſt pauper, eamque

diſ-

diſperſit, dedit pauperibus, ut ſic ejus juſtitia in ſæculum ſæculi permaneret, & in terram viſionis aſcendens, ſuper unum ſibi montium demonſtratum, videlicet excellentiam fidei, carnem ſuam quaſi filiam unigenitam, quæ ipſum interdum deceperat, cum Jephte, Domino in holocauſtum obtulit, igne ſuppoſito charitatis, illam fame, ſiti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis, & jejuniis, macerando, qua cum vitiis, & concupiſcentiis crucifixa, dicere poterat cum Apoſtolo: vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Chriſtus: quoniam jam non ſibi vixerat, ſed Chriſto potiùs, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut nullatenus peccato ulterius ſerviamus. Vitia quoque ſupplantans, & contra mundum, carnem & poteſtates aëreas, luctamen aſſumens viriliter, uxore, villa, bobus, à cœna magna retrahentibus invitatos penitus abdicatis, cum Jacob, Domino jubente ſurrexit, & gratiâ Spiritûs ſeptiformis acceptâ, octoque ſibi aſſiſtentibus Beatitudinibus Evangelicis, Bethel, domum Dei, quam ſe ipſum præparavit eidem, per quindecim gradus virtutum, qui myſticè in pſalterio continentur, aſcendit, & ibidem altare cordis Domino conſtruens, aromata devotarum orationum obtulit ſuper eo per manus Angelicas in conſpectu Domini deferenda, Concivis Angelicus mox futurus.

§ 4. Ne verò ſibi ſoli proficeret in monte tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, ſed ſterili, ad Liæ interdictum deſcendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deſerti, pro vitæ paſcuis perquirendis, ut illic, ubi manna cœleſtis dulcedinis reficit, à ſæcularium ſtrepitu ſegregatos, cum lacrymarum effuſione ſemina ſua mittens, cum exultatione manipulos, ad æternitatis horrea reportaret, cum populi ſui principibus collocandus, coronâ juſtitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ ſua ſunt, quærens, ſed potiùs quæ ſunt Chriſti, & eidem, velut apis argumentoſa deſerviens, nec non quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, ac quaſi luna plena in diebus ſuis, & ſicut ſol in Eccleſia Dei fulgens, lampadem, & tubam in manus aſſumpſit, ut lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, & protervos à noxiis retraheret exceſſibus, dura increpatione terrendo. Ac ſic virtute charitatis afflatus in caſtra Madianitarum, Eccleſiæ judicium declinantium, per contemptum, eo juvante, qui, dum virginali utero clauderetur, mundum ſuo circuibat imperio univerſum, intrepidus irruit, & abſtulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium ſuum cuſtodiens, & diſtribuit ſpolia, quæ tenebat, ejuſque captivitatem captivam reduxit in obſequium Jeſu Chriſti.

§. 5. Hoſte itaque triplici in terra poſitus ſuperato, Regno Cœlorum vim intulit, & illud rapuit violenter, & poſt hujus vitæ quamplura glorioſa certamina, mundum triumphans feliciter migravit ad Dominum, multos præveniens ſcientiâ præditos, ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

§. 6. Sanè licèt ejus vita tam ſancta, tam ſtrenua, & præclara ſibi ſufficeret ad obtinendum conſortium Eccleſiæ triumphantis; quia tamen militans, quæ ſolummodo videt in facie, non præſumit de his, qui de ſuo foro non ſunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita tantùm venerandos aſſumat, præſertim, quia nonnumquam Angelus Sathanæ in lucis Angelum ſe transformat; Omnipotens, & miſericors Deus, de cujus munere venit, quod prædictus famulus Chriſti dignè ſibi, & laudabiliter deſervivit, tantam lucernam, abſconditam ſub modio remanere non patiens, ſed eam volens ſuper candelabrum collocari, his, qui ſunt in domo luminis, ſolatium præbituram, vitam ejus ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia venerandam multis, & præclaris miraculis declaravit.

§. 7. Cum igitur glorioſæ vitæ Ipſius inſignia ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio conſtitutis, plenè cognita Nobis eſſent, & de miraculorum coruſcatione multiplici, per teſtes idoneos Nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei miſericordiam, Nos & gregem nobis commiſſum ejus ſuffragiis adjuvari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in Cœlis: habito Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu ipſum adſcribi decrevimus Sanctorum Cathalogo venerandum.

§. 8. Statuentes, ut quarto nonas Octobris, die videlicet, quo à carnis ergaſtulo ſolutus ab ætherea Regna pervenit, ab univerſali Eccleſia, natalitia ejus devotè ac ſolemniter celebrentur.

§. 9. Quocirca Univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipſius, divinis laudibus alacriter inſiſtentes, ejuſdem patrocinia humiliter imploretis, ut ipſius intercedentibus meritis ad ejus mereamini conſortium pervenire, illo præſtante, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

Amen.

Datum Peruſii decimoquarto Kalend. Auguſti, Pontificatûs noſtri, Anno Secundo. *Reperit. in Regeſto Vaticano num.* 31. *in Bullario Rom. tom.* 3. *p.* 1. *pag.* 256. *Waddingo tom.* 2. *Annal. fol.* 201.

Eundem B. P. Franciſcum à ſe Sanctorum catalogo adſcriptum eſſe, Eccleſiæ Præſulibus renuntiat.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis &c.

SIcut phialæ aureæ, quas vidit Joannes, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum in conſpectu Altiſſimi, ad abolendam noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuavitatis emittunt, ita ſaluti noſtræ credimus plurimùm expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam: ipſorum merita ſolemnibus recolendo præconiis, quorum in Cœlis ſperamus intercesſionibus aſſiduis adjuvari. Sanè cum de converſatione, vita & meritis B. Franciſci Inſtitutoris, & Rectoris Ordinis Fratrum Minorum, qui juxta conſilium Salvatoris, contemptis tranſitoriis, ſecundùm promiſſionem ejuſdem ad cœleſtia præmia feliciter, & æterna pervenit: cujus vita, & fama preclara peccatorum depulsâ caligine ambulantes in regione umbræ mortis, de vitiorum tenebris ad pœnitentiæ vitam vocavit, quorum tam virorum, quàm mulierum ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam pravitatem vivit, & adhuc viget non modica multitudo, tam per Vos, quàm per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius Sancti Viri merita operatur, pleniùs cognoverunt, certiores effecti, auditis etiam ejus virtutibus, & miraculorum inſigniis, & quod inter carnales ſpiritualitem, & inter homines etiam converſationem Angelicam habuiſſet: ipſum, qui cum Chriſto corporaliter diſſolutus meruit eſſe in cœleſtibus, ne ipſius honori debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum à Domino permitteremus ulteriùs humana devotione privari, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam conſiſtebant, Sanctorum catalogo duximus adſcribendum. Cum igitur ſicut lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam, jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & attentiùs hortamur, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtivitatem ejus quarto nonas Octobris annis ſingulis ſolemniter celebretis, & pronuncietis, conſtituto die ſimiliter celebrandam: ut ejus precibus Dominus exoratus, ſuam Nobis tribuat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

Datum Peruſii Nonn Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri, Anno Secundo.

In regeſto Vaticano anni 1228. *num.* 77. *Waddingo tom.* 2. *Annal. fol.* 215. *Rodriq. tom. de privil. Mendic. fol.* 7.

Nec ad obſervantiam Teſtamenti, nec ad alia Evangelii conſilia, quàm in Regula expreſſa Fratres Minores obligari declarat, & varia Regulæ dubia explicat.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus, cæteriſque Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUò elongati à ſæculo, ut columbæ pennis aſſumptis in ſeceſſum contemplationis ſuprà vos altiùs evolaſtis, eò conſpectiùs peccatorum jacula prævidetis, & plura, per quæ conſpicitis ſalutis impediri profectum, cordis veſtri oculus perſcrutatur. Unde, quæ tecta ſunt aliis, in conſcientiis veſtris quandoque ſpiritus manifeſtat: ſed ſplendore intelligentiæ ſpiritualis, caligine humanæ infirmitatis obducto, ſcrupulus interdum dubitationis inducitur, & difficultates quaſi inextricabiles ingeruntur. Sanè conſtitutis nuper in præſentia noſtra Nuntiis, quos vos, Filii Miniſtri, miſiſtis, qui eratis in Capitulo Generali congregati, & te, Fili Generalis Miniſter, perſonaliter comparente, fuit Nobis expoſitum, quod in Regula veſtra quædam dubia, & obſcura, & quædam intellectu difficilia continentur. Sed ſanctæ memoriæ Bea-

Beatns Confeſſor Chtiſti Franciſcus, nolens Regulam ſuam per alicujns Fratris interpretationem exponi, mandavit circa ultimum vitæ ſuæ, cujus mandatum dicitur Teſtamentum, ut verba ipſius Regulæ non gloſſentur, &, ut verbis utamur eiſdem, quod ſic, vel ſic intelligi debeant, non dicatur; adjiciens, quod Fratres nullo modo aliquas litteras ab Apoſtolicâ Sede petant: & alia quædam interferens, quæ non poſſent ſine multâ difficultate ſervari: Propter quod hæſitantes, an teneamini ad obſervantiam Teſtamenti prædicti, dubietatem hujuſmodi de conſcientiis veſtris, & Fratrum veſtrorum per Nos amoveri petiſtis. Et cum ex longa familiaritate, quam idem Confeſſor nobiſcum habuit, pleniùs noverimus intentionem ipſius, & in condendo prædictam Regulum, & obtinendo confirmationem ipſius per Sedem Apoſtolicam ſibi aſtiterimus, dum adhuc eſſemus in minori officio conſtituti, declarari ſimiliter poſtulaſtis dubia, & obſcura Regulæ ſupradictæ, nee non ſuper qnibuſdam difficilibus reſponderi. Sanè quamvis prædictum Chriſti Confeſſorem, piam intentionem in prædicto mandato habuiſſe credamus, & vos juſtis votis ejus, & deſideriis ſanctis affectetis omnimodè conſormari, Nos tamen attendentes animarum periculum, & diffieultates, quas propter hæc poſſetis incurrere, dubietatem de veſtris cordibus amovendo, ad mandatum illud vos dicimus non teneri; ad quod ſine conſenſu Fratrum, & maximè Miniſtrorum, quos univerſos tangebat, obligare nequivit: nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par in parem. Ad hæc, ſicut per prædictos Nuntios intelleximus, dubitatur ab aliquibus Fratrum veſtrorum, an tam ad conſilia, quàm ad præcepta Evangelii teneantur, tum, quia in Regulæ veſtræ habetur principio: Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientiâ, ſine proprio, & in caſtitate, tum, quia in fine ipſius Regulæ continentur bæc verba: paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus. Unde ſcire deſiderant, an ad alia Evangelii teneantur conſilia, quàm ad ea, quæ in ipſa Regula præceptoriè, & inhibitoriè ſunt expreſſa, præſertim cum ipſi ad alia non ſe obligare intenderint, & vix, aut nunquam omnia poſſunt ad litteram obſervari. Nos autem breviter reſpondemus, ad alia conſilia Evangelii non teneri per Regulam, niſi ad ea, ad quæ vos obligâſtis in ipſâ: ad cætera verò teneminl, ſicut cæteri Chriſtiani, & cò magis de bono, & æquo, quo vos obtuliſtis holocauſtum Domino medullatum per contemptum omnium mnodanorum.

Item, cùm in eàdem Regula ſit inhibitum, ne Fratres recipiant per ſe, vel per alios, denarios vel pecuniam nllo modo, & ipſi hoc in perpetuum obſervare deſiderent, certiorari requirunt, ſi aliquibus timentibus Deum fideles aliquos, per quos ipſi ſubveniant neceſſitatibus eorundem, ſine offenſione Regulæ audeant præſentare, ac ad fideles eoſdem pro neceſſitatibus ipſis ſeeurâ recurrere conſcientiâ, cùm denarios, vel pecuniam noverint accepiſſe, quos tamen denarios, vel pecuniam auctoritate propria non intendunt ſacere conſervari, nec nomine depoſiti exigere ab eiſdem? ſuper quo duximus reſpondendum; quod, ſi rem neceſſariam velint Fratres emere, vel ſolutionem ſacere pro jam empta, poſſint vel nuntium ejus, à quo res emitur, vel aliquem alium volentibus ſibi eleemnſynam ſacere, niſi idem per ſe, vel per proprios nuntios maluerint, præſentare. Qui taliter præſentatus à Fratribus, non eſt eorum nuntius, licèt præſeutetur ab ipſis, ſed illius potiùs, cujus mandato ſolutionem ſacit, ſeu recipientis eandem. Idem nuntius ſolvere ſtatim debet, ita quod de pecunia nihil remaneat penes eum. Si verò pro alris imminentibus neceſſitatibus præſentetur, eleemoſynam ſibi commiſſam poteſt, ſicut & Dominus, apud ſpiritualem amicum Fratrum deponere, per ipſum loco & tempore pro ipſorum neceſſitatibus, ſicut expedire viderit, diſpenſandam: ad quem etiam Fratres pro hujuſmodi neceſſitatibus poterunt babere recurſum, maximè, ſi negligens ſuerit, vel neeeſſitates ignoraverit eorundem.

Præterea, eùm in ipsâ Regulâ contineatur expreſſè, quod Fratres nibil ſibi approprient, nec domum, nee locum, nec rem aliquam, ac ipſi proceſſu temporis contaminari timeant Ordinis paupertatem, præſertim, cum jam dixerint aliqui, proprietatem mobilium pertinere ad totum Ordinem in communi: Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in hoc dignaremur animarum providere periculis, & totius Ordinis puritatis Dicimus itaque, quod neque in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed utenſilium & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, eorum uſum babeant, & Fratres, ſecundùm quod Generalis Miniſter, vel Provinciales diſponendum duxerint, iis utantur, ſalvo locorum, & domorum Dominio illis, ad qnos noſcitur pertinere. Nec vendi debent mobilia, vel extra Ordinem commutari, aut alienari qnoquomodo, niſi

niſi Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator, Generali, ſeu Provincialibus Miniſtris auctoritatem ſuper hoc præbuerit, vel aſſenſum. Quia in quodam ejuſdem Regulæ Capitulo continetur, ut, ſi qui Fratrum inſtigante humani generis inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur ad eos recurrere, quamcitius poterunt ſine mora, ipſi piè dubitant, utrum hoc de peccatis publicis tantùm intelligi debeat, an de publicis pariter & privatis? reſpondemus prædictum Capitulum ad manifeſta tantùm, & publica pertinere, volentes, ut Generalis Miniſter conſtituat, & conſtitui faciat tot per Provincias, quot earum Miniſtri viderint expedire de maturioribus & diſcretioribus Sacerdotibus, qui ſuper privatis audiant pœnitentes, niſi Fratres Miniſtris, aut Cuſtodibus ſuis, ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri.

Cæterùm, cum prohibente Regulâ, nulli Fratrum liceat populo prædicare, niſi à Miniſtro Generali fuerit examinatus & approbatus, & ſibi officium prædicationis ab ipſo conceſſum: certificari petiſtis, utrum pro laboribus Fratrum, & periculoſis diſcurſibus evitandis, Generalis Miniſter dictam examinationem, approbationem, & commiſſionem officii prædicationis, diſcretis aliquibus committere valeat, pro examinandis generaliter illis, qui in Provinciis ſunt ſtatuti, vel ſpecialiter pro quibuſdam. Ad quod damus tale reſponſum; quod hoc, Generalis Miniſter nulli poteſt abſenti committere: ſed qui examinatione indigere creduntur, mittantur ad ipſum, vel cum Miniſtris Provincialibus conveniant ſuper hoc in Capitulo Generali; ſi qui verò examinari non egent, pro eo, quod in Theologica facultate & prædicationis officio ſunt inſtructi, ſi ætatis maturitas, & alia, quæ requiruntur in talibus, conveniant eiſdem, poſſunt (niſi quibus Miniſter Generalis contradixerit) eo modo, quo dictum eſt, populo prædicare.

Super eo autem, quod dubitant Fratres, an Vicarii Provincialium Miniſtrorum, quos ipſi ſibi ſubſtituunt, eum ad Capitulum veniunt Generale, poſſint ad Ordinem recipere venientes, vel reiicere jam receptos: dicimus, quòd non poſſunt, quia hoc neque Miniſtris ipſis permittitur, niſi eis ſpecialir ſuper hoc licentia concedatur: quibus etiam Generalis Miniſter, ſicut concedere, ſic negare poteſt licentiàm ſupradictam. Et cum ſecundùm Regulam eandem aliis, quàm Miniſtris Provincialibus Fratrum receptio committi non valeat, multò minus poteſtatem habent Provinciales Miniſtri hoc aliis committendi, quibus id, & non aliis eſt commiſſum.

Inſuper dubitantibus vobis, an pro eo, quod in Regula dicitur, ut decedente Generali Miniſtro à Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes fiat electio ſucceſſoris, omnium Cuſtodum multitudinem oporteat ad Generale Capitulum convenire? an, ut omnia cùm majori tranquillitate tractentur, ſufficere poſſit, ut aliqui de ſingulis Provinciis, qui vocem habeant aliorum, interſint? taliter reſpondemus, ut ſingularum Provinciarum Cuſtodes unum ex ſe conſtituant, quem cum ſuo Provinciali Miniſtro pro ipſis ad Capitulum dirigant, voces ſuas committentes eidem; quod eum etiam conſtitueritis per vos ipſos, ſtatutum hujuſmodi duximus approbandum.

Denique, quia continetur in Regula ſupradicta, quod Fratres non ingrediantur in Monaſteria Monialium, præter illos, quibus à Sede Apoſtolicâ conceſſa fuerit licentia ſpecialis: quanquam hoc de Monaſteriis pauperum Monialium incluſarum, Fratres hactenus intelligendum eſſe crediderint, cum earum Sedes Apoſtolica curam habeat ſpecialem, & intellectus hujuſmodi per conſtitutionem quandam tempore datæ Regulæ vivente adhuc B. Franciſco per Provinciales Miniſtros fuiſſe credatur in Generali Capitulo declaratus, certificari nihilominus poſtulâſtis, an hoc de omnibus generaliter, cum Regula nullum excipiat, an de ſolis Monaſteriis Monialium prædictarum intelligi debeat? Nos utique generaliter id eſſe prohibitum de quarumlibet cœnobiis monialium reſpondemus, & nomine Monaſterii volumus clauſtrum, domos, & officinas interiores intelligi: pro eo quod ad alia loca, ubi etiam homines ſeculares conveniunt, poſſunt illi Fratres cauſa prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ accedere, quibus id à Superioribus ſuis pro ſua maturitate vel idoneitate fuerit conceſſum, exceptis ſemper prædictorum Monaſteriorum incluſarum locis: ad quæ nulli datur accedendi facultas ſinè licentiâ Sedis Apoſtolicæ ſpeciali.

Datum Anagniæ quarto Kal: Octobris Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Ex Bullario Romano tom. 3. p. 1. fol. 263. Waddingo tom. 2. Annalium fol. 244. Rodriq. tom. de privil. Mendicant. fol. 8.

B. An-

B. Antonium de Padua nuncupatum in numerum Sanctorum Confeſſorum refert, feſtivitatem ejus Idibus Junii quotannis celebrari ſtatuit, ac in ea uſque ad diem octavum pœnitentibus annum unum de injuncta pœnitentia relaxat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dicat Dominus per Prophetam: *Dabo vos cunctis populis in laudem, & gloriam, & honorem*, & per ſe polliceatur, quod juſti ſicut Sol in conſpectu Dei fulgebunt, pium, & juſtum eſt, ut, quos Deus meritò ſanctitatis coronat, & honorat in Cœlis, Nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, cum ipſe potiùs laudetur, & glorificetur in illis, *qui eſt laudabilis, & glorioſus in ſecula*, & in Sanctis. Ut enim ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos ſemper coronat in Cœlo, frequenter etiam honorat, in ſæculo, ad eorum memorias ſigna faciens, & prodigia, per quæ pravitas confundatur Hæretica, & Fides Catholica confirmetur; Fideles, mentis torpore diſcuſſo, ad boni operis excitentur inſtantiam, hæretici depulsâ, in quâ jacent, cæcitatis caligine, ab invio reducantur ad viam, & Judæi, atque Pagani vero lumine cognito currant ad Chriſtum, lucem, viam, veritatem, & vitam. Unde Nos, Chariſſimi, etſi non quantas debemus, quantas tamen poſſumus gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod in diebus noſtris ad confirmationem Catholicæ Fidei, & ad confuſionem hæreticæ pravitatis evidenter innuat ſigna, & mirabilia potenter immutet, faciens illos coruſcare miraculis, qui Fidem Catholicam tam corde, quàm ore, nec non & opere roborârunt. De quorum numero ſanctæ memoriæ Beatus Antonius ex Ordine Fratrum Minorum, qui olim degens in ſæculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in Cœlo multis coruſcat miraculis, ut ejus ſanctitas certis indiciis comprobetur.

Cum enim dudum Venerabilis Frater noſter Epiſcopus, & dilecti Filii, Poteſtas, & Communitas Paduana Nobis per Nuntios ſuos, & litteras humiliter ſupplicâſſent, ut, cum Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, & ad dandam ſcientiam primæ ſtolæ immortalitatis ipſius, & experimentum evidens de ſecunda, ſepulchrum ejus tot, & tantis daret coruſcare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocati ſuffragia eſt indignum, de ipſius miraculis teſtes recipi mandaremus, Nos attendentes, quod licet ad hoc, ut aliquis Sanctus ſit apud Deum in Eccleſiâ triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia, juxta illud, *eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, ad hoc tamen, ut Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria: virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula, ut hæc, & illa ſibi ad invicem conteſtentur: cum neque merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis. Sed cum merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbeant indicium ſanctitatis, ut Nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum, quæ duo ex verbis Evangeliſtæ pleniùs colliguntur. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Et eidem Epiſcopo, & dilectis Filiis, Fratri Jordano Sancti Benedicti, & I. S. Auguſtini Prioribus, ac Priori Conventûs Ordinis Fratrum Prædicatorum Paduanorum receptionem teſtium de miraculis ejuſdem Sancti duximus committendam. Nuper autem tam per relationem prædictorum Epiſcopi, & Priorum, quàm per depoſitiones teſtium ſuper hoc receptorum de ipſius virtutibus, & miraculorum inſigniis certiores effecti, & experti aliquando per Nos ipſos ſanctitatem vitæ, & admirabilem converſationem ipſius, utpote qui apud Nos fuit aliquandiu laudabiliter converſatus, eiſdem Epiſcopo, & Poteſtati, & Communitati prædictis per ſolemnes Nuncios ſuos, & litteras Nobis cum inſtantia denuo ſupplicantibus, quod eundem Fratrem Sanctorum Catalogo adſcribere curaremus: ut auctoritate, ſicut convenit, Apoſtolica, dignus honor illi exhiberetur in terris, qui, ſicut claris ſignis, & evidentibus argumentis apparet, honoratur in Cœlis: Ipſum, qui corporaliter diſſolutus, cum Chriſto eſſe meruit in cœleſtibus: ne illius honori debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum à Do-

Domino permitteremus ulteriùs humana devotione privari: de Fratrum noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium, tunc apud Apoſtolicam Sedem exiſtentium, Catalogo Sanctorum duximus adſcribendum. Cum igitur juxta Evangelicam veritatem *nemo accendat lucernam, & ponat eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut omnes qui in domo ſunt, lumen videant*, & prædicti Sancti lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari: Univerſitatem veſtram rogamus, monemus attentiùs, & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes: quatenus devotionem fidelium ad venerationem ejus ſalubriter excitantes, feſtivitatem ipſius idibus Junii annis ſingulis celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari: ut ejus precibus Dominus exoratus, gratiam nobis tribuat in futuro. Nos autem cupientes ſepulchrum tanti Confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, illud in feſtivitate ipſius uſque ad octavum diem, annis ſingulis, cum reverentiâ debitâ viſitantibus, de Omnipotentis Dei miſericordiâ, & BB. Petri, & Pauli Apoſt. &c. auctoritate confiſi, annum unum de injunctâ ſibi pœnitentiâ miſericorditer relaxamus.

Datum Spoleti, Tertio Nonas Junii, Pontificatûs noſtri, Anno Sexto.

Bullarium Romanum tom. 3. p. 1. fol. 271.
Waddingus tom. 2. Annal. fol. 285.

N O T A.

INdulgentias haſce, de quibus & Continuatores Bollandiani in propilæo ad acta Maji diſſert. 20. num. 9 Euſebius Amort de Indulg. fol. 107. num. XVII. & Theodorus à Spirit. Sanct. in tract. Dogmatico Morali part. 2. fol. 4. cap. 2. meminerunt, ad viſitantes ſepulchrum Sancti Antonii eſſe reſtrictas: nota & ſimul alias à Bonifacio IX. iis, qui recitationi Officii interſunt, conceſſas, & à Sixto IV. ad porrigentes manus adjutrices tunc ampliatas, & tandem à Sixto Papa V. Eccleſias Ordinis Minorum in feſto Sancti Antonii indulgentiâ plenariâ in perpetuum decoratas fuiſſe ex tom. 1. Bullarii fol. 39. recordare.

Ad Litteras autem, quibus Epiſcopus, Poteſtas, & Communitas Patavina Canonizationis Actum ſupplices urgebant, Summus Pontifex ita reſpondit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis Filiis, Poteſtati, & Populo Paduano, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LItteras, quas per dilectos Filios G. Priorem S. Mariæ de Monte Crucis, Archidiaconum, & Canonicum, Fr. Gerardum, & Fr. Spinabellum, ac nobiles Viros Schinclam, & Robertum Comites, Paſchalem, & Carolum Paduanos, Nuntios veſtros, veſtra Nobis devotio deſtinavit, paterna benignitate recepimus; & tam ipſarum ſeriem, quàm ea, quæ Nobis ex parte veſtra iidem prudenter exponere curaverunt, intelleximus diligenter. Ceterùm, cum tam per eaſdem litteras, quàm per ipſos Nuntios Nobis duxeritis humiliter ſupplicandum, ut, cum Dominus tantam ſanctæ memoriæ B. Antonio contulerit gloriam, ut (ad dandam ſcientiam primæ ſtolæ immortalitatis illius, & certum indicium de ſecunda) ſepulcrum ejus tot & tantis det coruſcare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari ſuffragia eſt indignum; ipſum Sanctorum catalogo adſcribere curaremus.

Nos, etſi Romana Eccleſia in tam ſancto negotio, non ſic ſubitò, ſed cum gravitate, & maturitate plurima, conſueverit procedere hactenus; tamen ſinceræ fidei veſtræ zelum, & devotionem, quam ad Nos, & eamdem Eccleſiam habere noſcimini, attendentes, ad confundendam hæreticam pravitatem, & fidem Catholicam roborandam, ipſam catalogo Sanctorum, ex Fratrum noſtrorum conſilio, & omnium Prælatorum apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, duximus adſcribendum. Volentes igitur, ut Civitas Paduana, quaſi Lucerna ſuper candelabrum poſita, lumen præbeat, aliis per exemplum, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus attentiùs, & hortamur, ac in remiſſionem vobis injungimus peccatorum; quatenus in timore Divini Nominis, & amore, ac devotione Apoſtolicæ Sedis immutabiliter perſiſtatis. Nos enim, cum vos geramus in viſceribus Jeſu Chriſti, ad honorem, & profectum veſtrum libenter, quantùm cum Deo poterimus, intendemus.

Da-

Datum Spoleti Kalend. Junii, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Ex actis Sanctorum Bollandianis tom. 2. menſ. Junii fol. 723.

FF. Minores per Litteras Apoſtolicas non conveniri jubet, niſi facta in his Indulti hujus mentione.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilectis Filiis, Generali Miniſtro, & univerſis Fratribus Ordinis FF. Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm jam per ejus gratiam, qui, quæ mundus abominatur, aſſumit, veſtri titulus Ordinis à Deo ſit inſignitus, quod vix creditur ab iis, qui contra vos litteras impetrant, ſine malitia ſubticeri; Nos & illorum obviare fraudibus, & veſtram innocentiam favorabiliter conſovere volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut nequeatis per Litteras Apoſtolicas conveniri, quæ de hac indulgentia, & veſtro non fecerunt Ordine mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Viterbii IX. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno IX.

Specul. fol. 114. Firmam. 2. part. tract. 19. Waddingus tom. 2. f. 636.

N O T A

ET alia de hac materia ſcienda, inter Pauli Papæ V. Conſtitutiones exſpecta.

Veritatem Sacrorum Stigmatum Sancti Patris Franciſci approbat, & idem ab univerſis Fidelibus credi hortatur.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

COnfeſſor Domini glorioſus B. Franciſcus, qualis vitæ meritis proceſſerit ad Patriam perpetuæ claritatis, explicare litteris arbitramur fore ſuperfluum, cum id ferè pervenerit ad fidelium notitiam ſingulorum.

§. I. Verumtamen grande, ac ſingulare miraculum, quo ipſum Sanctorum ſplendor, & gloria Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter decoravit, Univerſitati veſtræ tenore præſentium, non indignè duximus exprimendum; videlicet, quod idem Sanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſummavit, manibus, latere, ac pedibus, ſpecie Stigmatum divinitus extitit inſignitus. Quo ad noſtram, & Fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum cæteris ejuſdem miraculis per teſtes fide digniſſimos probato ſolemniter, ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quod Confeſſorem eundem, de dictorum Fratrum, & omnium Prælatorum conſilio, qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum catalogo duximus adſcribendum.

§. II. Igitur cum ab univerſis fidelibus, & vobis præcipuè credi firmiter cupiamus, devotiones veſtras rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem veſtrorum peccatorum injungendo, quatenus ab aſſertione contrarii aures de cætero penitus avertentes Confeſſorem eundem apud Dominum pia vobis reddatis veneratione propitium, ut ejus precibus, ac meritis, in præſenti à Domino proſperitatis gaudium, & in futuro felicitatis æternæ percepiſſe ſolatium exultetis.

Datum Viterbii undecimo Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno undecimo.

Regeſtum Vatican. ſub num. 14. Bullar. Rom. tom. 3. fol. 291. col. 1. Waddingus tom. 2. Annal. fol. 426.

Epiſco-

Epiſcopum N. cum Stigmatibus Divum P. Franciſcum pingi non poſſe per litteras ſpargentem, ad ſaniora redire jubet.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabili Fratri, Epiſcopo N., ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

USque ad terminos Orbis Terræ præſumptionis tuæ ſigna protendens, patentes literas, exbibendas univerſis Chriſtifidelibus, cuidam ad ſobrietatem ſpernenti ſapere, ac damnabiliter dedito blaſphemiis, manu lubricâ conceſſiſti; quas inter aliqua pietati conformia, & quædam obnoxia pravitati continere percipimus: quod (cùm ſolus Patris Æterni Filius fuerit pro humanâ ſalute crucifixus, & ipſius duntaxat vulnera, devotione ſupplici adorare debeat religio Chriſtiana) nec Beatus Franciſcus, neque Sanctorum aliquis cum Stigmatibus ſit in Eccleſia Dei depingendus. Et quod peccat, qui contrarium aſſerit, eique tanquam inimico fidei nulla credulitas debeat adhiberi. Super quo non modicum admirantes, quæ ſit cauſa ſuaſionis hujus, non indignè providimus perſcrutari, ut ſi fortè bona ſit (quod impoſſibile creditur) commendabilis habeatur, quod ſi non, in oblivionem: & Tu indutus ſpiritu pœnitudinis ad ſuggerendum ſalutare contrarium promptus, & facilis habearis: etenim ſuper his es eo ſumpſiſti forſitan argumentum, quod ſit indecens in ſubditis, ut talia ſibi prætendant inſignia Capitis. Ad hæc quidem providentes propoſitum, ſeu compendioſè prolatum eſſe, dummodo ſuppleret, niſi de ſpeciali gratiâ cuique benemerito inſignia hujuſmodi ſunt conceſſa, & ſi non multa, quæ poſſumus, tamen breviter quædam præſidium perſpicuæ rationis habentia reſpondemus, videlicet, quòd Dei ſapientia, quæ de limo terræ ſimilem ſibi formans hominem, ſimilis ſibi fieri per Incarnationis myſterium, ut ipſum à morte redimeret, non contempſit, dilectum ſibi Beatum Franciſcum ſuorum ſpecie Stigmatum decoravit. Quæ temeritas, quod peccatum, ſi tam ſingulare privilegium ad indulgentis gloriam picturæ teſtificatione pateat oculis Devotorum? nonne, ut ſileamus de aliis, princeps Apoſtolorum eximius licèt poſitione diſſimili, quandoque depingitur crucifixus? Sed dicis intrepidus, alia dum pactum reformat ratio, quia cum præteriri nequiverit, quod de Cruce futurum veritas judicavit, neque impropriè ſuſpenſus in Cruce dicitur, nec incongruè tali damnatus ſupplicio figuratur. Sed de Franciſci Cruce, vel Stigmatibus, quod veritatis judicium? quod probabile argumentum? de Cruce ſiquidem nota ſæculis vita ipſius reſpondeat, quod, poſtquam Religionis aſſumpſit Habitum, vacando virtutibus, carnis continuum ſubjit cruciatum: De Stigmatibus verò plures fide digniſſimi, quos miraculi tanti conſcios divinæ placuit reddere pietati, teſtimonium in veritate perhibeant: & ad ipſum hoc fidelis Mater Eccleſia ſuffragetur, quæ ex hujuſmodi miraculo cum multis aliis debita ſolemnitate probato cauſam ſpecialem habuit, quod eundem Sanctum Beatorum catalogo reverenter aſcripſit. Quid ad illa quaſi mundo publica, & Tibi per conſequens non ignota, niſi quod voluntatis arbitrium prætendens, vel præferens conſilio rationis, Nos, vel Deum potiùs, gratis offendis, ac utique dilectorum Fratrum Minorum Ordinem, & devotos eidem nimis improvidè perturbas? Ad cor igitur, qui os in cœlum poſuiſti, (ut de reliquo taceatur) ſine mora revertere, ad iram ſuperni judicis mitigandam, ſtudia ſuſcipe pœnitentis prompta diligentiâ, ſi fortè ſit poſſibile proviſurus, vel ſcandalum, quod, quantùm in Te fuit, Univerſitati fidelium per prædictas intuliſti literas, deleatur, & dictorum Fratrum Collegia in Teutoniæ partibus in reverentia ſint conſueta: quod, ut tantò faciliùs auctore Deo provenire valeat, quantò pium fore dignoſcitur, ut in futuro vulnere, quæ ſalutis ſunt, etiam operetur, Fraternitati tuæ in virtute obedientiæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus cordi tuo pro ſolemni voto conſtituens, quod aliquis de cætero aliquid, ex quo provocari ſuperna Majeſtas, vel Sedes Apoſtolica juſtè turbari valeat, non attentans, prædictum privilegium, quo celſitudinis Divinæ dignatio ſui Confeſſorem nominis reddidit glorioſum, damnabiliter infligere, aut impingere calumniis non præſumas, ſed celebre in eiſdem partibus ad honorem Conditoris, dum, ſicut & in aliis habeatur, quantùm in Te fuerit, humili devotione procures, firmiter crediturus, quod idem Sanctus, cùm adhuc mortalitatis Habitum bajularet, prædictis Stigmatibus extitit inſignitus, & licèt illa viſa pluribus, ipſe tanquam contemnens laudes hominum, vacanſque contemplandæ dulcedini

dini cœleſtium gaudiorum, celare ſemper ſtuduerit, ea tamen migrans ad Paradiſi patriam concurrentium obtutibus publicavit.

Datum Viterbii, ſecundo Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri, Anno Undecimo.

Ex Regeſto Vatic. ſub num. 19 Monumentis Ordin. fol.95. Waddingo tom.3. Annal. fol.427.

Tum Stigmata S. P. Franciſci, tum Fratrum ejus mores laceſſentem extraneum Religioſum, ab Officio prædicationis ſuſpenſum ad ſuam præſentiam mitti jubet.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Prioribus, & Provincialibus Ordinis N., ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn minùs dolentes accepimus, quàm mirantes, quod quidam Frater veſtri Ordinis Everardus nomine, immemor, quod ſermo prædicantium, ſalis gratiæ ſemper habere debeat condimentum, cùm perveniſſet Opaviam, Moraviæ Civitatem, de prædicante tranſiens in blaſphemum, in communi dicere non expavit, quòd in laudem Beati Franciſci per quoſdam ex diſcipulis ſuis piè propoſita, deberent haberi pro reprobis, quod in ejus corpore Stigmata non fuiſſent. Quid ultra? Nec Chriſto, qui Sanctum eundem manibus, pedibus, ac latere hujuſmodi Stigmatum privilegio decoravit, nec Nobis, qui ex tanto miraculo, cum cæteris probato ſolemniter, cauſam ſpecialem habuimus, quod ipſum adſcripſimus Catalogo Beatorum, deferendo: dicti Fratris elatio in tantam prorupit inſaniam, quod diſcipulos memoratos coram populo quæſtuarios, & falſos prædicatores appellans imprudenter aſſeruit, quod in ipſos, & conſimiles auctoritate noſtrâ excommunicationis poſſet ſententiam promulgare. Verùm, cum non ſolùm tam dictæ neqnitiæ protulerit verba, ſed & ipſis alia perverſa, proximorum pace, ſuaque ſalute poſtpoſitis, cumulaverit, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus: quatenus, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, Fratrem eundem, apud quemcunque fuerit, ſuſpenſum à prædicationis officio ad noſtram mittatis præſentiam pro meritis recepturum.

Datum ſecundo Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri, Anno Undecimo.

Ex Regeſto Vaticano ſub num. præd. Monumen. Ordin. fol.23. Waddingo tom.2. Annal. fol.419.

Fratres Minores ad cauſarum commiſſiones, aut ſententiarum executiones acceptandas cogi non poſſe ſancit.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali Miniſtro, & univerſis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum præſentes litteras inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUi poſtpoſitâ vanitate ſæculi elegerunt virtutum Domino ſub paupertatis Habitu famulari, à Nobis illâ confovendi ſunt gratia, quæ ipſorum neceſſitatibus noſcitur opportuna. Cum igitur ad hoc ſemper veræ humilitatis converſatio invigilet, ut Deo placeat per devotæ laudis obſequium, & fructum proferat animarum. Nos devotionis veſtræ precibus inclinati, ut ad recipiendum commiſſiones cauſarum, aut ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas per litteras Sedis Apoſtolicæ, Legatos, vel Delegatos ipſius, vel per quoslibet alios cogi non poſſitis inviti, niſi plenam in eiſdem litteris de conceſſione hujuſmodi mentio habeatur, vobis auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat &c.

Datum Laterani quinto Kalendas Maji, Pontificatûs noſtri, Anno Quinto decimo.

Ex Rodriquez tom. de privil. Mendie fol.8. ubi Autographum in Conventu S. Franciſci Salmanticenſi aſſervari aſſerit.

COELESTINUS IV.

Mediolauenſis, ex Caſtilionæa Familia, Gaufridus antea nuncupatus, Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, ac demum Epiſcopus Sabiuenſis, menſe Octobris MCCXLII. Triregnum Eccleſiæ ſuſcepit, quod non uiſi per XVII. *dies tenuit, ante Coronationem mortuus, & ad Sanctum Petrum ſepultus, hinc qui uullas ad Minoritani Ordinis favorem ab eo emanatas litteras reperit, mirari uolit.*

INNOCENTIUS IV.

Patria Genuenſis, ex Fliſcorum Lavaniæ genere, Sinibaldus priùs, & ob eximiam juris peritiam Luminare Mundi *vocatus, S. R. E. Cardinalis Presbyter tituli S. Laurentii in Lucina die* XXIV. *Junii MCCXLIII., Sacra Sede per annum & ultra octo menſes vacante Anagniæ Summus Pontifex renunciatus eſt, Eccleſiamque per annos* XI., *menſes* V., *ac dies* XIV. *gubernavit. Obiit Neapoli die* VII. *Decembris MCCLIV. ibique in Eccleſia Cathedrali fuit humatus. Primus S. R. E. Cardinalibus purpureum pileum, & Ordini Minoritano inter alia, ea, quæ ſequuntur, dedit Monumenta.*

Prælatis FF. Minorum, Subditos ab excommunicatione, ante vel poſt ingreſſum Ordinis contracta abſolvendi, & cum iis ſuper irregularitate diſpenſandi facultatem largitur, exceſſu gravi dumtaxat excepto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum præſentes litteras inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcèt ad hoc Fratrum veſtri Ordinis pia deſudet intentio, ut ab eis in his, quæ faciunt, prudenter & providè procedatur, per hoc & ſuæ Religioni proficere, & Dei cupientes Eccleſiam honorare, tamen aliquando ex conditinnis humanæ contingit fragilitate, quod quidam ex ipſis excedunt in caſibus, in quibus excommunicationis ſententiam, & notam irregularitatis incurrunt. Quare ſupplicatione humili poſtulâſtis, ut, cum viri contemplationi dediti ſint, in Religionis favorem à diſcurſibus cohibendi, ac propter viarum pericula eiſdem Fratribus ad noſtram, & Diœceſanorum præſentiam impediendus acceſſus, ſuper hoc providere de benignitate Apoſtolica curaremus. Nos itaque piè volentes, quod veſtra devotio in his, quæ dignè poſſumus, Sedem Apoſtolicam reperiſſe gaudeat gratioſam, ut ſinguli veſtrûm in Provinciis ſibi commiſſis, prædictis Fratribus conſtitutis abſolutione, ac diſpenſatione indigentibus, ſive antequam Ordinem intraverint, ſive poſtea in caſibus exceſſerint memoratis, de conſilio diſcretorum Fratrum, qui literati ſint, & Deum timentes, impartiri valeant abſolutionis beneficium, & diſpenſare cum eis juxta formam Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuper hoc ab Apoſtolicâ Sede traditam, vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem, niſi adeo gravis, & enormis fuerit exceſſus, quod meritò ſint ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Laterani, tertio Kalendas Novembris, Pontificatûs noſtri, Anno Primo.

Monumen. Ordin. fol.103. Rodriq. in Collect. fol. 14. col. 2. cit. Wadding. tom.3. Annal. fol.93.

NOTA

N O T A.

SCriptores Regulares, materiam abſolutionis à cenſuris, & diſpenſationis ab irregularitate tractantes Bullam hanc in citationum capite ponunt, tum, quod prima inter Bullas Minoritico Ordini privilegium à cenſuris abſolvendi, & diſpenſandi conferat, tum, quod ex ſua verbali univerſitate plurimùm faveat.

Cum autem à tempore, quo edita eſt, per ſubſequas alias Conſtitutiones vel confirmata fuerit, vel modificata, in Indice hujus tomi verbo *Abſolutio* loca omnia de diſperſo hujus materiæ complexu conjunctim reperientur.

Item abſolvendi tum Subditos, tum venientes ad Ordinem ab excommunicatione ob violentæ manûs injectione contractâ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN jure Canonico reperitur expreſſum, ut, ſi quis eorum, qui ſimul vivunt, per manus injectionem in Socium à Canone meruerit fieri alienus, Prælatus ejuſdem, reconciliandi, & pœnitentiam imponendi plenariam habeat poteſtatem, niſi atrocitas facti graviorem pœnitentiam expectet: habetur etiam in eodem, quod de ſæculo fugientes, qui Religionis Habitum in Monaſterio ſuſceperunt, & inter cætera poſtmodum confitentur ſe tale commiſiſſe delictum, per quod ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrerunt, in Religionis favorem, ut ſubtrahatur vagandi materia, per ſuos Prælatos abſolutionis beneficium conſequantur. Verùm, cum proveniat & veſtræ, ac Fratrum veſtrorum converſationis piæ meritis, ut, quantùm cum Deo poſſumus, vobis pro animarum ſalute gratiam faciamus, Devotioni veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut eos ex Fratribus, qui pro injectione manuum in ſe ipſos incurrerunt excommunicationis vinculum, vel incurrent; aut in illud ante ſuſceptum Habitum inciderunt, nec non qui relicta vanitate ſæculi, cupientes veſtræ humilitatis Collegio aggregari, ſe aſſerunt excommunicatione ligatos, ne ipſorum ad Deum poſſit impediri converſio, abſolvere valeatis, dummodo injuriam, & damna paſſis ſatisfaciant competenter, illis tamen exceptis, quorum adeo graves, & enormes ſint exceſſus, quod meritò ſint ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c.

Datum Laterani decimo octavo Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri, Anno Primo.

Monumenta Ordinis fol. 104. *Collect. Rodriq. fol.* 15 *Waddingus tom.* 3. *Annal. fol.* 413. *ubi haſce litteras inſcribit Gregor. IX cum data Laterani* XI. *Idus Decembr. Pontif. Anno* XIV.

FF. Minoribus in terris excommunicatorum morandi, ac in illarum tranſitu neceſſaria vitæ petendi, & accipiendi facultatem largitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali Miniſtro, & univerſis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, præſentes litteras inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VObis extremam patientibus pro Chriſti nomine paupertatem, dignum eſt concedere ab Apoſtolicæ Sedis gratia, per quod & neceſſitati veſtræ conſulitur, & Benefactoribus veſtris ſalutis meritum procuratur; Hinc eſt, quod Nos, quorum depoſcit officium juſtis annuere deſideriis devotorum, veſtræ precibus humilitatis inducti, ut vos, qui exhortationis piæ ſtudio, bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter revocatis, in excommunicatorum terris liberè commorari, & ab eis tunc, ac etiam, quando Vos per ipſos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere, ac accipere valeatis, vobis aucto-

ritate præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Laterani, undecimo Kalendas Decembris, Pontificatûs noſtri, Anno Primo.

Ex Monum. Ordin. fol. 105. *cit. & Wadding. tom.* 3. *Annal. p.* 93.

Fratrum Minorum Habitum, vel ei conſimilem ab aliis abſque Sedis Apoſtolicæ mandato ſpeciali portari ne permittant, Eccleſiarum Præſules hortatur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QVia confuſio Habitûs ſæpe confuſionem inducit Ordinum & etiam animorum, authoritate Apoſtolicâ diſtrictè duximus inhibendum: ut nullus, ſive ſit in Religionis Ordine, vel extra Ordinem Fratrum conſtitutus, habitum dilectorum Fratrum Minorum, aut ita conſimilem, quod propter eum Frater Minor credi poſſit, deferre non liceat, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Volumus ergo, & Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrûm in ſuis Civitatibus & Diœceſibus illos, qui præfatum Habitum, vel prædicto modo conſimilem contra inhibitionem noſtram deferre præſumpſerint, ad deponendum ipſum, cùm ab ipſis Fratribus fueritis requiſiti, monitione præmiſſa, ſublato omni obſtaculo compellatis.

Datum Laterani tertio Kalend. Decembris Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Monum. Ord. f. 103. *Rodriq. fol.* 14 *col.* 2. *Wadding. tom.* 3. *Annal. f.* 93. & 414.

Fratribus Minoribus extra ſuos conventus exiſtentes, in Divino Officio aliis ſe confirmandi facultatem largitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectis Filiis, Miniſtro Generali, ac univerſis Fratribus Minoribus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo veſtro Collegio, quod ſibi libenter theſaurum quiete conſcientiæ theſaurizat, id gratiæ dignè concedimus, quod ab eo fluctum mentis excutiat, & in ſpiritûs tranquillitate diſponat. Veſtris itaque precibus devotis inclinati, Vobis, ut obſervantia Divini Officii, quod ex ſtatuto Regulæ veſtræ, Eccleſiæ Romanæ more, excepto pſalterio, celebrare debetis, ſitis perpetuò contenti; nec non ſi cum itineris vel alterius rei cauſa extra Conventus ſeu loca veſtra quemlibet, vel quoslibet veſtrûm contigerit degere, Divinum Officium Fratres cum Fratribus, aut ſimul cum aliis Regularibus ſeu Secularibus perſonis, vel quilibet ſeparatim facere alio quàm Romano ordine placuerit, id ad debitum, quod ratione Regulæ præfatæ debetis perſolvere, vobis ſufficiat, neque iterum proprium dicere teneamini, tenore præſentium, nunc & in perpetuum indulgemus, non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, aut veſtræ prædictæ Regulæ inſtitutis, aliiſque quibuſcunque contrariis.

Datum apud Civitatem Caſtellanam duodecimo Kalendas Julii Pontificatûs noſtri Anno primo.

Monument. Ordinis fol. 138. *Collect. privil. Rodriq. f.* 17. *col.* 1. *referſque illud noſter à Sorbo tit.* Officium Divinum *fol.* 263. *lit.* D.

In locis interdicto ſuppoſitis, ſervatis conditionibus præſcriptis, Divina Officia celebrandi iiſdem facultatem impertitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus, ceteriſque Fratribus Ordinis FF. Minorum, ſalutem &c.

EIs, qui ſanandis animarum morbis verbo medentes & opere ſolerter invigilant, illa de ſpeciali gratia indulgemus, per quæ divinis ſuffulti præſidiis, tutiùs & utiliùs valeant hominum ſalutem procurare; Hinc eſt, quod veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, præſentium vobis auctoritate

tate concedimus, ut, cum ad loca interdicto ſuppoſita vos venire contigerit, poſſitis in eis, excommunicatis & interdictis excluſis ſubmiſſâ voce, & non pulſatis campanis, Divina Officia celebrare, niſi id vobis fuerit ſpecialiter interdictum. Nulli ergo &c. noſtri indulti, aut conceſſionis &c. Si quis &c.

Datum Lugduni Idibus Januarii, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Regeſtum Vaticanum epiſt. 621. Monum. Ord. pag. 105. Wadding. tom. 3. Annal. pag. 458.

Prælatos Italiæ, à moleſtiis, quas enumerat, Fratribus Minoribus inferendis, abſtinere hortatur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus Archipresbiteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Italiam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NImis iniqua viciſſitudine Largitori bonorum omnium reſpondetur, dum ii, qui de Chriſti patrimonio impinguati, luxuriant damnabiliter in eodem, Chriſtum in famulis ſuis patenter perſequi non verentur, ac ſi factus ſit impotens Dominus ultionum. Cùm enim Dilecti Filii Fratres Minores abnegantes ſalubriter ſemetipſos, elegerint in Altiſſimâ paupertate Chriſto pauperi ad placitum famulari, tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes; non deſunt plerique tam Eccleſiarum Prælati, quàm alii, cæca cupiditate traducti, propriæ aviditati ſubtrahi reputantes quidquid prædictis Fratribus fidelium pietas elargitur, quietem ipſorum multipliciter inquietant: Vos quoque, qui eos deberetis favorabiliter confovere, moleſtiarum occaſiones vanas exquiritis contra ipſos. Vultis namque, etſi non omnes, ipſis invitis, eorum confeſſiones audire, ac eis injungere pœnitentiam, & Euchariſtiam exhibere; nec vultis, ut Corpus Chriſti in eorum Oratoriis reſervetur, & Fratres ipſorum defunctos apud Eccleſias veſtras cogitis ſepeliri, & eorum exequias celebrari: ſi quis decedentium Fratrum alibi, quàm in Eccleſiis veſtris eligat ſepulturam, funus primò ad Eccleſias veſtras deferri compellitis, ut obblatio uſibus veſtris cedat, nec ſuſtinentes eos habere campanam, vel cæmeterium benedictum, certis tantùm temporibus permittitis ipſos celebrare divina: vultis etiam in domibus eorumdem certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, nec non cereorum, lampadarum, & ornamentorum pro veſtra volunte taxare, ac reſiduum cereorum, quando noviter apponuntur, exigitis ab eiſdem, nec permittitis, ut novi Sacerdotes eorum alibi, quàm in Eccleſiis veſtris celebrent primas Miſſas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Miſſis, quas in ſuis locis, & Altaribus celebrant, oblationes ad opus veſtrum recipiant, & reſervent; quidquid etiam eis, dum celebrant Miſſarum ſolemnia intra Domorum ſuarum ambitum, pia fidelium devotione donatur, ab ipſis extorquere, oblationis nomine contenditis, quòd eiſdem tam in ornamentis Altaris, quam in libris Eccleſiaſticis abſolutè confertur, juri veſtro perperam vindicatis, cogendo eos ad Synodos veſtras accedere, ac veſtris conſtitutionibus ſubjacere: nec iis contenti, Capitula & ſcrutinia in locis Fratrum pro iis corrigendis comminamini Vos facturos, fidelitatem juramento firmatam ab eorum Miniſtris, & Cuſtodibus exigentes. Eis quoque, ut in hyeme tam extra Civitates, quàm intra vobiſcum proceſſionaliter veniant ex levi causâ mandantes; in benefactores ipſorum excommunicationis ſententiam fulminatis, & idem ipſum Fratribus comminantes, eoſdem de locis, in quibus Domino famulantur, amovere ſatagitis, niſi Vobis obediant in omnibus ſupradictis. Ad hæc, ne Fratres ad honorabiles Civitates, & Villas; ubi religiosè, ac honeſtè valeant commorari, à populis devotè vocati, accedere audeant, inhibentes, tam in accedentes Fratres, quàm in receptores eorum excommunicationis ſententiam promulgatis. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, nec non de habitaculis Fratrum, ſicut de Judæorum domibus, redditus contenditis extorquere, allegantes, quod niſi Fratres morarentur ibidem, Vobis ab aliis habitatoribus proventus aliqui ſolverentur, &, ut ipſos veſtræ ſubdatis totaliter ditioni, eoſdem Miniſtros & Cuſtodes vultis præficere pro veſtræ arbitrio voluntatis. Cum igitur Ordo Prædictorum Fratrum per fel: recor: Innocentium, Honorium, & Gregorium Prædeceſſores noſtros, & Nos ipſos ſit ſolemniter approbatus, & eorum Regula confirmata, ne Apoſtolicæ Sedis inſtituta, quæ humiliter ſuſcipere, & ſervare tenemini reverenter, contemnere videamini, Univerſitatem veſtram monemus attentè, per Apoſtolicâ

licâ ſcripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus conſcientiæ, ac famæ veſtræ ſalubriter conſulentes univerſi, & ſinguli à prænominatis, & aliis prædictorum Fratrum gravaminibus penitus deſiſtatis, ſubditos veſtros ab iis arctiùs compeſcendo, alioquin Venerabilibus Fratribus noſtris ..... Archiepiſcopo Piſano & ... Tudert. & .... Anconitan. Epiſcopis, damus noſtris literis firmiter in mandatis, ut Vos ad omnia prædicta ſervanda per cenſuram Eccleſiaſticam, ſublato cujuslibet contradictionis, & appellationis impedimento, compellant, non obſtante conſtitutione de duobus diætis edita in Concilio Generali. Si verò nec ſic mandatis noſtris curaveritis obedire, noveritis Nos ſuper hoc memoratis Fratribus authore Domino proviſuros.

Datum Lugduni XII Kal. Auguſti Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

N O T A.

CONſtitutio hæc, cujus textum & in Corpore Juris Canonici *tit. de exceſſ. Prælat. c.* 16. præpoſito Gregorii IX. nomine extenſum reperimus, fuit replicata, & ſub Data *Lugduni XV. Kalend. Septembris*, eodem Pontificatûs Anno ad alios Eccleſiarum Antiſtites, quos Reverendiſſimus Pater Bremond tom. 1. Bullarii fol. 154. & Waddingus, tom 3. Annal. fol. 445. longâ ſerie recenſent, ablegata. Citat eam horum primus loco cit. fol. 153. ex ſui Ordinis Archivo, alter verò loc. cit. fol. 153. ex Regeſto Vaticano epiſt. 539. illamque confirmavit, ſeu, ut alii volunt, publicavit, Alexander Papa IV. ut in Bullario Rodriquezii, fol. 28 aliiſque Ordinis libris videre eſt.

Articulos quoſdam S. Regulæ, videlicet de conſiliis Evangelicis, receptione Novitiorum, officio divino, recurſu ad pecunias, rerum uſu, Fratrum lapſu, Cuſtodibus Capituli Generalis, Concionatoribus, & ingreſſu Monaſteriorum Monialium explicat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus, ac Cuſtodibus, cæteriſque Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ORdinem veſtrum illo proſequentes affectu, quod ipſum inter alios laudabilibus continuò proficere incrementis ferventer optemus, libenter ea, per quæ opportuni vigoris accipiat fulcimentum, paterna ſollicitudine procuramus.

§.1. Hinc eſt, quod, cum quædam dubia, & obſcura, quæ in veſtra Regula continentur, animos veſtros cujuſdam confuſione implicitatis involvant, & nodoſæ intricationis difficultate impediant intellectum, & felicis recordationis Gregorius Papa Prædeceſſor noſter aliqua ex eis expoſuerit, & declaraverit ſemiplenè: Nos obſcuritatem ab illius perfectæ interpretationis declaratione omnino amovere volentes, & ambiguitatis ſcrupulum cura ipſa de veſtris cordibus, plenioris expoſitionis certitudine penitus amputare; dicimus, quod per eamdem Regulam quoad obſervationem Evangelii, quam injungit, nonniſi ad ea dumtaxat Evangelii conſilia tenemini, quæ in ipſa Regula præceptoriè, vel inhibitoriè ſunt expreſſa. Licèt autem Miniſtris Provincialibus, tam eorum Vicariis, quàm aliis providis Fratribus venientium ad Ordinem receptionem pro ſuis Provinciis, de conſilio Fratrum committere Diſcretorum: non tamen expedit converti volentes indifferenter admitti, ſed illos tantùm, qui ſuffragantibus eis litteratura, & aliis laudabilibus circumſtantiis poſſint utiles eſſe Ordini, ſibique pér vitę meritum, & aliis proficere per exemplum; ſic verò Miniſtri egreſſos ab Ordine cum redierint, ad ipſum recipiant, & ejiciant in certis caſibus, ſecundùm determinationem veſtri generalis Capituli jam receptos. Quamquam verò prædicta contineat Regula, quod Clerici faciant Divinum Officium ſecundùm ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, excepto pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria: cum tamen divino interſunt officio, cum aliis celebrantes, tunc eis illud ſufficit, & ad dicendum officium proprium non tenentur.

§.2. Et licèt in eadem Regula ſit prohibitum, ne Fratres recipiant per ſe, vel per alios denarios, vel pecuniam ullo modo: poſſunt tamen, ſi rem ſibi neceſſariam, aut utilem velint emere, vel ſolutionem facere pro jam empta, vel nuntium ejus, à quo res venditur, vel aliquem alium volentibus ſibi eleemoſynam facere, niſi eidem per

ſe,

ſe, vel per proprios nuntios ſolvere maluerint, præſentare: & taliter præſentatus à Fratribus non eſt eorum nuntius, licèt præſentetur ab ipſis, ſed illius potiùs, cujus auctoritate ſolutionem facit, ſeu recipientis eamdem: & ad ipſum (ſi ſoluto emptæ rei pretio de hujuſmodi eleemoſyna remaneat aliquid apud eum) poſſunt etiam Fratres pro ſuis neceſſitatibus, vel commodis licitè habere recurſum. Si verò pro aliis Fratrum neceſſitatibus, aut commodis nominetur aliquis, vel præſentetur ab eis, poteſt ille commiſſam ſibi eleemoſynam, ſicut Dominus conſervare, vel apud ſpiritualem, vel familiarem amicum Fratrum nominatum, vel non nominatum ab ipſis deponere, per eum loco, & tempore, pro ipſorum neceſſitatibus, & commodis, ſicut Fratres expedire viderint, diſpenſandam, ſeu etiam ad Perſonam, vel loca alia transferendam. Ad quos etiam Fratres pro hujuſmodi neceſſitatibus, ſeu commodis ſanâ conſcientiâ recurrere poterunt: maximè ſi negligentes fuerint, vel neceſſitates, aut incommoda ignoraverint eorundem, & taliter nominati, vel præſentati à Fratribus, non ſunt eorum nuntii, ſeu depoſitarii: ſed illorum, à quibus pecunia, vel denarii committuntur: nec Fratres per ſe, vel per interpoſitas perſonas, denarios, vel pecuniam recipiunt nominando, aut præſentando ſic aliquos, ſeu ad hujuſmodi nominatos, vel præſentatos taliter recurrendo; cum non ſit intentionis eorum, ut de ipſorum auctoritate hujuſmodi denarii, vel pecunia conſerventur, aut ab eis nomine depoſiti exigantur: licèt nunciis, vel depoſitariis ipſis committantur pro neceſſitate, vel incommodo eorumdem.

§.3. Et cum in dicta Regula ſubjungatur, quod pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales Miniſtri tantùm, & Cuſtodes ſollicitam curam gerant, debent alii Fratres curam hujuſmodi, quæ præfatis Miniſtris, & Cuſtodibus ex Regula præcipuè incumbit, cum ſibi ab illis commiſſa fuerit, gerere diligenter.

§.4. Dicimus inſuper, quod, cum in ipſa contineatur expreſsè, quod Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, neque in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed locorum, & domorum, ac utenſilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, Ordo uſum habeat; & Fratres ſecundùm quod Generalis, vel Provinciales Miniſtri diſponendum duxerint, eis utantur, nec vendi debent loca, domus, vel mobilia hujuſmodi, ſeu extra Ordinem commutari, aut alienari quoquomodo, à quibuſcunque perſonis ad uſum Fratrum, donata, vendita, permutata, ſeu quocunque juſto modo vel tranſlata ſint, vel fuerint, niſi Apoſtolica Sedes, vel Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui pro tempore fuerit Ordinis Gubernator, Generali, ſeu Provincialibus Miniſtris auctoritatem ſuper hoc præbuerit, vel aſſenſum; cum tam immobilium, quàm mobilium hujuſmodi jus, proprietas, & dominium (illis ſolis exceptis, in quibus expreſsè donatores, ſeu tranſlatores ſibi poteſtatem, & dominium reſervaſſe conſtiterit) nullo modo ad Eccleſiam ipſam ſpectent: cui domus, & loca prædicta cum Eccleſiis, & cæteris ſuis pertinentiis (quæ omnia in jus, & proprietatem Beati Petri ſuſcipimus) omnino tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus immediatè ſubeſſe noſcuntur. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus licet Fratribus pietatis, ſeu devotionis intuitu, vel pro alia honeſta, & rationabili cauſa (obtentâ prius ſuper hoc ſuperiorum ſuorum licentiâ) extra Ordinem aliis elargiri.

§.5. Illud quoque Regulæ prædictæ Capitulum, ubi dicit: ut ſi qui Fratrum inſtigante humani generis inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quamcitius poterunt ſine mora, ad manifeſta tantùm, & publica pertinet: poſſunt tamen eidem Miniſtri pro Fratrum laboribus, & periculoſis diſcurſibus evitandis, ſi expedire viderint, Cuſtodibus, & aliis diſcretis Fratribus Presbyteris, ſuper iis committere vices ſuas. Volumus autem, ut ipſi Miniſtri conſtituant, vel conſtitui faciant tot per Provincias, quot ad hoc neceſſarios noverint de maturioribus, & diſcretioribus Fratribus Sacerdotibus, qui ſuper hujuſmodi peccatis, cum occulta, vel privata fuerint, audiant pœnitentes, niſi Miniſtris, aut Cuſtodibus ſuis ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri.

§.6. Ad hæc pro eo, quod in Regula dicitur, ut decedente Generali Miniſtro, à Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes fiat electio Succeſſoris; Dicimus, quod ſingularum Provinciarum Cuſtodes unum ex ſe conſtituant, quem cum ſuo Provinciali Miniſtro pro ipſis ad Capitulum dirigant, voces ſuas committentes eidem.

§.7. Et cum juxta Regulæ præfatæ tenorem, nulli Fratrum liceat populo prædicare, niſi à Magiſtro Generali fuerit examinatus, & approbatus, & ſibi officium prædica-

cationis ab ipſo conceſſum : poteſt idem Miniſter vices ſuas Miniſtris Provincialibus, & eorum Vicariis committere in hac parte, ita tamen, ut ipſi Provinciales, vel iidem Vicarii in ipſorum Provincialium abſentia, unà cum Diffinitoribus, in Provincialibus Capitulis Fratres ſuarum Provinciarum; quos examinatione indigere credunt, examinent, approbent, eiſque hujuſmodi officium, prout ſecundùm Deum viderint expedire, concedant. Si qui verò examinari non egent, pro eo, quod in Theologiæ facultate, & Prædicationis officio ſunt inſtructi: ſi ætatis maturitas, & alia, quæ requiruntur in talibus conveniant in eiſdem, poſſunt de Generalis, vel ſuorum Provincialium Miniſtrorum licentia, ſeu mandato, populo prædicare.

§.8. Per id autem, quod in eadem Regula continetur, quod Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa fuerit licentia ſpecialis; dicimus ingreſſum in Monaſteria tantummodo Monialium incluſarum Ordinis Sancti Damiani prohibitum fore ipſis : ad quæ nemini licet ingredi, niſi ei à Sede Apoſtolica facultas ſuper hoc ſpecialiter tribuatur. Et nomine Monaſterii, clauſtrum, domos, officinas interiores volumus comprehendi. Ad aliarum verò Cœnobia Monialium poſſunt, ſicut & alii Religioſi, Fratres illi ad prædicandum, vel petendum eleemoſynam, aut pro aliis honeſtis, & rationabilibus cauſis, accedere, ac intrare, quibus id à Superioribus ſuis pro ſua fuerit maturitate, vel idoneitate conceſſum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni decimo octavo Kalendas Decembris, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Bullar. Rom. tom.3. par.1. fol.305. Wadding. tom.3. Annal. fol.129. qui & tom.4. fol.446. confirmationem ab Alexandro IV. factam extendit.

FF. Minores etiam de Superiorum licentia in aliorum obſequiis commorantes, juri & correctioni Miniſtri Generalis ac ejus Subſtitutis ſubeſſe declarat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio........ Miniſtro Generali, Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſicut te accepimus intimante, nonnulli ex Fratribus tui Ordinis, quod de Superioris licentia in aliorum obſequiis commorantur, exemptos ſe à tua juriſdictione credentes, talia plerumque perpetrant, per quæ detrahitur Ordini, & ſcandalum exinde generatur: Nos, tuis ſupplicationibus inclinati, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut univerſos Fratres, qui morantur in obſequiis aliorum, illis duntaxat exceptis, qui ſunt, vel fuerunt ad Legaturum Apoſtolicæ Sedis ſervitia deputati, liberè valeas viſitare, corrigere, amovere, ac alios eis ſubſtituere, prout ſecundùm Deum videris expedire.

Non obſtantibus quibuſcunque litteris, ſeu indulgentiis Sedis Apoſtolicæ, per quas id valeat impediri : Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Datum Lugduni decimo ſeptimo Kalendas Septembris, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Monum. Ordin. fol.113. Wadding. tom.3. Annal. fol.462. Rodriq. in Bull. fol.15.

Miniſtris Provincialibus Ordinis Minoritani, Syndicum, pro rerum commutatione, aut venditione inſtituendi facultatem tribuit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUantò ſtudioſiùs divinæ contemplationi vacatis Domino famulando, tantò

tantò quieti veſtræ libentiùs providemus, ne pedes, quos laviſſe videmini affectu, & effectu omnia relinquendo, cogamini (quod abſit) iterum inquinare. Cum enim, ſicut lecta nobis petitio veſtra continebat, de rebus omnibus Ordini veſtro conceſſis, vel inpoſterum concedendis per vos ipſos, prout exigit frequenter neceſſitas, juxta veſtri Ordinis inſtituta diſponere nequeatis, nec velitis pro Conſtitutionum veſtrarum puritate, & conſcientia conſtanter ſervanda, ne vobis odioſa vagandi tribuatur materia, ſi oporteat vos ſemper in hoc ad Sedem Apoſtolicam, ad quam rerum ipſarum ſpectat proprietas, habere recurſum. Nos quieti dicti Ordinis, & neceſſitatibus veſtris paterna volentes ſollicitudine providere, præſenti vobis auctoritate concedimus, quatenus, ut ſingulis veſtrûm liceat in Provinciis eis commiſſis per ſe, vel per alios Fratres ſuos, quibus duxerint committendum, conſtituere aliquos viros idoneos Deum timentes, qui pro locorum indigentia ſingulorum res hujuſmodi, tam conceſſas, quàm etiam concedendas auctoritate noſtra petere, vendere, & commutare, alienare, tractare, expendere, permutare, & in Fratrum uſum convertere valeat. Quodque vobis liceat eoſdem viros ſic conſtitutos removere, alioſque ad illa exequenda ſine difficultate qualibet ſubrogare, quoties videbitur opportunum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c.

Datum Lugduni decimo quarto Kalendas Septembris, Pontificatûs noſtri Anno quinto.

Regeſtum Vaticanum Epiſt. 3. Monumen. Ordinis fol. 113. à tergo. Rodriquez in Bullar. fol. 16. col. 2. Wadding. tom. 3. Annal. fol. 489.

Fratrem Minorem extra Clauſtra vagantem, vel etiam expulſum, nec concionari, aut confeſſiones excipere, nec etiam ſine Apoſtolica licentia ad alium Ordinem tranſire poſſe decernit, & in contrafacientes excommunicationis ſententiam promulgandi Superioribus facultatem concedit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Generali, & univerſis Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

JUſtis petentium deſideriis dignum eſt, Nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu conſequente complere. Cùm, ſicut igitur ex parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, aliqui à veſtris ſacris Collegiis ipſorum culpis exigentibus repellantur, quidam onus obedientiæ temeritate propriâ deponentes, quaſi pulli onagri vitam velint ducere abſque jugo: ac iidem extra Clauſtra veſtri Ordinis pervagantes prædicationum, confeſſionum, & docendi officia exercere præſumant in ſuarum animarum diſpendium, & ſcandalum plurimorum. Nos veſtris precibus inclinati, ne prædicti, quos ab Ordine pro ſuis culpis per vos expelli contigerit, vel egreſſi fuerint proprio ſuo motu, prædicare, ſeu confeſſiones audire, ſeu docere præſumant, niſi de noſtrâ, vel veſtrâ licentiâ ad alium tranſierint Ordinem, diſtrictiùs inhibemus. Quod ſi fortè contra noſtram inhibitionem aliud fuerit temerè attentatum, liceat vobis in ipſos excommunicationis ſententiam promulgare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, &c.

Datum Lugduni, quinto Idus Septembris, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Regeſt. Vatican. Epiſt. 888. Rodriq. in Bullar. fol. 16. col. 2. Wadding. tom. 3. Annal. fol. 462.

Conceſſam Superioribus Ordinis Minorum facultatem aggregandos Ordini à cenſuris abſolvendi firmat, &, ut ob debita hiſce ligati priùs ſatisfaciant, præſcribit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus Ordinis Fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CŒleſtis amor patriæ mentes veſtras ſic allexiſſe perſpicitur, ut quaſi hoc ſolum

lum delectationem vobis tribuat,quod Divinæ voluntati ſit placitum,& ſalutem proſerat animarum, procedit ex hoc, quod Nos veſtris piis petitionibus favorem largiri benevolum delectantes, maximè, cùm ex Apoſtolici curâ teneamur officii circa Religionis augmentum attenti, & vigiles inveniri, vobis authoritate præſentium indulgemus, ut volentibus veſtro aggregari Collegio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationum ſententiis ſint ligati, abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ impertiri, & ipſos in Fratres recipere, ac eos, poſt aſſumptum Habitum recoluerint ſe talibus in ſæculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundùm formam ipſam abſolvere valeatis, ita tamen, quod, ſi aliqui ex eis de hujuſmodi ſententiis propter debitum ſunt aſtricti,ſatisfaciant, ut tenentur. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni Octavo Kalend. Februarii. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

Rodriq. in Bull. fol. 20. col. 2. Wadding. Tom. 3. Annal. fol 511. cum data Peruſiis V. Kalend. Decemb. Pontific. Anno X.

Eccleſias Fratrum Minorum Conventuales nominari, & in iis cœmeteria haberi concedit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Generali & Provincialibus Miniſtris & aliis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

CUm tamquam veri & fideles Miniſtri Chriſti elegeritis vobis in Domo Domini manſiones, dignum eſſe credimus, ut habitacula veſtra inter alias honorabiles Congregationes fidelium ſtatuamus. Hinc eſt igitur, quod veſtris ſupplicationibus inclinati præſentium authoritate decernimus, ut Eccleſiæ veſtræ omnes ubi Conventus exiſtunt, Conventuales vocentur: concedentes vobis nihilominùs licentiam,tu in ipſis Eccleſiis ad opus Fratrum & converſorum veſtrorum habere liberè cœmeteria valeatis. Nulli ergo hominum &c.

Datum Secundo nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Monum. Ord. fol. 23. à tergo. Wadding. ſub alia data Tom 3. Annal. fol. 291. Rodriq. in bullario fol. 18. col. 1.

N O T A.

COnceſſum fuit Minoribus hoc privilegium, ut moleſtiis, quas caput *nimis inqua de exceſſibus Prælatorum* commemorat, redderentur immunes, prout Waddingus ad Annum 1252. n. 25. advertit, dicens = conceſſit Innocentius IV. ut Eccleſiæ Fratrum, ubi Conventus ædificabantur, *Conventuales* appellarentur, idque non alia de cauſa, quàm ut Monaſteria diſtinguerentur ab Eremitoriis, & poſſent Fratres uti privilegiis & gratiis Eccleſiarum Conventualium, aut Collegiatarum, & aliarum honorabilium Congregationum .... Eandem autem eſſe quoad hoc Eccleſiam Collegiatam, ac Conventualem conſtat ex *c. nobis fuit de jurepat* ubi gloſſa; *Conventualis Eccleſia*, inquit, *dicitur, ex quo duo vel tres in Collegio ſunt*.

Fratres Minores ratione delicti, ſeu contractûs,ſeu rei coram locorum Ordinariis conveniri non poſſe, contra aliam ſuam conſtitutionem declarat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum.

CUm olim duxerimus ſtatuendum, ut exempti quantumcunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſeu contractûs, aut rei, de quâ contra ipſos agitur, ritè poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere. Vos dubitantes, utrum per conſtitutionem hujuſmodi libertatibus, ac immunitatibus vobis, & Ordini veſtro per privilegia, & indulgentias ab Apoſtolicâ Sede conceſſas præjudicari valeat, Nobis humiliter ſupplicâſtis, ut providere ſuper hoc indemnitati veſtræ paterna ſollicitudine curaremus. Quia verò ejuſdem Ordinis Sacra Religio, ſic vos apud Nos dignos favore conſtituit, ut Vobis votivum exiſtat, vos ab omnibus, per quæ vobis poſſent provenire diſpendia, immunes libenti animo præſervare, authoritate vobis prædicta

dicta indulgemus, ut occaſione inſtitutionis hujuſmodi nullum eiſdem libertatibus, immunitatibus inpoſterum præjudicium generetur. Nulli ergò, &c.

Datum Peruſii Sexto Kalend. Januarii. Pontificatûs noſtri Anno Nono.

Regeſt. Vatican. Epiſt. 105 Wadding. Tom. 3. Annal. fol. 501. & Rodriquez in Bull. ſub alia & poſteriore Data fol. 18. col. 1.

Canonicam portionem de ornamentis, fabricis, ſeu luminibus in anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, vel aliis, Eccleſiis Fratrum Minorum legatis deduci inhibet, dummodo Eccleſiæ Parochiales ſua portione non priventur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Generali, & Provincialibus Miniſtris, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum.

PAcem veſtram, cùm pacis ſitis humiles, & aſſidui profeſſores, volentes, in quantùm cùm Domino poſſumus amotis exterioris perturbationis inquietationibus Apoſtolici favoris patrocinio communire; ne de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, ſeu fabricis, luminaribus quoque, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, ſive aliis, ad perpetuum cultum Divinum Eccleſiis, vel locis veſtris in ultimâ voluntate legantur, canonica portio ab aliquibus deducatur, dummodo in fraudem hujuſmodi legata non fiant, ut Epiſcopi, vel Parrochiales Eccleſiæ debita portione fraudentur, authoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus. Nulli ergo, &c.

Datum Aſſiſii Duodecimo Kalend. Auguſti Pontificatûs noſtri Anno undecimo.

Supplementum Min. tract. 1. Rodriquez loc. præd. & ſub alia pariter data fol. 18. col. 1. Wadding. Tom. 3. Annal. fol. 514.

ALEXANDER IV.

Antea Raynaldus, ſeu Reginaldus, ex Comitum Signiæ Stirpe, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Neapoli XI. vel juxta alios XXII Decembris 1254. gubernaculum Eccleſiæ ſuſcepit, illudque per annos ſex, menſes quinque, & totidem dies viriliter tenuit. Mortuus eſt Viterbii 25. Maji 1261. ibique in Eccleſia S. Laurentii humatus. Cardinalis Ordinem Minorum Officio, & Summus Pontifex amore protexit. Probant hunc Apoſtolicæ Litteræ ex cumulo plurium excerptæ, hicque ſubjunctæ.

Nec Famulos, nec Operarios, nec Procuratores, obſequiis Fratrum Minorum deputatos, excommunicationi, aut interdicto, ſi eiſdem cauſam non dederint, aut aliàs ſpecialiter ſint interdicti, ſubeſſe declarat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali Miniſtro, & univerſis Fratribus Ord. FF. Minor. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT in veſtris domibus ſervientes in miniſteriis opportunis, ob veſtri gratiam, quam apud Sedem Apoſtolicam ſedulæ devotionis veſtræ obſequia promerentur, noſtræ gratiæ non reddantur immunes, Nos veſtræ devotionis precibus inclinati, quod, ſi quando in perſonas, vel terras, in quibus reſidetis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorum quorumcunque veſtrorum Procuratores, & Operarii, qui in veſtris locis, eorum operibus perſonaliter conſtituti inſtiterint, hujuſmodi ſententiis obnoxii nullatenus habeantur, ibique poſſint audire Divina juxta formam, quæ in locis ipſis, in eo caſu à Sede Apoſtolicâ eſt conceſſa; niſi eiſdem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter, ſeu interdici contingat eoſdem, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino

no hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & gratiæ infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Anagniæ quinto Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Monum. Ordin. fol. 114. Rodriq. Bullar. fol. 26. col. 1. Wadding. tom. 3. Annal. fol. 533.

Litteras, quibus Innocentius Papa IV. Religioſis diebus Dominicis, & feſtivis Parochianos ad divina in ſuis Eccleſiis admittere &c. prohibet, revocat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus univerſis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, & cæteris Perſonis Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcunque Ordinis, & Profeſſionis exiſtant, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NEc inſolitum eſt, nec novum, ut ea, quæ per occupationem, vel infeſtinantiam fiunt, pro eo, quod congruæ limam deliberationis prætereunt, in propenſioris conſiderationis reducantur examen, ut rectiora, & elimatiora per attentionem plenioris diſcuſſionis emanent. Sanè quædam ab Apoſtolicâ Sede tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri litteræ proceſſerunt, in quibus ipſe univerſis Religioſis, cujuſcumque Profeſſionis, vel Ordinis, diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis, & feſtivis non reciperent de cætero in ſuis Eccleſiis, ſeu Oratoriis temerè ad Divina, nec ipſos ullatenus ad pœnitentiam admitterent ſine ſuorum licentia Sacerdotum, nec eis in ſuis prædicarent Eccleſiis ante Miſſarum ſolemnia, pro quibus audiendis prima diei parte iidem Parochiani conſueverunt, & debent in ſuis Eccleſiis convenire: nec ſermones etiam ſolemnes facerent illâ horâ, ſed nec ad prædicandum ſolemniter, Parochias alienas accederent, niſi eſſent ab eorum Sacerdotibus invitati, vel ſaltem, niſi ſe ad id humiliter peterent, & obtinerent admitti, nec ea die, qua Diœceſanus Epiſcopus, vel alius locô ejus prædicaret ſolemniter, maximè in Eccleſia Cathedrali, aliquis ipſorum in eadem Civitate, vel loco præſumeret prædicare. Si verò in caſu licito Parochianum alterius eos in ſuis Eccleſiis recipere ad ſepulturam contingeret, omnium, quæ obtentu conſequerentur hujuſmodi ſepulturæ, portionem canonicam, etiam non requiſiti, infra octo dies à tempore receptionis eorum Epiſcopo, vel Sacerdoti, de cujus Parochia mortuus eſſet aſſumptus, exhibere curarent: Si autem aliquis Religioſorum ipſorum hujus præcepti tranſgreſſor contra prædicta, vel aliqua prædictorum venire præſumeret, præter inobedientiæ vitium, & excommunicationis ſententiam, quàm eum incurrere voluit, ipſo facto gradûs ſui periculo ſubjaceret, & nihilominus à Diœceſano ad univerſa, & ſingula obſervanda per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remotâ, diſtrictiùs cogeretur, nullis ei contra hæc indulgentiis, & privilegiis Apoſtolicis valituris. Verùm, quia ſuper præmiſſis litteris cogitare attentiùs, & ſtudioſiùs deliberare proponimus, pacis commodum, & quietis ſolatium Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis potiſſimè cupientes, præfatas litteras, &, ſi quæ aliæ ſuper prædictis, vel eorum aliquo contra præfatos Religioſos, vel aliquos ex ipſis generaliter, & ſpecialiter præter formam communem, & ſolitam proceſsêre, ac mandata, ſeu præcepta facta in eis, vel earum auctoritate duximus penitus revocanda, ideoque Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per hujuſmodi litteras, vel occaſione mandatorum, ſeu præceptorum, aut ſententiæ, quam continent, nihil prorſus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant, vel vigorem.

Datum Neapoli ſecundo Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Specul. Min. tract. 2. Rodriquez in Bull. fol. 23. col. 1. Waddingus tom. 3. Annal. fol. 522. Bullarium Romanum tom. 3. par. 1. fol. 349.

NOTA.

REvocatio hæc Pontificia fuit primò Spoletano, & Aſſiſienſi Epiſcopis per Conſtitutionem hujus, & ejuſdem Summi Pontificis, incipientem *Quædam à Sede Apoſtolica*, & in Monumentis Ordinis Minoritani fol. 102. &c. ex-

ten-

tenſam duntaxat intimata, neceſſitate autem ita exigente, poſtmodum ad omnes Eccleſiarum Antiſtites per Litteras Pontificias ſuprà poſitas miſſa.

Bearam Claram Aſſiſiatem Sanctarum Virginum catalogo adſcribit, ejuſque diem feſtum duodecimo Auguſti quotannis celebrarj decernit, ac in eo, & illius octavis indulgentias largitur.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus univ rſis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CLara claris præclara meritis magnæ in Cœlo claritate gloriæ, ac in terra ſpleudore miraculorum ſublimium clarè claret. Claræ hujus arcta, & alta Rcligio hîc coruſcat; hujus ſurſum æterni præmii radiat magnitudo, hujus virtus ſignia magnificis mortalibus illuceſcit. Huic Claræ intitulatum fuit ſummæ privilegium paupertatis, huic in excelſo rependitur inæſtimabilis copia theſaurorum, huic à Catbnlicis plena devotio, & honoris cumulus exhibetur; hanc Claram ioalto Divinæ lucis clarificat plenitudo; hane Chriſtianis Populis prodigiorum ejus inſignia ſtupenda declarant. O Clara multimodæ titulis prædita claritatis. Ante Converſionem tuam utique clara, in Converſione clarior, in clauſtrali converſatione præclara, & poſt decurſum vitæ præſentis ſpatium clariſſima illuxiſti. Ab bac inter amænitates cœleſtes, ſuave lilium virginitatis offertur: Ab hac Clara clarum exempli ſpeculum huic ſæculo prodit: Ab hac in terris manifeſta ſubventionum remedia ſentiuntur. O admiranda Claræ beata claritas, quæ, quantò ſtudioſiùs per ſingula quæritur, tantò ſplendidior in ſingulis invenitur. Emicuit hæc, inquam, in hoc ſæcolo, in Religione præſulſit; in Domo illuxit ut radius, in Clauſtro coruſcavit ut ſulgor; emicuit in vita, poſt mortem irradiat, claruit in terra, in Cœlo relucet. O quanta hujus vehementia luminis, & quàm vehemena iſtius illuminatio claritatis! Manebat quidem hæc lux ſecretis incluſa Clauſtralibus, & foras micantes radios emittebat. Colligebatur in arcto cœnobio, & in amplo ſæculo ſpargebatur: ſervabatur intra, & extra manebat. Latebat namque Clara, ſed ejus via patebat. Silebat Clara, ſed ejus fama clamabat. Cælabatur in Cella, & in Urbibus docebatur. Nec mirum, quia lucerna tam accenſa, tam lucens, abſcondi non poterat, quin ſplenderet, & clarum in Domo Domini daret lumen. Nec recondi poterat vas tot aromatum, quio fragraret, & ſuavi odore Dominicam reſpergeret manſiunem, imo cum in anguſto ſolitudinis recluſorio alabaſtrum ſui corporis hæc durè contereret, tota omnino Eccleſiæ aula, Sanctitatis ejus odoribus replebatur.

§ 1. Sanè cum ipſa, dum adhuc Puella eſſet in Sæculo, bunc Mundum fragilem, & immundum, mundo calle ab ætate tenera tranſilire ſtuderet, & pretioſum ſuæ virginitatis theſaurum, illibato ſemper pudore cuſtodiens, claritatis & pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod ex ea grata & laudabilis ad vicinos, & alios fama prodiret, Beatos Franciſcus, audito hujus famæ præconio, cepit cooſeſtim hortari eam, & ad Chriſti perſectam inducere ſervitutem. Quæ ſacris illius monitis mox adhærens, & Mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ae ſoli Domino in paupertate voluotaria famulari deſiderans, hoc ſuum ferVens deſiderium, quàm citò potuit, adimplevit.

§. 2. Quæ tandem cuncta ſua bona, & unà ſecum, quidquid etiam habebat, Chriſti obſequin deputaret in eleemoſynas, & pauperum ſubſidia diſtribuit & convertit.

§ 3. Cumque de ſæculi ſtiepitu ſugiens, ad quamdam campeſtrem decſioaſſet Eccleſiam & ab ipſo B. Franciſco ſacra ibi receptâ tonſurâ, proceſſiſſet ad aliam, conſanguineis ejus ipſam exinde reducere molientibus, illa protious amplectens Altare, pannoſque apprehendens ipſius, crinium ſui capitis in ciſura detecta, eiſdem conſanguineis in hoc ſortiter reſtitit, & conſtanier, quia, cum jam eſſet mente iotegra juncta Deo, pati non poterat ab eius ſervitio ſe divelli. Denique, cum ad Eccleſiam Sancti Damiani extra Civitatem Aſſiſinatem, undè traxit originem, per eumdem B. Franciſcum adducta fuiſſet, ibi ei Dominus ad amorem, & cultum aſſiduum ſui Nominis, plures Socias aggregavit. Ab hac ſiquidem, inſignis, & ſacer Ordo Sancti Damiani per orbem jam longè diffuſus, ſalutare ſumpſit exordium. Hæc, adhortante ipſo B. Franciſco, huie novæ, ſanctæque Obſervantiæ ſequendum dedit initium. Hæc hujus magnæ Religionis fuit primarium, & ſtabile fundamentom: Hæc hujus alti operis lapis extitit primitivus: Hæc genere Nobilia, ſed converſatione nobilior, virginitatem, quam priùs etiam cuſtodiverat, ſub hac ſanctimoniæ Regula præcipuè conſervavit.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. Hanc poſtmodum Religionem, Mater ejus Hortulana nomine, piis iotenta operibus, ipſius Natæ ſequendo veſtigia devotè ſuſcepit, in qua demum hæc optima Hortulaoa, quæ in Horto Dominico protulit talem plantam, concluſit feliciter dies ſuos. Poſt aliquos verò annos, ipſa B. Clara, Monaſterii, & ſororum regimen, nimia ejuſdem S. Franciſci devicta impotunitate, recepit.

§. 5 Hæc utique fuit arbor procera, & eminens, longis diſtenſa ramis, quæ in agro Eccleſiæ dulcem fructum Religionis attulit, & ad cujus delectabilem umbram, ſub illius amœnitate fructum hujuſmodi libaturæ concurrerunt undiqoe multæ alumnæ Fidei, & concurrunt. Hæc fuit nova Mulier Vallis Spoletanæ, quæ oovum aquæ vitalis fontem, ad refectionem animarum, & commodum propinavit, qui jam per diverſos rivulos, in Territorium Eccleſiæ derivatus, Plantaria Religionis infudit. Hæc fuit altum Sanctitatis Candelabrum, vehementer in habitaculo Domini rutilans, ad cujus ingentem ſplendorem plurimæ properaverunt, & properaot, ſuas de illius lumine lampades accendentes. Hæc profectò in agro Fidei plantavit, & coluit vineam paupertatis, de qua fructus ſalutis pingues, & divites colliguntur. Hæc in prædio Eccleſiaſticæ humilitatis hortum conſtituit, multiplici rerum conſertum inopia, in quo magna virtutum copia reperitur. Hæc in Religionis diſtrictu arcem arctæ abſtinentiæ fabricavit, in qna larga ſpiritualis alimoniæ refectio miniſtratur. Hæc fuit pauperum Primiceria, Duciſſa humilium, Magiſtra continentium, & pœnitentium Abbatiſſa. Hæc ſuum Monaſterium, creditamque in illo ſibi familiam, ſollicitè, & prudenter in timore ac ſervitio Domini, & plena Ordinis obſervantia guberoavit, vigil in cura, in Miniſterio ſtudioſa, in exhortatione attenta, diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in præceptis, in compaſſione præſtabilis; diſcreta in ſilentio; in ſermone matura, & conſulta in cunctis, ad perfectum Regimen opportunis, volens magis ſamulari, quàm dominari, & honorare potiùs, quàm honore ſuſtolli. Hujus vita erat aliis eruditio, & doctrina. In hoc libro vitæ, cæteræ vivendi regulam didicerunt. In hoe vitæ ſpeculo, reliquæ vitæ ſemitas inſpexêre: Corpore namque ſiſtebat in terra, ſed animo verſabatur in Cœlo; humilitatis vaſculum, armarium caſtitatis, charitatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis, & familiaritatis communio; mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis, & accepta. Et ut carne depreſſâ convaleſceret ſpiritu, quo quiſque hoſte ſuo debilitato, fit ſortior, nudum ſolum, & interdum ſarmenta pro lecto habebat, & pro pulvinari ſub capite durum lignum, unâque tunicâ cum mantello de vili, deſpecto, & hiſpido panno contenta. His humilibus indumentis ad operimentum ſui corporis utebatur, aſpero cilicio de cordulis crinium equorum cootexto oonnunquam adhibito juxta carnem. Arcta quoque in cibo, & io potu diſtricta, tantâ ſe in his fræoabat abſtinentiâ, quod longo tempore, tribus diebns in hebdomada, videlicet ſecunda, quarta, & ſexta feria, nihil penitus pro ſui corporis alimento guſtavit, reliquis nihilominus diebus adeo ſe cibariorum parvitate reſtringens, quod aliæ de ipſa, quomodo ſub tam forti diſtrictione ſubſiſtere poterat, mirabantur. Vigiliis inſuper, & orationibus aſſiduè dedita, in his præcipuè diurna & nocturoa tempora expendebat. Diutinis tanden perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale oon poſſet ſurgere per ſe ipſam, Sororum ſuarum ſuffragio levabatur; & ad tergum ejus fulcimentis appoſitis, propriis manibus laborabat, ne in ſuis etiam eſſet infirmitatibus ocioſa. Uode de panoo lineo hujua ſui ſtudii, & laboris, plura pro Altaris ſacrificio corporalia fieri fecit, & per plana, & montana Aſſiſii diverſis Eccleſiis exhiberi. Amatrix verò præcipua, & colona ſedula paupertatis, ſic illam ſuo affixit animo, ſic eam in ſuis deſideriis alligavit, quod ſemper in ipſius dilectione firmiter, & ardentior in amplexu, à diſtricta, & delectabili ejus copula, pro nulla unquam neceſſitate diſceſſit, nec aliquibus prorſus potuit induci ſuaſibus, ad conſentiendum, qnod ſuum Monaſterium proprias poſſeſſiooes haberet, quamqnam fel. record. Gregorius Papa Prædeceſſor noſter, de multa indigentia ipſius Monaſterii piè cogitans, libenter illi voluerit pro ſororum ejus ſuſtentatione, poſſeſſiones ſufficientes, & congruas deputare.

§. 6. Verùm, quia magnum & ſplendidum luminare ſupprimi non poteſt, quin ſuæ radios præferat claritatis, in ipſius etiam vita multis, & variis miraculis virtus ſuæ ſanctitatis effulſit. Nam cuidam de Sororibus ipſius Monaſterii vocem, quam longo tempore, quaſi omnino perdiderat, reſtauravit. Alii officio lioguæ penitus deſtitutæ, loquelam reſtituit expeditam. Altri autem ſurdam aperuit ad auditum, laborantem febre, tumentem hydropiſi, plagatam fiſtula, & aliis oppreſſas languoribus liberavit, facto crucis ſignaculo ſuper eas. Quemdam Fratrum de Ordine Minorum ſanavit ab inſaniæ paſſione; cum autem quadam vice oleum io Monaſterio totaliter defeciſſet, ipſa, vocato Fratre, qui erat eidem Monaſterio

pto

pro colligendis eleemoſyuis deputatus, accepit urceum, atque lavit, vacuumque juxta fores ipſius Monaſlerli poſuit, ut illum idem Frater pro oleo acquirendo deferret; quem cum vellet ipſe apprehendere, invenit eum oleo, beneficio Divinæ largitatis, impletum; Rurſum, cum unn die nonniſi unius panis medietas prn refectione Snrorum in eodem Mnnaſterio haberetur, ipſa medietatem eamdem juſſit in fruſta dividi, & Sororibus diſpenſari, quam inter manus frangentis, ille, qui vivus eſt panis, & dat eſcam eſurientibus, multiplicavit in tantum, qund quinquaginta ſufficientes factæ fuerunt exinde purtiones, & Sororibus diſcumbentibus diſtributæ; Per hæc, & alia ſigna conſpicua, ſuorum, dum adhue viveret, innotuit prgeminentia meritorum. Nam, & cum in extretremis ageret, candidus Beatarum Virginum cœtus micantibus coronis ornatus, in qua una ex ipſis eminentior, & ſulgidior apparebat, viſus eſt dnmum intrare, ubi eadem Chriſti Famula decumbebat, & uſque ad lectulum ejus procedere, ac circa eam quaſi viſitationis officium, & conſortationis ſnlamen qundam humanitatis ſtudio exhibere.

§.7. Poſt obitum verò ejus, quidam, qui morbo caduco ruebat, & propter crus contractum gradi non poterat, ad ſepulchrum delatus ipſius, fuit ibi crure ipſo, quaſi fragoris ſonitum faciente, ab utraque infirmitate curatus. Curvi renibus, membris contracti, præcipites furiâ, & dementi furnre ferales, receperunt ibidem integram ſnſpitatem. Cuidam ſua dextera manus, cujus ipſe uſum ex illata ſibi vehementi percuſſione ita perdiderat, quod nihil omnino per eam veluti prorſus inutilem poterat operari, fuit ad actnm ſuum priſtinum, ipſins Sanctæ meritis plenariè reformata. Alius, qui diutina cæcitate lumen amiſerat oculorum, cum ad idem ſepulchrum ſub ducatu alterius acceſſiſſet, recuperato inibi viſu, rediit exinde ſine duce. His, & quamplurimis aliis operibus, & miraculis, hæc venerabilis Virgo reſplenduit glorioſis, ut evidenter appareat adimpletum id, quod de ea Mater ejus, dum eſſet ex ea gravida, & oraret, dicitur audiviſſe: videlicet, quod paritura erat quoddam lumen, quod Orbem plurimùm illuſtraret.

§.8. Gaudeat itaque Mater Eccleſia, quod talem genuit, & educavit filiam, quæ tanquam virtutum fœcunda parens, multas Religionis Alumnas ſuis produxit exemplis, & ad perfectum Chriſti ſervitium pleno magiſterio informavit. Lætetur & devota turba fidelium, quod Rex Cœlorum & Dnminus, Sororem ipſorum & Sociam, quam in ſponſam ſibi elegerat, ad ſuum præcelſum, & præclarum palatium cum gloria introduxit; nam & Sanctorum congaudent agmina, quod in ſuprema eorum Patria, novellæ regalis Sponſæ nuptiæ celebrantur.

§.9. Cæterum, quia congruit, nt, quam Dominus exaltavit in Cœlo, Catholica Eccleſia veneretur in Terra, quia de ſanctitate vitæ, ac miraculis ejus diligenti, & attenta inquiſitione, ac examinatione diſtincta, & ſolemni diſcuſſione præmiſſis, liquido conſtitit, licèt aliàs etiam & in propinquis, & in remotis partibus ſatis eſſent præcognita lucida ejus acta, Nos de communi Fratrum noſtrorum, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium conſilio, & aſſenſu, de omnipotentia divina confiſi, anctnritate Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, ac noſtra, ipſam catalogo Sanctarum Virginum duximus adſcribendam

§.10. Ideoque Univeſitatem veſtram monemus, & hortamur attentè per Apoſtolica Vobis ſcripta mandantes, quatenus pridie idus Auguſti, feſtum ejuſdem Virginis devotè & ſolemniter celebretis, & faciatis à veſtris Subditis venerabiliter celebrari, ut ipſam habere mereamini apud Deum piam, & ſedulam adjutricem.

§.11. Et, ut ad venerandum ejus ſepulchrum avidiùs, & copioſiùs Chriſtiani Populi confluat multitudo, ac celebriùs ipſius feſtivitas recolatur, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad illud cum reverentia, in ejuſdem Virginis feſto, vel etiam infra ipſius feſti octavas, annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia humiliter petituri, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtnlorum ejus auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Datum Anagniæ ſexto Kal. Octnbris, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bullar. Rom. tom. 3. p. 1. fol. 364.

N O T A

AC de indulgentia in hac Conſtitutione conceſſa idem, quod ſuprà fol. 14. de indulgentiis Sancti Antonii animadverſum eſt, relege.

Fratres Minores, nec ab Archiepiſcopis, nec Epiſcopis, nec ab ullo Prælato Eccleſiaſtico ad deſerendas, aut executioni dandas litteras, aut Sententias contra Principes, Communitates, populos, aut quoſcunque Benefactores cogi poſſe declarat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis FF. Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Convenit, ut facer, & lucidus veſter Ordo, ficut Religionis altitudine poilet, fic per Sedis Apoſtolicæ gratiam privilegio fulgeat ſpeciali: veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, ut oullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel quivis alius Prælatus Eccleſiaſticus, ſen eorum Vicarii, vel Officiales, vos, aut aliquem de veſtris Fratribus ad portandum, ſeu deferendum litteras, vel exequendum, aut denunciandum ſententias cootra Principes ſæculares, Communitates, populos, ſeu quoſcunque benefactores veſtros cogere valeant, fine prædictæ Sedis mandato, vel licentiâ ſpeciali, expreſſam faciente de hâc indulgentiâ mentionem Nec vos, vel quiſquam Fratrum veſtri Ordinis parere, vel intendere teneamini ſuper his monitionibus, maodatis, aut juſſionibus eorundem, auctoritatc præſentium indulgemus. Decerneotes irritum, & inane, quidquid circa hoc contra hujuſmodi indulti tenorem à quocumque fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Anagniæ decimo ſeptimo Kalendas Novembris, Pontificatûs noſtri, Anno Primo.

Specul. Min. tract. 2. fol. 119. Wadding. tom. 3. Annal. fol. 542. Rodrigu. Bull. fol. 26. col. 2.

Fratribus Minoribus de locis ſuis ad alia loca tranſeuntibus omnem primi ædificii materiam, libros, & paramenta ſecum ad alium locum traſferendi &c. facultatem largitur, ac aliter facta annullat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Generali Miniſtro, & Provincialibus, & Guardianis, nec non & univerſis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex parte veſtrâ fuit propoſitum coram Nobis, quod nonnulli Archiepiſcopi & Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati, cùm Fratres Veſtri Ordinis de locis ſuis ad alia locs, eis, & ipſi Ordini piâ Sedis Apoſtolicæ vel alinrum Chriſti Fidelium liberalitate cooceſſa transferri contigerit, priora loca violenter occupant, & tam ea, quàm libros Cslices, & Paramenta ſibi vendicare præſumant in animarum diſpendium, dicti Ordinis præjudicium, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur, ſuper his psterna ſolicitudine providere volentes, ut liceat eiſdem Fratribus, cùm de Prioribus locis, ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia, ſeu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt, exceptis duntaxat Eccleſiis, quàm libros, Calices, & Paramenta prædicta ad alia loca transferre, ac ædificia ipſa cum ſolo & aliis ad ea loca pertinentibus, præter Eccleſiam, per Procuratores à vobis Filiis Miniſtris ad hoc deputatos vendere, ipſorumque pretium, in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres ſe transferuot, ædificationem, ſeu aliàs in eorum utilitatem convertere, eum ipſa propria loca, & alia loca Fratrum ad nos, & Apoſtolica Sedem ſpecialiter pertinere noſcatur, præſentium autoritate indulgemus, diſtrictiùs inhibeotes, ne aliquis prædictorum Prælatorum, ſeu quævis alia perſooa Eccleſiaſtica vel Secularis, prædicta bona, ſeu loca accipere vel uſurpare, aut quocuoque alio mndo ſibi vendicare præſumant abſque licentiâ Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, decernentes irritum, & inane, puidquid contrs hujuſmodi conceſſionem, & inhibitionem noſtram per quoſcunque fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem, hoc

hoc attentare præſumpſerit, iodignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejùs ſe noverit incurſurum.

Dstum Anagniæ Duodecimo Kalend. Novembris Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Speeul. Min. tract. 2. fol. 28. Rodriq. Bull. fol. 5. col. 2. Wadding. Tom. 3. Annal. fol. 543.

Veritatem Stigmatum S. Patris Franciſci confirmat, & contradicentibus poenas dictat.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, præſentes literas inſpecturis & audituris, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

BEnigna operatio Divinæ Voluntatis in Cœlo potens, & innovans ſingula ſapicoter, & immutaos mirabilia ſuper terram, poſtquam Dei filius victor mortis ad Patrem unde deſcenderat, vebiculo propriæ Majeſtatis aſcendit, mirificæ fortitudinis Viros, ad cooſumationem Sanctorum diverſis remporibus ſuſcitavit: à quibus teſtimonium ſpei gloriæ, cùm Chriſto in Deo reconditæ firmaretur, & Eccleſiæ Sanctæ ad promiſſam requiem feſtinandi, in hoc peregrinationis exilio, quod tædioſa deſiderii ejus dilatiooe protrahitur, per ipſos conſolationis ſolatium perveniret.

Inter alios autem diebus noſtris, B. Franciſcus almus Chriſti Confeſſor apparuit, ſignis & virtutibus glorioſus, qui clariſſimis piè vivendi meritis & exemplis, Sanctam fœcundavit Eccleſiam, & caligantia præſentis ætatis tempora, fulgoris ſui lampade illuſtrans, viam juſtitiæ perfectè præparans, in Eremo altiſſimæ paupertatis, quam ipſæ currens, & alacriter exultans, contra Carnem, Mundum, & Dœmonem velut gigas traxit poſt ſe de inferi faucibus, & traduxit ad Dominum populum humilem, bonorum operum ſectatorem, ſicut effuſa ſuper faciem orbis terræ, copioſa profeſſionis ejus Religioſa generatio pateſacit.

Ut autem ad illuminationem gentium, celebris ejus memoria, tanquam rutilum ſydus, in coruſco firmamenti myſtici æthere ſervarctur, multis eum Divina Potentia, adhuc militaotem inter homines, & demum in Sanctorum agmine triumpbantem, dignata eſt clarificare miraculis, quæ felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter, ne illa vel perverteret æmula Saoctitatis iniquitas, vel oblivionis digitus, qui rebus geſtis citò ſuperducitur, aboleret, ſolertiſſimis ioquiſitionibus iodagata, & comperta fideliſſimis documentis, fecit ad laudem Dei, & augumentum Fidei, & inſtructionem ſalubrem, tam præſentium, quàm etiam futurorum, monumeotis perpetuis commendari, eundem Confeſſorem Sanctorum catalogo adſcribeodo: ſicut in plurimis locis liquidò per ipſius prædictas literas apparet, harom ſeriem explicitè continentes.

Porro, quia longum eſſet nedum exarare per ſingula, verùm etiam ſuccinctâ relatione perſtingere, clara virtutis divinæ prodigia, quæ ram in operationibus Sanctitatis, quàm etiam in aliis mirabilibus argumentis probaverunt eundem Coofeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriæ in excelſis, ſignanter Vobis ante oculos proponere volumus recolenda frequentiùs, & vehementiùs admiranda, illa ſatis jucunda Dominicæ Paſſioois inſignia, quæ in ejuſdem Sancti Corpore, dum adbuc vitali ſpiritu foveretur, manus Cœleſtis operationis impreſſit. Viderunt namque oculi fideliter intueotes, & certiſſimi contractantium digiti palpaverunt, quod in manibus ejus & pedibus expreſſa undique ſimilitudo clavorum, de ſubiecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit, quæ equidem Sanctus ſtudioſè ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, cum viveret, abſcondebat. Inventa eſt patentiùs in ipſius Defuncti Corpore non inflicta humanitus, nec facta plaga vulneris lateralis, quaſi aliquod, ioſtar lateris Salvatoris, quod redemptioois & regenerationis humanæ in Redemptore noſtro protulit Sacrameotum: Quæ quidem plaga, ſicut quoſdam ex Fratribus ſibi familiariter adhæreotibus latêre non potuit propter defluxum humoris, diu antea viruerat in vivente.

Hæc igitur mira & decora novæ demonſtrationis indicia, magnæ debent eſſe devotionis divitiæ Chriſtianis, & inæſtimabiles Religionis deliciæ in ſpiritualibus communis Eccleſiæ Orthodoxæ theſauris: cum ex eis ſincera Fides Chriſti accipiat, quod etiam illi fuerint Paſſioois Chriſti ſine extrinſeco perſecutore conſortes, qui pro ejus amore carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis voluotariè crucifixerunt. Sanè de præfato Sancto hæc certiùs aſſerentes, indoctas fabulas, ſeu vanæ inventionis deliramenta non ſequimur, cum ea Nobis dudum

nota ſuerit plenior fides rerum, quando videlicet in minoribus conſtituti, Confeſſoris ejuſdem familiarem, ex munere Divino, meruimus habere notitiam, præfati Prædeceſſoris noſtri domeſticis obſequiis, tunc temporis inſiſtendo.

Cum igitur oporteat cavere prudenter, ne tanta patrocinii gratia humani generi cælitùs in memorato Confeſſore collata, in vacuum aſſumatur, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus, hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ejuſdem Confeſſoris pretioſa merita & miraculorum magnalia, & ſalutarem memoriam celebritate annua, prædicatione frequenti & veneratiooe recenſentes, ad ipſius devotionem, & gratiæ Divinæ memoriam ſubditos veſtros, celebribus monitis excitetis, ut eo, prouoiverſo fidelium populo, ac præſertim pro iis, qui eum iovocaverint, Divinam Miſericordiam implorante, mereantur ſupplices, quod operum ſuorum poſſibilitas obtinere non poteſt, ejus iotercessionibus impetrare. Nemo itaque eidem Sancto audeat de cætero eſſe moleſtus in corpore ſuo Chriſti triumphalia ſtigmata præferenti. Si quis igitur ſpiritu temerariæ præſumptionis inſaniens, Divini muneris invidus, Apoſtolici Judicii ſacrilegus impugnator, præmiſſa vel alia prodigiorum ſigna, quibus in Eccleſia Dei Sanctitas prædicti Confeſſoris eluxit, improbæ contradictionis morſibus obtrectanda crediderit, volumus & mandamus, ut eum ſanæ mentis reſtituat judicialis ſeveritas diſciplinæ, ita quod diſtrictâ proprii Prælati caſtigatione correctus, Dei opera blaſphemare dediſcat, & Fidei Catholicæ fructus, de pia mirabilium Domini credulitate pullulans, non areſcat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, prohibitioois, & voluotatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Anagniæ Quarto Idus Novemb. Pootificatûs noſtri Aooo primo.

Bullar. Roman. Tom. 3. pag. 368. cum Dato 4. Nov. Rodriq. Bull. fol. 27. col. 1.

A' Fratribus Minoribus, ad Epiſcopatus, aut alias dignitates promotis, libros, & alia Ordini ſuo renuntiari jubet.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte veſtra Nobis fuit intimatum, quod, cum cootinguat interdum, ad Epiſcopalem, & alias ſuperiores, ſeu inferiores dignitates, aliquos de Fratribus veſtri Ordinis promoveri, ipſi libros, & alia, quæ tempore ſuæ promotionis habebaot, licèt non ad eos, cùm proprium habere eis non liceat, ſed ad Ordinem pertioeant memoratum, propriis uſibus applicare præſumant in ſuarum præjudicium animarum. Quare ſuppliciter poſtulâſtis à Nobis, ut providere ſuper hoc ſalubriter curaremus.

Nos igitur eorundem Fratrum ſaluti, & indemnitati veſtri Ordinis paterna volentes ſollicitudine providere, ut libros, & alia, quæ ipſos promotionis ſuæ tempore habuiſſe, ſeu habere conſtiterit, Tibi, Fili Generalis Miniſter, vel tuis Provincialibus Miniſtris, ſubmotâ qualibet dilatione reſignent, ipſis Fratribus jam promotis io virtute obedientiæ, illis autem, quos promoveri contigerit, ne reſignare differaot, auctoritate hujuſmodi duximus injungendum: niſi forſan Vos ipſorum uſus eis ad tempus conceſſeritis de gratia ſpeciali.

Datum Laterani noois Decembris, Pootificatûs noſtri Aono Primo.

Bullar. Rom. tom. 3 par. 1. fol. 369. Monumenta Ord. fol. 24. à tergo. Rodriq. Bull. fol. 24. col. 2.

Fratres Minores, ab Archiepiſcopis, vel Epiſcopis in Socios aſſumptos, à Superioribus Ordinis (præter viſitationem, ac correctionem) etiam revocari poſſe declarat, aliis tamen in Epiſcopale obſequium Fratribus ſubſtitutis.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedict.

SAcræ Religioois veſtræ fama clariſſima, eſt ab univerſis & ſingulis illam profiten-

tentibus mente vigili conſervanda, ſed ab illis potiſſimè, quos pro cauſis legitimis oportet aliquando ſe de ſuis Conventibus, ſicut obedientiæ virtus exigit, abſentare.

Sanè nonnulli ex Fratribus Ordinis veſtri, qui Venerabilibus Fratribus noſtris, Archiepiſcopis, & Epiſcopis de Ordine ipſo ſuſcepti, quandoque in Socios deputantur, illa, prout accepimus, præſumunt ſæpè committere, quæ in ejuſdem Ordinis ſcandalum, & in ſuarum vergunt periculum animarum. Cum itaque ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam deceat ſalubriter provideri, Nos devotioni veſtræ auctoritate præſentium duximus concedendum, quod ſinguli veſtrûm illos ex Fratribus eiſdem, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, ſeu Legatorum ejus, dictis Archiepiſcopis, & Epiſcopis eſt proviſum, viſitare, corrigere, atque etiam, non obſtante contradictione aliqua, poſſint ad eundem Ordinem revocare, ita tamen, quod ſi poſtmodum dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi apud vos, vel aliquem veſtrûm pro habendis in ſocietate ipſorum aliis idoneis Fratribus duxerint inſiſtendum, eorum in hac parte deſiderio annuatis, dummodo id vobis & conveniens, & expediens videatur. Cæterum per literas Apoſtolicas jam obtentas, vel impoſterum obtinendas, quæ de præſentibus plenam, & expreſſam non fecerint mentionem, nullos de Fratribus ipſius Ordinis præfatis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Socios teneamini deputare, niſi hoc honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti videritis expedire.

Datum Laterani Idibus Maji, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Speculum Minor. tract. 2. Rodriq. Bullar. fol. 22. col. 1. diſcrepans in Data, Wadding. tom. 4. Annal. fol. 433.

Sepulturam Fratrum Minorum (excommunicatis, interdictis, aut uſurariis exceptis) omnibus liberam decernit.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac aliis Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm à Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ſepulturam Eccleſiarum veſtrarum liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe in illis ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati, vel interdicti fuerint, aut etiam publici uſurarii, nullus obſiſtat, ſalvâ tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Nulli ergo hominum &c. noſtræ Conſtitutionis &c. Si quis &c.

Datum Laterani Idibus Maji, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Speculum Minor. tract. 1. Wadding. tom. 4. Annal. fol. 433.

Fratribus Minoribus in Miſſis privatis ſeu votivis de Spiritu Sancto, vel de B. Virgine hymnum Angelicum, ſeu *Gloria in excelſis* dicere indulget.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Miniſtris Provincialibus, & Fratribus univerſis Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PReſſi gravi orbis ſarcina, ſub impoſita neceſſitate paſtoralis officii, dum pro communi ſalute fidelium in commiſſo Nobis miniſterio ſatagimus, cum Marthæ ſollicitudine circa plurima forinſecus conturbamur, ita ut Nobis vix diei horam poſſimus ſubripere, qua intrinſecus beatæ quietis vacemus ocio ad pedes Domini cum Maria; propter quod juvari piis devotarum orationum ſuffragiis plurimùm indigemus. Hoc ſiquidem dilecti Filii Pariſienſes, & quamplurimorum locorum Fratres veſtri Ordinis, tanquam devotionis Filii, de Patris veſtri ſalute ſollicitè attendentes ſtatuerunt, ut qualibet hebdomada ſinguli eorum Sacerdotes unam Miſſam de Spiritu Sancto, vel de B. Virgine in privato, & Conventus totus ſolemniter, & pro noſtra ſalute, ac noſtro, & Eccleſiæ bono ſtatu celebrent, & alias cæterarum orationum ſacrificiis apud Patrem luminum interpellent. Unde Nos in hac parte ipſorum devotio-

tionis ſtudium, dignis in Domino laudibus commendantes, eis, quod in prædictis Miſſis ſolemnibus Angelicum Hymnum, videlicet *Gloria in excelſis Deo*, & ſequentias, ſive proſas Miſſis competentes hujuſmodi, ſtatuto contrario, & præſertim Methis à vobis in Generali Capitulo edito non obſtante, licitè valeant decantare, ac etiam dicere in privatis, per noſtras litteras duximus concedendum. Quocirca Univerſitatem veſtram attentè requirimus, & per Dominum obſecramus, quatenus frequens negocium noſtrum, quo premimur, ſollicito pacis veſtræ ocio adjuvantes, illud idem in ſingulis locis veſtris ſtatuere, ac ſervare curetis. Nos autem, ut id liberiùs exequi valeatis, licentiam hujuſmodi Vobis auctoritate præſentium duximus concedendam.

Datum Anagniæ Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Monumenta Ord. fol. 25. Firmamentum 3. Ord. tract. 1. 2. part. fol. 13. à tergo. Wadding. tom. 4. Annal. fol. 434.

Fratribus Minoribus ſuæ in Epiſcopum electioni ſine licentia Generalis, aut Provincialis aſſentiri, & Eccleſiæ Prælatis (Cardinalibus exceptis) hujuſmodi eligere, aut electos ordinare vetat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio, Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Petitio tua Nobis exhibita continebat, quod, cum aliqui Fratres tui Ordinis in aliquibus Eccleſiis in Epiſcopos eliguntur, vel etiam poſtulantur, iidem Fratres, licèt proprium velle non habeant, aut nolle; pro eo quod renunciaverunt mundo, & propriæ voluntati, & per ſe nequeant conſentire, tamen irrequiſitis Miniſtris ſuis, quorum licentia, & teſtimonium eſſet in talibus requirenda, interdum electionibus, ſive poſtulationibus de ſe factis temerè conſentiunt, & locorum Archiepiſcopi Fratres ipſos in Epiſcopos aſſumere, ac ordinare præſumunt; propter quod plerumque in eodem Ordine ſcandalum generatur; ſuper quo provideri per Sedem Apoſtolicam humiliter poſtulaſti.

Cum autem prædictum Ordinem, cum ſit rectæ vitæ ſpeculum, & ſalutiferæ converſationis exemplum, velimus ſemper de bono in melius proſperari, auctoritate præſentium de ſpeciali gratiâ inhibemus, ut nulli præfati Ordinis Fratres, ſi eos in Epiſcopos eligi, aut poſtulari contigerit, electioni, ſeu poſtulationi de ſe factæ audeant conſentire. Nec aliquis Archiepiſcopus, ſeu quicunque alius Prælatus, vel etiam Legatus Sedis ipſius, niſi fuerit Cardinalis, dictos Fratres, niſi tua, vel ipſorum Fratrum Provincialium Miniſtrorum, qui pro tempore fuerint, licentia, & aſſenſu, aut Sedis Apoſtolicæ ejuſdem ſpeciali mandato, ad Epiſcopatus, vel alias dignitates, extra dictum Ordinem aſſumere, vel ordinare præſumant. Nos autem decernimus irritum & inane, quidquid contra inhibitionem hujuſmodi à quocunque contigerit attentari. Nulli ergo, &c.

Datum Anagniæ quinto Idus Junii, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Speculum Minorum tract. 1. fol. 6. Rodriq. Bullar. fol. 25. col. 1. Wadding. tom. 4. Annal. fol. 434.

Prælatos Ordinis Minorum à quacunque excommunicatione per Confeſſarios ab ipſis electos abſolvi poſſe concedit.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ordinis veſtri generoſa plantatio, quæ multos religionis, & honeſtatis, flores, & fructus protulit, effuſo longè, latèque laudabilis converſationis odore, Nos provocat, ut ſalutifera veſtra commoda, favore benevolo proſequentes, tranquillitatem veſtram, quantùm cum Deo poſſumus, ſovesmus. Hinc eſt, quod, ſicut aſſeritis, ex indulto Apoſtolicæ Sedis vobis liceat, veſtri Ordinis Fratres curæ veſtræ commiſſos, ab excommunicatione abſolvere, & cum eis ſuper irregularitatibus diſpenſare, niſi adeo gravis, & enormis fuerit exceſſus, propter quem meritò ſit Sedes conſulenda prædicta, vobis auctoritate præſen-

ſentium indulgemus, ut Fratres dicti Ordinis, quos pro tempore in proprios babueritis Confeſſores, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium, vobis, cum expedierit, juxta indulti præfati tenorem, valeant impartiri; ne ii, qui inter vos præeſſe noſcuntur, deterioris conditionis, quàm cæteri cenſeantur. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario &c.

Datum Anagniæ, undecimo Kalendas Auguſti Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Specul. Minor. tract. 2. fol. 120. Rodriquez Bull fol. 28 col. 1. Wadding tom. 4. Annal. fol. 438.

Libellum Guilielmi de Sancto Amore, intitulatum *Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum*, Sanctæ Sedi, & Ordinibus Prædicatorum, & Minorum injurioſum, ceu ſceleſtum damnat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex de ſummi Apoſtolatûs ſpecula Urbi, & Orbi debita ſervitute proſpiciens, cujus occupatur innumeris, & cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior cæteris Sedes ejus, ſollicitudines ſibi vehementiores accumulat, & ipſius auctoritas potior, meditationes ei multiplicat ampliores. Quò enim altiùs præſidet, eò longiùs, latiuſque circumſpicit, & quantò plus poteſt, tantò majoris vigilantiæ ſibi ſarcina incumbente plus penſat, quoniam maximæ dignitati potiſſima ſollicitudo cohæret, & altiorem honorem onus gravius comitatur, curaque profuſior ardentioribus ſtimulis mentem urget. Unde cum aliis plebium fidelium paſtoribus, quibus grex Dominicus particulariter eſt commiſſus, immineat de ſuarum Eccleſiarum eminentia, vigilanter ad ſuas oves attendere, incumbit utique Romano Præſuli, cui eſt grex ipſe generaliter creditus, de ſublimi Eccleſiarum vertice, Sede ſcilicet Apoſtolica, propenſiùs ad illum, & inſtanter intueri, quia cum hi ſuis limitatis populis præſint, ſinguli quidem ſingulis, hic ſine diſtinctione Prælatus eſt Pontifex univerſis, Dominicæ quidem Vineæ Cuſtos generalis, & cultor, & totius ovilis Catholici, Paſtorumque omnium Summus Paſtor: Incumbente namque ſibi generali ſollicitudine ſuper omnes, eum ex hoc ſuæ mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, ſtupet nimirum ipſius animus, & ſub tam gravis, & difficilis curæ pondere contremiſcit, quod poſſe ſufferre, ut convenit, jus naturæ occiduæ vix confidit.

Ad eum namque negotia undique confluunt, perveniunt lites, dubia deferuntur, & deſtinantur implicita, & perplexa, nec umquam horam influens torrens ceſſat, nec hujus alti pelagi validæ, & infeſtæ procellæ quieſcunt; ſed his, quæ nunc imminent, expeditis, mox alia ſubſequuntur. Nec tot implexarum quæſtionum nodi, deciſione Apoſtolica ſolvi poſſunt, quin & aliæ irretitæ, & nodoſæ ſuperveniant, deliberatione matura, & conſoluta definitione ſolvendæ. Imo, ex quo de inſtantibus, difficilibus, & obſcuris, dubietatis caliginem verbo ſuæ declarationis amoverit, ſtatim nova & recentia turbulenta ingruunt Apoſtolico dilucidanda oraculo, & ambiguis, ac incertis mentibus claræ diſſertionis lumine reſerenanda. Propterea ineſt Romano Antiſtiti ſollicitudo ſine ocio, labor ſine quiete; occupatio ſine vacatione, exercitium ſine tranquillo, ingens & ſedula meditatio, & vigilia ſine ſomno, nec ad modicum etiam cura quotidiana intermiſſionem habet, inſtantia, quæ nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipſa tempus omittit, urget continuè, quia cogitandi materia ſemper adeſt, hæc ſucceſſu temporis definit, ſed cum illius diuturnitate perdurat, quia nec decurſu temporum deficiunt negotia, ſed aſſiduè illis ſuccedentibus renaſcuntur.

Nam & hoſtis antiquus, argutus quidem inſidiator, callidusque deceptor animarum, vehementis, & ardentis ſollicitudinis cauſam præbet, bumanæ quippe pacis æmulus, fraternæ invidus charitatis, divinorum abactor, diſſipator unionum, & tranquilli ſtatûs fidelium anxius perſecutor, interſerit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, jurgia ſuſcitat, contentiones irritat, parat ſeditiones, & diſſenſiones procurat, & illorum etiam, qui perfectiores, & firmiores eſſe creduntur, interdum corda ſubvertit, & ibi magis impietatis ſuæ machinas erigere, ac nequitiæ faces accendere nititur, ubi fore plus æſtimat malignitatis ſuæ conamina obfutura. Jacet iniquus laqueos, pedicas objicit, ponit tendiculas, ut prudentiores etiam intercipiat, & captivet. Hinc turbationes oriuntur, ſurgunt inimicitiæ, diſſidia prodeunt, & ſcandala generantur, unde ſic jam ſæ-

ſæculum declinavit ad malum, quod excreſcentibus, & invaleſcentibus in eo noxiis, quaſi vix locus in ipſo ſalutaris invenitur, ut excluſâ ferè inde concordiâ, quaſi ſtabilem ibi habeat diſcordia manſionem. Quare oporter curâ inceſſabili vigilare, ut detorta, & corrupta per malitiam, bonitatis virtute ratificentur, & reformentur; divulſa per odium, charitate ligentur, & commota ſiſtant & pauſent; habeant turbata tranquillum, & ſtatus fidelium ſemper in melius roboretur.

Sanè quidam Scripturæ Sacræ intelligentiam ſe habere fatentes, ſed divertentes à tramite recti ſensûs, cogitaverunt nuper malitiam, & contra innocentes & rectos iniquitatem maximam ſunt locuti: exarſerunt in cordibus ſuis, & lingua eorum maliloqua dolum, & nequitiam concinnavit: ſurgentes adverſus Fratres detraxerunt, & contra dilectos Matris Eccleſiæ filios ſcandalum poſuêre.

Prodiêre, inquam, & in parva commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quemdam valde perniciofum, & deteſtabilem temerè componentes: libellum quidem non rationabilem, ſed reprobabilem; non veritatis, ſed mendacii; non eruditionis, ſed derogationis; non monentem, ſed mordentem; non inſtruentem veraciter, ſed fallentem. Quem Nos ad Sedem delatum Apoſtolicam, Venerabili Fratri Epiſcopo Tuſculano, & dilectis Filiis noſtris Innocentio Tit. S. Laurentii in Lucina, & Honorio Tit. S. Sabinæ Presbyteris, & Innocentio S. Nicolai in carcere Tulliano, Diacono, Cardinalibus examinandum commiſimus, ut plenè ipſum inſpicerent, & univerſa contenta in eo perfectè attenderent, & diſcuterent diligenter.

Quo ſtudioſè perlecto, & maturè & diſtrictè examinato, Nobiſque de hoc plenariâ facta relatione ab eis, quod in ipſo quædam perverſa, & reproba, contra poteſtatem, & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiſcoporum ſuorum, & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſima paupertate mendicant, mundum cum ſuis opibus voluntariâ inopia ſuperantes; alia verò contra eos, qui ſalutem animarum zelantes ardenter, & ſacris ſtudiis procurantes, multos in Eccleſia Dei operantur ſpirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum; quædam autem contra ſalutarem pauperum, ſeu mendicantium Religioſorum ſtatum, ſicut ſunt dilecti Filii Fratres Prædicatores, & Minores, qui vigore ſpiritûs, ſæculo cum ſuis divitiis derelicto, ad ſolam cœleſtem patriam tota intentione ſuſpirant; nec non & alia plura inconvenientia, digna utique confutatione, ac confuſione perpetua, manifeſtè comperimus contineri. Quodque etiam idem libellus magni ſcandali ſeminarium, & multæ turbationis materia exiſtebat, & inducebat etiam diſpendium animarum, cum retraheret à devotione ſolita, & conſueta eleemoſynarum largitione, & à converſione, & Religionis ingreſſu fideles.

Nos libellum eumdem, qui ſic incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, quique ſecundùm ipſius titulum, *Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum* nuncupatur, tamquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem, & inſtitutiones, ac documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nefaria, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus reprobanda, & in perpetuum condemnanda; diſtrictè præcipientes, ut quicumque libellum ipſum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem, & condemnationem ſciverit, prorſus in toto, & in qualibet ſui parte comburere, & omnino abolere procuret.

Et in illos, qui hujuſmodi noſtri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis ſententiam promulgamus, in virtute obedientiæ prohibendo, ne quiſquam prædictum libellum, ore Apoſtolico jam damnatum, approbare, vel quomodolibet defenſare præſumat. Et ſi quis præſumpſerit, tamquam contumax, inobediens, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus fidelibus habeatur. Et Nos nihilominus aliàs contra eum taliter procedemus, quod pœna condigna temerarium feriet, & alii eâ perterriti, à ſimilibus frænabuntur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Anagniæ tertio nonas Octobris Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bullarium Romanum tom. 3. fol. 378. Waddingus tom. 4. Annal. fol. 26 Arturus in prologo Martyrologii Franciſ. fol. 14.

NOTA.

N O T A.

APoſtolicus favor, quo Sacra Sedes Religioſos Mendicantes, ob hinc inde effuſum laudabilis converſationis odorem, & probatum dilatandæ fidei zelum dignabatur, jecit in Univerſitate Pariſienſi celebris in decimi tertii ſæculi hiſtoria controverſiæ ſcintillam, ex qua Guilielmus prædictus, cui Sequanorum Oppidum, à Sancto Amore nuncupatum, natale ſolum, & dicta Univerſitas Theologici Doctoratûs lauream dederat, incendium, Cathedram Petri, Regnum Galliæ, & Regulares Mendicantes tædioſo fumo implicans excitavit. Hos inter, FF. Prædicatores, & Minores nominatim ex Univerſitate extorres voluit: utque fortiùs contra eos ageret, in malignantis conſilii conſortium, Magiſtros Odonem à Duaco, Nicolaum Decanum de Barro ſuper Albam, Chriſtianum Canonicum Bellovacenſem, alioſque vocavit. Æſtus fervoris euſque exarſit, ut tum in Concione *de Publicano & Phariſæo*, tum in libro *de periculis noviſſimorum temporum*, tum in quæſtione *de Valida Mendicante* congereret doctrinam, æquè manifeſto errori obnoxiam, ac ſtatui Religioſo ab Eccleſia approbato detrahentem. De petulantia judicet Lector ex articulis ex ea decerptis, & ex Alexandro Natali hiſt. Eccleſiaſticæ tom. 8. fol. mihi 90. potiſſimùm exſcriptis, uti ſequuntur.

1. *Religioſi Mendicantes, etſi à Summo Pontifice, & ab Epiſcopo miſſi ſint, prædicare non poſſunt, niſi à Plebanis fuerint invitati.*
2. *Etſi aliis, quàm Regularibus Viris poſſit committi prædicationis officium, videtur tamen, quod ſalvâ Eccleſiaſtica Hierarchia, Regularibus Viris prædicationis officium committi non poſſit. Igitur ſi Viri Regulares prædicationi ſe immiſceant, videtur, quod non ſint à Deo miſſi, & ideo Pſeudo ſint reputandi ..... Per tales inſtabunt vel inſtant pericula noviſſimorum temporum univerſæ Eccleſiæ.*
3. *De Evangelio non poſſunt vivere.*
4. *Vivere debent de labore corporis.*
5. *Periculum eſt in mendicando; quoniam qui de mendicitate vivere volunt, ſiunt adulatores, detractores, mendaces, & fures, & à juſtitia declinantes.*
6. *Omnia pro Chriſto relinquere, & ſequi Chriſtum mendicando, non eſt opus perfectionis.*
7. *Viro perfecto, poſtquam reliquerit omnia, vivendum eſt operando corporaliter manibus, aut intrando Monaſterium, ubi habeat neceſſaria vitæ.*
8. *Regularibus, quos Eccleſia mendicare permittit, mendicare non licet, cum faciant contra Apoſtolum, & alias Scripturas; & diuturnitas temporis non diminuat peccata, ſed augeat. Quapropter ſi etiam confirmatum eſſet ab Eccleſia per errorem, nihilominus compertâ veritate revocari deberet.*
9. *Invenientur ſeductores iſti inter Chriſtianos apparentes pios, ſtudia litterarum ſemper deditos, aſtutos & ſciolos, in conſiliis dandis famoſos, non tantùm ad præcepta Domini, ſed etiam ad conſilia obligatos; & tales, qui ſapientiores, & ſanctiores in Eccleſia apparebant, propter quod electa membra Redemptoris eſſe credentur, & ideo vehementer, & ſubitò nocebunt Eccleſiæ.*
10. *Illi, qui non invitati, procurant prædicare Plebibus alienis, quod eſt officium honoris, præcipuè in Conciliis, & Synodis, & Conventibus magnis, necnon in Curiis Regum, & Prælatorum, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.*
11. *Prædicatores qui vadunt ad Orthodoxos, qui proprios habent Apoſtolos, ſcilicet Epiſcopos ſuos & Presbyteros, non vadunt ad ſuam Legationem, ſed tantùm ad alienam. Unde non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo. Et ſummè timendum eſt, ne per tales periclitetur Eccleſia, niſi expellantur ab ea.*
12 *Valido Mendicanti facienda non eſt eleemoſyna.*
13. *Mendicans validus graviter delinquit. Ergo qui ſciunter ſe ponit in tali ſtatu, videtur, quod non ſit in ſtatu ſalvandorum.*
14. *Si Frater illius, qui prædicavit, etiam poſt prædicationem petit ab illis, quibus prædicavit, ſimoniam committit: ergo non eſt ei dandum.*
15. *Religioſis non licet procurare, ut ſiant Magiſtri, quia Magiſterium honor eſt.*
16. *Fratres non ſunt admittendi in ſocietatem ſcholaſticam ſæcularium Magiſtrorum, niſi de ipſorum voluntate. Nam cum ſint in ſtatu perfectionis, tenentur ad conſilia. Conſilium autem Domini eſt Matth. 23.* Nolite vocari Rabbi. *Cum ergo velint docere ſolemniter, faciunt, ut vocentur Magiſtri, & ſic vivunt contra Domini conſilium; & ita publicè peccant, & ſcandalizant, & ſic ſunt evitandi.*
17. Præterea in vilium veſtium uſum Guilielmus acriùs declamans, *Religioſos Viros obliquè perſtringere viſus eſt: quamvis quoſdam Regulares ſecundùm Regulam ſuam vilibus indumentis uti debere fateretur.*
18. *Aſſerebat Summum Pontificem non poſſe toti Ordini poteſtatem dare prædicandi, confeſſiones audiendi, & abſolvendi pœnitentes per totum Orbem, & quod Pontificiis privilegiis muniti, ſacra illa munia obire non poſſent abſque licentia Parochialium Presbyterorum.*
19. *Quod Fratribus, ab Epiſcopo, vel Papa canonicè deſtinatis, confeſſus, non ſatisfaciat ſtatuto,* Omnis utriuſque ſexûs. *Nam præceptum eſt Prælatis curam animarum habentibus, quod ipſi agnoſcant vultus pecorum ſuorum, id eſt conſcientias ſubditorum ſuorum. Conſtat autem, quod animos, & actus ſingulorum non poteſt Prælatus conſiderare, nec plenè cognoſcere, niſi audiendo confeſſiones illorum.*
20 *Romanam Eccleſiam carpebat, quod tot Mendicantium Religiones diverſas à tempore Concilii Generalis Lateranenſis III. inventas, æquanimiter toleraret.*
21. *Religioſos Mendicantes velut Pſeudo-Prædicatores, hypocritas, penetrantes domos, otioſos, curioſos, gyrovagos ſugillabat:*

Uſque

Uſque ad Vaticanum Solium clamavit exoticus error; hinc & Summi Pontifices Innocentius IV. & præſertim Alexander, pariter IV. Mendicantium cauſam, ſuam putàrunt, eamque pluribus litteris Apoſtolicis contra refractarios protexerunt.

Diplomata quidem Innocentii, temporum vel incuria vel injuria ita diſtraxit, ut ea reperire Scriptori nulli hucuſque datum ſit; illa tamen, & quidem primum, Kalend. Julii MCCLIV. ſecundum verò VII. Kalend. Septembris ejuſdem anni emanâſſe, Gonzaga 1. parte apud Boulæum tom. 3. hiſt. univ. Pariſ. pag. 254. notat, qui, & aliud paulò antiquius Diploma, quo idem Pontifex FF. Prædicatoribus, & Minoribus gradus honoris in memorata facultate communes eſſe ſancivit, à ſe perlectum teſtatur. Litteras econtra Alexandri IV. tum in tom. VIII. hiſt. Eccleſ. P. Alexandri Natalis loco ſupracitato, tum in Waddingo tom. IV. Annal. fol. 18. & ſeq. tum in Martyrologio Franciſcano Arturi fol. 14. & ſequent. per extenſum videre eſt, quarum principaliores præſenti notæ ſubnectentur, ut Lector in materia, in qua invidia veritatem dolis, & religioſam virtutem calumniis proſcidit, judicium ſuum in ſummi Sacerdotis, & Vicarii Chriſti verbis fundare valeat. Præter—& ante litteras, Alexander Papa librum de periculis noviſſimorum temporum ad cenſoriam clepſydram à quatuor S.R.E. Cardinalibus, quorum virtutem par doctrina ornaverat, appendi juſſit. Perverſa in illo contineri hi Sanctiſſimo retulêre, hinc & illum Apoſtolico anathemate confixit, Regem tunc Sanctum Ludovicum, de libri damnatione certiorem fecit, FF. Prædicatores & Minores, tanquam probatos, & acceptos Chriſti Miniſtros regio præſidio commendavit, ac Archiepiſcopis Turonenſi & Rothomagenſi, necnon Epiſcopo Pariſienſi, omnes Magiſtratus, & alios, qui Guilielmi errores ſequerentur, ad palinodiam intra præfixum terminum canendam, & ſchiſmatis partes linquendas admonere mandavit.

Ablegaverat quidem Univerſitas ipſum (ut plures volunt) Guillielmum à S. Amore, Odonem à Duaco, Nicolaum de Barro prædictos, cum Joanne de Gatteville, & Joanne Belin ad Romanum tribunal, tum ut librum de periculis defenderent, tum ut econtra librum, *Evangelium æternum* in fronte dictum, Apoſtolicâ cenſurâ configi curarent: at, dum in eorum appulſu Anagniæ, ubi tunc Summus Pontifex reſidebat, librum Guilielmi *de periculis* ignominioſa flammâ jam combuſtum, & alia deſuper in Pontificia Curia acta mirantes perceperunt, Odo & Chriſtianus Canonicus, tum ſupremâ Papæ auctoritate moti, tum ipſa rei veritate convicti, librum, doctrinam, & Guilielmum in pertinaciæ ſuæ ſenſu adhuc abundantem, jam de Galliæ regno extorrem, ac legendi & prædicandi facultate privatum ejuràrunt. Uſque de ſinceritate illorum converſionis remaneret Documentum, coram Summo Pontifice, Conſtitutionem *quaſi lignum vitæ* à ſe integrè recipi juràrunt, ſeque curaturos ſpoponderunt, ut FF. Prædicatores, & Minores, præſertim Thomas de Aquino, & Bonaventura de Balneoregio ad cœtum, & cathedras Univerſitatis aſſumerentur, aliaque ſervarentur, quæ inſtrumentum perſcriberet, deſuper ſub ſequenti tenore confectum.

In Nomine Chriſti. Amen.

Anno Domini MCCLVI. vigeſima tertia die menſis Octobris, Indictione XV. in Palatio Domini Papæ Anagniæ, Venerabiles Patres, Domini, Honorius Tit. S. Sabinæ Presbyter, & Innocentius S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus, Cardinales, præſentibus, & audientibus me Bernardo de Littera Notario, & teſtibus infraſcriptis, ſcilicet providis Viris, Joanne Archipresbytero Eccleſiæ S. Mariæ de Caſtro Cerveteris, Thomaſio de Rivo-frigido Canonico Casleten. Joanne Presbytero Canonico Capuanen., & quamplurimis aliis ex parte Sanctiſſimi Patris Domini Alexandri Papæ IV., providis Viris, Magiſtro Odone de Duaco Theologicæ facultatis Doctore, & Chriſtiano Canonico Belluacen. in eorum præſentia conſtitutis, qui etiam octavo decimo die menſis ejuſdem juraverunt corporaliter coram eiſdem Dominis Cardinalibus, & me prædicto Bernardo Notario, ſtare præcisè mandatis dicti Domini Papæ, in virtute præſtiti juramenti, mandaverunt: Primò ſcilicet, quod ſalvis aliis mandatis, quæ eidem Domino Papæ ſemel, vel pluries ipſis Magiſtris mandare placuerit, & ſalvo, ſi circa infraſcripta idem Dominus aliter ordinaret, ipſi Magiſtri, quantùm in eis eſſet, ex tunc reciperent, & publicè Pariſius recipient, cum ibi fuerint; ex tunc obedirent, & obedient impoſterum ordinationi Domini Papæ, quæ incipit: Quaſi lignum vitæ &c. *Et quod contra eam ſcienter non venient, nec contradicentibus ordinationi prædictæ, in contradicenda auxilium vel conſilium præſtabunt publicè, vel privatè. Secundò, quod Fratres Prædicatores, & Minores Pariſius degentes, Magiſtros & Auditores eorum, & ſpecialiter, ac nominatim Fr. Thomam de Aquino de Ordine Prædicatorum, & Bonaventuram de Ordine Minorum, Doctores Theologiæ ex tunc, quantùm in eis eſſet, in ſocietatem ſcholaſticam, & ad Univerſitatem Parienſem reciperent: & expreſsè Doctores ipſos reciperent ut Magiſtros, & quod cum Pariſius fuerint, facient publicè illud idem: Ipſoſque juxta ordinationem prædictam, ab Univerſitate, ſeu Magiſtris & Scholaribus Pariſius commorantibus, procurabunt recipi bona fide, & contra prædicta nunquam præſtabunt conſilium vel aſſenſum. Tertiò, quod ſcienter juramenta, ſtatuta, vel obligationes non facient, ſeu à Religioſis, vel aliis exigent, vel quantùm in eis fuerit, exigi permittent, per quæ, vel per quos infringatur ordinatio ſupradicta, ſeu contra eam modo quolibet veniatur. Quartò, quod non procurabunt, nec non, quantùm in eis erit, fieri permittent, quod Pariſienſe ſtudium abſque licentia Domini Papæ, occaſione cujuſcunque prætenſæ turbationis ſeu facti, diſſolvatur, ſeu alio transferatur. Quintò, quod tam in Romana Curia, quam Pariſius bona fide, ac ſine fraude, non adjiciendo aliquid ſcienter, quod ſapiat aliquid contrarium principaliter, vel conſequenter; ſed iſta quæ eis in hoc articulo injunguntur, prædicent publicè, & in Civitate Pariſienſi pluries, & in diverſis locis, & aſſeverent fideliter in ipſis prædicationibus infraſcripta: ſcilicet, quod reprobent libellum in ipſis prædicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontificem condemnatus, & errores in ipſo contentos, qui ſunt contra infraſcripta, quæ in ipſis prædicationibus aſſerant, & affirment,*

vi-

Digitized by Google

videlicet: de poteſtate Romani Pontificis, quod poſſit Prædicatores, & Confeſſores mittere ubique per mundum, juxta ſuæ beneplacitum intentionis, ſine conſenſu inferiorum Prælatorum quorumcunque, ſeu Parochialium Sacerdotum. Item quod Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus licentiam dare poſſunt prædicandi, & confeſſiones audiendi ſine conſenſu inferiorum Sacerdotum, vel Rectorum Eccleſiarum, cum viderint expedire; quodque Prædicatores & Confeſſores ſic miſſi, poſſunt liberè prædicare, & licitè confeſſiones audire, ac abſolvere pænitentes. Item de Mendicitate, quod ſtatus mendicitatis fundatæ per Chriſtum, eſt ſtatus ſalutis & perfectionis. Item quod Religioſi pauperes, qui omnia relinquunt propter Chriſtum, licitè & meritoriè poſſunt mendicando acquirere victum ſuum ſine labore manuum, etiamſi ſint validi corpore, maximè qui ſtudent Verbo Dei legendo, diſputando, prædicando. Item, quod ea, quæ continebantur in libello prædicto, & quibuſdam articulis à Magiſtro Chriſtiano præfato confectis, qui explicitè vel implicitè videbantur, ſeu poterant in prædictorum Ordinum infamiam redundare, ſicut de Pſeudo-prophetis, & Apoſtolicis, & de Nunciis Antichriſti, de penetrantibus domos, & periculis noviſſimorum temporum, non intelligunt, nec intellexerunt de Fratribus Ordinum Prædicatorum & Minorum, quod tales ipſi ſint, vel fuerint, vel etiam ſint futuri: ſed fateantur, ipſos Ordines eſſe bonos, & ab Eccleſia approbatos. Et inter cætera aſſerant & affirment, quod Deus hoc ipſum per manifeſta indicia noſtris temporibus comprobavit: nonnulla miracula, ſcilicet, quæ per Sanctos utriuſque Ordinis, Sanctorum catalogo per Romanam Eccleſiam canonicè, legitimè, fideliter, ac rite adſcriptos, eſt miſericorditer operari dignatus. In cujus rei teſtimonium ego præfatus Bernardus, Apoſtolicæ Sedis auctoritate Notarius, qui præmiſſis rogatus interfui de mandato dictorum Dominorum Cardinalium, hoc præſens publicum inſtrumentum propria manu ſcripſi, ac in publicam formam redegi, & ſignum meum appoſui.

Exul ea tempeſtate in patrio S. Amoris Oppido cunctabatur Guillelmus, & culto cum amicis litterarum commercio, ſe Pariſios revocari nitebatur. Eapropter Summus Pontifex per litteras *Indignanter accepimus*, jurgioſum illum appellavit, per alias incipientes *Multorum relatione*, Academicis omne commercium cum illo interdixit, & Epiſcopo Pariſienſi, ut Rectorem, & Magiſtros Univerſitatis ad recipiendos FF. Minores & Prædicatores, præfixo quindeniali termino compelleret, & exemplaria libri *De periculis*, alia famoſa opera vulgari ſermone edita cum rithmis & cantilenis publicè cremari curaret, & Guillelmum Picardum, Scholarium Bedellum, qui alium librum ſatyris & cachinnis refertum, Thomâ de Aquino in Dominica Palmarum concionante in conſpectu Cleri & populi contra Epiſcopum Pariſienſem, Fratres Prædicatores, & Minores evulgaverat, Bedellionatûs officio in perpetuum privaret. Pacatis poſt mortem Alexandri IV., ac Urbani pariter IV. nonnihil diſſidiis, Guilielmus Pariſios rediit, ſuum *De periculis* librum ad meliorem formam redegit, & ex veteri opere confecit novum, ac intitulatum: *Collectiones Catholicæ & Canonicæ Scripturæ ad inſtructionem, & præparationem ſimplicium Chriſtifidelium contra pericula imminentia Eccleſiæ generali per Hypocritas, Pſeudo-Prædicatores, & penetrantes Domos, otioſos, curioſos, & gyravagos.* Quo dum ille maculas ſcandali tegere quæſivit, docta fictione pertinacem primi erroris memoriam in ſe probavit. Verſipellem advertit Papa Clemens IV. cui dictum librum miſerat, palliatæ reſipiſcentiæ ſcopum, hinc & per litteras incipientes *Si circa veritatis* eum deſuper patentes arguit, & ſub nova libri facie veterem vultum retineri renuntiavit, librumque Joanni de Vercellis Magiſtro Ordinis Prædicatorum ſexto, & hic Thomæ Aquinati conſignavit.

In ſua pertinacia Guilielmum, poſt litteras quidem Clementis quietum, ſed malè 13. Septembris 1272. obiiſſe ſcribit Marianus cap. 22., eumque inter hæreticos Prateolus *de hæret.* Caſtro, *verbo paupertas*, Sanderus, Waddingus tom. 3. Annal. fol. 248. Joannes Sianda in Lexic. Polemico verbo Guilielmus part. 1. fol. mihi 314. col. 2. reponunt, dum econtra ab hac nota eum excuſat Alexander Natalis in ſua hiſt. Eccleſ. fol. 93. tum quod propoſitiones ejus non ceu hæreticales, ſed erroneæ, ſcandaloſæ, temerariæ &c. proſcriptæ fuerint, tum quod ſe, & ſua ſcripta judicio Eccleſiæ ſubmiſerit, & in hujus communione tum vixerit, tum mortuus fuerit, tum quod Papa Clemens ad eum ſcribens, *Dilecti Filii* titulo, quo hæretici à Matre Eccleſia inſigniri non ſolent, eum (quod tamen ab aliis non aſſeritur) appellaverit, tum quod Guilielmus *de Naugis* librum Anagniæ combuſtum afferat, non propter hæreſim, quam contineret, ſed quia contra præfatos Religioſos ſeditionem, & ſcandalum concitabat: librum tamen ejus *iniquum*, *ſceleſtum*, *execrabilem*, *& inſtructiones*, *& dogmata in eo tradita*, *prava*, *falſa & nefaria*, in Scholiis fol. 94. apertè memorat. Zelatores contra Guilielmum eo tempore viventes Thomas Aquinas libro *adverſus impugnantes Religionem*, & Bonaventura à Balneoregio libro *De paupertate Chriſti*, *& Apologia pauperum* egerunt, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor, reperitur nullus, qui fuſiùs doctrinam Guilielmi exoticam non perſtringat, quos in Arturo loc. cit. fol. 18. longiore ſerie recenſitos videre licet;

Eundem Guilielmi librum anathemate confixum, Regi Ludovico renuntiat, Ordineſque FF. Prædicatorum & Minorum regio præſidio commendat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Chariſſimo in Chriſto Filio, illuſtri Regi Franciæ, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

VEri ſolis radius in Te verè ſulgere conſpicitur, qui depulſis penitùs pravis actibus, in lucis operibus delectaris: qui vitatis omnino noctis tenebris, in diei lumine ambulas, borrendo vitia, & amplexando virtutes, fugiendo à noxiis, & ſalutaribus inhærendo. Revera clarent in Te firma Fides, & pura devotio erga cœleſtem Regem: cujus dono Regnum terrenum noſceris obtinere, dum ſic ejus beneplacitis Te coaptas, quod ad eum dirigens mentem tuam, & in ipſum in tuis actionibus conſtituis fundamentum: ad illa tuum libitum convertis & ſtudium, quæ in ejus conſpectu ſunt placita, ſibique delectabilem referant ſuavitatem odoris, in benignitate, clementia, miſericordia, & charitatis ſubſidiis Te principaliter exercendo. Sed, etſi hæc in perſona tua velut ſydera luminoſa reſplendeant, eſt tamen ibi aliud, quod ampliori fulgore rutilat, & ſicut luminare majus, & alius præfert jubar, quaſi ſolis immittens majeſtatem: illa videlicet ardens, & lucens charitas, qua Perſonas Religioſas & divinis mancipatas ſervitiis, gratioſè proſequeris, eas tenerè diligendo, favore muniendo regio, multis beneficiis confovendo, amplectendo converſationem ipſarum, & eas in tua familiaritate ſpecialiter retinendo. Inter quas dilectos Filios Fratres Prædicatores, & Minores tanquam perfectos Chriſti ſervos, cultores Fidei eruditos, & prudentes, ac providos conſiliarios animarum, tuæ manſuetudini præcipui amoris vinculo adſtrinxiſti. Certè congruit & expedit, quod Princeps tam Catholicus familiares habeat tam electos, quod in ipſius munda & nitida Curia, viri ſive nota & macula converſentur; quodque Domus ejus generali præconio laudata per orbem, etiam ex ſamulorum & Miniſtrorum Domini ſocietate ac præſentia commendatur. Horum namque Fratrum clari Ordines jam dudum à Sede Apoſtolica, ſicut ſacri & conſpicui approbati, velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Eccleſia Dei lucent: quoniam ab his Sanctæ Doctrinæ lumen ubique per mundum copioſè diffunditur, ab his Chriſti Evangelium audenter & efficaciter prædicatur: ab his recta & ſana conſilia, & exempla ſalutaria exhibentur. Convenienter itaque Regia Serenitas in tam proburum Virorum, & Religioſorum tam illuſtrium conſortio jucundatur; quia ex hoc ipſius & merito creſcit ſama, & Principibus aliis ad honeſtum, maxima eſt index. De tanta ergo benevolentia & gratia, quam eiſdem Fratribus ſincerè oſtendis & exhibes, Celſitudinem tuam multipliciter in Domino commendantes, dignas Tibi deferimus gratiarum actiones: recognoſcentes Nos fore Tibi de boc ſpecialiùs obligatos: quia Tu es ipſis in neceſſitate ſubſidium, contra moleſtias tutum præſidium, & in adverſitate ſui ſtatûs ſolidum firmamentum. Sanè dilectos Filios J[o]annem & Petrum, Clericos & Nuntios tuos, quos ad Sedem Apoſtolicam deſtinâſti, affectuosè recepimus, & in bis, quæ propoſuerunt & petiverunt ex parte tua, pro eiſdem Fratribus, benignè ipſos audire curavimus, & efficaciter exaudire. Et ecce libellum illum pernicioſum & deteſtabilem, quem quidam Sacræ Scripturæ intelligentiam ſe habere fateutes, ſed divertentes à tramite recti ſenſûs, contra Chriſti pauperes, vitæ ſuæ ſubſidia ſalubriter mendicantes, componere præſumpſerunt, delatum ad Nos per eoſdem Nuntios, tanquam iniquum, ſceleſtum & execrabilem, & inſtructiones ac documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nefaria, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, præſente magna fidelium multitudine, reprobanda duximus, & in perpetuum condemnanda. Diſtrictè præcipientes, ut quicumque libellum illum habuerit, eum infra octo dies, ex quo bujuſmodi noſtram reprobationem & condemnationem ſciverit, prorſus deſtruere & abolere procuret: & in illos, qui hujus noſtri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis ſententiam promulgantes, firmiter in virtute obedientiæ prohibendo, ne quiſquam prædictum libellum ore Apoſtolico jam damnatum, approbare, vel quomodolibet defenſare præſumat: & ſi præſumpſerit, tamquam contumax, inobediens & rebellis Romanæ Eccleſiæ, ab omnibus fidelibus babeatur: ſicut hæc omnia litteris noſtris de prædicta reprobatione ac condemnatione confectis, quas Tibi traſmittimus, pleniùs continetur. Ideoque Magnificentiam tuam, omni, qua poſſumus affectinne rogammus, quatenus memoratos Fratres, conſueta benignitate ac gratia proſequaris: eos tanquam p[r]obatos & acceptos Chriſti Miniſtros babeas attentiùs commendatos, & ab injuriis & mole-

ſtiis

ſtiis protegas & præſerves, ita, quo tuo ſecuri munimine, quietam & gratam in Domino impendere valeant ſervitutem.

Datum Anagniæ Decimo ſexto Kalendas Novembris Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Waddingus tom. 4. Annal fol. 28. Arturus in Martyrol. Franciſc. fol. 15.

Mendicitatem & ſtatum Religioſum FF. Prædicatorum & Minorum denuo commendat, &, ut Eccleſiæ Prælatis contra refractarios procedentibus, potenti auxilio aſſiſtat, à Rege prædicto requirit.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

NOn ſine multa cordis amaritudine, animique turbatione audivimus, quod nonnulli Magiſtri & Doctores, ac alii acuentes linguas ſuas, & venenum aſpidum gerentes ſub labiis ad infamiam, gravamen, & diſpendium innocentûm, illud in ſugillationem & læſionem dilectorum Filiorum Fratrum Prædicatorum, & Minorum nequiter vomuerunt. Et licèt ipſos diſtinctè non nominaverint, nec vocabulis propriis expreſſerint, eos in quibuſdam verborum involutis & certis & cautis circumlocutionibus apertiùs innuerunt; ita quod ex talibus eorum dictis manifeſtè, tamquam expreſſim illos nominâſſent, innotuit, quod de ipſis Fratribus loquebantur. Fuderunt, inquam, virus, & contra eos in ſcholis, prædicationibus, & alibi aſſerere præſumpſerunt, quod in ſtatu, & via ſalvandorum non erant, nec meritoria, nec ſalutifera exiſtebat eorum mendicitas & paupertas, cum deberent valetudini corporali, & aliis juſtis impedimentis ceſſantibus, propriis manibus operari, ſub ſpe alieni ſubſidii non torquendo, nec pro ſubſtentatione, vel neceſſariis extranea mendicando ſuffragia, ſeu ab aliis vitæ adminicula exſpectando; quodque de licentia, vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu Diœceſ. Epiſcoporum prædicationis exercere officium, vel confeſſiones audire liberè non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus parochialibus præjudicium inferrent, ac alia nihilominus prava & iniqua, in detractionem eorum, & ſuorum Ordinum derogationem, ora maliloqua relaxando.

Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum à Sede Apoſtolica, ſicut ſacri, clari, & conſpicui, approbati, ex quibus jam nonnulli Fratres ad ſupremam provecti Patriam in ſanctorum numero ſunt aſcripti, & velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Eccleſia Dei luceant, ac ab ipſorum Fratribus & Cultoribus Sacræ Doctrinæ lumen diffundatur ubique per orbem, Chriſti Evangelium ardenter & efficaciter prædicetur, ac recta & ſana conſilia, & exempla ſalutaria præbeantur; cum etiam dicti Fratres Sacræ Scripturæ, ac verbi Dei ſtudio, & animarum profectibus, necnon Divinis Officiis & orationibus inſtanter & inceſſanter intendant, nequaquam marcentes otio, ſed opere ſe optimo & potiſſimo exercentes, cum ſapientia opus exiſtat maximum, nec ſint pluris, & qui operantur exteriùs, quàm qui ſtudium cognoſcendæ divinitatis exercent; unde & Dominus, miniſtrante ac operante Martha, Mariæ audientiam, & ſtudium circa verbum ipſius præcipuè commendavit. Ex quo liquidò patet, Fratres ipſos ad operandum ſuis manibus non teneri. Quinimo ſi iis intermiſſis, laborarent manibus, potiora utique ac utiliora in minora, minuſque utilia opera, non ſine animarum diſpendio commutarent.

Cum inſuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando; propter quod evidenter apparet, eos in ſtatu ſalvandorum exiſtere & per ſuæ Religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius perfectionis evangelicæ tenet formam, æternæ retributionis præmia præcellentem gloriam promereri. Cum etiam de licentia, vel commiſſione aut conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum licitè poſſint prædicare populis, & Confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere ſalutares, Venerabilibus Fratribus Noſtris Turonenſi, & Rothomagenſi Archiepiſcopis, & Epiſcopo Pariſienſi damus noſtris litteris, in virtute Obedientiæ, firmiter in præceptis, ut omnes Magiſtros, Doctores, & alios, ſive qui in ſcholis, ſive in prædicationibus, ſive alibi, præmiſſa dicere attentaverint, ex parte noſtra monere procurent, ut infra certum terminum ab ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopo præfigendum eiſdem, dictum ſuum in his publicè revocent, malè ſe dixiſſe fatentes, illaque deteſtentur penitùs, ac retractent, aſſeverando conſtanter contrarium, illud etiam fideliter prædicando. Quod ſi non fecerint,

Digitized by Google

ex tunc contra eos, ad ſuſpenſionis, excommunicationis, & perpetuæ privationis beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum ſententias, ſublato cujuslibet appellationis obſtaculo, efficaciter procedere non omittant, laicos de hoc culpabiles, vel fautores hujuſmodi præſumptorum, animadverſione debita pereellentes. Ideoque Celſitudinem tuam affectuosè requirimus, & rogamus, quatenus prædictis Archiepiſcopis, & Epiſcopo, cum ab eis fueris requiſitus, tuum favorem & auxilium magnificè largiatis, ita quod Tua eis favente potentia, mandatum Apoſtolicum ſibi directum efficaciter exequi valeant, & Nos Magnificentiam tuam exinde dignis in Domino laudibus commendare poſſimus.

Datum Anagniæ decimo quarto Kalendas Novembris Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Waddingus loco cit. fol. 29. Arturus loco & folio prædictis.

N O T A.

Litteras ſuas Archiepiſcopis, & Epiſcopo prædictis inſcriptas, Pontifex eodem, quem hæ exprimunt, Zeli planctu incapit, eas ſub duodecimo Kalendas Novembris ejuſdem anni ad alios Galliæ Antiſtites extendit, omnibuſque harum executionem injunxit. Monuit & Univerſitatem Magiſtrorum, & Scholarium hoc eodem anno Litteris ſub decimo quinto Kalendas Decembris ſignatis, & incipient. *Pariſius peritiæ &c.* ut, ſemina Doctrinæ duos Ordinas mordentis ſupprimerant, & infirmatum pacis vinculum, charitatis nexu denuo corroborarant. Dedit ſucceſſivè & alias litteras, quibus tum Guilielmo regreſſum ad partes Franciæ à Rege inhiberi popoſcit, tum Epiſcopo Pariſienſi contra Pontificium præceptum agentem, ceu perjurum & excommunicatum denuntiari mandavit. Has autem extensè hic addere, ſupervacaneum videtur, cum in Waddingo, Arturo hiſtoria Eccleſiaſt. facilè reperiantur, & controverſiæ initium, Guilielmi dolos, & illius finem contineat ſequens.

Fidem de Sacris D. P. Franciſci Stigmatibus ſuo teſtimonio firmat, & ab aſſertione contrarii Fideles retrahit.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

Grande, ac ſingulare miraculum, quo Beatum Franciſcum ipſe Sanctorum Splendor, & Gloria Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter decoravit, fel. rec. Gregorius Papa IX. prædeceſſor noſter, clara inſinuatione literarum expreſſit; videlicet, quod idem Sanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſummavit, in manibus, latere, ac pedibus, ſpecie Stigmatum divinitùs extitit inſignitus. Cum igitur tam inſigne amoris Divini ſignum, qnod utique ante ejus obitum patuit, & Nobis etiam tunc notum fuit, eodem prædeceſſore in minori adhuc officio conſtituto, ab omnibus Chriſticolis credi firmiter cupiamus, devotionem veſtram rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungendo, quatenus ab aſſertione contrarii, quæ nonniſi ex cordis malignitate procederet, aurem, & mentem penitùs avertatis: reddentes vobis eundem Sanctum dignâ veneratione propitium, apud Deum, ut adjuti precibus ejus & meritis, felicitatis æternæ poſſitis participium obtinere.

Datum Anagniæ, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Monum. Ordin. fol. 29. Rodriq. in Bullar. fol. 30. col. 1. Wadding. tom. 4. Annal. fol. 71. en Speculo &c.

De malè acquiſitis, & incertis, Fratribus Minoribus donata ab iis recipi poſſe indulget.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

FElicis rec. Innocentius Papa Prædeceſſor noſter, & Nos poſtmodum adinſtar ipſius, dilectis Filiis Magiſtro, & Fratribus Domûs militiæ templi Hieroſolymitani, pro exoneratione debitorum, quibus teneri dicantur, ut de uſuris, rapinis, & aliàs quocunque modo illicitè acquiſitis, quæ Chriſtifideles mandant reſtitui in ultima voluntate, vel dum vivunt, etiamſi ſoſpitate fruuntur, reſtituere ſunt parati: ſi quibus ipſorum reſtitutio fieri debeat, omninò inveniri non poſſint: nec non de legatis indiſtinctè in pios uſus relictis, non expreſſis locis aliquibus, vel perſonis, uſque ad decem millia marcarum argenti, ubique locorum extra Regnum Alemaniæ recipere valeant: per Apoſtolicas, ſub certa forma, litteras dicimur conceſſiſſe, diverſis ſuper hoc eis executorialibus deputatis. Verùm quia ſicut intelligimus dicti Magiſtri, & Fratres ſuper præmiſſis, quæ ſive vobis, ſive depoſitioni, ſive ordinationi alicujus, vel aliquorum ex vobis quomodolibet relinquuntur, ſeu ſi executores decedentium de talibus eorum diſpoſitioni relictis, vobis velint aliqua elargiri, Vos occaſione conceſſionis hujuſmodi inquietant multipliciter, & moleſtant. Nos volentes paci, & tranquillitati veſtræ, paterna ſuper hoc ſollicitudine providere, vobis univerſis, & ſingulis, ut ſuper tales litteras prædictis Magiſtris, & Fratribus, ab Apoſtolica Sede conceſſas, nullum vobis veſtroque Ordini præjudicium generetur, quin eiſdem litteris nequaquam obſtantibus, ea, quæ de præmiſſis vobis, & ipſi Ordini relinquuntur, & ab executoribus decedentium exhibentur, recipere, ac de iis, quæ veſtræ committuntur diſpoſitioni, ordinare, ac diſponere liberè valeatis, auctoritate præſentium indulgemus, prædicto Magiſtro, & Fratribus, ac etiam executoribus eorundem in virtute obedientiæ diſtrictiùs inhibentes, ne vos, vel veſtrûm aliquos prædictarum litterarum prætextu, moleſtare contra hujuſmodi tenorem inquietare, ſeu quomodolibet perturbare præſumant. Nos enim nihilominus omnes excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti ſententias, quas per eoſdem executores in vos, vel veſtrûm aliquos occaſione hujus promulgari contigerit, decernimus irritas, & inanes. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii decimo ſeptimo Kalendas Novembris Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Monumenta Ord. fol. 26. Speculum fol. 8. Waddingus tom. 4. Annal. fol. 72.

N O T A

HOc idem & aliis ejuſdem Summi Pontificis confirmatum eſſe litteris, quarum ſequens eſt tenor:

A L E X A N D E R E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I.

Univerſis Executoribus teſtamentorum, præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum fuit propoſitum coram Nobis, quod cum aliqui veſtrûm de malè ablatis, & illicitè acquiſitis, quæ fideles neſcientes, quibus horum reſtitutio fieri debeat, nec non de iis, quæ iidem fideles indiſtinctè, non expreſſis perſonis vel locis, veſtro arbitrio, ſeu de conſilio alicujus, per vos in pios uſus eroganda committunt, velint eorumdem Fratrum indigentiis providere: nonnulli Eccleſiarum Prælati, nec Hoſpitalis, & militiæ Templi Hieroſolymitani, ac etiam militiæ S. Jacobi Domorum Magiſtri, & Fratres, & alii, pro quibus ſuper obtinendis ab eis certis quantitatibus legatorum, hujuſmodi litteras noſtras direxiſſe dicimur: per Executores ſibi ſuper hoc deputatos à Nobis impedire procurant, ne prædictorum FF. Minorum indigentiis, de prædictorum legatis per vos valeat ſubveniri; propter quod duxerunt ad Apoſtolicæ Sedis auxilium recurrendum.

Cum

Cum igitur noſtræ intentionis non fuerit, nec exiſtat, per hujuſmodi litteras providendi eiſdem Fratribus, de prædictis legatis vobis adimere facultatem: Univerſitati veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut, non obſtantè contradictione prædictorum Executorum, eiſdem Fratribus Minoribus, de prædictis legatis providere poſſitis, prout eorum neceſſitatibus videritis expedire.

Nos enim interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententias, ſi quas per Executores eoſdem in aliquos veſtrûm, vel Fratres prædictos, ſeu quoſcunque alios, occaſione hujuſmodi contigerit promulgari, decernimus irritos, & inanes.

Datum Anagniæ Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Monumenta Ord. fol. 28. à tergo. Waddingus *tom. 4. Annal. fol. 72. Rodriquez in Collect. fol. 29. col. 2.*

De iis, quæ Fratribus Minoribus pro ornamentis Eccleſiæ, libris, fabricis, pitantiis &c. legantur, canonicam portionem exigi prohibet.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PIum eſt, & conſonum æquitati, ut vos, qui abnegantes ſalubriter voſmetipſos, elegiſtis in paupertate, Chriſto pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes, illius intuitu, cujus Vicarii ſumus, illa proſequamur gratia, per quam cultus ejus ampliari valeat, & paupertas veſtra in aliquo relevari. Hinc eſt, quod Nos neceſſitatibus veſtris paterno compatientes affectu, ut de iis, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, aut fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſive aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pitantiis ad ſuſtentationem veſtram, aut indumentis veſtris, vobis legantur, nulli canonicam juſtitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere, devotioni veſtræ auctoritate præſentium indulgemus.

Diſtrictiùs inhibentes, ne quis à vobis de præmiſſis aliquid exigere, vel extorquere præſumat: & ſententias omnes excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſi quas vos, vel aliquem veſtrûm, ſeu Executores teſtamentorum, vel hæredes decedentium, ſeu benefactores veſtros, communiter, vel diviſim per quoſcunque contra hujuſmodi conceſſionem, & inhibitionem noſtram contigerit promulgari, decernentes irritas. & inanes. Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Anagniæ decimo tertio Kalendas Februarii, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Speculum fol. 7. Waddingus *tom. 4. Annal. fol. 119.*

Fratres Minores in rebus ad Ordinem pertinentibus pacta, obligationes, compoſitiones &c. faciendas, abſque Superiorum licentia facere non poſſe ſancit, & taliter initas nullas declarat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio, Generali Miniſtro Fratrum de Ordine Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedict.

MEnte ſolita debent à Nobis illa corrigi, ac etiam in irritum revocari, ſi non ſolùm juri contraria, ſed piis locis quamplurimum ſunt nociva. Sanè lecta coram Nobis tua petitio continebat, quod ſicut Fratres Ordinis tui ex ſtatuto, ſeu conſuetudine ipſiut Ordinis, abſque tuo, & ſuorum Provincialium Miniſtrorum aſſenſu, nullas ſuper his poſſint compoſitiones facere, quæ ad eundem noſcuntur Ordinem pertinere: nonnulli tamen Guardiani, Cuſtodes, & Fratres ipſius Ordinis pro redimendis vexationibus, quæ ſibi à religioſis Perſonis, & Clericis ſæcularibus, ſæpeſæpius inferuntur: diverſas cum eis compoſitiones & pacta, obligationibus interpoſitis, & adjectis conditionibus, ſuper locis ad dictum Ordinem pertinentibus, eorumque cœmeteriis ſine ſuâ, & ipſorum Miniſtrorum licentiâ, ſunt inire coacti, quare pro

par-

parte tuâ humiliter petebatur à Nobis, ut cum compoſitiones, pacta, conditiones, & obligationes hujuſmodi reduodent in grave detrimentum Ordiois memorati, ſubvenire ſuper hoc paternâ diligentiâ curaremus. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati compoſitiones, conditiones, obligationes, & pacta omnia quocunque nomine cenſeantur, quæ ſuper præmiſſis abſque tua, & dictorum Miniſtrorum Provincialium licentia & aſſenſu, contra hujuſmodi prædicti Ordinis ſtatutum, vel conſuetudinem taliter inita eſſe noſcuntur, cum ſint temeraria penitùs & indigna, præſentium auctoritate irrita decernimus, & oullius exiſtere firmitatis, ac Miniſtros, Guardianos, Cuſtodes, & Fratres eoſdem, ad eorum obſervantiam non teneri. Nulli ergo &c.

Datum Anagniæ ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

*Monumenta Ord.fol.26. à tergo. Rodriquez in Collect. Bull. fol.37. col. 2. Wadding. tom.4. Annal. fol.*488.

Sacra Stigmata S. P. Franciſci impugnantes, vel ea de imaginibus illius aboleri mandantes, excommunicationi ſibi reſervatæ ſubjicii, ac in alios alias pœnas decernit.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis per Caſtellæ & Legionis regna conſtitutis, præſentes litteras inſpecturis, ſalutem &c.

QUia longum eſſet nedum exarare per ſingula verborum, ſed etiam ſuccincta relatione perſtringere clara divinæ virtutis prodigia, quæ tam in operationibus ſanctitatis, quàm etiam in aliis mirabilibus argumentis, probaverint, B. Franciſcum Chriſti Confeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriæ in excelſis, ſignanter Vobis &c. ut ſuperiùs in Bulla: *Benigna operatio divinæ voluntatis &c.*. *Reſiduum vide ſupra fol.*33.. Cum igitur oportuerit & oporteat cavere prudenter, ne tanti patrocinii cælitus in memorato Confeſſore collata gratia in vacuum aſſumatur: Vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per noſtras litteras dediſſe meminimus in mandatis: ut ejuſdem Confeſſoris pretioſa merita & miracula magnalia, & ſalutarem memoriam celebritate annua, prædicatione frequenti, & veneratione aſſidua recenſentes, ad ipſius devotionem gratiæ divinæ meritoriam ſubditos veſtros celebribus exitare monitis curaretis, ut eo, pro univerſo fidelium populo, ac præſertim pro his, qui eum invocaverint, divinam miſericordiam implorante, mereantur ſupplices, quod operum ſuorum poſſibilitas obtinere non poteſt, ejus interceſſionibus impetrare. Mandavimus etiam, ut nullus eidem Sancto auderet eſſe moleſtus, in corpore ſuo Chriſti Ieſu triumphalia ſtigmata præferenti. Si quis verò ſpiritu temerariæ præſumptionis inſanieos, divini muneris invidus, & Apoſtolici judicii ſacrilegus impugoator, præmiſſa, vel alia prodigiorum ſigna, quibus in Eccleſia Dei Sanctitas prædicti Confeſſoris eluxit; improbæ contradictionis morſibus crederet obtrectanda: voluimus & maodavimus, ut eum ſanæ meoti reſtitueret judicialis ſeveritas diſciplinæ. Ita quod diſtrictâ Prælati proprii caſtigatione correptus, Dei opera blaſphemare deſiſteret, & fidei Catholicæ fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans, non areret. Verùm poſt hujuſmodi ooſtras exortatiooes & litteras, ex relatione quorumdam fide dignorum, dolentes referimus & conturbati, quod nonnulli Religioſi, & Clerici ſæculares de Caſtellæ & Legionis regnis circa dictum Confeſſorem condignam reverentiam gerere contemnentes: quandoque in publico, & frequenter eſſerunt in occulto, quod idem Cooſeſſor non habuerit ſtigmata memorata. Ipſi etiam in tantam prorumpunt inſaniam, quod de imagine Confeſſoris ejuſdem, ubiconque illam depictam inveniunt, ſtigmata ipſa damnabiliter abolent, & faciunt aboleri, prohibendo Pictoribus ne præfatum Confeſſorem cum ſtigmatibus depingant eiſdem, propter quod ipſius Confeſſoris honori & devotionî fidelium multùm admittitur, ac venerandæ Religioni dilectorum filiorum Fratrum de Ordioe Minorum graviſſimè derogatur. Cum itaque ſuper his ad honorem Altiſſimi opportunum per Nos deceat remedium adhiberi, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut omnes de Regnis prædictis, qui de imagine Confeſſoris ejuſdem, hujuſmodi Stigmata aboleverint, ſeu abolere fecerint, & qui prædicaverint dictum Confeſſorem ipſa Stigmata nullatenus habuiſſe, cujuſcunque ordinis vel conditionis exiſtant, eo ipſo ſequeum excommunicationis iocurraot, à qua non poſſint abſolvi, oiſi perſonaliter Apoſtolicam Sedem adeant, ſuper hoc abſolutionis beneficium petituri. Et ſi tales fortè Doctores, ſeu Lectores in Theologia, ſeu quacunque alia facultate fuerint, lectionis ſi Do-

ſi Doctores, prædicationis officiis ſi Prædicatores: ſi verò poteſtatem audiendi confeſſiones habeant, eâ ſint omnino privati, & quilibet ipſorum nihilominus qui hujuſmodi officia, vel poteſtatem ſimul habuerit, ſimilem horum privationem incurrat. Ut autem hujuſmodi præſumptionibus finis deſiderabilis imponatur, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſeriem præſentium omnibus Religioſis, & Clericis ſecularibus exemptis & non exemptis veſtrarum Civitatum & Diæceſum fideliter per Vos, vel alium, ſeu alios exponatis; facientes excommunicationem, & privationem hujuſmodi, appellatione remotâ, firmiter obſervari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Præceptum verò noſtrum in hac parte taliter adimplere curetis, ut injuria, quam Dei Filius in Sancto ſuo ſuper his pati dignoſcitur, cordibus veſtris eſſe moleſtiſſima videatur; ita & per conſequens gratiæ divinæ præmium, & noſtri favoris Vobis proveniat incrementum.

Datum Anagniæ quinto Kalendas Auguſti Pontificatûs noſtri Anno quinto.

Monum. Ordin. fol. 29. Rodriq. Bullor. fol. 31. Wadding. tom. IV. Annal. fol. 105.

URBANUS IV.

Aliàs Jacobus, natione Gallus, patria Trecenſis, Epiſcopus Virdunenſis, Patriarcha Hieroſolymitanus, ac in Orientis &c. partibus Legatus Apoſtolicus, die 29. Auguſti 1261. Viterbii ad Pontificium Eccleſiæ Diadema electus eſt, quod Peruſii 2. Octob. 1264. beatâ morte depoſuit, in Eccleſia S. Laurentii ibidem ſepultus. In Eccleſia inſtituit Solemnitatem Sanctiſſimi Corporis Chriſti: plura pro Monialibus Ordinis Minorum edidit Monumenta; pauciora pro Fratribus; nullum, quod fini meo quadret legale.

CLEMENS IV.

Pariter Gallus, ex Sancti Ægidii Oppido ad Rhodam Ripam ſito: Guido antea vocatus, & nobilis Familia Groſſæ germen: ex Advocato, & Conſiliario Regio Anicienſis Epiſcopus, dein Archiepiſcopus Narbonenſis, ac denuo S.R.E. Cardinalis, & Epiſcopus Sabinenſis factus, Legatione ad Anglos fungens, Viterbii 29. Auguſti, juxta Bollandianum Chronico-hiſtoricum conatum ad catalogum Pontificum fol. 376. *ad Summi Pontificatûs apicem eſt ſelectus, quem & Peruſii 6. Februarii anni ſubſequentis dato ſuo conſcendit aſſenſu, in quo & ſedit uſque ad 29. Novembris 1268. Viterbio, quod Solium gloriæ decrevit, ſolum quoque Sepulturæ in Eccleſia Ordinis Predicatorum dante. Ex pluribus litteris, quibus Ordinem Minorum cohoneſtavit, ſequentes à me ſunt excerptæ.*

In locis FF. Minorum violentiam exercere vetat, & præſumptuoſos excommunicatione ligat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & univerſis Miniſtris, Guardianis, ac univerſis Fratribus de Ordine FF. Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

IN quibuſdam locis aliquando, prout accepimus, perſecutiones, & anguſtias ſu-

ſti-

ſtinctis, ut vix ſit vobis poſſibile, quod ibidem Conditori omnium valeatis, prout cupitis, devotum impendere famulatum; Hinc eſt, quod Nos veſtræ providere quieti, & malignorum malitiis obviare volentes, ut nullus de cætero Eccleſias, aut loca veſtra auſu temerario præſumat infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere, auctoritate præſentium inhibemus. Illi verò, qui Divini Nominis poſtpoſito timore ſecus facere præſumpſerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, à qua non poſſint abſolvi, niſi per Sedem Apoſtolicam, vel per Conſervatores ab ea vobis, aut eidem Ordini deputatos. Nulli ergo &c. noſtræ inhibitionis &c. Si quis &c.

Datum Peruſii tertio Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Monumen. Ord. fol. 105. *Wadding. tom.* 4. *Annal. fol.* 523.

Privilegia Ordini Minoritano, à Summis Pontificibus Prædeceſſoribus conceſſa confirmat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolic. Benedictionem.

VIrtute conſpicuos Sacri veſtri Ordinis Profeſſores, qui contemplationi cœleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicæ circumſpectionis auxilium ſic providè dirigi, & ſollicitè confoveri, ut alicujus prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque Religioſi ſtatûs perferant detrimentum, ſed in his robur, & vigorem habeant, per quæ cultus divini Nominis devotis, & quietis mentibus invaleſcat.

Hinc eſt, quod &c. *Reſiduum hujus Bullæ reperiet Lector in Mari Magno Minorum inferiùs inter Conſtitutiones Sixti IV. cui per extenſum inſerta eſt: reperietque ibidem plures annotationes circa privilegiorum qualitatem adjectas.*

Viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum in die Dedicationis, ac Anniverſario, & Octava ejus, nec non in feſtis B. M. Virginis, SS. Franciſci, Antonii, & Claræ, ac aliorum Sanctorum, in quorum honore Altaria Majora conſtructa ſunt, feſtivitatibus, centum dies de injunctis pœnitentiis annuatim relaxat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, ac Provincialibus Miniſtris, & univerſis Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

LOca Sanctorum omnium piâ & promptâ devotione ſunt à Chriſtifidelibus veneranda, ut, dum Dei veneramur amicos, ipſi nos amabiles Deo reddant, & illorum nobis vendicantes quodammodo patrocinium, apud ipſum, quod merita noſtra non obtinent, eorum mereamur interceſſionibus obtinere. Cupientes igitur, ut Eccleſiæ locorum veſtrorum congruis honoribus frequententur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſias ipſas in dedicationibus ipſarum, ac anniverſario dedicationum earum die, ac uſque ad octo dies ſequentes, nec non in Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Franciſci, Antonii, & Claræ, ac etiam aliorum Sanctorum, in quorum honore Altaria majora in Eccleſiis ipſis ſunt conſtructa, feſtivitatibus, causâ devotionis, venerabiliter viſitaverint, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis, annis ſingulis miſericorditer relaxamus.

Datum Peruſii quinto Idus Octobris Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Specul. Minor. tract. 2. *Rodriq. Bullar. fol.* 41. *col.* 1. *Wadding. tom.* 4. *Annal. fol.* 525. *cit. & noſter à Sorbo part.* 2. *verb. Indulg. fol.* 23. *num. margin.* 6. *Amort. fol.* 129. *col.* 1. *ad ann.* 1265.

Digitized by Google

Defunctis Eccleſiarum prælatis, F. F. Minores obtentis ab iis prædicandi, confeſſiones excipiendi, ac vota commutandi licentiis, uſque ad novi Paſtoris proviſionem uti poſſe declarat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis Filiis, Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem &c.

EXigentibus veſtræ devotionis meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras, quantùm cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod videlicet vobis â nonnullis Patriarchis, Archiepiſcnpis & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis audiendi confeſſiones ſubditorum ſuorum, necnoo prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in ſuis Civitatibus & Diæceſibus licentia ſit conceſſa; quia tamen eiſdem Prælatis decedentibos, uti licentia hujuſmodi, Eccleſiis ſic vacantibus dubitatis: Nobis humiliter ſupplicâſtis, ut providere vobis ſuper hoc, paternâ diligentiâ curaremus. Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in hujuſmodi caſu poſſitis uti tamdiu liberè prædictâ licentiâ, donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſinnis infringere, vel ei auſu temerario cootraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Peruſii tertio Kal. Martii Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Monumenta Ordinis fol. 113. *Rodriq in Bull. fol.* 39. *col.* 1. *Waddingus tom.* 4. *Annal. fol.* 527.

Guilielmo â S. Amore, librum noviter ab eo compoſitum â ſe receptum, & poſt illius examen Pontificia ſenſa ei intimanda eſſe renuntiat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio, Magiſtro, Guilielmo de Sancto Amore.

SI circa veritatis laboras indaginem, ſi cautelas Eccleſiæ colligis ex Scripturis: dum tameo ſobrius inquiſitor exiſtas, & acumen evites ſcandali, oon te credimus arguendum. Sed cavendum eſt tibi, ne præteritorum tuo hæreat animo nimis tenax memnria: & ne ſub doctrinæ ſpecie detractorum colnres inſidias, vel illam objurgationem merearis audire, quâ Paulum tetigit Feſtus dicens: *Te multæ litteræ faciunt inſanire*. Sanè libellum novum evolvere cæpimus, quem miſiſti, qui, licèt interdum alias nras circumeat, veterem tamen multùm ſapit, & cum excuſſus & diſcuſſus, cnloratus in aliquo videatur, totam primi ſubſtantiam comprobabitur retinere. Verùm, quia totum non legimus, nihil tibi poſſumus reſpondere, niſi quod prnvidâ diligentiâ cor tuum munias, ne ſub boni ſpecie te ſeducat, qui se ut, lateat, in Angelum lucis transfigurat. Nos autem, cum legerimus hoc Opuſculum, & aliis Amatoribus veritatis, & eandem intelligentibus communicaverimus, tunc, quod Nobis videbitur, tibi dabimus intimare.

Datum Viterbii Decimo quinto Kalendas Novembris Anno MCCLXVI. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Waddingus tom. 4. *Annal. fol.* 263. *Alex. Natalis Hiſtor. Eccl. tom.* 8. *fol.* 93.

N O T A

INſcriptioni harum litterarum *Alexander* prædictus præponit verba *Dilecto Filio*, ac ex iis Guilielmum hæreticum non fuiſſe, ex parte (uti ſupra fol. 41. dictum eſt) deducit, illa autem Waddingus loco cit. omittit.

Eccle-

Eccleſiarum Prælatis Fratres Minores é Religione egreſſos, ſive in Habitu Ordinis, ſeu Sæculari ſecum retinere interdicit, & Litteras Alexandri IV. deſuper editas confirmat.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Rectoribus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut ex parte dilectorum filiorum Generalis & Provincialium Miniſtrorum Ordinis Fratrum Minorum fuit propoſitum coram Nobis, quod nonnullæ Perſonæ Eccleſiaſticæ, ſæculares & regulares, Apoſtatas ejuſdem Ordinis, qui poſt profeſſionem in ipſo Ordine factam,ad ſæculum revertuntur, quoſdam videlicet in Religionis Habitu, aliquos verò in ſæculari, ſecum, aut in ſuis obſequiis, vel Eccleſiis, aut Monaſteriis detinere præſumunt,in animarum ſuarum diſpendium, in injuriam prædicti Ordinis, & ſcandalum plurimorum: Nos volentes ſuper his paternâ ſollicitudine providere, Univerſitati veſtræ adinſtar felicis recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſinguli veſtrûm, cùm à fratribus, requiſiti fueritis, omnes illos, cujuſcunque conditionis exiſtant, qui hujuſmodi Apoſtatas, poſtquam per Miniſtros, Cuſtodes, ſeu Guardianos prædicti Ordinis, quorum ſunt curæ commiſſi, excommunicati publicè fuerint, à ſe non rejecerint, ſed ſcienter eos ſecum, aut in ſuis obſequiis, vel Eccleſiis, vel Monaſteriis retinuerint, vel eis in hoc auxilium præſtiterint, vel favorem, eum ipſis communicando taliter in crimine hujuſmodi crimineſo, poſt latam in eos excommunicationis ſententiam, ſimili ſententiâ involvantur, denuntietis excommunicationis vinculo innodatos: Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo. Non obſtante, ſi aliquibus à ſede Apoſtolicâ ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam de indulto hujusmodi mentionem,

Datum Viterbii XVIII. Kal: Januarii Pontificatûs noſtri Anno tertio.

Rodriq. in collect. fol. 41. *col.* 1. *Wodding. tom.* 4. *Annal. fol.* 533.

Eccleſiarum Prælatis quibuſcunque Regularium privilegia clara, vel dubia interpretari prohibet.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Generali Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ORdinis veſtri Sacra Religio, ſub qua virtutum Domino in humilitate ſpiritûs laudabiliter deſervitis, promeretur, ut Nos ipſum Ordinem ſincerâ diligentes in Domino charitate, illa vobis libenti animo concedamus, per quæ materiâ ſubmotâ gravaminis, ſtatûs veſtri tranquillitas procuretur. Sanè, tranſmiſſâ Nobis conqueſtione monſtrâſtis, quod nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati, veſtris libertatibus derogantes, Indulgentias, ſeu privilegia vobis ab Apoſtolica Sede conceſſa interpretari, & ad ſuum intellectum trahere moliuntur, quamquam intellectum ipſum verba Indulgentiarum, & Privilegiorum hujuſmodi eſprimere videantur, ac vos juxta ipſorum interpretationem Privilegia ipſa ſervare compellunt, in veſtrûm non modicum præjudicium & gravamen. Quia verò ſuper hoc Apoſtolicæ proviſionis remedium implorâſtis, Nos veſtris ſupplicationibus annuentes, ne præfati Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alii prædicta Privilegia, & Indulgentias, ſive clara, quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant, de cætero interpretari præſumant, auctoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus, volentes, ut eum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, interpretatio ſuper hujuſmodi dubiis, & obſcuris, dictæ ſedis judicio relinquatur. Nulli ergo hominum liceat &c.

Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatûs Noſtri Anno quarto.

Monum. Ord. fol. 31. *à tergo. Rodriq. Bull fol.* 40. *col.* 2 *Confetius in collect. privil. fol.* 13. *Waddingus tom.* 4. *fol.* 539.

Diſtantiam cannarum 300. infra quam prope Monaſteria Ordinis F. F. Minorum Conventus, aliis Regularibus in paupertate fundatis, ædificare prohibuit, ad 140. cannas reducit.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Generali, ac aliis Miniſtris, & Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUia plerumque in futurorum eventibus, ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod utile conjectura veroſimilis, imò etiam attenta interdum conſideratio pollicetur, non ſolùm inutile, ſed damnoſum reperiri contingat, nonnunquam quod conſultè ſtatuitur, poſtmodum conſultiùs immutatur. Hoc quippe neceſſitas præſentis proviſionis evidenter oſtendit.

Dudum ſiquidem, ut inter Religioſos potiſſimè per noſtræ diligentiæ ſtudium, æmulationis, & diſſenſionis tolleretur occaſio, & charitatis integritas ſervaretur, per noſtras ſub certa forma litteras ordinandum duximus, & diſtrictiùs inhibendum, quod nulli liceret ex tunc de Fratrum Prædicatorum Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, B. Mariæ de Monte Carmeli, Eremitarum S. Auguſtini, Sanctæ Claræ, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique Mulierum de prædictis, ſeu quibuslibet aliis Ordinibus aliquod Monaſterium, Eccleſiam vel Oratorium ædificare ſeu conſtruere; nulli quoque ſæculari, ſeu Religioſo cujuſcunque profeſſionis Eccleſiam, vel Monaſterium, ſeu Oratorium jam ædificatum, in aliquem locum transferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium tercentarum cannarum à veſtris Eccleſiis menſurandarum, per aëra etiam, ubi aliàs rectè non permitteret loci diſpoſitio menſurari: ſtatuentes, ut quidquid contra hujuſmodi ordinationis & inhibitionis noſtræ tenorem, ex tunc ædificatum exiſteret, dirueretur omnino.

Verùm, quia quod ad pacem veſtram, & prædictorum Fratrum & Ordinum proviſum fuerat, non ſolùm vobis, ſed etiam multis aliis, qui per prædictum diffuſum cannarum ſpatium, in hujuſmodi ordinatione ac inhibitione contentum, quaſi ab omnibus aliis ſolemnibus Civitatibus invenicbantur excludi, ad ſcandalum ceſſiſſe comperimus, diverſis propterea litigiorum materiis ſuſcitatis. Nos ſuper his cum Fratribus noſtris deliberatione præhabitâ, hujuſmodi ſpatium de ipſorum Fratrum conſilio reſtringentes, ipſum ad centum & quadraginta cannas duximus reducendum, omnibus aliis, quæ in præmiſſis noſtris litteris continentur, in ſuo nihilominus robore duraturis. Nulli ergo noſtræ &c. reſtrictionis & reductionis &c. Si quis &c.

Datum Viterbii Nonis Junii Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Regeſtum Vatican. epiſt. 30. Bullar. Romanum tom. 3. p. 1. fol. 469. Waddingus tom. 4. Annal. fol. 537.

N O T A

SImile privilegium Bonifacius P. P. IX. per Conſtitutionem incipientem *Sacræ Religionis &c.* Ordini R. R. P. P. Prædicatorum conceſſit, ad quod Reverendiſſimus P. Magiſter Bremond tom. 8. Bullarii de conſenſu Bull. fol. 41. col. 2. num. 3. hæc notat: *Quod hoc privilegium de diſtantia centum quadraginta cannarum non fuit revocatum, & eſt in uſu, nec poteſt abrogari per non uſum, vel ex particularis Conventûs negligentia. Hinc præexiſtentes Conventus hoc privilegio ſe tueri poſſunt, contra novam erectionem, maxime ſi Conventus præexiſtens indiget illo ſitu.* Fuſiora qui petit, adeat Paſſerinum *ad cap. cum ex eo tom. V. in Sext. Decret. fol.* 379. *&c.* Donatum in *Rerum Regul. praxi tom. 1. part. 2. tract. 2. quæſt.* 14 *&* 15.

Conſtitutio autem, quâ diſtantiam ad 300. cannas priùs Clemens fixit, fuit tenoris ſequentis:

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris ac univerſis Fratribus Ordinis FF. Minorum.

AD conſequendam gloriam cæleſtis patriæ, ſic divina pietas humilitatem veſtram, per ſuam gratiam cernitur allexiſſe, quod ſemper ad hoc intenti eſtis & vigiles, ut illam vobis & proximis, per innocentis vitæ ſtudium acquiratis: hæc enim & alia ſancta pauperrimæ

rimæ Religionis veſtræ merita Nos inducunt, quod ſamus ex intimo cordis affectu ſolliciti, ut in omnibus, quæ ad Dei laudem, & tranquillum ſtatum devotionis veſtræ cupitis, babeamus providentiæ ſtudium efficacis.

Sanè non ſine quadam perturbatione animi frequenter audivimus, quod inter vos & Religionis aliquos illa de cauſa æmulationis & diſſenſionis materia oritur, quod ipſi Domos & Eccleſias Regulares, juxta loca veſtra, non ſine veſtro gravi præjudicio, & diſpendio manifeſto, quandoque conſtruere præſumebant. Cum itaque ad Apoſtolici ſpectet officii dignitatem, de regno militantis Eccleſiæ cujuslibet ſcandali materiam abolere; Nos dignè volentes, quod hujuſmodi æmulationis & diſſenſionis occaſio per diligentiæ noſtræ ſtudium amputetur, auctoritate preſentium ordinamus, & diſtrictè inhibemus, quod nulli liceat amodo de Prædicatoram pœnitentiæ Jeſu Chriſti, B. Mariæ de Monte Carmeli, Eremitarum S. Auguſtini, Sanctæ Claræ, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique Mulierum de prædictis, ſeu quibuſcunque aliis Ordinibus aliquod Monaſterium, Eccleſiam vel Oratorium ædificare, ſeu conſtruere; nulli quoque ſæculari, vel Religioſo cujuſcunque profeſſionis Eccleſiam, vel Monaſterium, ſeu Oratorium jam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium CCC. cannarum à veſtris Eccleſiis menſurandarum, per aërem etiam, ubi alias rectè menſurari loci diſpoſitio non permittit.

Præterea ſtatuimus, ut quidquid contra hujuſmodi ordinationis & inhibitionis noſtræ tenorem ex nunc in antea ædificatum fuerit, diruatur. Et ne de notitia Ordinum, & quantitate cannarum hujuſmodi, aliqua poſſit dubitatio exoriri, illos Ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex Regula, vel Conſtitutionibus ſuis, extra ſepta Eccleſiarum, Monaſteriorum ſuorum, vel officinarum earum, & clauſuram ipſorum, nullas debent poſſeſſiones habere. Quod ſi aliquis de Ordinibus ipſis poſſeſſiones in aliquibus membris ſuis habere, in aliis verò non habere noſcatur, eum quoad ordinationem, inhibitionem, & ſtatutum hujuſmodi prædictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus, & quamlibet cannarum ipſarum octo palmarum longitudinem continere; non obſtantibus varia locorum conſuetudine, ſive privilegiis, indulgentiis, ſeu litteris quibuſcunque tam ſupradictis Ordinibus, quàm Mulieribus, vel eorum alicui ab Apoſtolica Sede ſub quacumque forma conceſſis, ſeu etiam concedendis, quæ de præſentibus ſpecialem & expreſſam non fecerint mentionem.

Nulli ergo &c. noſtræ ordinationis, inhibitionis, & conſtitutionis &c. Si quis &c. Dat. Peruſii II. Kal. Decembris Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Monum. Ord. 30. à terg. Rodriq. in Collect. fol. 35. wadding. tom. 4. Annol. fol. 526.

Promotis ad Epiſcopatus ſeu Prælaturas Fratribus Ordinum Prædicatorum & Minorum, libros, & alia ſecum ex Ordine deportare interdicit.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Magiſtro, & univerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PRovidentia laudabilis & ſalubris in cunctis veſtris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conſpectu Dei, & hominum habeatis; Cum itaque, ſicut aſſeritis, contingat interdum, quòd illi, qui ex vobis de Ordine veſtro ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, & alias Prælaturas Eccleſiaſticas aſſumuntur, non conſiderantes, quod ex profeſſione, in ipſo emiſſa Ordine, nihil habent proprium, quod ſpecialiter valeant retinere; libros, & alia, quæ apud eos hujuſmodi tempore promotionis habent, uſibus propriis applicare, ſecumque deportare præſumant, in propriæ ſaluris diſpendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum, Nos præſumptioni hujuſmodi volentes ſalubriter reſragari, univerſis Fratribus dicti Ordinis ad hujuſmodi Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Prælaturas de cætero aſſumendis, authoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus, ne conſecrationis munus quoquo modo recipiant, antequam libros, & bona concernentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore ſuæ promotionis habere contigerit, Prioribus, ſeu Guardianis, & Conventibus, de quibus aſſumpti fuerunt, cum integritate reſignent, niſi forſan iidem Priores, de conſenſu ipſorum Conventuum, uſum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum: alioquin eo ipſo ab executione

Pon-

Pontificalis miniſterii noverint ſe ſuſpenſos: Inter hujuſmodi autem libros, non intelligimus comprehendi quaternulos, & illas chartulas, vel membranas, in quibus dicti Fratres ſibi certa notabilia, cum aliquibus privatis ſermonibus collegerunt. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii quinto Idus Junii, Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Specul. Min. tract. 1. fol. 12. Waddingus Tom. 4. Annal. fol. 537. Bullar. Ord. Præd. tom. 1. fol. 493. reſtrict. ad Ordinem ſuum.

NOTA.

Conſtitutio hæc cum illa Alexandri IV. ſupra fol. 34. poſita, fuit confirmata per Conſtitutionem Benedicti XIII. incip. *Poſtulat humilitati &c.* infra in ſerie Litterarum hujus Pontificis dandam.

B. GREGORIUS X.

Placentinus, antea Theobaldus, Archidiaconus Leodienſis, Viterbii 1. Septembris 1271. dum in Palæſtina agebat, Summus Pontifex creatus, & Romæ 27. Martii 1272. coronatus eſt. Concilium Lugdunenſe ſecundum, *juxta Martyrologii Romani elogium*, celebravit, Græcis ad unitatem fidei receptis, & compoſitis Chriſtianorum diſſidiis, ac Terræ Sanctæ recuperatione inſtituta, *Aretii in Hetruria 10. Januarii 1276. in Sanctitatis fama obiit. Habet & Ordo Minorum ab eo Litteras Apoſtolicas, quarum una, incipiente*: Cum à Nobis petitur &c. Tom. 4. Annal. Waddingi fol. 545. *omnes immunitates, & privilegia generaliter confirmata fuiſſe, hic ſimpliciter meminiſſe ſufficiat.*

INNOCENTIUS V.

De Tarentaſia, ex Ordine Prædicatorum, & in eo Doctor S. Scripturæ eximius, Petrus vocatus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, & poſtmodum Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Romæ 21. Januarii 1276. Summus Pontifex proclamatus, ibique 22. Junii ejuſdem anni defunctus, & in Eccleſia Lateranenſi, Carolo Siciliæ Rege exequias ejus honeſtante, ſepultus.

ADRIANUS V.

Genuenſis, Ottobonus antea dictus, ex Fliſcorum Proſapia, S. R. E. Cardinalis S. Adriani, ſuſceptum Romæ 10. Julii 1276. Eccleſiæ univerſalis regimen, Viterbii 18. Auguſti ejuſdem anni matura morte complevit, in Eccleſia Fratrum Minorum ibidem ad lævam Majoris Altaris honorifico Mauſolæo ſepultus.

VICE-

VICEDOMINUS ELECTUS

Placentinus, ex Vicedominorum Stirpe, Gregorii X. ex Sorore Nepos, ex Archiepiſcopo Aquenſi Cardinalis & Epiſcopus Praneſtinus, Viterbii 5. Septembris 1276. electus, & eodem vel ſexto Septembris mortuus eſt, Eccleſiâ Fratrum Minorum, ex quorum Ordine & ille fuiſſe prætenditur, tumulum dante.

In ſerie Summorum Pontificum plerumque omittitur, cum nonniſi unius diei fuerit Pontifex, vel nonnulli de completa illius electione hæreant: ſunt, qui & illum de Ordine Minorum fuiſſe dubitant. Utrumque confirmare videtur epitaphium Mauſolæo Defuncti ita inciſum:

Hîc ſortis Lector duræ ſunt munera: Prima
Iſte Vicedomini continet Oſſa lapis
Succeſſit Petro; dedit hunc prior Ordo Minorum
Electus ſtatim funera ſacra tulit.

Cui non abſimile eſt aliud, quod adhuc hodiedum in repolito Monumento cernitur, priori ita ſubſtitutum.

— — Placentinis Vicedominus ortus ab oris
Franciſci ſoboles, hîc veneranda jacet.
Ferre vices Domini ſors huîc dedit improba: Verùm
Una Petri ſolium lux feretrumque dedit.

Solidiùs autem Papatum Vicedomini Annales MSS. Civitatis Placentinæ firmant per verba: Sunt & in dicta Civitate Placentiæ Vicedomini, quæ eſt magna Domus, & nobilis: nam de iſta Domo fuit unus Papa, qui non ſtetit in Papatu, niſi per unum diem, & mortuus eſt Frater Minor.

Hinc & à Minoribus inter Summos Pontifices ex ſuo Ordine aſſumptos ponitur primus, & catalogo Summorum Pontificum à Bollandianis in Conatu Chronico-hiſtorico fol. mihi 381. *cen* electus, *&* Synopſi Chronographico Rom. Pontificum loc. cit. fol. 537. *cum verbo* Vicedominus *ingeritur, haud aliter, ac Stephanus II., qui nonniſi quatuor diebus in Pontificatu vixit, in dicto catalogo, utut non ordinatus, ponitur, ac ponendum eſſe Baronius ad annum 752. & Ciaconius in vita Stephani monent, à nonnullis aliàs omiſſum.*

JOANNES XXI.

Luſitanus, Petrus Juliani priùs nuncupatus, Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus 15. Septembris 1276. Viterbii Pontificiæ dignitatis faſces aſſumpſit, eaſque ibidem 16. Maii 1277. violentâ quidem, ſed beata morte dimiſit, reſurrectionem mortuorum in Eccleſia S. Laurentii exſpectans.

Scribitur ab aliis Joannes XX. quod ob Joannem Roberti Filium, qui inter Joannem XIV., & Joannem XV. medius Eccleſiam rexerat, ultra 200. annos in ſerie Pontificum neglectum, & poſtmodum huic inſertum, accidiſſe à Bollandianis

dianis loc. cit. fol. 383. creditur, ubi & Joannem Luſitanum rectè Joannem XXI. vocari aſſerunt, nec mutandum monent, cum exemplum poſtea ſecuti ſint alii duo *Summi Pontifices, Sæculo* XIV. *&* XV.

NICOLAUS III.

Romanus, antea Joannes Cajetanus de Urſinis, Cardinalis Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano 25. Novembris 1277. Romanus Pontifex Viterbii fuit acclamatus, & poſt duorum annorum, & novem menſium, dempto uno die, Suriani 22. Auguſti 1280. gubernium, & debitum humanæ conditionis exſolvit. Corpus Romam fuit translatum, & in Vaticana S. Nicolai Capella ab ipſo conſtructa humatum. Debet huic Pontifici Ordo Minorum inter alta celebrem Decretalem, corpori Juris Canonici inſertam, quâ

Acuentes contra FF. Minorum Regulam linguas corripit, & plura hujus dubia declarat.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum de ſinu patris in mundum, veſte ſcilicet humanitatis Indutus, Dei Filius, Jeſus Chriſtus, verbum Evangelicum ſaturus in ſingulos probos, & reprobos, inſipientes, & ignaros, ſtudioſos & deſides; & juxta Prophetam colonus futurus, in terra ſemen ſuum, doctrinam ſcilicet Evangelicam, ſine delectu diſperſit in omnes, qui omnia tracturus ad ſe, omnes ſalvare venerat: qui tandem ſe ipſum Deo Patri pro ſalute omnium in redemptionis humanæ pretium immolavit. Licèt autem hoc ſemen in ſingulos communicativâ Dei charitate diſperſum, aliud ceciderit ſecus viam, ſuper corda ſcilicet dæmonum ſuggeſtionibus pervia; aliud ſupra petram, corda ſcilicet nullo Fidei vomere penetrata; aliud inter ſpinas, corda ſcilicet hominum divitiarum ſollicitudinibus lacerata, & ideo unum pravis affectibus conculcatum; aliud aridum, quia gratiæ carebat humore; reliquum verò legitur inordinatis ſollicitudinibus ſuffocatum: aliud tamen mite cor, & docile, terra bona ſuſcepit.

Hæc eſt Minorum Fratrum mitis & docilis in paupertate ac humilitate, per almum Chriſti Confeſſorem Franciſcum radicata Religio: quæ ex illo vero ſemine germinans, germen illud ſparſit per Regulam in Filios, quos ſibi & Deo per ſuum miniſterium in obſervatione Evangelii generavit. Iſti ſunt Filii, qui docente Jacobo, Verbum æternum, Dei Filium, inſitum humanæ naturæ in horto Virginalis uteri, potens ſalvare animas, in manſuetudine ſuſceperunt. Hi ſunt illius ſanctæ Regulæ profeſſores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, Fundatorum militantis Eccleſiæ, & Apoſtolorum ejus ſermonibus, actibuſque firmatur. Hæc eſt apud Deum, & Patrem munda & immaculata Religio, quæ deſcendens à Patre luminum, per ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apoſtolis tradita, & demum per Spiritum Sanctum B. Franciſco, & eum ſequentibus inſpirata, totius in ſe quaſi continet teſtimonium Trinitatis. Hæc eſt, cui (atteſtante Paulo Apoſt.) nemo de cætero debet eſſe moleſtus, quam Chriſtus Paſſionis ſuæ Stigmatibus confirmavit, volens Inſtitutorem ipſius, paſſionis ſuæ ſignis notabiliter inſigniri.

Sed nec ſic, contra ipſos Fratres Minores & Regulam, hoſtis antiqui ceſſavit aſtutia: quin potiùs contra eos nitens ſuperſeminare zizania, interdum æmulatores agitatos invidiâ, iracundiâ, & indiſcreta inſcitiâ concitavit; mordentes Fratres, & eorum Regulam quaſi illicitam, inobſervabilem, & diſcriminoſam, caninis latratibus lacerantes: non attendentes, hanc ſanctam Regulam (ut prædicitur) præceptis, ac ſalutaribus monitis inſtitutam, Apoſtolicis obſervationibus roboratam, per plures Romanos Pontifices approbatam, & etiam per Sedem Apoſt. confirmatam, tot divinis teſtimoniis communitam, quæ credibilia facta ſunt nimis in tot ſanctis Viris, in obſervantia hujus Regulæ agentibus, & finientibus dies ſuos: quo-

quorum nonnullos Sanctorum catalogo Sedes eadem ex eorum vita, & miraculis fecit adſcribi: ac noviſſimè quaſi diebus iſtis per piæ memoriæ Gregorium Papam IX. prædeceſſorem noſtrum approbatam eſſe, ex evidenti utilitate, quam de ipſa conſequitur univerſalis Eccleſia, in generali Lugdunenſi Concilio extitit declaratum. Nec Nos minus attendimus, imò profundiùs cogitamus, ſicut penſare debent ſubtiliùs cæteri Catholicæ Fidei profeſſores, quòd ipſe Deus Ordinem prædictum, & ejus Obſervatores inſpiciens, ſic eos ab inſurgentibus in ipſos rancoribus ſalutari præſidio præſervavit, quod nec ipſos fluctus tempeſtuoſus alliſit, nec animos in Ordine ipſo degentium conſtravit; quin potiùs in vigore regulari concreſcant, & amplientur in ſuorum obſervantia mandatorum.

Verumtamen, ut Ordo prædictus, quibuslibet præciſis anfractibus diſtinctâ, & purâ vigeat claritate: ſicut Fratres ejuſdem Ordinis, nuper in Generali Capitulo congregati providerant, dilectis Filiis Generali, & nonnullis aliis Provincialibus ejuſdem Ordinis Miniſtris, qui in Capitulo ipſo convenerant, in noſtra præſentia conſtitutis, cum ad plenam obſervationem Regulæ ejuſdem in vigore ſpiritûs eorum fervere noſcatur intentio, viſum eſt Nobis, mordacibus hujuſmodi mordendi vias præcludere, aliqua, quæ in ipſa Regula videri poterant dubia, declarare; nonnulla per Prædeceſſores noſtros declarata, pleniori claritate differere; in aliquibus etiam Regulam ipſam contingentibus, puritati eorundem conſcientiæ providere.

Nos autem, qui à teneris annis ad Ordinem ipſum affectus noſtros ereximus, in illis ſuccedendo, cum aliquibus ejuſdem Confeſſoris ſociis, quibus ejus vita, & converſatio nota erat, ſuper ipsâ Regulâ, & ſanctâ ipſius Beati Franciſci intentione, frequenti collatione tractavimus, & tandem Cardinalis, ac poſtmodum ejuſdem Ordinis per prædictam Sedem Gubernator, Protector, & Corrector effecti, conditiones prædicti Ordinis ex imminenti Nobis cura palpavimus in Apoſtolatûs officio, tam in pia intentione Confeſſoris prædicti, quàm in his, quæ Regulam ipſam, & ejus obſervantiam contingunt, ex prædictis longâ etiam experientiâ informati, noſtros ad Ordinem præfatum convertimus cogitatus: & tam ea, quæ per prædeceſſores eoſdem approbata, & declarata eſſe noſcuntur, quàm etiam Regulam, & eam contingentia, maturitate plenâ diſcuſſimus: nonnulla in præſenti ſerie ſtatuimus, declaravimus, certiùs approbavimus, approbata confirmavimus, edidimus, & conceſſimus; plura etiam ordinando ſerioſiùs, & clariùs, quæ infra ſcriptis articulis pleniùs exprimuntur.

ARTICULUS I.

De Obſervantia Evangelici Conſilii, & præcepti.

IN primis, quia (ſicut intelleximus) ab aliquibus hæſitatur, an Fratres ejuſdem Ordinis tam ad conſilia, quàm ad præcepta Evangelii teneantur: tum quia in Regulæ prædictæ principio habetur: *Regula & Vita Minorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* Tum ex eo, quod in eadem Regula continetur ſic: *finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper, & Regulam obſervare.* Tum etiam, quia in fine ipſius Regulæ continentur hæc verba: *Paupertatem, & humilitatem, ac Sanctum Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus*: Licèt fel. rec. Gregorius PP. IX. prædeceſſ. noſter hunc Articulum, & nonnullos alios ejuſdem Regulæ declaraverit, quia tamen ejus declaratio propter aliquorum inſurgentium in Fratres, & Regulam inordinatos, vel mordaces inſultus, & multorum poſtea emergentium caſuum conſiderandos eventus, in aliquibus obſcura, in aliquibus ſemiplena, & in multis etiam contentis in ipſa Regula inſufficiens videtur; Nos obſcuritatem, ac inſufficientiam hujuſmodi, perfectæ interpretationis declaratione amovere volentes, & cujuslibet ambiguitatis ſcrupulum in eiſdem de ſingulorum mentibus plenioris expoſitionis certitudine amputare, dicimus, quod, eum in principio Regulæ non abſolutè, ſed cum quadam modificatione, ſeu determinatione, ſeu ſpecificatione ponatur, *Regula & Vita Minorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate*: quæ tria eadem Regula multùm arctè proſequitur, & nihilominus alia nonnulla ſubnectit, præcipiendo, prohibendo, conſulendo, monendo, hortando, & ſub aliis verbis ad aliquem modorum reducibilibus prædictorum: de intentione Regulæ liquere valet apertiùs; ut illud, quod in profeſſione quaſi abſolutè ſubnecti videtur, *promittentes vitam iſtam ſemper, & Regulam obſervare*; & quod in fine ſubjungitur, *& Sanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus*; totum ad ipſius Re-

Regulæ modificatum, ſeu ſpecificatum principium reducatur, videlicet ad obſervantiam Evangelii (ut prædicitur) per ipſam Regulam in illis tribus modificatam, vel determinatam, ſeu ſpecificatam: cum non ſit veroſimile, ipſum Sanctum, verbum ab ipſo ſemel cum quadam modificatione, ſeu ſpecificatione prolatum (licèt quaſi ſubcinctoriè repetitum) voluiſſe in ſua repetitione, data ſibi per eum modificatione, vel determinatione, ſeu ſpecificatione, ſine certa cauſa carere, & utriuſque juris argumenta Nos doceant, ea, quæ in principio, ad medium, & ad finem, illa verò, quæ in medio, ad finem, atque principium; & ea, quæ in fine, ad utrumque, vel eorum alterum ſæpe referri. Et dato, quod abſolutè diceretur, *omnino promitto Sanctum Evangelium obſervare*, niſi profeſſor hujuſmodi intenderet ſe ad omnium conſiliorum obſervantiam obligare (quod vix, aut nunquam poſſet ad litteram obſervare, propter quod talis promiſſio illaqueare profitentis animum videretur) clarè videtur promiſſionem hujuſmodi ad alium intellectum abſque intentione promittentis non debere perſtringi, niſi ut obſervantia Evangelii ſic, ſicut tradita reperitur à Chriſto, videlicet, quod præcepta ut præcepta, & conſilia ut conſilia à promittentibus obſerventur. Quem intellectum etiam in eiſdem verbis habuiſſe, idem Beatus Franciſcus in ſerie ſui proceſſûs in Regula patenter oſtendit, cum aliqua Evangelica conſilia inducat, ut conſilia, ſub verbis monitionis, exhortationis, & conſilii; nonnulla verò ſub prohibitione, ac verbo præcepti; per quod patet, quod non fuit loquentis intentio, quod Fratres ex profeſſione hujuſmodi Regulæ ad omnia conſilia, ſicut ad præcepta Evangelica tenerentur, ſed ſolùm ad illa conſilia, quæ in eadem Regula præceptoriè, vel inhibitoriè, ſeu ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa.

Unde Nos ad Fratrum ejuſdem Ordinis conſcientias plenariè ſerenandas declaramus, quod ex profeſſione ejuſdem Regulæ Fratres ipſi ad ea tantùm Evangelica obſervanda conſilia ſunt adſtricti, quæ in ipſa Regula præceptoriè, ſeu inhibitoriè, ſeu ſub verbis æquipollentibus exprimuntur. Ad nonnulla verò alia per Evangelium data conſilia, eò magis ſecundùm exigentiam ſui ſtatûs tenentur pluſquam cæteri Chriſtiani, quò per ſtatum perfectionis, quem per profeſſionem hujuſmodi aſſumpſerunt, ſe obtulerunt Domino holocauſtum medullatum per contemptum omnium mundanorum. Ad omnia autem, quæ in ipſa Regula continentur, tam præcepta, quàm conſilia, quàm cætera, ex voto profeſſionis hujuſmodi non aliter tenentur, quàm eo modo, quo in Regula ipſa traduntur, ut ſcilicet teneantur ad eorum obſervantiam, quæ in eadem Regula, ipſis, ſub verbis obligatoriis indicuntur. Cæterorum verò obſervantiam, quæ ſub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & inſtructoriis, ſeu quibuſcumque aliis continentur, eatenus magis condecet de bono, & æquo eos proſequi, quò imitatores tanti Patris effecti, Chriſti ſemitas arctiùs elegerunt.

ARTICULUS II.

De obſervantia paupertatis, & abdicatione proprietatis.

PORRO, cum ipſa Regula expreſsè contineat, quod *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*; ſitque declaratum per eundem Prædeceſſorem noſtrum Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc ſervari debere tam in ſpeciali, quàm in communi; quàm ſic arctam abdicationem venenoſis obtrectationibus aliquorum inſenſata damnavit aſtutia: ne Fratrum eorumdem perfectionis claritas talium imperitis ſermonibus laceretur, dicimus, quod abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum, tam in ſpeciali, quàm in communi propter Deum, meritoria eſt, & ſancta, quam Chriſtus, viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi Fundatores Militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, volentes perfectè vivere, per doctrinæ ac vitæ ipſorum alveos in eos derivârunt.

Nec his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic Jeſus Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera, in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret: ſic infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis; ſic in nonnullis aliis infirma humanæ carnis aſſumens (prout Evangelica teſtatur hiſtoria) non tantùm carne, ſed & mente condeſcendit infirmis: ſic enim humanam naturam aſſumpſit, quod in ſuis operibus perfectus exiſtens, in noſtris factus humilis, in propriis permanſit excelſus: ſic & ſummæ charitatis dignatione ad actus quoſdam noſtræ imperfectioni conformes inducitur, quod à ſummæ perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Chriſtus, & docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, ſicut interdum in fuga patet, & lo-

Digitized by Google

& loculis : ſed utramque perfectè perfectus exiſtens, ut perfectis, & imperfectis ſe viam ſalutis oſtenderet, qui utroſque ſalvare venerat, qui tandem mori voluit pro utriſque.

Nec quiſquam ex his inſurgat erroneè, quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tanquam homicidæ ſui, vel tentatores Dei vivendi diſcrimini ſe committant: ſic enim ſe ipſos committunt Divinæ Providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant proviſionis humanæ, quin vel de his, quæ offeruntur liberaliter, vel de his, quæ mendicantur humiliter, vel de his, quæ conquiruntur per laboritium, ſuſtententur: qui triplex vivendi modus providetur in Regula expreſsè.

Profectò, ſi (juxta promiſſum Salvatoris) nunquam deficiet Fides Eccleſiæ; per conſequens, nec opera bona ſubtrahentur: ex quo Chriſti pauperibus omnis ratio diffidentiæ cujuslibet videtur eſſe ſublata, & quidem, ubi (quod non videtur aliquatenus præſumendum) hæc cuncta deficerent; ſicut nec cæteris, ſic nec ipſis Fratribus jure poli in extremæ neceſſitatis articulo, ad providendum ſuſtentationi naturæ, via, omnibus extremâ neceſſitate detentis conceſſa, præcluditur, cum ab omni lege extrema neceſſitas ſit exempta: Nec talem abdicationem proprietatis omnimodæ, renunciationem uſûs rerum cuiquam videatur inducere; nam cum in rebus temporalibus ſit conſiderare præcipuum, proprietatem, poſſeſſionem, uſumfructum, jus utendi, & ſimplicem facti uſum; & ultimo tanquam neceſſario egeat (licèt primis carere poſſit vita mortalium) nulla prorſus poteſt eſſe profeſſio, quæ à ſe uſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat: verùm condecens fuit ei profeſſioni, quæ ſpontè devovit Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari, omnium abdicare dominium, & rerum ſibi conceſſarum neceſſario uſu fore contentam. Nec per hoc, quòd proprietatem uſûs, & rei cujuſcumque Dominium à ſe abdicâſſe videtur, ſimplici uſui renuntiâſſe omnis rei convincitur: qui, inquam, uſus non juris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti eſt tantùm, in utendo præbet utentibus, nihil juris; quinimo neceſſariarum rerum tam ad vitæ ſuſtentationem, quàm ad officiorum ſui ſtatûs executionem (excepto quod de pecunia infra ſubjungitur) moderatus uſus, ſecundùm eorum Regulam, & veritatem omnimodam conceſſus eſt Fratribus: quibus rebus Fratres licitè uti poſſunt durante concedentis licentia, & juxta id, quod in præſenti ſerie continetur. Nec his obviare dignoſcitur, quod civilis prudentia in humanis rebus humanè conſtituit; videlicet non poſſe uſum, vel uſumfructum à Dominio perpetuo ſeparari; ne quod dominium Dominis (ſemper abſcedente uſu) redderetur inutile, temporalem utilitatem tantùm in conſtituendo proſpiciens, iſta decrevit. Retentio namque dominii talium rerum cum conceſſione uſûs facta pauperibus non eſt infructuoſa Domino, cum ſit meritoria ad æterna, & profeſſioni pauperum opportuna; quæ tantò ſibi cenſetur utilior, quantò commutat temporalia pro æternis. Profectò non fuit Confeſſoris Chriſti Regulam inſtituentis intentio, rerum quarumlibet uſum neceſſarium abdicare, quinimo contrarium vivendo ſervavit; cum & ipſe temporalibus ad neceſſitatem uſus fuerit, & in pluribus locis in Regula uſum talem licere Fratribus manifeſtet. Dicit namque in Regula, quod *Clerici faciant divinum officium, ex quo habere poterunt Breviaria*: ex hoc patenter inſinuans, quod Fratres ſui habituri eſſent uſum Breviarii, & librorum, qui ſunt ad divinum officium opportuni: In alio quoque Capitulo dicit, *quod Miniſtri, & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per amicos ſpirituales ſollicitam curam gerant ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut eorum neceſſitati viderint expedire*: Alibi etiam exhortans Fratres per congruum laboris exercitium ad otium evitandum, dicit, quod, *de mercede laboris pro ſe, & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant*: in aliquo quoque Capitulo continetur, quod *vadant pro eleemoſyna confidenter*: habetur etiam in eadem Regula, quod *in prædicatione, quam Fratres faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem populi; annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam*. Sed conſtans eſt, quod hæc præſupponunt ſcientiam, ſcientia requirit ſtudium, exercitium verò ſtudii convenienter haberi non poteſt ſine uſu librorum; Ex quibus omnibus ſatis claret ex Regula, ad victum, veſtitum, divinum cultum, & ſapientiale ſtudium, neceſſarium rerum uſum Fratribus eſſe conceſſum. Patet itaque ſanè intelligentibus ex prædictis, Regulam, quoad abdicationem hujuſmodi, non ſolùm obſervabilem, poſſibilem, & licitam, ſed meritoriam, & perfectam: & eò magis meritoriam, quò per ipſam Profeſſores ipſius magis à temporalibus propter Deum (ſicut prædicitur) elongantur.

ARTICULUS III.

Cui competat dominium rerum Fratribus conceſſarum.

AD hæc, cum Fratres ipſi ſibi nihil in ſpeciali acquirere, vel eorum Ordini poſſint, etiam in communi; & cum aliquid propter Deum ipſis offertur, conceditur, & donatur, ea (ſi ſecus non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis, veriſimiliter credatur fuiſſe intentio, ut rem hujuſmodi oblatam, conceſſam, vel donatam, perfectè concedat, donet, & offerat, à ſe abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum; nec ſit perſona, in quam loco Dei congruentiùs hujuſmodi rei dominium transferatur, quàm Sedes præfata, vel perſona Romani Pontificis, Chriſti Vicarii, qui Pater eſt omnium, & Fratrum Minorum nihilominus ſpecialis; ne talium rerum ſub incerto videatur eſſe dominium; cum Patri Filius ſuo modo, Servus Domino, & Monachus Monaſterio, res ſibi oblatas, conceſſas, vel donatas acquirant; omnium utenſilium, & librorum, ac eorum mobilium præſentium, & futurorum, quæ, & quorum uſum (facti ſcilicet) Ordini, vel Fratribus ipſis licet habere, proprietatem & dominium (quod etiam fel. recordationis Innocentius Papa IV. Prædeceſſor noſter feciſſe dignoſcitur) in Nos & Romanam Eccleſiam Apoſtolicâ auctoritate recipimus, & ad Nos, & ipſam Eccleſiam plenè, & liberè pertinere, hac præſenti Conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus.

Præterea loca empta de eleemoſynis diverſis, & oblata, ſeu conceſſa Fratribus, ſub quacumque forma verborum (licèt Fratres ſibi cavere debeant, quod in hujuſmodi verbis ſtatui ſuo incompetentibus non utantur) à diverſis, ſeu pro indiviſo poſſidentibus, ſeu certas partes in ipſis locis habentibus, in quibus ipſi poſſidentes pro indiviſo, ſeu certas partes habentes, nihil ſibi in oblatione ſeu conceſſione hujuſmodi reſervârint, ſimiliter in jus, dominium ac proprietatem noſtram & Eccleſiæ prædictæ, eadem auctoritate ſuſcipimus.

Loca verò, ſeu Domos pro habitatione Fratrum à ſingulari perſona, vel Collegio ipſis Fratribus ex integro concedenda, ſeu etiam offerenda (ſi talia de voluntate conferentis Fratres inhabitare contigerit) perſeverante tantùm concedentis voluntate inhabitent; at illa liberè (præter Eccleſiam & oratoria ad Eccleſiam deſtinata, & cæmeterium, quæ tam præſentia, quàm futura in jus & proprietatem noſtram & Romanæ Eccleſiæ ſimili modo & auctoritate recipimus.) mutatâ concedentis voluntate, ac ipſis Fratribus patefacta dimittant, in quorum locorum dominio ſeu proprietate, nihil Nobis vel præfatæ Eccleſiæ, retinemus omnino, niſi ea ſpecialiter de noſtro, ſeu ipſius Romanæ Eccleſiæ recipiantur aſſenſu, & ſi in eiſdem locis reſervaverit dominium ſibi in concedendo concedens, præter inhabitationem Fratrum tale dominium in jus Eccleſiæ ſæpè dictæ non tranſeat, ſed potiùs plenè liberum maneat concedenti. Inſuper, nec utenſilia, nec alia, quorum uſum ad neceſſitatem & officiorum ſui ſtatûs executionem licet habere (non enim omnium rerum uſum habere debent, ut dictum eſt) ad ullam ſuperfluitatem, divitias, ſeu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad theſaurizationem, vel eo animo, ut ea diſtrahant ſive vendant, recipiant, nec ſub colore providentiæ in futurum, nec aliâ occaſione: quinimo in omnibus appareat in eis, quoad dominium, omnimoda abdicatio, & in uſu neceſſitas. Hoc autem ſecundùm exigentium perſonarum & locorum, Miniſtri & Cuſtodes ſimul & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus & Cuſtodiis cum diſcretione diſponant, cum de talibus interdum perſonarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumſtantiæ, plùs minùſve, ac aliter provideri requirant. Iſta tamen ſic faciant, quod ſemper in eis & eorum actibus paupertas ſancta reluceat, prout ipſis ex eorum regula invenitur indicta.

ARTICULUS IV.

De Eleemoſynis pecuniariis.

CEterùm, cum in eadem Regula ſit ſub præcepti diſtrictione prohibitum, *ne Fratres recipiant per ſe vel per alios denarios, vel pecuniam ullo modo*; idque Fratres in perpetuum ſervare cupiant, & velut injunctum neceſſe habeant adimplere; ne ipſorum puritas in hujuſmodi obſervatione præcepti maculetur in aliquo, & ne Fratrum conſcientiæ aliquibus aculeis ſtimulentur; articulum iſtum propter detrahentium morſus profundiùs quàm noſtri prædeceſſores fecerint, aſſumentes, ac ipſum clarioribus determinationibus proſequentes, dicimus in primis, quod, Fratres ipſi à mutuis contrahendis abſtineant; cum eis mutuum contrahere, ipſorum ſtatu conſiderato, non liceat: poſſint tamen ipſi pro ſatisfactione faciends, pro eorum neceſſitatibus, quæ pro tempore occurrerint (ceſſanti-

Digitized by Google

ſantibus eleemoſynis, de quibus ſatisfieri commodè tunc non poſſet) citra cujuſlibet obligationis vinculum dicere, quod per eleemoſynas & alios amicos Fratrum ad ſolutionem hujuſmodi faciendam intendant fideliter laborare.

Quo caſu procuretur à Fratribus, quod ille, qui dabit eleemoſynam per ſe, vel per alium non nominandum ab ipſis, ſi fieri poterit, ſed ab eo potiùs juxta ſuum beneplacitum aſſumendum, hujuſmodi ſatisfactionem faciat in totum, vel in partem, prout Dominus ſibi inſpirabit. Si tamen hoc ipſe nollet facere, vel non poſſet, vel quia receſſus ejus immineat, aut quia, quibus velit committere, notitiam non habeat fidelium perſonarum, ſeu quacumque alia occaſione vel cauſâ, declaramus & dicimus, quod in nullo regulæ puritas infringitur, aut quomodolibet obſervantia ipſius maculatur, ſi Fratres ipſi alicujus, vel aliquorum ſibi curent dare notitiam, vel aliquos, ſeu aliquem nominare, aut etiam præſentare, cui vel quibus, ſi eleemoſynam facienti placuerit, committi poſſit executio prædictorum, ac ipſius habeatur aſſenſus ſuper ſubrogationibus infra ſcriptis, ita tamen, quod penes ipſum dantem dominio, proprietate ac poſſeſſione ipſius pecuniæ, cum libera poteſtate revocandi ipſam pecuniam, ſemper uſque ad converſionem ipſius in rem deputatam, plenè, liberè, ac integrè remanentibus, in ipſa pecunia nihil omnino Fratres juris habeant, nec adminiſtrationem ſeu diſpenſationem; nec contra perſonam nominatam vel non nominatam ab eis, cujuſcumque conditionis exiſtat, in judicio vel extra, actionem, perſecutionem, aut aliquod intentent jus, qualitercumque perſona prædicta in commiſſione hujuſmodi ſe habeat: liceat tamen Fratribus ſuas neceſſitates inſinuare, ac ſpecificare, vel exponere perſonæ prædictæ, ac eam rogare, quod ſolvat, poſſunt etiam perſonam eam dem exhortari ac inducere, quod fideliter in re commiſſa ſe habeat, & animæ ſuæ ſaluti in commiſſa ſibi executione provideat, ita tamen, quod ab omni ejuſdem pecuniæ adminiſtratione, ſeu diſpenſatione, & contra prædictam perſonam actione ſeu perſecutione (ut prædictum eſt) Fratres abſtineant omni modo.

Si verò perſonam hujuſmodi nominatam, vel non nominatam à Fratribus quo minùs per ſe poſſet exequi, quod prædicitur, contigerit per abſentiam, infirmitatem, voluntatem, ſeu locorum diſtantiam, ad quæ ipſe nollet accedere, in quibus eſſet ſolutio ſeu ſatisfactio facienda, vel per occaſionem aliquam impediri liceat Fratribus enm conſcientiæ puritate, quandam aliam perſonam ſubrogandam ad præmiſſa in nominando, & aliis. Si ad primum dantem non poſſint vel nolint habere recurſum eum iſta perſona facere, ſicut ſupra declaravimus eis licere cum prima; duarum enim perſonarum miniſterium per viam ſubrogationis (ut prædictum eſt,) communiùs & generaliùs videtur poſſe in prædictorum executione ſufficere, eum prædicta ſatisfactio præſumatur poſſe celeriter expediri. Si tamen interdum propter locorum diſtantiam, in quibus ſatisfactio eſſet facienda, & conditiones ſeu circumſtantias alias, caſus emergeret, in quo videretur plurium perſonarum ſubrogandarum miniſterium opportunum; liceat ipſis Fratribus in hoc caſu juxta negotii qualitatem (ſervato modo prædicto) plures perſonas aſſumere, nominare, ſeu præſentare ad iſtud miniſterium exequendum.

Et quia oportet & expedit Fratrum neceſſitatibus, non ſolùm illis, pro quibus jam eſſet ſolutio ſeu ſatisfactio facienda, (ut ſupra proximè dictum eſt) ſed etiam imminentibus, ſive tales neceſſitates ingruentes immineant, quæ brevi tempore expediri valeant, ſive tales, licèt paucæ comparativè, quarum proviſio ex ſui conditione neceſſariò tractum temporis habet; ut in libris ſcribendis, Eccleſiis, ſeu ædificiis ad uſum habitationum ipſorum conſtruendis, libris & pannis in locis remotis emendis, & aliis ſimilibus, ſi quæ occurrerint, cum moderamine ſupradicto, ſalubriter provideri, ſicut in iſtis neceſſitatibus, clarè diſtinguimus, ſic in eis Fratres poſſe tutâ & ſalvâ conſcientia procedere declaramus; videlicet, ut ingruenti vel imminenti neceſſitate, quæ brevi tempore, vel quæ interdum ex aliquibus circumſtantiis non ſic brevi (ut ſupra, in proximo caſu dictum eſt) valeat expediri, tam quoad dantem eleemoſynam, quàm quoad nominatum vel ſubſtitutum, in omnibus & per omnia (ſicut in articulo ſolutionis pro neceſſitatibus præteritis faciendæ, ſupra proximè declaravimus) procedatur.

In ea verò neceſſitate, quamtumque præſentialiter ingruenti, quæ tamen ex qualitate ſui, ut prædicitur, tractum temporis habet annexum; quia in eo caſu veroſimile eſt, quod tum ratione diſtantiæ locorum, quàm expeditio neceſſitatis ipſius ex ſui conditione requireret, tum etiam circumſtantiarum ipſius neceſſitatis ratione penſatâ, frequenter caſus acciderent, in quibus ad expeditionem neceſſitatis hujuſmodi oporteret, quod per diverſas manus & perſonas tranſiret pecunia, neceſſitati hu-

juſmodi deputata; quarum omnium perſonarum impoſſibile quaſi eſſet Dominum principalem pro ipſa neceſſitate pecuniam deputantem, ſeu etiam ſubſtitutum ab eo, & tertium etiam ab ipſo ſubſtituto (ſi caſus talis accideret) poſtea ſubrogatum, habere notitiam, declaramus, & dicimus, quod in hoc articulo, præter dictos duos modos in neceſſitatibus præteritis, & ingruentibus, quæ poſſint brevi tempore, vel interdum non brevi (ut ſupra exprimitur) expediri, ut prædiximus, obſervandos, ad conſervandam ipſius Regulæ ac Profeſſorum ejus omnimodam puritatem, quod ſi præſtò ſit eleemoſynæ hujuſmodi largitor, vel ejus nuntius, qui poſſit hoc facere, & velit, expreſſe prædicatur illi à Fratribus, quod ſibi placeat, ut, dominio talis pecuniæ cum libera poteſtate revocandi ſibi pecuniam ipſam penes ipſum ſemper uſque ad converſionem ipſius in rem deputatam liberè remanente (ut in aliis duobus caſibus ſuperiùs dictum eſt) per quorumcumque manus pecunia ſeu eleemoſyna ipſa tractetur, ſive per perſonas ab eo, vel à Fratribus nominatas, totum ſuo conſenſu, voluntate, ac auctoritate procedat: quo aſſenſum ſuum præbente prædictis, ſecurè Fratres re emptâ, vel acquiſita de illa pecunia per quemcumque juxta modum annotatum ſuperiùs uti poſſint. Ad majorem autem prædictorum omnium claritatem, hac in perpetuum valiturâ proviſionis ſerie declaramus, quod Fratres præfatis modis (ut prædicimus) circa pecuniam, in ſupportandis eorum præteritis & ingruentibus neceſſitatibus obſervatis, non intelligantur, nec dici poſſint per ſe vel per interpoſitam perſonam pecuniam recipere contra Regulam, & profeſſionis ſui Ordinis puritatem, cum manifeſtè pateat ex præmiſſis, ipſos Fratres non ſolùm à receptione, proprietate, dominio ſive uſu ipſius pecuniæ, verùm etiam à contractione qualibet ipſius, & ab ea penitùs alienos.

In eo verò caſu, quando, antequam ipſa pecunia in licitum rei habendæ, vel utendæ commercium ſit converſa, concedentem pecuniam mori contigerit; ſi concedens in concedendo dixerit, vel expreſſerit, quod perſona deputata pecuniam ipſam in neceſſarium uſum Fratrum expenderet, quidquid de ipſo concedente vivendo, vel moriendo contingeret, ſive concedens hujuſmodi hæredem reliquerit, ſive non, poſſint Fratres ad perſonam deputatam (non obſtante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipſa pecunia expendenda recurrere, ſicut poterant ad ipſum Dominum concedentem.

Quia verò puritatem ipſius Ordinis intimâ cordis affectione zelamus, cum in prædictis caſibus ad determinatam neceſſitatem (ut prædicitur) per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari poſſit à Fratribus, quod, ſi quid de pecunia ipſa (habita neceſſitate determinatâ) ſupererit, conſentiat ipſe concedens, quòd reſiduum præfatæ pecuniæ in res alias pro aliis ipſorum Fratrum prædictis neceſſitatibus convertatur, quo non conſentiente prædictis, ipſum reſiduum (ſi quod fuerit) reſtituatur eidem. Caveant tamen Fratres, quod ſollicitè ſe coaptent, ut non plus ſcienter concedi conſentiant, quàm veroſimiliter æſtimari poſſit rem neceſſariam, pro qua pecunia ipſa conceditur, valituram.

Et quia in prædictorum ſeriola expoſitione, à dante, vel recipiente de facili poſſet errari, ut clariùs utilitati dantium, puritati Ordinis, ſimplicitati aliquorum ſimplicium, ſaluti animarum hinc inde ſecuriùs conſulatur, intellectum illum, qui ſatis in hoc caſu à ſanè intelligente percipitur, præſentis & in æternum valituræ conſtitutionis ſerie lucidamus; volentes illum ad communem deduci notitiam, videlicet, quod ſemper, quando pecunia Fratribus ipſis mittitur, vel offertur (niſi expreſsè per mittentem, vel offerentem aliud exprimatur) prædictis modis prorſus oblata intelligatur & miſſa: non enim veriſimile eſt, aliquem eleemoſynæ ſuæ ſine expreſſione modum illum velle præfigere, per quem & donans merito, vel illi, quorum neceſſitatibus intendit per donum hujuſmodi providere, vel effectu doni, vel ſuæ conſcientiæ puritate fraudentur.

ARTICULUS V.

De his, quæ relinquuntur Fratribus teſtamento.

AD hæc, quia Fratribus ipſis interdum in ultimis voluntatibus ſub diverſis modis nonnulla legantur, nec expreſsè, quid de his agendum ſit, in Regula, vel Prædeceſſorum noſtrorum declarationibus continetur; ne in ipſis dubitari contingat impoſterum, providendo legantibus, & Fratrum conſcientiis præcavendo, declaramus, ordinamus, & dicimus, quod, ſi teſtator modum, ſecundùm quem Fratribus, (eorum conditione inſpectâ) recipere non liceret, exprimat in legando; ut, ſi legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel ſimilia verba in ſimilibus proferret, aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret, à tali legato,

to, & ejus receptione per omnem modum Fratres abſtineant.

Si verò modum licitum Fratribus in legando teſtator expreſſerit, ut ſi diceret: lego pecuniam pro Fratrum neceſſitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & ſimilia, ad hoc, quòd per certam perſonam, vel perſonas idoneas diſtrahantur, & pecunia de rebus ipſis accepta, in ædificia, vel alia Fratrum neceſſaria convertatur, aut in legando ſimilibus modis, vel verbis utatur: in hoc caſu illud in omnibus, & per omnia (conſideratis eorum neceſſitatibus, & moderaminibus ſupra dictis) quantùm ad Fratres ſervari decernimus, quod per Nos eſt ſuperiùs in conceſſis pecuniariis Eleemoſynis declaratum. Ad quæ legata ſolvenda, tam hæredes teſtatorum, quàm executores ſe liberales exhibeant: & etiam Prælati, & Sæculares, quibus de jure, vel conſuetudine proviſio iſta competeret (cum expedierit) ſe ex officio ſuo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas: nam & Nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos intendimus providere, quòd hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur: ne pia defunctorum deſtituatur intentio, ac ipſi Fratres pauperes opportunis auxiliis non fraudentur. Si verò Fratribus ipſis generaliter aliquid abſque modi expreſſione legetur, in hoc legato ſic indeterminatè relicto, in omnibus, & per omnia intelligi, ac ſervari volumus, & in perpetuum præſenti conſtitutione jubemus, quòd ſupra in pecunia, ſeu eleemoſyna Fratribus indeterminatè oblata, vel miſſa, voluimus, ac expreſſimus obſervari: videlicet, ut ſub modo licito Fratribus intelligatur eſſe relictum: ita quod nec legans merito, nec Fratres ipſi effectu relicti fraudentur.

ARTICULUS VI.

De rerum commutatione, vel venditione.

Quia verò libros, & alia mobilia, quibus tam Ordo, quàm Fratres utuntur, quorum dominium (cum non ſint dominii aliorum) ad præfatam Eccleſiam ſpecialiter ſpectare dignoſcitur, interdum contingit, ſeu expedit vendi, vel etiam commutari; Fratrum utilitatibus, & eorum conſcientiis providere volentes, eadem auctoritate concedimus, ut commutatio rerum talium, & ad eas res, quarum uſum Fratribus licet habere, de Generalium & Provincialium Miniſtrorum in ſuis adminiſtrationibus conjunctim, vel diviſim auctoritate procedat, quibus etiam de diſpoſitione uſûs talium rerum concedimus ordinare.

Si verò res hujuſmodi æſtimato pretio vendi contingat; cum Fratribus ipſis per ſe, vel per alium recipere pecuniam Regula prohibente, non liceat, ordinamus, & volumus, quod talis pecunia, ſeu pretium recipiatur & expendatur in rem licitam, cujus uſum Fratribus licet habere, per Procuratorem à præfata Sede, vel à Cardinali gubernationem per ipſam Sedem gerenti ejuſdem Ordinis deputandum, juxta modum in ſuperioribus neceſſitatibus præteritis, & ingruentibus ordinatum. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat, ex præſenti noſtra conceſſione Fratribus, pietatis ſeu devotionis intuitu, vel pro alia honeſta, & rationabili cauſa, obtentâ ſuper hoc priùs Superiorum ſuorum licentiâ, juxta quod inter Fratres in generali, vel in provincialibus Capitulis tam de ipſis rebus vilibus, ſeu parum valentibus, & earum valore, quâm præſata licentia, ſcilicet à quibus, & qualiter ſit habenda, extiterit ordinatum, intra & extra Ordinem aliis elargiri.

ARTICULUS VII.

De Veſtimentis.

Licèt autem contineatur in Regula, quod *Fratres habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio*, & videri poſſit, illa fuiſſe inſtituentis intentio, quod neceſſitate ceſſante pluribus non utantur, declaramus, quod poſſint Fratres de licentia Miniſtrorum, & Cuſtodum conjunctim, & diviſim in adminiſtrationibus ſibi commiſſis, cum eis videbitur (penſatis neceſſitatibus, & aliis circumſtantiis, quæ ſecundùm Deum & Regulam attendendæ videntur;) uti pluribus: nec per hoc videantur à Regula deviare, cum etiam in ipſa dicatur expreſſè, quod Miniſtri, & Cuſtodes de infirmorum neceſſitatibus & Fratribus induendis, ſollicitam curam gerant, ſecundùm loca & tempora, & frigidas regiones. Et quamquam prædicta Regula contineat, quod de Fratribus induendis, & neceſſitatibus infirmorum Miniſtri tantùm & Cuſtodes ſollicitam curam gerant; & dictio illa, *tantùm*, adeo Miniſtros, & Cuſtodes in hac cura perſtringere videatur, quod ab ea cæteros prima facie excludat: quia tamen ſollicitè conſiderare Nos convenit, & tempus Regulæ inſtitutæ, quo Fratres iſti ad comparationem præſentem numero pauci erant, & forſan Miniſtri, & Cuſtodes videbantur tunc ad iſta procuranda poſſe ſufficere, ac nihilominus multiplicationes Fratrum & moderni

tem-

temporis qualitatem ; nec ſit veriſimile Beatum Franciſcum inſtitutorem Regulæ, vel ipſis Miniſtris & Cuſtodibus impoſſibilitatis jugum voluiſſe præfigere, vel ex ipſius impoſſibilitatis conſequentia Fratres ipſos ſuis neceſſitatibus velle carere: concedimus, quod ipſi Miniſtri & Cuſtodes poſſint per alios hujuſmodi curæ ſollicitudinem exercere. Debent etiam & alii Fratres curam hujuſmodi, quæ præfatis Miniſtris & Cuſtodibus præcipuè incumbit ex hac Regula, cum ſibi ab illis commiſſa fuerit, gerere diligenter.

ARTICULUS VIII.

De labore Fratrum.

CОntinetur quoque in Regula, quòd *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita quod (excluſo otio animæ inimico) ſanctæ orationis & devotionis ſpiritum non extinguant.* Quia verò ex verbo iſto Fratres ipſos de otioſitate vitæ, & de Regulæ transgreſſione improbè notare interdum hactenus aliqui ſunt conati: Nos morſus hujuſmodi nefarios reprimentes, declaramus, quod conſideratis verbis prædictis, & formâ, ſeu modo loquendi, ſub quibus Fratres ad hujuſmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuiſſe inſtituentis intentio, quod vacantes ſtudio, vel divinis officiis, & miniſteriis exequendis, manuali labori, ſeu operationi ſubjiceret, vel ad hoc illos arctaret: Cum exemplo Chriſti, & multorum Sanctorum Patrum, labor iſte ſpiritualis tantò illi præponderet, quantò quæ ſunt animæ, corporalibus præferuntur. Ad alios verò, qui ſe in prædictis ſpiritualibus operibus non exercent, niſi tales aliorum Fratrum licitis ſervitiis occupentur, (ne otioſè vivant) verba prædicta declaramus extendi.

Niſi & tales tam excellentis & notabilis contemplationis, & orationis exiſterent, quòd meritò propter hoc non eſſent â tanto bono pro hujuſmodi exercitio ſubtrahendi: Fratres enim quicunque ſtudio, vel divinis miniſteriis non vacantes, ſed aliorum Fratrum ſtudio, vel aliis divinis officiis, & miniſteriis vacantium ſervitiis inhærentes tantùm, pro ſervitiis eiſdem, cùm ipſia quibus ſerviunt, ſuſtentari merentur; quod aſtruitur illa æqua lege, quâ ſtrenuus pugnator ille David juſtè decrevit, videlicet, quod deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas, portio æquaretur.

ARTICULUS IX.

De Prædicatoribus, & recipiendis ad Ordinem.

VErùm, quia expreſſè continetur in Regula, quòd *Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum*, Nos in hoc & deferentes regulæ, & nihilominus auctoritatem Apoſtolicæ plenitudinis conſervantes, dicimus, quòd prædictum verbum ad literam, ſicut Regula ipſa protulit, obſervetur: niſi per ſedem Apoſtolicam circa hoc pro utilitate populi Chriſtiani ſit conceſſum, vel ordinatum aliud, vel inpoſterum concedatur, ſeu etiam ordinetur. Et quia in eodem Capitulo Regulæ immediatè ſubjungitur, quod *nullus Fratrum populo penitùs audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali fuerit examinatus, & etiam approbatus, ac ab eo prædicationis officium ſibi ſit conceſſum*: Nos & ſtatum præteritum ipſius Ordinis in paucitate ſui, & modernum in ampliato Fratrum numero, ac utilitatem animarum (ut condecet) advertentes, concedimus, nedum Generalem examinare, & approbare Fratres prædicaturos in populis, ac illis concedere licentiam prædicandi, quatenus perſonæ idoneitatem, & prædicationis officium licentia ipſa reſpiceret, prout in Regula continetur, verùm etiam Provinciales Miniſtri hoc poſſint in Capitulis Provincialibus cum Definitoribus, quod etiam hodie obſervari dicitur, & in Fratrum privilegiis contineri: quam quidem licentiam præfati Miniſtri revocare, & ſuſpendere valeant, & arctare, ſicut quando id eis videbitur expedire. Sed, quoniam in deſideriis noſtris hoc geritur, ut ad Dei gloriam ſalus proficiat animarum, ac dicto Ordini, per quem jugiter ad amorem divinum affectio Chriſtianæ religionis accenditur, meritum & numerus augeatur, concedimus, & præſenti ſtatuto firmamus, licere non ſolùm Generali, ſed etiam Provincialibus Miniſtris, perſonas fugientes â ſæculo in Fratres recipere, quæ Miniſtrorum Provincialium licentia per ipſum Generalem (ſicut expedire viderit) poſſit arctari; Vicarii verò Provincialium Miniſtrorum ex officio Vicariæ licentiam hanc ſibi noverint interdictam: niſi per Miniſtros eoſdem (quibus hoc poſſe committere Vicariis & aliis licere decernimus:) hoc ipſis Vicariis ſpecialiter committatur. Caveant tamen ipſi Provinciales, quod hoc non indiſcretè, non paſſim, ſed ſic conſideratè committant, ut illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus

conſiliis fulciant, quæ omnia diſcretè procedant: nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, ſed illi tantùm, qui ſuffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumſtantiis poſſint utiles eſſe Ordini, ſibique per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum.

ARTICULUS X.

De Cuſtodibus ad Capitulum Generalem.

INſuper dubitantibus Fratribus prædicti Ordinis, an pro eo, quòd in Regula dicitur, ut *decedente Generali Miniſtro, à Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes fiat electio ſucceſſoris*, omnium Cuſtodum multitudinem oporteat ad Generale Capitulum convenire: aut (ut omnia cum majori tranquillitate tractentur) ſufficere poſſit, ut aliqui de ſingulis Provinciis, qui vocem habeant aliorum, interſint? taliter reſpondemus, ut ſcilicet ſingularum Provinciarum Cuſtodes unum ex ſe conſtituant, quem cum ſuo Provinciali Miniſtro pro ſe ipſis ad Capitulum dirigant, voces aut vices ſuas committentes eidem. Quod etiam conſtituerint per ſe ipſos ſtatutum hujuſmodi, duximus approbandum, Quod idem prædeceſſor noſter Gregorius IX. in caſu hujuſmodi dicitur reſpondiſſe.

ARTICULUS XI.

De Ingreſſu in Monaſteria Monialium.

DEnique, quia continetur in Regula ſupradicta, quòd Fratres non ingrediantur monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede prædicta conceſſa fuerit licentia ſpecialis: quamquam hoc de monaſteriis pauperum Monialium incluſarum, Fratres attentiùs intelligendum eſſe crediderint, cum eorum Sedes præfata curam habeat ſpecialem, & intellectus hujuſmodi per conſtitutionem quandam tempore Regulæ datæ, vivente adhuc Beato Franciſco, per Provinciales Miniſtros fuiſſe credatur in generali Capitulo declaratus: iidem certificari nihilominus poſtulaverint, an hoc de omnibus generaliter, cum Regula nullum excipiat, an de illis ſolùm monaſteriis Monialium prædictarum debeat intelligi?

Nos utique generaliter id eſſe prohibitum de quarumlibet cœnobiis Monialium reſpondemus & nomine Monaſterii volumus clauſtrum, domos, & officinas interiores intelligi: pro eo, quod ad alia loca, ubi homines ſæculares conveniunt, poſſunt Fratres illi cauſâ prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ accedere, quibus id à Superioribus ſuis pro ſua fuerit maturitate, vel idoneitate conceſſum, exceptis ſemper prædictarum monaſteriis Incluſarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, quod etiam idem ipſum prædeceſſor noſter Gregorius IX. in eo caſu dicitur reſpondiſſe.

ARTICULUS XII.

De obligatione Teſtamenti S. Patris.

CÆterùm ſanctæ memoriæ Confeſſor Chriſti Franciſcus mandâſſe dicitur circa ultimum vitæ ſuæ, quod verba ipſius Regulæ non gloſſentur, & (ut verbis ejuſdem utamur) *quod ſic vel ſic intelligi debeat, non dicatur*: adjiciens, quod Fratres nullo modo litteras aliquas ab Apoſtolica Sede petant, & alia quædam interſerens, quæ non poſſent ſine multa difficultate ſervari; propter quod Fratres hæſitantes, an tenerentur ad obſervantiam Teſtamenti prædicti? dubitationem hujuſmodi per eundem prædeceſſorem noſtrum Gregorium IX. petierunt de ipſorum conſcientiis amoveri: qui (ſicut aſſeritur) attendens periculum animarum, & difficultates, quas propter hoc poſſent incurrere, dubietatem de ipſorum conſcientiis amovendo, dixit, Fratres ipſos ad ipſius mandati obſervantiam non teneri: quod ſine conſenſu Fratrum, & maximè Miniſtrorum, quos univerſos tangebat, obligare nequivit, nec ſucceſſorem ſuum quomolibet obligavit: cum non habeat imperium par in parem. Nos autem circa præſentem articulum nihil duximus innovandum.

ARTICULUS XIII.

De aliis Litteris Apoſtolicis, Regulæ, ejus gloſſis &c.

AD hoc à nonnullis Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus circa declarationem ipſius Regulæ, & ipſam regulam contingentia, diverſas litteras intelleximus emanâſſe: ſed nec per hoc mordacium prædictorum contra Regulam ipſam, & Fratres quievit inſultus: nec per ipſas litteras ſtatui Fratrum proviſum in multis, in quibus de novo vel aliter neceſſariò providendum eſſe, multorum poſtea caſuum contingentium experientia indicavit. Nos itaque, ne litterarum hujuſmodi, & præſentis conſtitutionis diverſitas, vel intellectûs adverſi-

verſitas in prædictorum obſervatione Fratrum animos perturbaret, & nt pleniùs, clariùs, & certiùs eorum ſtatui, & obſervantiæ prædictæ Regulæ conſulatur in omnibus & ſingulis articulis illis, quos Cnnſtitutio ipſa contioet, quamquam ipſi vel eorum aliqui cnntineantur in aliis litteris Apoſtolicis ſupradictis, haoc noſtram conſtitutionem, declarationem, ſeu ordinationem tantùm â Fratribus ipſis præciſè ac inviolabiliter decernimus perpetuis temporibus obſervandam,

Cum igitur ex prædictis, & âliis per Nos cum multa maturitate diſcuſſis, Regula ipſa licita, ſancta, perfecta, & obſervabilis, nec ulli patens diſcrimini evidenter appareat, illa & omnia ſupra ſcripta per Nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, decreta, declarata etiam & ſuppleta, de Apoſtnlicæ pnteſtatis plenitudine approbamus, confirmamus, & volumus exiſtere perpetuæ firmitatis: in virtute obedientiæ diſtrictè præcipientes, quòd hæc Conſtitutio, ſicut cæteræ cnnſtitutiones, vel decretales epiſtnlæ, legatur in ſcholis. Et quia ſub colore liciti, onnnulli contra Fratres ipſos, & Regulam, io legendn, exponendo, atque gloſſando poſſent dirum virus ſuæ ioiquiiatis effundere, ac ipſius conſtitutionis intellectum ipſum io diverſas, & adverſas ſententias producentes, ſuis adinventionibus depravare: & opinionum diverſitas, ac diſtnrſin intellectùs, multorum pios animos poſſet involvere, & à Religinnis ingreſſu multorum corda ſubtrahere; talium detrahentium vitanda perverſitas cogit Nos viam ipſis ad prædicts præcludere, & certum prncedendi mndum hanc conſtitutinnem legentibus præſinire.

Itaque ſub pœna excommnnicationis, & privationis officii ac beneficii diſtrictè præcipimus, ut præſens conſtitutio, cum ipſam legi contigerit, ſicut prnbata eſt, ſic fideliter exponatur ad litteram: concordantiæ, contrarietates, ſeu diverſæ, vel adverſæ opioiones à Lectoribus, ſeu Expoſitoribus nullatenus inducantur. Super ipſa conſtitutinne gloſſæ non ſiant, niſi forſan, per quas verbum, vel verbi ſenſus, ſeu cnnſtructio, vel ipſa conſtructio quaſi grammaticaliter ad litteram, vel intelligibiliùs exponatur: Nec intellectus ipſius per legentem depravetur in aliquo, ſeu diſtnrqueatur ad aliud quàm littera ipſa ſonat. Et, ne ſecùndum prædicta contra detractores hujuſmodi oporteat ulteriùs laborare, univerſis ac ſingulis cujuſcunque præeminentiæ, cooditionis, aut ſtaiùs, diſtrictè præcipimus, ne contra prædictam Regulam, & ſtatum Fratrum prædictnrum, ſeu contra præmiſſa per Nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata, ſuppleta, approbata, & etiam confirmata, dogmatizent, ſcribant, determineot, prædicent, ſeu pravè loquantur publicè vel occultè. Sed ſi quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ Sedis Apnſtolicæ deducatur, ut ex auctnritate Apoſtolica ſua in boc manifeſtetur intentio; cui ſolùm conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & edita declarare.

Gloſſantes verò in ſcriptis conſtitutionem ipſam aliter quàm eo modo, quem diximus: Dnctores verò inſuper & lectnres, dum docent in publico, ex certa ſcientia, & deliberatè intellectum conſtitutionis hujuſmodi depravantes, facientes quoque cnmmentum, ſcripturas ſeu libellos, ac ex certa ſcientia, & deliberatè determinantes in ſchnlis, ſeu prædicantes contra prædicta, vel aliqua, ſeu aliquod prædictnrum, nnn obſtantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, aut litteris Apoſtnlicis (quibuſcunque dignitatibus, perſonis, Ordinibus, aut locis Religioſis vel ſæcularibus generaliter, vel ſingulariter, ſub quacumque fnrma vel expreſſione verborum conceſſis, quæ nolumus aliquibus in præmiſſis quomodolibet ſuffragari) excommunicationis ſententiæ, quam nunc in ipſos proferimus, ſe nnverint ſubjacere; à qua per neminem, niſi per Rnmanum Pontificem, poſſint abſolvi. Inſuper tam iſtos, contra quos per nos excommunicationis eſt lata ſenientia, quàm alins (ſi qui fuerint) contra præmiſſa vel enrū aliquod venientes, ad Sedis memoratæ volumus deduci notitiam, ut, quos proviſus modus æquitatis non arcet à vetitis, compeſcat rignr Apoſtolicæ ultinnis. Nulli ergo nmnino hominum licest hanc pgginam noſtræ declarationis, nrdinationis, conceſſionis, diſpnſitinnis, ſuppletionis, approbationis, confirmationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Ommnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Suriani XVIII. Kalend. Septembris Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

In corpore juris Canonici tom. 6. Decretalium &c. lib. V. tit. XII *de verb. Signific. c. 3.*

MAR-

MARTINUS IV.

Gallus, ab aliis, qui Martinos, & Marinos Pontifices confundunt, Martinus II. & priùs Simon de Bria vulgò dictus, Presbyter Cardinalis, tit. S. Cæciliæ, Viterbii XXII. *Februarii MCCLXXXI. Romanus Pontifex lectus, & in Urbe Veteri die* XXIII. *Martii coronatus eſt. Explevit Peruſii Sacerdotale imperium* XXIX. *Martii MCCLXXXV. ex claritate vitæ, & ſignis commendatum.*

Stante difficultate in neceſſitatibus ad Sedem Apoſtolicam recurrendi, & pro fideliore voluntatis donantium, ac etiam in teſtamentis FF. Minoribus bona legantium executione, Syndicos, qui hujuſmodi eleemoſynas nomine Sedis prædictæ recipiant, in omnibus locis conſtituendi Generali, Miniſtris Provincialibus, ac Cuſtodibus facultatem largitur.

MARTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus univerſis Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedict.

EXultantes in Domino, quòd ſacri veſtri Ordinis Profeſſores in Dei beneplacitis confirmati, promptitudine devotionis & operis, illius ſtudent imitari veſtigia, ejuſque vias cuſtodire, qui deſcendens à Patre luminum, & ſervi formam accipiens, ſe in laudis ſacrificium placabilem hoſtiam immolavit, cogitare inducimur honeſta remedia, quibus dicti Ordinis pura obſervantia in ſui vigore ſervetur, iidemque Fratres, qui pro nulla re temporali poſſunt in judicio experiri, excluſis quibuslibet ſollicitudinibus, liberiùs, & quietiùs divinis vacent obſequiis, & offerentium, donantium, concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus ejuſdem Ordinis aliquid propter Deum pia intentio non fraudetur; ſicque Nos ſollicitudini, quâ prædictus Ordo pro ſuis neceſſitatibus, quoties ingrueret neceſſitas, vel utilitas ſuaderet, recurrere ad Romanam Eccleſiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres uti poſſunt, jus, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat, penſata incommoditate, vel difficultate potiùs, quæ per hoc ingeri poſſet Fratribus ſupradictus, benignè indulgentes; volentes quoque hæredum, & executorum negligentiis obviare, ut Fratres ſecundùm modos licitos, & congruos ipſi Ordini, relictis ſibi in teſtamentis eleemoſynis non fraudentur, ac ſperantes, quod his, quæ pro ſtatu proſpero dicti Ordinis agenda fuerint, per vos eò ſalubriùs, & utiliùs conſuletur, quò majori fueritis in hac parte auctoritate muniti; Diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, perſonas ſpeciales, quæ non ſint de ipſo Ordine, nominandi pro locorum indigentia ſingulorum, quas perſonas per vos taliter nominatas in his adminiſtrationem legitimam, generalem, & liberam gerere, & ipſos veros, & legitimos Adminiſtratores, Œconomos, Syndicos, & Actores eſſe, de plenitudine poteſtatis præſentium auctoritate conſtituendo decernimus, qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium, & dictas eleemoſynas nomine ipſius Eccleſiæ accipiant per eoſdem, in Fratrum ipſorum utilitatem (prout eis licet ex Regula, vel declaratione Regulæ) convertenda, ſicut, & quando à te, Fili Generalis, vel ſingulis aliis veſtrûm in Provinciis, vel Cuſtodia ſibi decreta vel ab eiſdem Fratribus de aſſenſu veſtro extiterint requiſiti, ac eædem perſonæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, tranſigendi quoque & paciſcendi, conveniendi, compromittendi, remittendi, reſutandi, quietationem ſaciendi, agendi, deſendendi, ac in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius generis juramentum præſtandi, cum illis, & contra illos, qui hujuſmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamento occuparent, vel violenter auferrent, ſive qui contra voluntatem Fratrum quomodolibet detinerent, & generaliter in omnibus cauſis pro rebus, & locis hujuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus ipſo-

rum Fratrum uſui conceſſis,nec non pro immunitatibus,libertatibus,juribus,ac privilegiis, & indulgentiis eorumdem ſine cujuslibet ſatisfactioois & cautionis onere,plenam, & liberam habeaot auctoritate Apoſtolica in judicio, & extra judicium poteſtatem, revocandi quoque perſonas eaſdem, & earum quamlibet, ac alias eis ſubrogandi, vel nominandi per ſupradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, qui eandem in prædictis, vel ſimilem habeant poteſtatem,pleoam,& liberam concedimus auctoritate preſentium facultatem. Nulli ergo &c.

Datum apud Urbem Veterem decimo qui nto Kalendas Februarii Pontificatûs ooſtri Anno Secundo.

Rodriq. in Collect. fol. 46. col. 1. ubi Autograph. in Archivo Salomantino oſſervori dicitur. Wadding. tom. 5. Anal. fol. 485. & tom. 10. fol. 301.

N O T A.

Confirmata eſt ium hæc Conſtitutio verbatim à Martino Papa V. per litteras incip. *Amabiles* inferiùs dandas, tum ipſa Syndicos nominandi facultas variis aliis litteris Apoſtolicis. Quæ autem Ordo Capucinus circa hanc ſervet, & ex Pontificia declaratione, & aſſenſu ſervare conſueſcat, alibi dabitur.

HONORIUS IV.

Romanus, de Sabellorum Domo, Jacobus priùs appellatus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, 11. Aprilis MCCLXXXV. Peruſii Martino ſuffectus, & Romæ coronatus eſt. Coronam autem, quam vitæ mortiſque comitem *in ſuis nummis expreſſit, triticeis ſpicis contextam, 111. Aprilis MCCLXXXVII. depoſuit Romæ in Vaticano tumulatus, & inde ad Eccleſiam FF. Minorum in Ara-Cœli juſſu Pauli III. translatus.*

FF. Minoribus, Epiſcopis Diœceſanis primarium lapidem Eccleſiarum ponere,vel Eccleſias conſtructas,& Altaria conſecrare, aut cœmeteria Fratrum benedicere (non attentâ humili deſuper facta requiſitione) denegantibus, ad quemcunque alium Epiſcopum pro hac gratia recurrere indulget.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Generali Miniſtro, & Fratribus de Ordine Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte veſtrâ fuit propoſitum coram Nobis, quod, licèt vobis per ſpecialia privilegia Sedis Apoſtolicæ ſit indultum, ut ad Civitates, vel Villas, ubi religinsè ac honeſtè commorari poſſitis, à populis evocati accedere, ibique pro veſtris uſibus, ædificia, & Eccleſias, ſive Oratoria cunſtruere valeatis, Diœceſani tamen locorum in Eccleſiis, ſeu Oratoriis, quæ de nnvo vultis cnnſtruere, primarium lapidem ponere, & constructa conſecrare, ac cœmeteria vobis juxta Eccleſias, vel Oratoria prædicta benedicere denegant pro ſuæ libito voluntatis; Aliqui verò Diœceſanorum ipſorum,cum ad Eccleſias,& loca veſtra pro præmiſſis exequendis accedunt, propter evictionum, & perſonarum multitudinem, quas ſecum ducunt, gravant vos non modicum in expenſis. Quare Nos humiliter ſupplicâſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna ſollicitudine dignaremur.

Nos itaque veſtris ſupplicatioaibus inclinati, devotioni veſtræ auctoritate præſentium indolgemus, ut, ſi Diœceſani prædicti à vobis humiliter requiſiti, hujuſmodi lapidem in prædictis Eccleſiis, vel Oratoriis ponere, Eccleſias, vel Oratoria prædicta, ac etiam Altaria veſtra cnnſecrare, cœmeteria benedicere denegaverint, vel id facere ultra quatuor menſes diſtulerint, vos per quuſcunque volueritis Epiſcopos, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, præmiſſa recipere liberè valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis &c. Si quis autem &c.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam decimoquioto Kalendas Februarii Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Monum. Ordin. fol. 103. *Speculum Minor. tract.* 2. *fol.*25. *Waddingus tom.*5. *Annal. fol.*495.

N O T A

PRivilegium hoc Leo Papa X. Sacro approbante Concilio Lateranenſi, Conſtitutione ſua *Dum intra &c.* inferiùs danda moderatus eſt, & dum Honorius illud FF. Minoribus conceſſit io- & pro caſu = ſi Diœceſani lapidem in Eccleſiis ponere, Eccleſias conſecrare ultra quatuor menſes diſtulerint, Leo X. econtra id ſolùm valere ſancivit = ubi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſaverit = Fortiùs illud tetigit Sacra Tridentina Synodus, dum Seſs.VI. de Reformatione cap.V. ſequens edidit Decretum = *Nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in Perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopi ab exercitio Pontificalium ſint ipſo jure ſuſpenſi.*

Qui tenaciùs privilegiorum uſui inſiſtunt, per hæc Tridentini Concilii verba, privilegium Epiſcopis, non verò Regularibus ajunt eſſe ſublatum: alii id revocatum aſſerunt ut privilegium, valere tamen ceu jus commune *ex cap.* 1. *de ſuppl. neglig. Prælat. & cap. nihil ult. de elect.* ſuperaddunt. Paſſerinus *tom.* 3. *de Stat. quæſt.* 189. *art.* X. *fol. mihi* 884. *col.*2. *num.* 921. factâ ad hunc opinionum conflictum maturiore conſideratione, veriùs & ita concludit: exiſtimo privilegia Regularium in hac parte revocata eſſe per Tridentinum, quod quidem prohibet Epiſcopis exercere Pontificalia *ſub cujuſvis privilegii* prætextu. Ex quo ruit opinio prima, cum dictio *cujuſvis* univerſaliſſimè diſtribuat pro quocunque privilegio, & ideo per Tridentinum, & privilegium Epiſcopale, & Regulare revocetur. Magis ſolida proferri poſſent de hujuſmodi Epiſcopali functione, quatenus imbibit rationem juris communis, prout & profert loco & num. cit. Paſſerinus: cum tamen totum ab Epiſcoporum arbitrio dependeat, & ſ u privilegium, ſeu jus, ubi illi contradicunt, & aliter ſentiunt, nihil operetur, fuſiora dare ſuperfluum eſt.

Notari autem debet, quod hucuſque dicta de conſecratione ſolemni Eccleſiarum, & Altarium intelligi debeant, cum Regulares, etiam nunc, Eccleſias ſuas, Oratoria, Cœmeteria &c. juxta inferiùs dicenda benedicere poſſint.

Conventiones, & pacta cum Prælatis & Rectoribus Eccleſiarum in receptione Domuum Regularium à PP. Miniſtris Provincialibus, aut Guardianis &c. abſque præſcitu Miniſtri — aut Capituli — Generalis facta, nulla, ac jus priſtinum contra ea integrum conſervari decernit.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis favor, ſub quâ virtutum Domino deſervitis, & fructus uberes, qui ex veſtris laboribus in Eccleſia univerſali divinâ gratiâ cooperante proveniunt, Nos inducunt, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ ab impedimentorum obſtaculis liberati, fructificare liberiùs in eâdem Eccleſia valeatis.

Sanè ex parte veſtrâ fuit propoſitum coram Nobis, quod nonnulli Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & Fratres veſtri Ordinis in receptionibus domorum, & locorum ejuſdem Ordinis, cum Prælatis, Rectoribus, & Clericis Eccleſiarum, in quarum territorio domus, & loca prædicta conſiſtunt, ſine tua, Fili Generalis, & alicujus prædeceſſorum tuorum, ac Generalis Capituli Ordinis prædicti licentia & aſſenſu, compoſitiones, & pacta varia in præjudicium indulgentiarum, & privilegiorum Apoſtolicæ Sedis eidem Ordini conceſſorum, inire temerè præſumpſerint, cum id eis nec ex auctoritate competeret, nec ex ſpeciali eſſet conceſſione cummiſſum, nec à te, ſive à tuis prædeceſſoribus Miniſtris Generalibus, vel ab eorum Capitulo fuerint compoſitiones & pacta hujuſmodi acceptata. Quare Nobis humiliter ſupplicâſtis, ut, quia ex conventionibus & pactis eiſdem præſumptis, taliter in his, quæ Ordini præfato, tam ex Apoſtolicæ Sedis privilegiis ac indulgentiis, quàm à jure communi conceſſa eſſe noſcuntur, nimiùm derogetur, providere ſuper hoc paternâ ſollicitudine curaremus. Nos igitur volentes ſuper hoc de Apoſtolicâ benignitate providere, præſentium tenore decernimus, quod ex conventionibus, & pactis talibus, & taliter initis, in iis, quæ ipſi Ordini, vel perſo-

Digitized by Google

ſonis, aut locis ejuſdem, ſive de jure communi competant, ſive per privilegia, vel indulgentias ſint conceſſa eidem Ordini, locis, domibus, vel perſonis præjudicium nullum fiat; ſed compoſitionibus, & pactis ipſis (dummodo nec à te memorate Generalis, nec à prædeceſſorum tuorum aliquo, vel dicto Capitulo acceptata fuerint) nequaquam obſtantibus, & tam ipſius Ordinis domibus, perſonis, & locis, quàm iis, cum quibus eædem compoſitiones & pacta ſunt inita, jus priſtinum abſque alicujus impedimenti obice integrum conſervetur. Nulli ergo hanc paginam liceat &c.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam quarto idus Februarii Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Specul. Minor. tract. 2. fol. 53. Rodriquez in Collect. fol. 47. col. 1. Wadding. tom. 5. Annal. fol. 496.

NICOLAUS IV.

Priùs Fr. Hieronymus, patriâ Aſculanus, Ordinis Minorum Profeſſor, & ejuſdem Miniſter Generalis, poſtmodum S. R. E. Cardinalis, juxta Henricum Rebdorffium bis electus, cum lacrymis reſignavit, tertiò compulſus, omnibus Cardinalibus acquievit, *in feſto Cathedræ S. Petri Antiochiæ MCCLXXX. VIII. Cathedram S. Petri Romæ occupavit; reliqua tum de ejus virtute, tum de Pontificatu exhibet epitaphium, juſſu Sixti Papæ V. Mauſolæo illius, quod de choro Baſilicæ S. Mariæ Majoris ob novam fabricam, ad portam majorem tranſlatum, in ingreſſu ad lævam hodiedum conſpicitur, ita inciſum*

Nicolaus IV. Ordinem Minorum Profeſſus, Philoſophus, & Theologus egregius, Conſtantinopolim à Gregorio X. miſſus, Græcos ad Romanæ Eccleſiæ communionem, Tartaros ad Fidem reduxit; poſt S. Bonaventuram Generalis, ſanctitate & doctrina Ordinem propagavit; Nicolai III. Nuntius, inter Francorum & Caſtellæ Reges pacem conciliavit; S. Pudentianæ Cardinalis, Legatus Honorii IV. in Galliam, Senatoriam Populi Romani dignitatem Sedi Apoſtolicæ reſtituit; Factus Pontifex Rempublicam, ſublatis diſcordiis, compoſuit; Chriſtianos Principes ſacro fœdere junxit; Ptolemaidem copiis adjuvit; Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit; Publicum in Monte Peſſulano Gymnaſium inſtituit; Probos, & eruditos in Cognatorum loco tantùm habuit: Lateranenſem, & hanc Baſilicam ſtructuris & opibus auxit. Tandem juſtitia & religione Orbem terræ moderatus, magna ſanctitate obiit Pridie Nonas Aprilis MCCXCII. Pontificatûs ſui Anno Quinto.

Fratres

Fratres Minores à cujuſvis alterius juriſdictione eximit, loca eorum & alia, quorum uſus iis competit, in jus, & proprietatem S. Petri ſuſcipit, & Eccleſias, ac Domos eorum exemptas declarat.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUia nonnulli, qui hæſitare ſe aſſeruot, ubi non eſt aliquatenus hæſitandum, dum in malignitatis aſtutia in dubium revocare conantur, utrum Vos, & Ordo veſter exemptionis privilegio gaudeatis, & an juris, & proprietatis Beati Petri, ae etiam cujuſvis alterius juriſdictione prorſus exempti, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quarum vobis uſum habere licet, immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ exiſtatis, quantumcumque vobis, & eidem Ordini per diverſos Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices ſuper his pleoè, ſicut aſſeritur, ſit proviſum; Nos veſtræ, & ejuſdem Ordiois providere quieti, paternæ ſollicitudinis ſtudio intendentes, ſicque volentes ſuper hoc omnem dubitationis, ambiguitatis, & querelæ materiam funditùs amputare, ne quis Vos, & eundem Ordinem ſuper exemptione hujuſmodi, ac aliis veſtris, & ipſius Ordinis libertatibus, & immunitatibus quibuſcumque, vobis, & ei à Sede Apoſtolica conceſſis impugnare valeat, vel quomodolibet moleſtare, Vos, & Ordinem ipſum à cujuſvis alterius juriſdictiooe omnimodæ prorſus eximimus de ſpeciali gratia. Decernentes vos, & eundem Ordinem immediatè Sedi ſubjacere prædictæ; Eccleſias verò, & Oratoria, domos, loca, & libros, utenſilia, & alia mobilia, & immobilia, quorum uſum habetis ex licito, cum cæteris quocunque modo pertinentibus ad prædicta, & aliquod prædictorum, in jus & proprietatem Beati Petri, Apoſtolica auctoritate ſuſcipimus, illis ex eis dumtaxat exceptis, in quibus expreſsè donatores, ſeu translatores ſibi proprietatem, & dominium conſtiterit reſervâſſe. Præterea Eccleſias, Oratoria, domos, & loca prædicta, quæ tenetis, & inhabitatis, & tenebitis, & inhabitabitis in ſuturum, dum, & quoties illa vos tenere, & inhabitare contigerit, eſſe omnino exempta decernimus, nulloque medio Sedi memoratæ ſubeſſe. Nulli ergo hominum liceat &c. noſtræ conceſſionis &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſecundo Kalendas Maji Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Monum. Ord. fol. 112. Rodriq. in Bullar. fol. 53. col. 1. Wadding. tom. 5. Annal. fol. 513. ex Bulla originaria Archivo Aracœlit. num. 20.

Tranſeuntes ab Ordine Minoritano ad aliam Religionem, ſive petita vel non petita, obtenta vel non obtenta ſuorum Superiorum licentia &c. in hac ad officium, dignitatem, aut Prælaturam promoveri prohibet.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ord. FF. Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

IN veſtri Ordinis Regulâ per Sedem Apoſtolicam confirmata, inter cætera continetur, quod eam profeſſis de ipſa egredi nullo modo licebit, nec vobis licentiandi, & abſolvendi ab Ordine ipſo, poteſtas tribuitur ex Regulâ prædictâ: ſed nonnulli Ordinis veſtri Fratres poſt factam in ipſo profeſſionem, ab eis infirmitate mentitâ, & aliis confectis mendaciis, ac per malignitatis aſtutias occaſionibus variis adinventis, & ambitionibus creſcentibus in eiſdem, à Superioribus ſuis ioterdum exeundi de Ordine ipſo liceotiam poſtulant, eandemque obtinent ab eiſdem. Interdum verò illicentiati exeunt de eodem ad alios convolantes, in quibus digoitates, Prælaturas & officia aſſumuot, non ſine propriæ ſalutis diſpendio, & derogatione non modica honeſtatis Ordinis memorati.

Nos igitur volentes huic morbo congruæ medelæ remedium adhibere, ac animarum obviare periculis, & evagandi materiam amputare, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut Fratres veſtri Ordinis, qui poſt profeſſionem ab eis in ipſo Ordine factam, ad quoſcunque Ordines alios profeſſionis cujuslibet, petita vel non petita, obtenta vel non obtenta à ſuis Superioribus licentiâ, immediatè, vel per

alium,

alium, vel alios Ordines, tranſierunt jam, vel tranſierint, in Ordine, ſive Ordinibus, ad quem, vel ad quos, tranſitum habuerunt, aut eos impoſterum habere contigerit, vel etiam extra illos, ſed nullam omnino adminiſtrationem, vel officium curam animarum habentia, nec etiam ad aliquam dignitatem, vel Prælaturam, ſeu perſonatum quoquomodo poſſint aſſumi abſque Apoſtolicæ Sedis ſpeciali, & expreſſa licentia, per ipſius Sedis patentes literas concedenda, facientes plenam, certam, & determinatam de ſtatuto, & ordinatione hujuſmodi mentionem. Nos enim nihilominus ex nunc irritum & inane decernimus, ſi ſecus in hac parte fuerit attentatum. Nulli ergo &c. noſtræ ordinationis, & inhibitionis &c.

Datum Reate ſecundo idus Maji, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bulla plumbata in Arch. Aracœlit. n. 23. Specul. Minor. tract. 2. fol. 33. Rodriq. in Collect. fol. 48. col. 2. Wadding. tom. 5. Annal. fol. 514.

Concionatorem, S. P. Franciſco nonniſi ſigna Dei mortui, & quidem ſuperficialiter & ad modum, uti in picturis cernitur, impreſſa fuiſſe aſſerentem, prædicationis officio privat, doctrinamque ceu improbam & temerariam damnat.

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio, Priori N. Provinciali Fratrum Ordinis N. Provinciæ Tuſciæ.

CUm ad aures noſtras inſinuatione multiplici perveniſſet, quod Fr. N. N. tui Ordinis, cum in die Feſtivitatis Beati Petri Martyris publicè prædicaret, ſuis terminis non contentus, in obtrectationem Stigmatum Crucifixi, quibus B. Franciſcus certo, & ſingulari dono inſignitus fuiſſe dignoſcitur, temeraria objurgatione prorupit, ut ſigna Dei vivi B. Petro Martyri, & B. Franciſco mortui Dei ſigna, & hæc ſuperficialiter, ſicut cernitur in picturis, adſcriberet. Nos ſuper his non ſine admiratione commoti, hoc diligenter attendimus, quod Sancta Romana Eccleſia, de B. Franciſco & Stigmatum ejus infixione, ſollicita, illa in carne ipſius non ſuperficialiter, ſed in interiora per carnem, & nervos, & oſſa in quinque partibus manuum, pedum, & lateris in certos, & congruos fines ingreſſa; ita ut non virtute naturæ, ſed miraculoſo gratiæ dono ſic fieri, vel eſſe potuerit, per teſtes legitimè comprobatum accepit, & ut ſic de Stigmatibus ipſius B. Franciſci teneatur, & venerabiliter obſervetur, irrefragabili ſanctione firmavit: ex quo ambiguum videri non poteſt ſacrilegii ſubire diſcrimen, quicumque negare, vel improbare audeat, quod ipſa Mater Eccleſia tantæ ſanctimoniæ ſpiritu, non omiſſo humanæ juſtitiæ molimine confirmavit. Propterea Fratrem ipſum, ut ex ore ejus ſcire poſſemus, ſi ſecundùm ea, quæ Nobis inſinuata fuerant, facti veritas ſe haberet, ad noſtram præſentiam duximus evocandum, qui poſtmodum in noſtra præſentia conſtitutus, poſt aliquam diſcuſſionem fuit ſponte confeſſus, quod de ſignis hujuſmodi prædicaverat, ea in Martyre præfato viventis Dei fuiſſe, non mortui, & quæ in B. Franciſco fuerant, fuiſſe Dei mortui, & non viventis. Nos igitur dicti Fratris aſſertionem improbam, & temerariam attendentes, qua de Salvatore & Stigmatibus ejus periculoſè diſtinguens, Chriſtum in Sanctis ſuis aſſeruit nunc mortuum, nunc viventem, cum tamen, qui manet in æternum Chriſtus, non minùs, aut plus viveret Martyri, cum illum ſigno Martyrii coronaverit, quàm militanti Confeſſori, qui crucem ſuam tulerat, & nudus nudum ſequebatur, cum dedit illi, ut Stigmata ſua excellentiſſimo privilegio in carnis ſuæ materia præſentaret, quæ quidem vivo adhuc ipſo Confeſſore, ac poſtmodum diem functo humanis oculis & tactui patentiſſimè claruerunt: memorato Fr. N. N. ut juxta ea, in quibus pernicioſa ſubtilitate deliquerat, pœnam agnoſceret, pro noſtra quidem patientia ſuo demerito leniorem, prædicationis officium, ac docendi miniſterium uſque ad ſeptennium Nos interdixiſſe cognoſcas. Quocirca Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus interdictum noſtrum hujuſmodi, circa ipſum Fr. N. N. procures, & facias inviolabiliter obſervari, & tu ovem tuam cognoſcens, ac morbum ejus, & appoſitam medicinam, ſic illam boni paſtoris more euſtodias, ut ipſa, & aliis per exemplum, & ſibi per meritum obedientiæ convaleſcat, & ex hoc tuæ cuſtodiæ rectitudo dignè poſſit à Nobis in Domino commendari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem duodecimo Kal. Decembris, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Regeſtum Vaticanum epiſt. 596. Wadding. tom. 5. Annal. fol. 267.

S. COE-

S. COELESTINUS V.

Priùs Petrus de Monte-Murrone, prope Sulmonam, in Regno Neapolitano, ſolitariæ, ſanctæque Vitæ Monachus, Cardinalium votis, ultra duos annos infeliciter diſperſis, & in eo tandem unitis, Peruſii 5. Julii MCCXCIV. abſens, Summus Pontifex proclamatus, & in Aquilæ Civitate coronatus eſt. Papatûs bonori, & oneri Neapoli 13. Decembris ejuſdem anni, & ſatis in Caſtro, ſeu Eremo Fumonis 19. Maji 1296. ceſſit.

BONIFACIUS VIII.

Antea Benedictus Cajetanus, patria Anagninus, ex illuſtri Cajetanorum ſtemmate, Presbyter Cardinalis SS. Silveſtri, & Martini, ad viduatam Cœleſtini ceſſione Cathedram, Neapoli XXIV. Decembris MCCXCIV. ſelectus, Romæ menſe Januarij anni ſequentis Pontificiam thiaram, ibique XI. Octobr. MCCCIII. mortuus, in Baſilica Vaticana tumulum accepit:

Conceſſam ab aliis Summis Pontificibus Ordinis FF. Minorum ab omni Prælatorum exemptionem confirmat.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolic. Benedictionem.

INter cæteros Ordines, quos cœleſtis Agricolæ ſumma benignitas in horto plantavit Eccleſiæ, ſacrum veſtrum Ordinem tam per Orbis Provincias, ſuperna gratia propagante, diffuſum, dum minori fungeremur officio, ſincera charitate dileximus, ad ſtatum ejus feliciter promovendum ſollicitis ſtudiis intendentes. Nec minuit utique, ſed anxit potiùs circa ipſum præhabitæ dilectionis affectum, perſonæ noſtræ ſubſecuta promotio ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, cum tantò propenſiùs ad ipſius Ordinis intendamus augmentum, quantùm Nobis facultas præſtantior, quamquam noſtris non exigentibus meritis, noſcitur cœlitus attributa.

Licèt igitur nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri præfatum Ordinem à Prælatorum juriſdictione quorumlibet prorſus exemerint, ipſumque fore decreverint per ipſorum litteras ſpeciales exemptum: Nos tamen Ordinem ipſum ob ſalutis fructus innumeros, qui ex ipſo noſcuntur animabus fidelium provenire, gerentes in viſceribus charitatis, & propterea volentes omnino, ut quiſquam, cujuſcunque ſit Ordinis, dignitatis, conditionis, aut ſtatûs, Vos generaliter, aut ſpecialiter, ac præfatum Ordinem ſuper exemptione ipſius, ac aliis veſtri Ordinis libertatibus, & immunitatibus quibuſcunque, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, Vobis, & eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis, impugnare, turbare, ac impetere valeat, vel quomodolibet moleſtare, Vos, & Ordinem ipſum, ab omni, & ſingulorum quorumlibet Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate, & juriſdictione prorſus eximimus de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis: decernentes Vos, & Ordinem ſupradictum immediatè, nulloque medio, eidem Sedi ſoli tantummodò, & Romano Pontifici ſubjacere.

Præterea Eccleſias, Oratoria, Domos, loca, libros, utenſilia, & alia quælibet mobilia, & immobilia, quorum uſum licitè habere noſcimini, cum cæteris omnibus quocumque modo, vel quavis cauſa pertinentibus ad prædicta, & aliquod prædictorum in jus, & proprietatem B. Petri, Apoſtolica auctoritate ſuſcipimus in perpetuum valitu-

ra, illis ex eis duntaxat exceptis, in quibus evidenter, & expreſsè donatores, ſeu translatores ſibi proprietatem, & dominium conſtiterit reſervâſſe. Eccleſias inſuper, Oratoria, domos, & loca prædicta, quæ tenetis, & inhabitabitis in futurum, dum & quoties vos illa tenere, & inhabitare contigerit, exempta prorſus exiſtere, nulloque medio Sedi ſubeſſe decernimus prælibatæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum tertio Idus Novembris, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Regeſtum Vatican. epiſt. 635. Monum. Ordinis fol. 32. à tergo. Wadding. tom. 5. Annal. fol. 562.

Liberum proceſſum in criminalibus, Prælatis Ordinis Minorum, rimis, ac apicibus juris poſtpoſitis, concedit.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD augumentum continuum Religionum, & Ordinum, quos Romana ſuſcepit, & approbavit Eccleſia, paternis ſtudiis intendentes, & conſiderantes attentiùs, quod non intermiſſa ſedulitas diſciplinæ, Religiones, & Ordines ſupradictos, ſtatuſque regulares ſalubriter dirigit, & conſervat, quodque ſi eam perire, & remitti contingeret, Ordo quilibet collabi neceſſariò cogeretur. Penſantes etiam, quod ſi regularium perſonarum correctio rimas, & apices ſequeretur, hujuſmodi rigor lenteſceret, ac multiplici læſione torperet. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis authoritate Apoſtolica indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum ejuſdem Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis ſupradicti, ad quos eadem ſpectare noſcuntur, rimulis, & apicibus ipſis poſtpoſitis, liberè procedere valeant ſecundùm conſuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda ipſius Ordinis inſtituta, nec volumus eiſdem licere Fratribus ab eiſdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prævia in hoc deliberatione, ac maturitate debita obſervatis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum pridie Idus Novembris Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Regeſt. Vaticanum epiſt. 636. Rodriq. in collect. fol. 54. Waddingus tom. v. Annal. fol. 561.

N O T A

PRivilegium de non ſtando in juris apicibus, declaravit Clemens P. P. V. ac, quid verba judicialibus commiſſionibus inſerta ſignificent, determinavit conſtitutione Decretali, quæ Sexto Decretalium inter Clementinas reperitur, & eſt tenoris ſubnexi.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SÆpe contingit, quod cauſas committimus, & in earum aliquibus ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii procedi mandamus: de quorum ſignificatione verborum à multis contenditur, & qualiter procedi debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem hujuſmodi (quantum Nobis eſt poſſibile) decidere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut Judex, cui taliter cauſam committimus, neceſſariò libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum à jure procedere valeat: amputet dilationum materiam, litem, quantùm poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias & fruſtratorias repellendo: partium Advocatorum & Procuratorum contentiones & jurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrænando. Non ſic tamen Judex litem abbreviet, quin probationes neceſſariæ, & defen-

defenſiones legitimæ admittantur. Citationem verò ac præſtationem juramenti de calumnia vel malitia, ſive de veritate dicenda, ne veritas occuletur, per commiſſionem hujuſmodi intelligimus non excludi.

Verùm, quia juxta petionis formam pronunciatio ſequi debet, pro parte agentis & etiam rei, ſi quid petere voluerit, eſt in ipſo litis exordio petitio facienda, ſive in ſcriptis, ſive verbo, actis tamen continuò (ut ſuper quibus poſitiones & articuli formari debeant, poſſit haberi plenior certitudo, & ut fiat diffinitio clarior) inſerenda. Et quia poſitiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confeſſiones & articulos ad clariorem probationem, uſus longævus in cauſis admiſit: Nos uſum hujuſmodi obſervare volentes, ſtatuimus, ut Judex ſic deputatus à Nobis (niſi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum ſimul utriſque terminum dare poſſit, & ad exhibendum acta omnia ac munimenta, quibus partes uti volunt in cauſa poſt dationem articulorum, diem certam, quandocumque ſibi videbitur, valeat aſſignare: eo ſalvo, quod, ubi remiſſionem fieri contingeret pro teſtibus producendis, poſſint etiam inſtrumenta produci, aſſignatione hujuſmodi non obſtante. Interrogabit etiam partes, ſive ad earum inſtantiam, ſive ex officio, ubicunque hoc æquitas ſuadebit. Sententiam verò diffinitivam (citatis ad id licèt non peremptoriè partibus) in ſcriptis, & (prout magis ſibi placuerit) ſtans vel ſedens proferat etiam, ſi ei videbitur, concluſione non facta, prout ex petitione & probatione & aliis actitatis in cauſa fuerit faciendam. Quæ omnia etiam in illis caſibus, in quibus per aliam Conſtitutionem noſtram, vel aliàs procedi poteſt ſimpliciter, & de plano; ac ſine ſtrepitu & figura judicii, volumus obſervari. Si tamen in præmiſſis caſibus ſolemnis ordo judiciarius in toto, vel in parte, non contradicentibus partibus, non obſervetur, non erit proceſſus propter hoc irritus, nec etiam irritandus.

Datum Avenione XIII. Kal. Decembris Pontificatûs noſtri Anno II.

In Clement. L. 5. de verb. ſignif. Waddingus tom. 6. Annal. fol. 87.

Fratres Minores ab Eccleſiæ Prælatis vocati, cum iis Monaſteria Monialium ingredi poſſe declarat.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

HAbet veſtræ devotionis aſſertio, quod Ordinis veſtri Fratres ſæpe ab Eccleſiarum Prælatis, cum in aliquibus Monaſteriis, & aliis religioſis locis diverſorum Ordinum ſuarum Civitatum & Diœceſûm intendunt officium viſitationis impendere, invitantur, vocantur etiam ad defunctorum celebrandas exequias, generales proceſſiones, & prædicationes faciendas, & audiendas etiam confeſſiones infirmorum. Et quia Fratres ipſi Monaſteria Monialium, & loca, quæ Sanctæ Claræ Ordinis non exiſtunt, ingredi nequeunt, veſtrâ illis Regula obſiſtente, ceteris Religioſis, & aliis tunc præſentibus Monaſteria, & alia loca intrantibus ſupradicta, providere ſuper hoc præſertim, cùm fel. rec. Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter certam ordinationem in hâc parte duxerit faciendam, de benignitate Sedis Apoſtolicæ dignaremur.

Nos itaque veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, quod memorati Fratres â Prælatis eiſdem, ſicut præmittitur, invitati, poſſint unâ cum ipſis Monaſteria, & loca prædicta, cujuſcunque ſint Ordinis, liberè ingredi, & in eis moram contrahere, Prælatis ibidem præſentibus antedictis, vobis, & Ordini veſtro authoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat, &c. noſtræ conceſſionis &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum II. Idus Nov. Pont. noſtri An: Primo.

Regeſtum Vatic. epiſt. 636. Rodriq. in Bull. fol. 54. Waddinq tom. V. Annal. fol. 561.

Fratrem Minorem &c. ſuæ ad Prælaturam electioni in diſcordia factæ, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali aſſentiri non poſſe ſancit.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUorumdam oculos ſic vitium ambitionis excæcat, quod ſuæ quaſi prof-

feſſionis immemores, qua contemptis honoribus, abjectis divitiis, ſpretiſque delitiis, arbitrio proprio ſubjugato alterius ditioni, retro reſpiciunt ad aratrum manu miſſa, dum præcipitanter ruunt in litigiorum anfractus, cauſarum ſtrepitibus ſe involvunt, & extra adminiſtrationes proprii Ordinis ſolium Prælaturæ conſcendere moliuntur, electionibus, poſtulationibus, ſeu proviſionibus de ſe in diſcordia celebratis, improvidè præſtando conſenſum, præbendi aſſenſum à ſuo Superiore nonunquam extortâ licentia potiùs, quàm obtenta, ex quo animarum & Eccleſiarum diſpendia noſcimus proveniſſe, & proventura majora in antea veriſimiliter formidamus.

Volentes igitur huic peſti, ſalubri remedio obviare, præſenti conſtitutione ſancimus, ut nullus Religioſus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, necnon & quorumlibet Mendicantium Ordinum electioni, poſtulationi, proviſioni, ſeu vocationi de ſe factæ in diſcordia, ad aliquam extra ſui Ordinis adminiſtrationis Prælaturam præſtare poſſit aſſenſum, etiamſi Magiſtri, Miniſtri, ſeu Prioris, Generalium ſuorum Ordinum, aut inferiorum Prælatorum ſuorum licentia vel aſſenſus accederet, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de conſtitutione hujuſmodi mentionem. Decernentes irritum &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum IV. Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno III.

Regeſtum Vatican. epiſt. 22. *Wadding. tom.* 5. *Annal. fol.* 583.

Diſſidia Rectores Parochiales inter — & FF. Prædicatores, ac Minores obverſantia, Decretali Conſtitutione componit: hos in locis, & Eccleſiis ſuis, nec non in plateis communibus liberè, in Eccleſiis verò Parochialibus non niſi de harum Rectorum conſenſu (Epiſcopo, vel Superiore Prælato aliter non diſponente) prædicare poſſe declarat, confeſſiones econtra in Diœceſibus ſine Ordinariorum licentia audire, dictis Fratribus prohibet: liberam in eorum Eccleſiis ſepulturam declarat, ac Rectoribus Parochialibus non niſi quartam obventionum Funeralium partem deberi ſancit; ac Prælatis Eccleſiarum memoratos Fratres commendat.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super Cathedram præeminentiæ paſtoralis, divinâ diſponente clementia, conſtituti, etſi multis & arduis, quæ in amplum Romanæ Curiæ alveum undique confluunt, quaſi torrens, prægravemur negotiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis diſtrahamur; circa id tamen ferventibus votis intendimus, vacamus inſtantiùs, ac operoſæ ſtudium ſollicitudinis impartimur, ut ad divini nominis gloriam, exaltationem Catholicæ Fidei, & profectum fidelium animarum (præciſis radicitus diſſidiorum vepribus, & litigiorum anfractibus omnino ſubductis) inter Eccleſiarum Antiſtites ad curam, & regimen gregis Dominici deputatos, cæteraſque perſonas, quas Ordo Clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, fervor charitatis exæſtuet, invaleſcat concordiæ unitas, animorum identitas perſeveret. Scimus enim, & ex evidentia facti colligimus, quod nonniſi in pacis tempore, bene colitur pacis Auctor: Nec ignoramus, quod diſſenſiones, & ſcandala pravis actibus aditum præparant, rancores & odia ſuſcitant, & illicitis moribus auſum præbent.

Ab olim ſiquidem inter Prælatos, & Rectores, ſeu Sacerdotes, ac Clericos Parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi Provincias conſtitutos ex una parte, & Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres ex altera (pacis æmulo ſatore zizania procurante) gravis & perículoſa diſcordia extitit ſuſcitata, ſuper prædicationibus populis faciendis, eorum confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum ipſorum Eccleſias ſive loca noſcuntur eligere ſepulturam.

Nos autem (pii Patris more laudabili) moleſtè ferentes incommoda filiorum, reducentes ad exactæ conſiderationis examen, ac intra pectoris clauſtra ſollicitè revolventes, quàm ſit plena periculis, quàm onuſta diſpendiis, quàmque in Divinæ Majeſtatis conſpectu reddatur exoſa diſcordia ſupradicta: & propterea intendentes paternæ ſollicitudinis ſtudio illam prorſus evellere,

lere, ac omnino ſubmovere, nullis unquam futuris temporibus, favente Domino, ſuſcitandam: grandi quoque deſiderio cupientes, ut hujuſmodi negotium, quod potiſſimùm inſidet cordi noſtro, finem ſalubrem & celerem per Apoſtolicæ ſolertiæ ſtudium conſequatur, diligenti cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita ſuper eo, ad honorem Dei, & exaltationem Catholicæ Fidei, quietum ſtatum partium prædictarum, ac ſalutis animarum fidelium incrementum, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus, ut dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis & locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant Clero, & populo prædicare, ac proponere Verbum Dei, horâ illa duntaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, in qua prædicare ceſſabunt; præterquam, ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, ubi ſermones ad Clerum ex more fieri ſolent, diebus illis, quibus prædicari ſolemniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & in Feſtis ſpecialibus, ſive peculiaribus eorumdem Fratrum, poſſint iidem Fratres, & liceat eis liberè prædicare: niſi fortè illa hora, qua ſolet ad Clerum in prædictis locis Dei Verbum proponi, Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior ad ſe Clerum generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel cauſa urgente, Clerum ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem Parochialibus Fratres illi nullatenus audeant, vel debeant prædicare, vel proponere Verbum Dei, niſi fortè prædicti à Parochialibus Sacerdotibus invitati fuerint, vel vocati, & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita licentia fuerit & obtenta, niſi Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior per eoſdem Fratres prædicari mandaret.

Statuimus etiam, & ordinamus auctoritate prædicta, ut in ſingulis Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in Civitatibus, & Diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non habentur, Magiſtri, Priores, Provinciales Prædicatorum aut eorum Vicarii, Generales, & Provinciales Miniſtri, & Cuſtodes Minorum, & Ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum eorumdem locorum ſe conferant per ſe, vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum Civitatibus, & Diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire liberè valeant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundùm Deum expedire cognoverint) pœnitentias imponere ſalutares, atque iiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem: ac deinde præfati Magiſtri, Priores, Provinciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum, quas ſic ab eis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, & de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Civitatibus & Diœceſibus eorumdem hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis impoſterum impendant, prout ſuperiùs eſt expreſſum: extra Civitates & Diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per Provincias deputari, confeſſiones nullatenus audituræ.

Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout univerſitas Cleri, & populi multitudo, vel paucitas exigit eorumdem.

Etſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi audiendarum conceſſerint, illam præfati Magiſtri, Miniſtri, & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur. Quod ſi fortè jam dicti Prælati quemquam ex dictis Fratribus præſentatis eiſdem ad hujuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum: eo amoto vel ſubtracto, loco ipſius ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit, & debeat alius ſubrogari.

Si verò iidem Prælati præfatis Fratribus ad confeſſiones (ut præmittitur) audiendas electis, hujuſmodi exhibere licentiam recuſaverint: Nos ex nunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè, licitèque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impartiri gratioſè concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.

Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis, ſeu Fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.

Hujuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adjicimus, ut Fratres dictorum Ordinum in Eccleſiis, vel locis ſuis ubilibet

libet conſtitutis liberam, ut ſequitur, habeant ſepulturam, videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis, & Eccleſiis memoratis.

Verùm, ne Parochiales Eccleſiæ, & ipſarum Curati, ſive Rectores, qui miniſtrare habent Eccleſiaſtica Sacramenta, quibus noſcitur de jure competere prædicare, ſeu proponere Verbum Dei, & confeſſiones audire fidelium, debitis, & neceſſariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & ordinamus eadem, ut dictorum Ordinum Fratres, de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quàm quibuſcunque, vel quomodocumque relictis, diſtinctè, ad quoſcumque certos, vel determinatos uſus, de quibus etiam quarta, ſeu canonica portio dari, ſive exigi conſuevit, vel non debet de jure, nec non de datis, vel qualitercunque donatis in morte, ſeu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocumque directè, vel indirectè Fratribus ipſis, vel aliis pro eiſdem quartam partem (quam auctoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus) Parochialibus Sacerdotibus, ac Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis largiri integrè teneantur: facturi & curaturi, quod nec alii, nec aliis à quibus quarta hujuſmodi minimè deberetur, ad ipſorum Fratrum utilitatem, vel commodum hujuſmodi fiant relicta, aut in eos taliter data, vel donata procedant, ſeu quod in morte, vel ab infirmis hujuſmodi dandum, vel donandum Fratribus ipſis exiſteret, in eorumdem dantium, vel donantium ſanitate, ſibi dari vel donari procurent. In quibus per ipſos vitandis, eorum intendimus conſcientias onerare: ut ſi, quod abſit, per Fratres ipſos dolo, vel fraude quidquam in hac parte agi fortaſſe contigerit, (præter id, quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus, & Curatis teneri volumus) etiam diſtricta ratio in extremi judicii examine requiratur ab eis. Ultra portionem autem hujuſmodi nihil valeant Rectores Parochiales, Curati, & Prælati, exigere ſupradicti, neque ad id poſſint à quoquam aliqualiter coerceri. Nos etenim (ut in cunctis æqualiter & pacificè, favente Domino procedatur, univerſa privilegia, gratias, indulgentias verbo vel ſcripto, ſub quacumque forma, vel expreſſione, ſeu conceptione verborum, à Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, cuicumque Ordinum prædictorum conceſſa, nec non conſuetudines, conventiones, ſtatuta, & pacta, in quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitùs revocamus, vacuamus, caſſamus, & irritamus: quinimo caſſa, vacua, & irrita nunciamus & decernimus nullius prorſus exiſtere firmitatis.

Cæterùm univerſos Prælatos cujuſcunque præeminentiæ, ſtatûs, vel dignitatis exiſtant, ac Sacerdotes Parochiales, & Curatos, ſive Rectores prædictos, præſentium tenore rogamus, & hortamur attentè, nihilominuſque eis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus pro Divina, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, prædictos Ordines, & Profeſſores eorum habentes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipſis non ſe difficiles, graves, duros, vel aſperos, ſed potiùs favorabiles, propitios ac benignos, piaque munificentia liberales ſe ſtudeant exhibere: ſic eos in prædicationis officio, & propoſitionibus Verbi Dei, ac in omnibus aliis ſupradictis, tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum ſuorum participes prompta benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, ut proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum ſalutis incrementa fœlicia procurentur: nec ipſos lateat, quod, ſi ſecus ab eis agi fortaſſe contigerit in hac parte, Apoſtolicæ Sedis benignitas, quæ Ordines, & Profeſſores eoſdem ubere favore proſequitur, & gerit in viſceribus charitatis, contra eos non immeritò turbaretur, nec eadem æquanimiter pati poſſet, quin ſuper hoc proviſionis opportunæ remedium adhiberet, ipſoſque nihilominus cœleſtis indignatio Principis digna pro meritis rependentis, cujus obſequia Fratrum ipſorum ſedulitas curioſa proſequimur, minimè præteriret &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Codex text. can. 6. inter Extrav. commun. L. 3. de Sepult. cap. 2. Wadding. tom. 5. Annal. fol. 330.

NOTA

Digitized by Google

N O T A

Edita quidem fuit hæc Conſtitutio ad tollendam materiam diſcordiæ, quæ in variis mundi Provinciis inter Eccleſiarum Parochialium Rectores & Regulares tunc verſabatur; proviſum tamen ſatis non fuit paci, imò dum hujus inconcuſſa quærebatur obſervantia, majoris turbationis oborta eſt occaſio, ita ut ipſa hæc conſtitutio diverſos ſubiverit anfractus: eam enim ipſe Bonifacius per aliam incipientem *Nuper ut diſcordia* &c. ad F. F. Minorum favorem modificavit, Benedictus XI. per litteras, quæ ſequuntur, pariter Corpori Juris illatas revocavit. Clemens V. in Concilio Viennenſi primam quidem innovavit, & Joannes XXII. confirmavit, plures autem Pontifices Succeſſores, præſertim autem Pius P. P. IV. per Conſtitutionem *In Eminenti* inferiùs dandam noviter & expreſſè eandem abolevetunt. Ut autem, quæ in hoc confuſo hujus Conſtitutionis jactu uſus & juris moderni manent, opportuniùs Lector reperiat, in hujus tomi Indice verba *Quarta funeralis*, *confeſſio*, *concio &c.* quærat.

B. BENEDICTUS XI.

Antea Fr. Nicolaus Bocaſinus de Tarviſio nuncupatus, Ordinis Prædicatorum alumnus, & Magiſter Generalis, mox S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis Romæ 22. Octobris 1303. creatus eſt. Brevi Pontificatûs ſui ſpatio Eccleſiæ pace, diſciplinæ reſtauratione, & religionis incremento mirificè promotis, *Cælos petiit 7. Julii 1304. Peruſii defunctus, ibique in Eccleſia ſui Ordinis humatus.*

Conſtitutionem Bonifacii ſuper Cathedram revocat, & F. F. Minores in privilegiorum ſuorum uſu firmat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter eunctas ſollicitudines noſtras, quibus Nos paſtorale premit officium, & debitum Apoſtolicæ ſervitutis aſtringit, illa debet eſſe præcipua, ut gregi Dominieo Nobis ſupernâ diſpoſitione commiſſo, animarum cura non deſit, ne illum lupus rapax, antiquus ſerpens, humani generis inimicus invadat, ejuſque ſanguis de noſtris, quod abſit (id clamante Propheta) manibus requiratur. Debemus inſuper, quantùm Nobis ex alto permittitur, pacem inſerre, removere ſcandala, jurgiorum amputare materiam, & intelligere ſuper pauperem & egenum, quod non in finem oblivio erit pauperis, & patientia pauperum non peribit in finem. Sanè dudum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. Prædeceſſor noſter quandam ſpecialem inter Prælatos, Rectores, ſeu Sacerdotes & Clericos Parochialium Eccleſiarum ex parte una, & Prædicatorum ac Minorum Ordinum Fratres ex altera, ſuper faciendarum prædicationum, audiendarum confeſſionum per eoſdem Fratres, ac de eis relictis, & de funeralibus canonicæ portionis articulis Conſtitutionem edidit, certum iis modum imponens, prout in eadem Conſtitutione pleniùs continetur. Sed pro, quam intendebat, quiete, turbatio nata eſt: pro concordia ſuborta ſunt diſſidia, & pullulatæ inquietudines pro tranquillitate noſcuntur: ſicque dum anſam ſolviſſe ſe credidit, nodum ligâſſe videtur, & ſeptem uno hydræ amputato capite ſuſcitâſſe. Nec mirùm, quia plerumque pariunt novitates diſcordiam, præſertim dum ab eo, quod diu æquum viſum eſt, per novam Conſtitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia cauſa ſubeſt. Ideoque cupientes, ut ipſi gregi cura noſtra eò plenior impendatur, quò amplior in agro Domini operariorum numerus operetur. Super egenum intendentes & pauperem, ac novitatem removentes per eandem Conſtitutionem inductam, ſtatuimus de Fratrum noſtrorum conſilio, ut ipſorum Ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Eccleſiis & locis eorum, quæ impræſentiarum habent & inpoſterum obtinebunt, ac in plateis communibus ſeu publicis liberè abſque Diœceſanorum, & aliorum Prælatorum petita licentiâ, valeant Clero & populo

lo prædicare, eiſque proponere verbum Dei. Caveant tamen omnino, ne hora, in qua Diæceſaui prædicti prædicarent, vel coram ſe facerent prædicari, prædicent iidem Fratres; putamus etenim dignum, ut majori minor, & Superiori inferior deferat in hac pate, niſi forſau aliud circa hoc facerent de voluntate Diæceſanorum ipſorum, aut in ſtudiis generalibus diebus illis duntaxat, quibus ſermones ad Clerum fieri ſolent, & ſolemniter prædicari: ſive in mortuorum prædicarent funeribus, vel eorumdem Fratrum feſtis ſpecialibus ſeu peculiaribus, quia his caſibus eum Diæceſanis in prædicatione concurrere poterunt, prædicarent. Ubi verò iidem Diœceſani convocarent generaliter ad ſe Clerum, aut aliqua ratione vel urgente cauſa illum ducerent congregandum, ea borâ in ſtudiis memoratis diebus ſæpedictis, Fratres ab hujuſmodi prædicatione ceſſabunt. In Ecleſiis autem Parocbialibus Fratres ipſi, invitis earum Rectoribus ſeu Sacerdotibus, niſi juſſi â Superioribus eorumdem, non audeant prædicare. Sed quia multoties propoſitum Verbum audientem â peccato non retrahit, idcirco poſt peccatum, neceſſarium eſt Pænitentiæ Sacramentum, circa quod, niſi articulus neceſſitatis occurrat, ori Sacerdotis facienda confeſſio, prout ſcriptum eſt, corde ad juſtitiam creditur, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, exigitur; aliàs fruſtra eſſet in Sacramento eodem Sacerdotis, qui inter lepram & lepram debet diſcernere, miniſterium inſtitutum. Electi igitur abeiſdem Fratribus ad audiendas confeſſiones, & pænitentias injungendas liberè authoritate Apoſtolica, abſque licentia Diæceſanorum vel aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eos, peccata ſua confiteri volentes (non Religioſos, qui ſecundùm ſtatuta ſuorum Ordinum, propriis Prælatis confiteri debent, ant ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur) abſolvant, ipſiſque pænitentiam ſalutarem injungant, infra ſibi deſignatos terminos ad hujuſmodi exercendum officium conſtitutos. Excommunicationes verò, vel alias ſententias per Prælatos latas contra hæc vel in ejus fraudem, denunciamus irritas & inanes: nec confeſſi ipſis Fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis & abſoluti pænitentes de illis, Sacerdotibus propriis teneantur, ſicut & non tenentur, iterum confiteri, non obſtante Conſtitutione generalis Concilii, quæ ſano intellectu, ne ſeqoatur abſurdum, quod per pænitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor adhuc ad ſolvendum maneat obligatus, intelligenda eſt, ut ex ea patet de illis, qui ſua peccata legitimè confiteri alii neglexerunt. Sed Sacerdotes ipſi taliter confeſſis & abſolutis, adſtricti ſunt miniſtrare Euchariſtiæ & extremæ Unctionis etiam Sacramentum. Super confeſſione autem facta Fratribus memoratis, cum bîc de confitentis ſolius præjudicio, ſi falſum dicat, agatur, in judicio animæ ſeu pænitentiali foro ſtabitur ſimplici verbo illius, qui Sacramenta petit prædicta, & dicit dictis Fratribus ſe confeſſum. Duos tamen caſus excipimus: ſi Sacerdos aſſerat eum excommunicatum, aut notoriè peccatorem; Sed videant, ne id dicat mendaciter, aut in dolum vel fraudem: quod ſi hoc egerit, â delicto tali, niſi plenè ſatisfecerit, præterquam in morte abſolvi nequeat, nec de illo ad pænitentiam aliter admittatur. Ut autem Diæceſanis honor debitus reſervetur, præcipimus, ut Provinciales, Priores Prædicatorum, & Miniſtri Minorum, Ordinum præfatorum, per ſe vel alios, verbo vel ſcripto eis ſignificent, ſe Fratres ad hujuſmodi confeſſionum audiendarum, & pænitentiarum injungendarum officium elegiſſe, & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter â Diæceſanis eiſdem, quod iidem electi Fratres de ipſorum beneplacito & licentia, dictum poſſint in eorum Civitatibus & Diæceſibus infra eis determinatos fines officium exercere. Quod ſi denegent, vel infra triduum non concedant; ex tunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eadem hujuſmodi officium exequantur. Datam verò licentiam per Diæceſanorum mortem nolumus terminari.

Per hæc autē non intēdimus, quod ſæpedicti Fratres, qui ad hoc eligētur officiū exercendum, plus habeant in audiendis cōfeſſionibus & pænitentiis injungendis, quàm Parochiales Sacerdotes noſcuntur habere; ſicque de caſibus Epiſcopis & Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſe nullatenus intromittent. Obſervent ergo ſollicitè dicti Fratres, ne ad confeſſionem recipiant criminoſos criminibus, pro quibus eſſet ſolemnis pænitentia indicenda. Modo eodem excommunicatos reſpuant, & Clericos, qui propter delictum, irregularitatem aliquam incurrerunt. Inconveniens etenim æſtimamus, ut â peccato abſolvat, qui pænitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis pænam peccati ſequelam, vel excommunicationem, quæ infligitur maximè â jure quandoque pro crimine, quandoque ab Eccleſia, & per conſequens â participatione Sacramento-

rum

rum Eccleſiaſticorum excludit, removere non poteſt. Incendiarios etiam eoſdem, qui tam enormibus ſunt irretiti peccatis, quod ea ratiooabilis conſuetudo præſcripta canooicè io Epiſcopatibus aliquibus reſervavit Epiſcopis, ſimiliter non admittant. Quam conſuetudinem ex caoſa, quæ juſtè ad id animum ooſtrum movet, ſolummodo circa volontariè homicidas, falſarios, Eccleſiarom immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ violatores & ſortilegos approbamus. Quod ſi forſan, antequam ab eo, qui poteſtatem habet, abſolvi poſſint, mors talium confiteri voleotium veriſimiliter timeatur, etiam io prædictis caſibus ſæpeſati Fratres eos confiteri volentes audiant, ipſiſque beneficium abſolutionis impendant, ſed ſubeant juramentum, quod liberati ſe ſuis Epiſcopis & Excommunicatoribus præſentabunt, excommuoicantium ſuper iis, pro quibus ab eis excommunicati eraot, & Epiſcoporum pro peccato hujuſmodi parituri maodatis.

Verùm, quia poſtBaptiſmũ inter cætera magis ad ſalutẽ neceſſaria eſt propoſitio Verbi Dei, quo audientes illud, quæ eſt Victoria noſtra, inſtruũtur in fide, docentur ſugiẽda ſugere, & ſectãda ſectari, ac quo per peccatũ lapſi reſurgunt, Pænitentiæ Sacramentum perficiunt, grandis Nobis ſollitudo incumbit, ut tales adpromoveantur Fratres, qui oleo dulcedinis Verbi ejuſdem noſtros foveant ſubditos, â peccatis prohibeaot, iocrepationis vino peceatornm ſuorum mordeant vulnera, eoſque ad illa pænitentiæ acrimonià purgaodum & tergendum provoceot & inducant. Ad id verò exequendum ſcientia Divioæ legis expoſcitur, deſideratur ordo, & vitæ integritas etiam poſtnlatur; Scriptum eſt enim: Tu ſcientiam repuliſti, ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mibi, qnia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt ex ore ejus: aliàs, prout ad eum pertinet, inter peccatum & peccatum non poſſet diſcernere, nec peccator exiſtens Dei deberet narrare juſtitias, & teſtamentum illius aſſumere per os ſnum; oam cnjus vita deſpicitor, conſequens eſt, ut prædicatio contemnatur. Quare decernimus, ut Magiſter, & Miniſter Generalis, ac Priores & Miniſtri Provinciales Prædicatorum & Minorum Ordinum præſatorum, vel eorum Vicarii de Diſcretornm conſilio, ad tam ſalubre officium Fratres Divina ſcieotiâ doctos, diſcretione vigentes, vitâ probatos, & expertos moribus (alioquio diſtrictam reddant in futuro examine rationem) eligant, & aſſumant; ſic eoim, quod prædicabunt, facient, quod arguent, operari ceſſabunt, & io eis ædificabitur populus verbo pariter & exemplo.

Cæterùm, licèt, ſicut prædicitur, de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata, tameo, quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pænitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre, diſtrictè injuogimus, ut Fratres ipſi confitentes attentè moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quod ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in aono, aſſerendo id ad aoimarum profectum proculdubio pertinere.

Porro, ut circa ſepulturam apud loca eorũdem Fratrũ eligentiũ ſepeliri, & portionẽ canonicam de relictis eiſdẽ Fratribus minimè detrahendam nequeat inpoſterum dubitari, jubemus, ut corpora Defunctorum, qui apud eos elegeroot, dum vivereot, ſepulturam, proceſſionaliter cum Cruce, thuribulo & aqua benedicta, cantando ſeu legẽdo officium mortuorum, vel Pſalmos, & alienas ingrediẽdo Parochias poſſint aſſumere, & ad ſuas deſerre Eccleſias tumulanda; De quibuſcũque verò relictis præfatis Fratribus in communi vel ſiogulis, io ultimis decedẽtium voluntatibus, ſive apud eos ſepeliendi, ſive ſiot alibi, oulla per Parochiales Sacerdotes morientium, â qua Fratres ipſos liberos eſſe volumus, canonica portio, & multò minus per Epiſcopos Epiſcopalis Quarta, cum eis tanquam exempti non ſubſint, nec etiam debita jure Parochiæ, ſi forſao Cathedralis Deſunctorum eſſet Parochialis Eccleſia, detrahatur. De Funeralibus autem medietatem, ſi commodè diviſionem recipiant, aliàs ejuſdem medietatis extimationem, ſolvant Parochiali Eccleſiæ & Sacerdotibus antedictis; Fuoeralia verò intelliguntur hoc caſu, quæ cum funere deferuotur: De candells tamen quas Fratres portant, portio non petatur. Monentur autem iidem Fratres, ut pro poſſe inducant coofiteotes ſibi, ut de propriis bonis ſuis Parochialibus Eccleſiis, earumque Sacerdotibus competenter relinquant, &, quæ eis debent, Parochialia jura reddant. Ad hæc non murmuret, quæſumus, ſæcularis Clerus, non gerant moleſtè Prælati, qood circa præmiſſa ſic duximus providendum. Atteodant, quaota ex iis, quæ in præmiſſis duobus articulis ſtatuta ſunt, ſalus animarum proveniat: Advertant, quanta tollantur jurgia, & prudenter conſiderent, quod eorum onera cum aliis noſtro beneficio ſalubriter & quaſi neceſſariò partiuntur. Circa tertium verò articulum diligcoter intelligant, quod Fratres ipſi hæc per privilegia Romanorum Pontificum eis benignè conceſſa, ante Conſtitutionem eandem hactenus habuerint, quod, quamquam ſunt pauperes, nihil habentes ſinguli, nec in cummuni ruſtica prædia,

Digitized by Google

imò nec urbana vel mobilia, eorum alteri, vel etiam univerſi mendicant victum, quærunt veſtitum, & eatenus ſubſiſtere poſſunt, quàtenus vel vivorum pietas, aut morientium charitas eis neceſſaria ſubminiſtrant. Quis ergo non miſereatur eorum, qui omnia, etiam voluntatem habendi, relinquunt? Quis non compatiatur eiſdem, operantibus tam utiliter In agro prædicto? Certè nullus, niſi triturantis bovis os impiè alligare velit, aut eos ſubtractis alimentis necare. Inopes patrimonii onera ipſa non habendi neceſſitate non ſubſiſtent: & à Curialibus res Eccleſiis vel piis locis donatas, à Quartæ præſtatione, ſeu lucrativorum inſcriptionibus lex facit immunes. Relicta pauperibus non patiuntur falcidiam, & legata ad fabricam, vel pro ornamentis Eccleſiæ, aut divinum cultum perpetuum, ſolutioni non ſubjacet canonicæ portionis; Pauperes antem (ut dictum eſt) ſunt Fratres, & quod eis relinquitur, aut in ſua alimenta erogant, aut in fabricam, ſive in cultum divinum & Eccleſiæ ornamenta convertunt; Propter quod Nos, qui debemus intelligere ſuper egenum & pauperem, & non oblivifci eorum (cum humanitatis ſit, etiam Secularis Principis, proſpicere egenis, & dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint) non tam piè, quàm quodamodo juſtè in eodem articulo egimus, eoſdem, ut præmittitur, reddendo Fratres ab onere canonicæ portionis exemptos. Hæc antem dicta Conſtitutione, quæ incipit, *ſuper Cathedram*, quam penitus revocamus, aliiſque quibuſcunque Conſtitutionibus ſpecialibus & generalibus ſtatutis, & privilegiis, indulgentiis, ſub quacunque verborum forma conceſſis, etiamſi de ipſis de verbo ad verbum, vel aliquorum nominibus in noſtris Litteris oporteret fieri mentionem: conventionibus, pactis, juramentis, ſententiis, & conſuetudinibus contrariis nequaquam obſtantibus, inviolabiliter obſervari ſancimus. Nulli ergo &c. ſtatuti, denunciationis, exemptionis, præceptorum, approbationis, juſſionis, voluntatis, revocationis, & ſanctionis &c. Si quis autem &c.

Datum Laterani XIII. Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno I.

Sext. Decret. extravagant. comun. de privileg. Monumenta Ordinis *fol.* 202. *à tergo*

Exemptionem Ordinis Minoritani confirmat, & ampliat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Or*dinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

INter cæteros Ordines, quos Cæleſtis agricolæ ſumma benignitas in horto plantavit Eccleſiæ, Fratrum Minorum Ordinem tam per Orbis Provincias ſuperna gratia propagante diffuſum, dum minori fungeremur officio, ſincera charitate dileximus, ad ſtatum ejus feliciter promovendum ſolicitis ſubſidiis Intendentes: nec minuit utique, ſed auxit potiùs circa ipſum præhabitæ dilectionis affectum perſonæ noſtræ ſubſecuta promotio ad apicem Apoſtolicæ dignitatis: cum tantò propenſiùs ad ipſius Ordinis intendamus augmentum, quantò nobis facultas præſtantior, quamquam noſtris non exigentibus meritis, noſcitur cælitus attributa. Licèt igitur nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri præfatum Ordinem Prælatorum juriſdictione quorumlibet prorſus exemerint, ipſumque fore decreverint per ipſorum litteras ſpeciales exemptum.

Nos tamen Ordinem ipſum ob ſalutis fructus innumeros, qui ex ipſo noſcuntur animabus fidelium provenire, gerentes in viſceribus charitatis, & propterea volentes omnino, ut quiſquis, cujuſcumque ſit Ordinis, dignitatis, conditionis, aut ſtatus vos generaliter, aut ſpecialiter, ac præfatum Ordinem ſuper exemptione ipſius, ac aliis veſtris dicti Ordinis libertatibus, & immunitatibus quibuſcumque, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum vobis, & eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis impugnare, impedire, ac turbare valeat, vel quomodolibet moleſtare vos, & Ordinem ipſum ab omnium, & ſingulorum quorumcumque Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate, ac juriſdictione prorſus eximimus de Apoſtolicæ plenitudinis poteſtate. Ita, quod nec etiam ratione delicti commiſſi, vel initi contractûs, aut rei ſitæ, poſitæ, vel exiſtentis extra loca veſtra exempta, poſſitis coram eis, non obſtante Conſtitutione fel. rec. Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri in contrarium edita impeti, moleſtari, ſeu quomodolibet conveniri: decernentes Vos, &

Or-

Digitized by Google

Ordinem ipſum immediatè eidem Sedi, ac ſoli tantummodo Romano Pontifici ſubjacere. Eccleſias inſuper Oratoria, Domos, ac loca, quæ tenetis, & inhabitatis ad præſens, ac tenebitis, & inhabitabitis in futurum, dum & quoties vos illa tenere, & inhabitare contigerit, exempta prorſus exiſtere, nulloque medio Sedi ſubeſſe decernimus prælibatæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum quarto nonas Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Regeſt. Vaticanum epiſt. 19. Rodriquez in Collect. fol. 57. Waddingus tom. 6. Annal. fol. 445.

CLEMENS V.

Gallus, natione Vaſco, patria Villendrautenſis, Bertrandus del Got *nuncupatus, Archiepiſcopus Burdigalenſis, Peruſii abſens 5. Junii 1305. electus, & Lugduni 14. Novembris coronatus eſt. Obiit apud Roccam-Mauri ad Rhodanum 20. Aprilis 1314. Uzeſte, Vaſatenſis Diœceſeos Vico, ſepultus.*

Fratres Minores non ſolùm ad tria Vota, ſed etiam ad ea, quæ ad hæc ſpectant in ipſa Regula expreſſa, non tamen æqualiter ad omnia, obligari declarat: quæ obligant, ſpecificat; quid de bonis Novitiorum, de duabus tunicis, de vilitate veſtimentorum, calceamentis, jejuniis &c. ſentiendum ſit, ſtatuit; quæſtum pecuniarum, retentionem cipporum in Eccleſia &c. interdicit; rerum dominium ad Sanctam Sedem &c. devolvi confirmat, uſu facti ſimplicis Fratribus dumtaxat conceſſo; & plura alia tum puritati Regulæ repugnantia, tum Fratrum ſtatui diſſona commemorat, & prohibet.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXivi de paradiſo, dixi, rigabo hortum plantationum, ait ille cæleſtis agricola, qui verè fons ſapientiæ, Verbum Dei, à Patre, in Patre manens, genitum ab æterno, noviſſimè diebus iſtis (fabricante Sancto Spiritu) in utero Virginis caro factum, exivit homo, ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum, exemplar ſe ſe dando cœleſtis vitæ, præbens hominibus ſemetipſum. Verùm, quia plerumque mortalis vitæ ſollicitudinibus preſſus homo, mentis aſpectum ab exemplaris hujuſmodi intuitu divertebat, verus noſter Salomon in ſolio militantis Eccleſiæ hortum voluptatis inter cæteros quemdam fecit à procelloſis Mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs & ſecuriùs vacaretur contemplandis, ſervandiſque hujuſmodi operibus exemplaris, in hunc Mundum introivit ipſe, ut rigaret ipſum fœcundis aquis ſpiritualis gratiæ, & doctrinæ. Hic hortus ſiquidem eſt Fratrum Minorum Sancta Religio, quæ muris Regularis Obſervantiæ firmiter undique circumcluſa, intra ſe ſolùm contenta Deo adornatur abundè novellis plantationibus Filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius mortificantis pœnitentiæ myrrham metit eum aromatibus, quæ ſuavitate mira univerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt. Hæc eſt illa cœleſtis vitæ forma, & regula, quam deſcripſit ille Confeſſor Chriſti eximius, Sanctus Franciſcus, ac ſervandam à ſuis Filiis verbo docuit pariter & exemplo.

Quia verò dictæ Sanctæ Regulæ profeſſores, ac æmulatores devoti, ut & alumni, & veri Filii tanti Patris affectabant, ſicut & ferventer affectant, ad purum, & ad plenum præmiſſam Regulam firmiter obſervare; attendentes quædam, quæ dubium poterant afferre ſenſum, in ipſius Regulæ ſerie contineri, pro ipſorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olim ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, ut certificati per ipſam, cujus pedibus etiam per ipſam Regulam ſunt ſubjecti, poſſent Domino pulſis cunctis dubiis cum plena charitate conſcientiæ deſervire. Horum autem piis, ac juſtis ſupplicationibus plures prædeceſſores no-

nnſtri Romani Pontifices ſucceſſivè (ſicut dignum erat) applicantes aures & animum declaraverunt ea, quæ dubia videbantur; ediderunt nnnnulla, & aliqua conceſſerunt, ſicut eapedire videbant Fratrum cnnſcientiis, ac puræ nbſervantiæ ſtatûs.

Verùm,quia plerumque,ubi culpa nõ eſt, eam timere ſolent conſcientię timnratę,quę in via Dei quodcumq; devium expaveſcunt, non ſunt ad plenum ex dictis declarationibus dictnrum omnium Fratrum cnnſcientiæ quietatæ, quin circa aliqua ad Regulam, ipſnrumque ſtatum pertinentia, dubitationum in ipſis fluctus aliqui generentur, & nriantur, ſicut ad aures nnſtras pluries, & de quampluribus in publicis, & privatis conſiſtoriis eſt perlatum. Quapropter per ipſos Fratres Nobis extitit humiliter ſupplicatum, quatenus prædictis dubiis, quæ occurrerunt, & quæ poſſunt occnrrere in futurum, adbibere opportuna declarationis remedia, de benignitate Sedis Apoſtnlicæ curaremus.

Nos igitur, quorum animus ab ætate tenera pia devotione efferv uit ad hujuſmodi profeſſores Regulæ, & ad Ordinem ipſum totum: nunc autem ex communi cura paſtoralis regiminis, quam immeriti ſuſtinemus, ad ipſos fovendns dulciùs, & attentiùs gratioſis favoribus prnſequendns tantò provocamur ardentiùs, quantò frequentiùs intenta mente revolvimua fructus uberes, quos ex eorum exemplari vita, & ſalutari doctrina toti univerſali Eccleſiæ continuè cernimus provenire, tam piâ ſupplicantium intentione commoti ad peragendum diligenter, quod petitur, ſtudia noſtra duximus convertenda: ipſaque dubia per plures Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & in Theologia Magiſtrns,& alins Litteratos providos, & diſcretos eaaminari fecimus diligenter.

Cùm igitur in primis ex eo, qnnd in dictæ Regulæ principin babetur; *Regula & vita Fratrum Minorum hæc eſt: Scilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, in obedientia vivendo, ſine proprio, & in caſtitate.* Item infra: *Finito verò anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper, & regulam obſervare*, item circa finem Regulæ: *paupertatem, & humilitatem, & Sanctam Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus*; ſuit hæſitatum, an Fratres ejuſdem Ordinis ad omnia tam præcepta, quàm conſilia Evangelii, ex profeſſione ſuæ Regulæ teneantur? quibuſdam dicentibus, quòd ad omnia: aliis autem aſſerentibus, quod ad ſola illa tria conſilia, videlicet, vivere in obedientia, in caſtitate, & ſine proprio, & ad ea, quæ ſub verbis obligatoriis ponuntur in Regula, obligantur. Nos circa hunc articulum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ipſumque articulum quoad aliqnid clariùs proſequentes, dictæ hæſitationi duximus reſpondendum: quod, cum votum determinatum cujuslibet habeat cadere ſub certo, vovens Regulam non poteſt dici teneri ex vi voti hujuſmodi ad ea conſilia Evangelica, quæ in Regula nnn ponuntur. Et quidem Beati Franciſci conditnris Regulæ hæc probatur fuiſſe intentio, ex boc, quòd quædam Evangelica conſilia in Regula poſnit, aliis prætermiſſis: Si enim per illud verbum: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, &c.* intendiſſet eos ad omnia conſilia Evangelica obligare, ſuperfluè, & nngatoriè quædam eorum, ſuppreſſis cæteris, in Regula expreſſiſſet. Cum autem natura termini reſtrictivi hoc habeat, quod ſic excludit ab ipſo extranea, quod cuncta ad ipſum pertinentia concludit, declaramus & dicimus, quod dicti Fratres non ſolùm ad illa tria vota nudè, & abſolutè accepta ex profeſſinne ſuæ Regulæ obligantur, ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipſa ponit. Nam ſi ad hæc tria prædicta tantùm, præcisè & nudè promittentes ſe ſervare Regulam vivendn in obedientia, caſtitate, & ſine proprio, & non etiam ad nmnia contenta in Regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur, pro nihilo & vanè proferrentur hæc verba: *promitto ſemper hanc Regulam obſervare*. Ex qun ex his verbis nulla obligatio naſceretur. Nec tamen putandum eſt, quod Beatus Franciſcus profeſſores hujus Regulæ, quantùm ad omnia contenta in Regula modificantia tria vota, ſen ad alia in ipſa expreſſa intenderit æqualiter eſſe obligatos; quin potiùs apertè diſcrevit, quod quoad quædam ipſorum ex vi verbi tranſgreſſio eſt mortalis, & quoad quædam alia non: cum ad quædam ipſorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem, & quoad aliqua verbis aliis ſit cnntentus.

Item, quia præter ea, quæ expreſsè verbo præcepti, ac eahortatinnis, ſeu monitionis ponuntur in Regula, nonnnlla verbo imperativi modi negativè, vel affirmativè appoſito inſeruntur, hactenus extitit dubitatum, an tenerentur ad iſta, ùt ad habentia vim præcepti? Et quia, ut intelleximus, nnn minuitnr hoc dubium, ſed augetnr ex eo, quod felicis recordationis Nicolaus Papa Tertius prædeceſſor noſter noſcitur declaràſſe, quod Fratres ipſi ex profeſſione ſuæ Regulæ ſunt adſtricti ad ea conſilia Evangelica, quæ in ipſa Regula

præ-

Digitized by Google

præceptoriè vel inhibitoriè, ſeu ſub verbis æquipollentibus exprimuntur, & nihilominus ad eorum omnium obſervantiam, quæ ipſis in eadem Regula ſub verbis obligatoriis indicuntur, ſupplicaverunt prædicti Fratres, ut ad ipſorum conſcientias ſervandas declarare, quæ horum cenſeri debeant præceptis æquipollentia, ac obligatoria, dignaremur. Nos itaque, qui in ſinceris horum conſcientiis delectamur, attendentes, quod in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda, dicimus, quod, licèt Fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur: expedit tamen ipſis Fratribus ad obſervandam puritatem Regulæ, & rigorem, quòd ad ea, ſicut ad æquipollentia præceptis, ſe noverint obligatos, quæ hic inferiùs annotantur. Ut autem hæc, quæ videri poſſunt æquipollentia præceptis ex vi verbi, vel ſaltem ratione materiæ, de qua agitur, ſeu ex utroque ſub compendio habeantur, declaramus, quòd illud, quod ponitur in Regula de non habendo plures tunicas, quàm unam cum caputio, & aliam ſine caputio; item de non portandis calceamentis, & de non equitando extra caſum neceſſitatis: item, quod Fratres vilibus induantur: item, quod jejunare à feſto omnium Sanctorum uſque ad Natalem Domini, & in ſextis feriis teneantur: item, quòd Clerici faciant divinum officium ſecundùm ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: item, quòd Miniſtri, & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis ſollicitam curam gerant: item, quòd ſi quis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei ſervire: item, quòd Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: item, quod nullus audeat penitus populo prædicare, niſi à Generali Miniſtro, vel aliis, quibus ſecundùm declarationem prædictam id competit, fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc inſtitutus. Item, quòd Fratres, qui cognoſcerent, ſe non poſſe præmiſſam Regulam ſpecialiter obſervare, debeant, & poſſint ad ſuos Miniſtros recurrere: Item omnia, quæ ponuntur in Regula ad formam Habitûs tam Novitiorum, quàm etiam Profeſſorum: nec non ad receptionis modum ac profeſſionem ſpectantia, niſi recipientibus quoad Habitum Novitiorum (ſicut dicit Regula) ſecundùm Deum aliter videatur: Hæc, inquam, omnia ſunt à Fratribus tamquam obligatoria obſervanda: Item Ordo communiter ſenſit, tenet, & tenuit ab antiquo, quòd, ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum, *Teneantur*, obtinet vim præcepti, & obſervari debet à Fratribus ſicut tale.

Cæterùm, quia Chriſti Confeſſor prædictus agendorum ac ſervandorum circa recipiendos ad Ordinem Miniſtris, & Fratribus modum præbens, dixit in Regula, quòd caveant Fratres, & eorum Miniſtri, ne ſint ſolliciti de rebus ſuis temporalibus, ut liberè faciant de eis, quicquid ipſis à Domino fuerit inſpiratum; licentiam tamen habeant ipſi Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, ſi conſilium requiratur, quorum conſilio ſua bona pauperibus erogentur: Dubitaverunt, & dubitant multi Fratrum, an liceat ipſis de bonis ingredientium quicquam recipere, ſi donetur: & ſi ad dandum perſonis, & conventionibus poſſint eos inducere ſine culpa: Si etiam ad diſponendum de diſtributione rerum talium debeant ipſi Miniſtri, ſeu Fratres dare conſilium, ubi ad conſulendum alii, quàm ex ipſis, ad quos ingreſſuri mittantur, poſſint idonei inveniri. Nos autem conſiderantes attentè intendiſſe Sanctum Franciſcum ſuæ Regulæ profeſſores, quos fundaverat in maximâ paupertate, ab affectu temporalium rerum ipſorum ingredientium per dicta verba ſpecialiter & totaliter elongare, ut, quantùm eſt ex parte Fratrum, ipſorum receptio ad Ordinem ſancta, & puriſſima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantùm divino ſervitio mancipandos: dicimus de cætero debere tam Miniſtros, quàm Fratres cæteros, à dictis inductionibus ad ſibi dandum & ſuaſionibus, nec non & dandis circa diſtributionem conſiliis abſtinere, cum per hoc ad timentes Deum ſtatûs alterius mitti debeant, non ad Fratres: ut verè cunctis pateant eſſe tam ſalubris inſtituti paterni ſtudioſi Zelatores ſeduli & perfecti, Cum verò facere de rebus ſuis, quod Dominus inſpirabit, ipſamet Regula ingredientibus liberum velit eſſe, non videtur, quin liceat eis recipere, conſideratis ſcilicet eorum neceſſitatibus, & moderaminibus declarationis jam dictæ, ſi quid de bonis ſuis Intrans, ſicut & cæteris pauperibus per modum eleemoſynæ liberè velit dare. Cavere tamen in acceptatione oblatorum talium decet Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili præſumi poſſit ſiniſter oculus contra ipſos.

Præterea, cum dicatur in Regula, quod illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui habere voluerint: Item, quod Fratres omnes veſtimentis vilibus

libus induantur, Noſque prædicta verba declaraverimus æquipollere præceptis; volentes hæc determinari pleniùs; dicimus, quantùm ad numerum tunicarum, quòd pluribus uti non licet, niſi in neceſſitatibus, quæ haberi poſſunt ex Regula, ſecundùm quod hunc paſſum memoratus prædeceſſor noſter pleniùs declaravit. Vilitatem autem veſtium tam Habitùs, quàm interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ ſecundùm conſuetudinem vel conditionem patriæ, debeat quantùm ad colorem panni & pretium vilitas meritò reputari: non enim quoad regiones omnes poteſt determinatus unus modus in talibus aſſignari. Hujuſmodi etiam vilitatis judicium Miniſtris, & Cuſtodibus, ſeu Guardianis duximus committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerantes, ita tamen quòd ſervent in veſtibus vilitatem. Quorum etiam Miniſtrorum, Cuſtodum & Guardianorum Judicio eodem modo relinquimus, pro qua neceſſitate poſſint ipſi Fratres calceamenta portare.

Deinde, cum duobus temporibus annotatis in Regula, ſcilicet, à feſto Sanctorum Omnium, uſque ad Nativitatem Domini, & maximæ Quadrageſimæ, in quibus jejunare tenentur, inferatur in eadem Regula: aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſextâ feriâ jejunare: & ex hoc voluerunt aliqui dicere, quòd dicti Ordinis Fratres non tenentur, niſi ex condecentia ad alia jejunia, quàm ad iſta: declaramus debere intelligi, eos non teneri ad jejunium aliis temporibus, præterquam in jejuniis ab Eccleſiâ conſtitutis: non eſt enim veroſimile, quod vel Inſtitutor Regulæ, vel etiam Confirmator abſolvere ipſos intenderit à ſervandis illis jejuniis, ad quæ de communi ſtatuto Eccleſiæ obligantur cæteri Chriſtiani.

Porro, cum dictus Sanctus volens Fratres ſuos ſuper omnia à denariis, ſeu pecunia eſſe totaliter alienos, præcepit firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per ſe, vel interpoſitam perſonam: iſtumque Articulum declarans idem prædeceſſor noſter, caſus, & modos poſuerit, quibus ſervatis à Fratribus non poſſint dici, nec debent per ſe, vel per alium pecuniæ receptores contra Regulam, vel ſui Ordinis puritatem: dicimus, Fratres teneri cavere ſummoperè, quod pro aliis cauſis, & ſub modis aliis quàm ponat dicti prædeceſſoris noſtri declaratio, ad dantes pecunias, ſive deputatos nuncios non recurrant, ne (ſi ſecus ab ipſis attentatum fuerit) tranſgreſſores præcepti, & Regulæ meritò poſſint dici. Nam, ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quòd expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum. Quocirca quæſtus omnis pecuniæ, ac oblationum, pecuniarum receptio in Eccleſia, vel alibi, cippi, vel trunci ordinati ad offerentium, ſeu donantium pecunias reponendas, nec non & quicumque recurſus alius ad pecunias, ſeu habentes ipſas, qui per declarationem prædictam non conceditur: hæc, inquam, omnia ſint eis ſimpliciter interdicta. Cum etiam recurſus ad amicos ſpeciales expreſsè tantùm in duobus caſibus ſecundùm Regulam concedatur: videlicet, pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis: idque piè, & rationabiliter conſideratâ neceſſitate vitæ, ad alias neceſſitates Fratrum pro tempore occurrentes ceſſantibus eleemoſynis, ſeu etiam ingruentes, ſæpedictus Prædeceſſor noſter duxerit extendendum: attendant Fratres præfati, quod pro nullis cauſis aliis quàm prædictis, vel ſimilibus in via, vel alibi recurrere licet eis ad amicos hujuſmodi, ſive ſint dantes pecunias, ſeu deputati per ipſos, ſive nuncii, vel depoſitarii, ſeu alio quovis nomine appellentur: etiamſi conceſſi per eandem declarationem modi circa pecuniam integrè ſerventur. Denique, cum idem Confeſſor ſummè affectaverit, ſuæ Regulæ profeſſores totaliter eſſe abſtractos ab affectu, & deſiderio terrenorum, & ſpecialiter à pecunia, & ejus uſu totaliter inexpertos, ſicut probat prohibitio de recipienda pecuniâ in Regula ſæpius repetita, curare Fratres vigilanter neceſſe eſt, quod, cum ex cauſis prædictis, & modis ad habentes pecunias deputatas pro ipſorum neceſſitatibus recurrere oportebit, ad tenentes ipſas, quicunque hi fuerint, Principales, vel Nuntii, in omnibus ſic ſe gerant, quod ſe cunctis oſtendant, in dictis pecuniis (ſicut nec habent) penitus nil habere. Quapropter præcipere, quod, & qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expenſa, eam quomodocumque repetere, ſive deponere, aut deponi facere, capſulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre, hos actus, & conſimiles ſibi Fratres illicitos eſſe ſciant: prædicta enim facere ad ſolos dominos pertinet, qui dederunt, & eos, quos ipſi deputaverunt ad hoc ipſum.

Proinde, cum Vir ſanctus paupertatis præmiſſæ in Regula modum exprimens dixerit in eadem: Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſed tamquam peregrini, & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter; ſicque declaratum extitit per nonnullos prædeceſſores no-

Digitized by Google

noſtros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in ſpeciali, quàm etiam in communi, propter quod, & rerum omnium conceſſarum, oblstarum, & donatarum Fratribus (quas, & quarum uſum facti, ſcilicet Ordini, vel ipſius Fratribus licet habere) proprietatem, & dominium in ſe, & Romanam Eccleſiam receperunt, dimiſſo ipſis Fratribus in eis tantummodo uſu facti ſimplicis: ad noſtrum fuerunt deducta examen, quæ in Ordine fieri dicebantur, & videbantur prædicto voto, & puritati Ordinis repugnare: videlicet, ut ea proſequamur ea ipſis, quæ remedio credimus indigere, quod ſe inſtitui hæredes non ſolùm ſuſtinent, ſed procurant: item, quod redditus annuos recipiunt interdum in tam notabili quantitate, quod Conventus habentes totaliter inde vivunt: Item, quòd cum ipſorum negotia etiam pro rebus temporalibus in curiis agitantur, aſſiſtunt Advocatis, & Procuratoribus, & ad inveſtigandum eoſdem ſe ibidem perſonaliter repræſentant: item, quod executiones ultimarum ſuſcipiunt voluntatum, & gerunt, ſeque intromittunt quandoque de uſurarum, vel malè oblatorum diſpoſitionibus, ſeu reſtitutionibus faciendis: Item, quod alicubi non ſolùm exceſſivos hortos, ſed etiam vineas magnas habent, de quibus tam de oleribus, quàm de vino multum colligitur ad vendendum: Item, quod temporibus meſſium, vel vindemiarum ſic copioſè granum & vinum mendicando, vel aliunde emendo colliguntur à Fratribus, & in cellariis, & granariis reconduntur, quod per anni reſiduum, & abſque eorum mendicatione poſſunt tranſigere vitam ſuam: Item, quod Eccleſias, vel alia ædificia faciunt, vel procurant fieri in quantitate, & curioſitate figuræ, & formæ, ac ſumptuoſitate notabiliter exceſſiva, ſic quod non videntur habitacula Pauperum, ſed Magnatum: paramenta etiam Eccleſiaſtica in pleriſque locis tam multa habent, & tam notabiliter pretioſa, quod excedunt in his magnas Eccleſias Cathedrales. Equos inſuper, & arma eis oblata in funeralibus recipiunt indiſtinctè: tamen Communitas Fratrum, & ſpecialiter Rectores ipſius Ordinis aſſerebant, quod prædicta, ſeu plura ea ipſis in Ordine non fiebant, & ſi qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur; nec non contra talia ne fiant, ſunt facta pluries ab antiquo ſtatuta in Ordine multùm ſtricta. Cupientes igitur Nos ipſorum Fratrum providere conſcientiis, & cuncta dubia (quantùm poſſibile Nobis eſt) de ipſorum pectoribus removere, ad prædicta, modo, qui ſequitur, reſpondemus.

Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id, quod exteriùs agitur, interiorem mentis diſpoſitionem, & habitum repræſentet; neceſſe habent Fratres, qui ſe eapropriatione tanta à temporalibus abſtraxerunt, ab omni eo, quod dictæ expropriationi eſſet, vel poſſet videri contrarium, abſtinere. Qoia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolùm uſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæredes, Fratres autem præfati nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum Ordini poſſunt, etiam in communi: declarando dicimus, quod ſucceſſionum hujuſmodi, quæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extendunt, (conſiderata ſui puritate voti) nullatenus ſunt capaces: nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſet hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potiùs iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus. Cumque annui redditus inter immobilia cenſeantur à jure, ac hujuſmodi redditus obtinere, paupertati & mendicitati repugnat, nulla dubitatio eſt, quod prædictis Fratribus redditus quoſcunque, ſicut & poſſeſſiones, vel earum etiam uſum, cum eis non reperiatur conceſſus, recipere vel habere (conditione conſideratâ ipſorum) non licet. Ampliùs, cum non ſolùm, quod malum eſſe dignoſcitur, ſed & omne, quod ſpeciem habet mali, ſit à viris perfectis ſpecialiter evitandum. Ex talibus autem aſſiſtentiis in curiis, & inſtigationibus, cum de rebus agitur in ipſorum commoda convertendis, creduntur veriſimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris judicare) in ipſis rebus Fratres aſſiſtentes aliquid quærere tanquam ſuum: nullo modo debent hujuſmodi voti & Regulæ profeſſores ſe talibus curiis, & litigioſis actibus immiſcere, ut & teſtimonium habeant ab his, qui foris ſunt, & puritati ſatisfaciant voti ſui; ac evitetur per hoc ſcandalum proximorum. Verùm etiam, cùm dicti Ordinis Fratres non ſolùm à receptione proprietate, Dominio, ſive uſu ipſius pecuniæ, verùm etiam à contrectatione qualibet ipſius, & ab ea ſint penitus alieni, quemadmodum ſæpe dictus Prædeceſſor noſter in declaratione hujuſmodi Regulæ planè dixit: cumque dicti Ordinis profeſſores pro nulla re temporali poſſunt in judicio experiri, prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potiùs conſideratâ ſui puritate ſtatùs, debent ſibi ſcire interdictum, quod hujuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant, cùm hæc ſæpius abſque litigio,

tigio, & contrectatione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri: Veruntamen in his exequendis dare conſilium, ipſorum ſtatui non obſiſtit, cum ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla juriſdictio, ſive actio in judicio, ſive diſpenſatio tribuatur.

Licèt verò non ſolùm ſit licitum, ſed & multum conveniens rationi, quod Fratres, qui in laboribus Spiritualibus orationis, & ſtudii ſedulò occupantur, hortos, & areas habeant, competentes ad recollectionem vel recreationem ſui, & interdum ad ſe ipſos poſt labores hujuſmodi corporaliter deducendos, nec non ad habenda neceſſaria hortalitia pro ſeipſis: habere tamen hortos aliquos, ut colantur, ac olera & alia hortalitia pretio diſtrahantur, nec non & vineas, repugnat ſuæ Regulæ, & Ordinis puritati, ſecundùm quod dictus Prædeceſſor declaravit, ac etiam ordinavit: quòd ſi talis ad uſus proximè dictos, ut puta, agrum vel vineam ad colendum & conſimilia Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres à receptione talium abſtineant, cum etiam præmiſſa habere, ut pretium fructuum ſuis temporibus habeatur, ad naturam, & formam proventuum appropinquet. Rurſus, cum prædictus Sanctus, tam in exemplis vitæ, quàm verbis Regulæ oſtenderit ſe velle, quòd Fratres ſui & Filii, divinæ providentiæ innitentes, ſuos in Deum jacerent cogitatus, qui volucres cœli paſcit, quæ non congregant in horrea, nec ſeminant, nec metunt, non eſt veriſimile voluiſſe ipſum eos habere granaria vel cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent ſperare poſſe tranſigere vitam ſuam. Et idcirco non ex timore levi relaxare ſe debent ad congregationes & conſervationes hujuſmodi faciendas: ſed tunc tantùm, cum eſſet multum credibile ex jam expertis, quod non poſſent vitæ neceſſaria aliter invenire. Hoc autem Miniſtrorum, vel Cuſtodum ſimul & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus, & cuſtodiis cum Guardiani & duorum de Conventu loci diſcretorum Sacerdotum & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio, & aſſenſu duximus judicio relinquendum, eorum ſuper hoc ſpecialiter conſcientias onerantes. Hinc eſt etiam, quod cum vir Sanctus Fratres ſuos in paupertate ſumma, ac humilitate fundare voluerit, quoad effectum pariter & affectum, ſicut fere Regula tota clamat, convenit ipſis, quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri ſuſtineant Eccleſias vel alia quæcunque ædificia, quæ (conſiderato Fratrum habitantium numero) exceſſiva in multitudine, & magnitudine debeant reputari. Ideoque volumus, quòd ubique in ſuo Ordine deinceps temperatis & humilibus ædificiis ſint contenti, ne huic tantæ paupertati promiſſæ, quod patet oculis, contrarium foris clamet. Quamvis etiam paramenta & vaſa Eccleſiaſtica ad honorem divini Nominis ordinentur, propter quem omnia fecit Ipſe Deus: tamen, qui abſconditorum eſt cognitor, ad animum ſibi miniſtrantium reſpicit principaliter, non ad manum, nec per illas ſibi vult ſerviri, quæ ſuorum ſervitorum conditioni & ſtatui diſſonarent: propter quod ſufficere debent eis vaſa & paramenta Eccleſiaſtica decentia, in numero, & in magnitudine ſufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretioſitas, vel quæcumque curioſitas in his, ſeu aliis quibuſcumque, non poteſt ipſorum profeſſioni vel ſtatui convenire: cum enim hæc ſapiant theſaurizationem, ſeu copiam, paupertati tantæ quoad humanum judicium derogant manifeſtè: Quapropter præmiſſa ſervari à Fratribus volumus & mandamus. Circa equorum verò & armorum oblationes, illud decernimus in omnibus, & per omnia obſervandum, quod per declarationem prædictam, in pecuniariis noſcitur eleemoſynis deffinitum.

Ex præmiſſis autem ſuccrevit non parum ſcrupuloſa quæſtio inter Fratres: videlicet, utrū ex ſuæ profeſſione Regulæ obligetur ad arctum, & tenuem, ſive pauperem uſum rerum: quibuſdam ex ipſis credentibus & dicentibus, quòd, ſicut, quoad Dominium rerum habent ex voto abdicationem arctiſſimam, ita ipſis quoad uſum arctitudo maxima, & exilitas eſt indicta: aliis in contrarium aſſerentibus, quòd ex profeſſione ſua ad nullum uſum pauperem, qui non exprimatur in Regula, obligantur, licèt teneantur ad uſum moderatum temperantiæ, ſicut & magis ea condecenti, quàm cæteri Chriſtiani. Volentes itaque conſcientiarum prædictorum Fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare, declarando dicimus, quòd Fratres Minores ea profeſſione ſuæ Regulæ ſpecialiter obligantur ad arctos uſus, ſeu pauperes, qui in ipſorum Regula continentur, & eo obligationis modo, ſub quo continet ſeu ponit regula dictos uſus. Dicere autem, ſicut aliqui aſſerere perhibentur, quod hæreticum ſit tenere, uſum pauperē includi vel non includi ſub voto Evangelicæ paupertatis, præſumptuoſum, & temerarium judicamus.

Demum, quia ex eo, quod dicta Regula, per quos, & ubi fieri debeat Miniſtri Generalis electio, tradens, nullam facit de Miniſtrorum provincialium electione vel inſtitutione penitus mentionem, oriri ſuper hoc

hoc poterat dubitatio inter Fratres: Nos volentes poſſe ipſos clarè, ac ſecurè procedere in omnibus factis ſuis, declaramus, ſtatuimus etiam & ordinamus hac conſtitutione in perpetuum valitura, ut, cum alicui Provinciæ de Miniſtro ſuerit providendum, ipſius Miniſtri electio penes Capitulum provinciale reſideat, quam idem Capitulum die ſequenti, quo fuerit congregatum, facere teneatur; Ipſius autem electionis confirmatio ad Miniſtrum pertineat Generalem. Et ſi quidem ad electionem hujuſmodi per formam ſcrutinii procedatur, (votis in diverſa diviſis) electiones plures in diſcordia celebrari contingat, illa, quæ à majori parteCapituli numero (nulla Zeli vel meriti collatione aut conſideratione habitâ) fuerit celebrata, exceptione, ſeu contradictione quàcumque alterius partis non obſtante, per dictum Generalem Miniſtrum de conſilio diſcretorum deOrdine, priùs tamen ex officio, prout ſpectat ad ipſum, diligenti examinatione præmiſſa confirmetur, vel etiam infirmetur, prout ei ſecundùm Deum viſum fuerit expedire: Et ſi fuerit infirmata, ad Capitulum Provinciale electio hujusmodi revertatur.

Cæterùm, ſi Capitulum memoratum die prædicta Miniſtrum eligere prætermittat, extunc Miniſtri Provincialis proviſio ad Generalem Miniſtrum liberè devolvatur. Verùm, ſi Miniſtro prædicto, & Capitulo Generalibus ex certa, manifeſta, ac rationabili cauſa, videretur aliquando Provinciis ultramarinis, Hyberniæ, Græciæ, ſeu Romaniæ, in quibus hactenus alius providendi modus dicitur ex cauſa certa & rationabili fuiſſe ſervatus, expedire, Miniſtrum Provincialem per Miniſtrum Generalem, cum proborum Ordinis conſilio potiùs, quàm per Capituli prædicti electionem præfici; in Provinciis Hyberniæ, etiam ultramarinis irrefragabiliter, In Romania verò vel Græcia, quando Miniſter dictæ Provinciæ moreretur, vel abſolveretur citra mare; illa vice ſervetur abſque dolo, partialitate, & fraude (ſuper quo eorum conſcientias oneramus), quod ſuper hoc dictus Miniſter cum dictorum proborum conſilio duxerit ordinandum. In deſtitutione verò dictorumMiniſtrorum Provincialium ſervari volumus, quod ſuper hoc hactenus de ipſo Ordine extiterit obſervatum. Cæterùm ſi contigerit eoſdē MiniſtroGenerali carere, per Vicarium Ordinis fiat ſuper hoc, quod faciendum fuerit, per eundem Miniſtrum, uſquequo proviſum fuerit de Generali Miniſtro. Porro ſiquid de hujuſmodi Miniſtro Provinciali ſecus attentari forte contigerit, illud ipſo facto ſit irritum & inane.

Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum declarationum, dictorum, commiſſionis, reſponſionis, prohibitionis, ordinationis, mandati, conſtitutionum, judicationum, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Sextus Decret. inter Clementin. de Verborum ſignificat. Wadding. tom. 6. Annal. fol. 202.

JOANNES XXII.

Aquitanus, à Caturco, Jacobus de Oſſa; priùs Epiſcopus Foro-Julienſis, dein Avenionenſis, demum S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis, Lugduni 7. Auguſti 1316. ad ſupremum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ regimen fuit evectus. Sedit contra eum Petrus de Corbario, ex Ordine Minoritano, qui agente Ludovico Bavaro, prætenſo Imperatore, à paucis inferioris Cleri Romæ ad initium Menſis Maji 1326. electus, & Nicolaus V. appellatus, poſt duos annos Avenione Schiſma abjuravit, & Joannem legitimum Pontificem recognovit. Joannes in ſui Pontificatûs decurſu Ordinem Minorum & gratiis fovit, & duris exercuit. Quievit in pace Avenione 4. Decembris 1334. in Eccleſia Cathedrali S. Mariæ des Doms *magnâ pompâ ſepultus.*

B. Ludovicum Caroli Regis Siciliæ Filium, & Epiſcopum Toloſanum Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcribit,ejuſque feſtum pro 19. Auguſti quotannis cum indulgentiis &c. celebrari concedit.

JOANNES EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus, univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Rectoribus, per univerſum Orbem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SOl oriens Mundo in altiſſimis Dei Deus, Dei Filius ex paterno utero ante Luciferum genitus Deus, Verbum, in principio fundans terram in ſapientia, Cœlos prudentia ſtabilivit, adornando Cœlos ſyderibus, germinantibus cunctis terram; quique in fine temporum pro humani generis ſalute, noſtram aſſumendo naturam, texit nube noſtræ carnis fragilis ſemetipſum,nunc hora inſtante noviſſima, illuminando per cuncta reſpiciens, opus produxit mirabilo,claritate gloriæ ſuæ plenum, bonitatem ſuam monſtrans magnificè,Sponſamque ſuam ſanctam Matrem Eccleſiam reddens novitate tam claræ Sobolis lætabundam. Nam, qui facit mirabilia magna ſolus, dilectum ſuum Confeſſorem eximium, Beatum videlicet Ludovicum, puritate candidum,charitate fervida rubicundum, electum ex millibus produxit noviter & exemplar præfulgidum à cunctis fidelibus imitandum, ejus vitæ ſingularis excellentiam ſignis probans, & prodigiis coruſcantibus, crebriſque miraculis manifeſtans.

§.1. Igitur lætentur Cœli, & exultet terra, jucundetur pariter totus Orbis: nam, qui effulſit in Dei templo, dum viveret, in medio nebulæ ſuę carnis,ut matutinaStella, &Luna plena ſolari lumine,veluti etiam Sol refulgens in ſua formoſus ſtola, in virtute multa, repentine ad ſumma graditur, regalibus dignus conſpectibus, ut candens Lilium,ac odoris ſuaviſſimi Roſa rubens. Huic ſpatioſum præſtant hoſpitium Cœli cives, & ſibi conformem, & comparem, ad ſuum conſortium admittunt in ſupernis; Chriſtus hunc reficit,idem ipſe prãdium, & conviva.

§.2. Hic felix Sanctus ex Regali proſapia,Patre videlicet claræ memoriæ Carolo, Rege Siciliæ,Matre verò Cariſſima in Chriſto filia noſtra,Maria,SiciliæRegina,exHungaria originem ſuam trahens, altum ſui generis recuſavit ſapere, humilia ſemper diligens, & amplectens. Sciebat namque, quod excelſus Dominus, alta de longinquo proſpiciens,humilia de vicino contemplatur. Quamquam autem ſingula præclara opera lucidæ vitæ ſuæ verbis paucis enarrari non poſſint, aliqua tamen de quamplurimis ad utilitatem legentium referemus, ut ex iis Deum Patrem glorificent, & in iis reperiant vivendi regulam, quam ſequantur.

§.3. Sanctus iſte, ſicut probatum eſt teſtimoniis fide dignis, in ætate exiſtens tenera, ſub Magiſtri Religioſi diligentia cum ſuis Fratribus tenebatur. Ipſe tamen ibi maturis incumbendo moribus, ſub tenello pectore geſtare ſe ſenilem animum oſtendebat. Ductus in Cataloniam, cum duobus è ſuis Fratribus datus obſes pro liberatione antedicti Regis, tam ferventer dedicavit ſe ſtudio, quod infra ſeptennium, quo inibi obſes fuit, ſub inſtructione Fratrum Minorum, quos ſecum habebat in ſocios, in primitivis ſcientiis, & ſacra pagina ſic profecit, quod vir pollens ingenio, de prædictis ſcientiis non ſolùm publicè, ac privatè ſubtiliter diſputare valeret, ſed & ſolemniter Clero, & Populo proponere verbum Dei; ut putaretur ſcientia hæc infuſa ſibi magis divinitus, quàm humanitus acquiſita.

§.4. In orationibus ſedulus, & devotus, mentem ad Deum elevatam tenuit, profectò ſciens, quod oratio humiliantis ſe, nubes penetrans,pro auditionis ſuffragioDeum adit.

§.5. In tempore namque dicto Sacramentali Confeſſione præmiſſa, Miſſas audiebat devotè, in magnis verò feſtivitatibus cum præparatione multa Corpus ſumebat Dominicum. Factus autem Sacerdos diebus quaſi ſingulis celebrabat: audientiæ verbi Dei inſiſtebat attentè.

§.6. Pro paſtu verò animæ, in Scripturis divinis ſtudens, habebat ad hoc pro ſolatio ſanctos libros.

§.7. Caſtitatis autem amor à puero affecerat ejus mentem adeo, quod ob ipſius fidam cuſtodiam, mulierum conſortia fugiebat omnino, in tantum, quod, niſi forſan cum Matre & Sororibus, ſolus cum ſola nullo unquam tempore loquebatur: mulierem namque amariorem noverat eſſe morte; verba etiam inhoneſta horrebat audire, ac loquentes talia graviter arguebat; attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores. Fratres nihilominus duo, & interdum quatuor in ſua jacebant camera, in ſuæ teſtimonium nitidæ puritatis.

§.8. Cum

Digitized by Google

§.8. Cum Apoſtolo Paulo, ſobrietate cibi & potûs, corpus ſuum caſtigabat aſſiduè, ſeque frequenter manu ſua, quandoque autem alicnjus Fratris conſocii, cum catenis ferreis diſciplinans, veſtiendo pro camiſcia rudem ſtamineam, & deſerendo ad nudum pro cingulo cordam groſſam, ipſam carnem in ſervitutem ſpiritûs redigebat. Summo etiam ſtudio terrena cuncta calcare ſtuduit ex deſiderio æternorum.

§. 9. Conſiderans etiam Sanctus iſte, quod Mundus totus ſit poſitus in maligno, quodque cum concupiſcentia ſua tranſit, ipſum ſugiendo deſeruit totaliter, & contempſit; nam rediens de Catalonia cum Rege prædicto, votum, quod de intrando Ordinem Fratrum Minorum in obſidione fecerat, in Conventu eorumdem Fratrum de Monte Peſſulano, volnit adimplere. Sed videns, quod timore dicti Regis ipſnm Fratres recipere non audebant, votum ipſum ſolemniter iteravit. Et quia voventibus pręceptum datum à Deo noverat de reddendo, ſuadenti fel. rec. Papæ Bonifacio prædeceſſori noſtro, quod aſſenſum præberet proviſioni de ſe factæ, Eccleſiæ Toloſanæ, nullatenus conſenſit, quoaduſque votum dictum, quod fecerat, compleviſſet, cujus devotioni annuente Prædeceſſore noſtro prædicto Habitum Ordinis prædicti ſuſcipiens, in præſentia bon. mem. Joannis Epiſcopi Portuenſis, tunc ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, expreſſam profeſſionem flexis genibus in manibus ſuis fecit; ſicque proviſioni prædictæ ſuum præbendo aſſenſum, mandatis Apoſtolicis obedivit. Et quamquam de juſſu Prædeceſſoris ejuſdem dictum Habitum velatum portaverit, uſque ad feſtum B. Agathæ, tunc vicinum, in dicto tamen feſto in præſentia duorum Cardinalium recepit publicè; ac ex tunc portavit continuè, atque ipſo die ad S. Petrum patenter detulit pedıtando.

§.10. Miranda res, & aliàs inſueta, Vir namque virtutum poſitus in ſublimi, jnri primogenituræ renunciavit & Regno, regalis ſolii ſpretâ pompâ, pro regno corruptibili æternum, ac plenum delitiis mercans.

§.11. Mirâ verò compaſſione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas, quàm publicas eleemoſynas faciebat, unde jam factus Epiſcopus Toloſanus, per unum ſuum familiarem Secretarinm mandavit inquiri, de ſuorum quantitate redditnum, quantumque ſibi ſufficeret pro moderatis expenſis faciendis, & rationibus, volens quod totum reſiduum in ſubſtentandis pauperibus poneretur, quamquam Prælatus tam magnus eſſet, & filius tanti Regis.

§.12. Cum antem iret Pariſios, pauperem quemdam nudum reperit, cui multum compatiens, abſconditè Cappam contulir, quam portabat, ſibique fecit aliam ſecretè aſportari.

§. 13. In boc etiam Chriſti imitatore vero, humilitas vera fulſit. Attendit namque, quod Deus, qui mœrentes ſoſpitate erigit, ponit humiles in ſublimi. Ipſe enim vigintiquinque pauperibus, quos in domo ſua reficiebat quotidie, aquam in manibus fundebat, manuque ſua ipſis fercnla apponebat, ac panes ſcindebat eiſdem etiam genuflexus, in ipſis Chriſto ſervire, & ipſum recipere ſe delectans.

§ 14. Hoſpitalia Pauperum aliquoties viſitabat.

§.15. Sciens denique, quod, qui veſtiuntur molllbus, in boc à Domino non laudantur, poſt Diaconatûs ſumptum Ordinem, ſemper veſte bnmili uſus ſuit. Poſt ingreſſum verò prædicti Ordinis, vili Habitu, ac bruno colore in tapetiis, cortinis, & lecti coopertoriis utebatur.

§.16. Pontificatûs etiam officium exercebat cum diligentia Servus hic Chriſti fidelis, & prudens, Miſſas dicendo aſſiduè, devotiſſimè Ordines celebrando: Clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de virtutibus & vitiis, & articulis Fidei, vita, & moribus diligenter.

§.17. Judæos, & Gentiles zelo fervens fidei inducebat ſedulò ad baptiſmum, ac quoſdam eorumdem ſacro de ſonte levavit.

§. 18. Demum glorioſus iſte Sanctus, curſu vitæ conſummato, ſeliciter ad Deum fontem vivum, quem avidè ſitierat, migraturus, infirmitate decumbens ultima, devotiſſimè ſumpſit Corpus Dominicum, quamvis debilis, de lecto exiliens in occurſnm Domini Salvatoris. Cruce autem ſibi data per quemdam ex Sociis, deoſculabatur eam genuflexus in lecto, ut potuit, ac in oratione devota, & ſilentio poſtmodum diu manſit. In Cruce namque Domini noſtri Jeſu Chriſti, & non in alio, didicerat gloriari. Tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia, in medio domûs ſuæ, ad Deum ſuum contemplandum in gaudio, ſacie revelata, in ſua innocentia eſt ingreſſus. Verùm, quia decebat multum Divinæ magnitndinem bonitatis, quod illum, quem in terris ipſum præclaris adornando virtutibus, ſuæ imagini fecerat tam conſormem, ſecum oſtenderet regnare in Cœlis virtutis ſuæ teſtimoniis; multis eum miraculis poſt ejus obitum clarum fecit, quorum quædam ad Sancti hujus declarandam gloriam præſentibus duximus adnotanda.

§.19. Quædam namque duorum annorum Puella, quæ vi febris, quam paſſa fuit duobus menſibus, expiravit, facto voto per Patrem Sancto iſti, quod ipſi imaginem de cera offerret, ſi vitam à Deo filiæ ſuæ impetraret, reſuſcitata, ubera matris ſuxit.

§.20. Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuæ vita functus, facto voto per Patrem, & vitæ priſtinæ reſtitutus, nec dictæ febris in eo apparuit ullum ſignum.

§.21. Quædam Puella annorum ſeptem, quæ per ſeptimanas tres febrem paſſa continuam expiravit, facto ad dictum Sanctum voto per ſuos, ſpiritum recuperavit, & revixit.

§.22. Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, unâ illarum in ventre mortuâ, ex caſu dictæ matris de aſino, & in ejus ventre ex mora diutina putrefacta, cœpit puerperio laborare, cumque dictus partus jam putridus per fruſta fuiſſet extractus, & alia filia mortua jam educta eſſet obſtetricum miniſterio violenter, & projecta in ſtabulo ſuper fimum, emiſſo ad ipſum Sanctum voto, quod ſi partus ille reſurgeret, unam ſibi ceræ imaginem præſentaret, puella palpitare cœpit, & baptizata ſeptem menſibus ſupervixit.

§.23. Quidam etiam puer ætatis annorum ſeptem, dum ſub lecto, in quo cum ſuis jacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus, & frigidus aliquo tempore permanſiſſet, facto per Parentes ad hunc Sanctum voto, fuit divinitus ſuſcitatus.

§.24. Mulieri cuidam, quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauſerat, emiſſo per ſuos ad Sanctum iſtum voto, ejus meritis reddita fuit vita.

§.25. Quædam puella nobilis, quæ ex caſu ad terram de nutricis brachiis per octo menſes paſſa fuerat ſurditatem, facto voto ad prædictum Sanctum per Patrem, à dicta ſurditate ad plenum extitit liberata.

§.26. Quidam cum poſt febrem continuam perdidiſſet loquelam, & ſic mutus per menſem integrum permanſiſſet, adductus ad ſepulchrum Sancti hujus, fuit ibidem loquelæ finitâ Miſsâ reſtitutus.

§.27. Mulier quædam, quæ ſubito muta, & impotens de uno brachio facta fuir, ac infirmitate ſibi per menſem durante, emiſſo voto per matrem, ſtatim ad ſanitatem priſtinam eſt reducta; Quædam etiam mulier, dum ex partu quodam violento, de puero mortuo, & in ejus utero tranſverſato, contracta in manibus, & pedibus, & fœmoribus, biennio permanſiſſet, facto voto ad Sanctum præfatum, quod ſi curaretur, ſcoparet in tota vita Eccleſiam, in qua jacet, dormire cæpit, & expergeſacta, à morbo prædicto penitùs eſt curata. Vir quidam paſſus annis ſex guttam in manu, & brachio, ventre, ac humero, facto voto, quod ejus limina viſitaret, ſtatim fuit ſanitatis beneficium conſequutus. Quidam denique Presbyter paſſus guttam in latere, quæ ipſum afflixit graviter diebus ſeptem, facto voto ad memoratum Sanctum, diligentiùs ejus tumulum viſitando, recepit continuò ſanitatem; Quædam mulier, quæ per octo annos morbo epileptico quaſi quotidie gravabatur, emiſſo voto, quod ſepulchrum ejus, ſi curam reciperet, annis ſingulis viſitaret, curam recepit, ſicque ex tunc de morbo ipſo penitùs nihil ſenſit. Monialis quædam, quæ poſt febrem longam, quam paſſa fuerat, dolorem incurrerat in omnibus membris ejus, in tantum, quod in duodecim diebus, niſi alieno adjutorio de lecto non poterat ſe movere, portato ſibi pedili, ſeu ſuccone, qui quondam Sancti hujus dicebatur fuiſſe, ac ſibi applicato ad carnem, ſana, & incolumis eſt effecta. Cum homo quidam, qui miraculis iſtius Sancti detrahere nitebatur, reverſationem faciei, & oculorum turpiter incurriſſet, ſicque manens per dies ſex, huic Sancto cum devotione, qua poterat, ſe devoviſſet, ad ſepulchrum ejus veniens, & offerens caput cæreum, antequam exiret Eccleſiam, perſectè reperit ſe curatum.

§.28. Hæc ſunt mirabilia opera ſolius Altiſſimi, quibus & aliis quamplurimis mirificare voluit Sanctum iſtum, ac toti Mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnificè Deus noſter, cujus dextera huic Epiſcopo confert Stelliſerum Regni Diadema. Applaudant & iſti pariter cœli Cives, quorum cœtibus Sanctus hic Sole ſplendidior eſt inſertus. Canant quoque Altiſſimo Franciæ, Siciliæ, ac Hungariæ Regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupuit, quorum vitis germinat dulcem uvam, cujus liquor cœlos lætificans, abundè funditur in calicem ſummi Regis. Lætetur inſuper Civitas Toloſana tanto ditata Præſide, quem apud Deum Advocatum habet ſedulum, & Patronum. Verè felix es, tu Maſſilia, facta divinorum aromatum tam ſancti Corporis Apotheca, ſed & Fratrum Minorum Ordo conſpicuus, novæ laudis Canticum promere non deſiſtat, in aula Cæleſti tam præclarum Alumnum divinis feſtivè conſpectibus repræſentans.

§.29. Cæterum, quia convenit, ut, quem Dominus in Cœlo magnificat, Mundus colat, Nos de ſanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipſius inquiri fecimus diligenter,

& quia

Digitized by Google

& quia poſt inquiſitionem ſolertem, & ſtudioſam examinationem, & diſcuſſionem ſolemnem, ſupplicatione devota & humili Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoſtol. exiſtentium, cum inſtantia requiſiti, de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, de omnipotentis Dei virtute confiſi, auctoritate quoque Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra, ipſum, ſeptima die Aprilis, Sanctorum Confeſſorum catalogo duximus adſcribendum.

§. 30. Ideoque Univerſitatem veſtram monemus, & exhortamur attentè, per Apoſtolica ſcripta Vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto decimo Kalendarum Septembris feſtum ejuſdem Epiſcopi & Confeſſoris devotè celebretis ac ſolemniter, & faciatis à veſtris ſubditis devotione congrua celebrari, ut pia ejus interceſſione hic à noxils protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis.

§. 31. Et, ut ad venerabile ejus ſepulchrum ardentiùs, & affluentiùs Chriſtiani Populi confluat multitudo, ac celebriùs ejuſdem Confeſſoris colatur feſtivitas, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eum reverentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, duos annos, & duas quadragenas, accedentibus verò ad prædictum ſepulchrum annis ſingulis infra ejuſdem feſti octavam, unum annum, & quadraginta dies, de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, & voluntatis infringere &c.

Datum Avinione ſeptimo Idus Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bullar. Roman. tom. 3. part. 2. fol. 145. Wadding. tom. 6. fol. 290. ubi & alias Encyclicas litteras, ad Reges, & Principes de hac Apotheoſi datas ſubjunxit.

Ordinem Minoritanum Laudibus ornat, Declarationes à Nicolao III. & Clemente V. de veſtimentis &c. editas confirmat, & novorum articulorum additione ampliat.

JOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quorumdam exigit cœcæ ſcrupuloſitatis ambiguum, ac ipſorum quodammodo indocta ſcientia, (ne dixerimus, quod irreligioſa horum ſit, vana, & in hoc ſuperſtitioſa Religio) ut, dum ſuis malunt temerè ſub conſcientiæ velamento conceptibus, quàm Prælatorum Ordinis ſui cùm obedientiæ merito provide inhærere ſententiis, Nos poſt prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim felicis recordationis Nicolai III. ac piæ memoriæ Clementis V. Romanorum Pontificum ſuper intellectu, & obſervantia Regulæ Ordinis Fratrum Minorum declarationes ſalubriter editas, ſolidas quidem, claras, & lucidas, multâque maturitate digeſtas, noſtras Domino favente indubias, ipſorum prædeceſſorum declarationibus declarationes adjungamus: ſicque dies diei eructet verbum, & nox nocti ſcientiam manifeſtet, ne perperam paucorum dicti Ordinis Fratrum (quod abſit) inſcitia, recta ipſarum declarationum verba convertens in devium, illaque ſuis (eis profectò contraria) accomodans ſenſibus, ingrata Deo, Superioribus contumax, præfato Ordini detrahens, odioſa Confratribus, unionem ſcindens, ſi valeat, ac grave in populos ſcandalum credatur allatura; quin potius (ut noſtra vehementer flagitat intentio) antedictis profugatis incommodis, hæc Sancta Minorum Fratrum Religio, ad quam jam dudum (cum minorum Nos gradus haberet, dilectionis & devotionis fervor incanduit; nunc verò poſt ſuſceptum à Nobis Apoſtolicæ ſervitutis jugum, ad illius Religionis gubernationem, protectionem, defenſionemque interiùs, exteriuſque propitiam paſtoralis curæ ſollicitudo Nos angit, paternæ cogit providentiæ debitum, ac internæ charitatis zelus accendit) quieta pace gaudeat, ſancto proficiat otio, in numero ac merito quamplurimum augeatur, blandèque in redeuntium filiorum ſuæ ſcilicet profeſſionis ruat in oſcula, mactet vitulum, eorumque libens & ſedula corruat in amplexus. Profectò cum ipſius Religionis odor trahat, charitas attrahat, ſcientia lucidet, oratio mereatur, quæ in convalle lachrimarum, hujus ſcilicet mundi miſeria, vel cordis contritione, & humiliatione puriſſima, aſcenſiones in corde ſuo diſponit, ut non ſolùm de virtute in virtutem proficiat, ſed in eiſdem virtutibus permanens, quaſi quibuſdam alarum ad perfectionem tendentibus gradibus de die in diem facta ſe melior aſcendat in altius, terrena deſpiciat, ac cœleſtia comple-

plectatur ; ſicque tandem divino munere collocata in patriâ, taotò tunc Deum ſecundùm hujus Sanctæ aſceoſionis gradus cognoſcat apertiùs, quantò nunc in hujus peregrinationis anguſtiis illos conſcenderit altiores: nam ſecundùm David Prophetam eximium, dùm Sanctam Eccleſiam Deus ipſe *ſuſcipiet*, *in ejus gradibus dignoſcetur*. Quapropter tantis incommodis, tantiſque ejuſdem Ordinis excitati periculis, ac ad illa ſalubribus, & opportunis per ejuſdem Sedis providentiã circumſpectam adhibeodis ſummovenda remediis, noſtræ ſollicitudinis ſtudium convertentes, ad Dei laudem, B. Franciſci præconium, ejuſque præſati Ordinis pacem, conſolationemque fidelium, nec non minus cautis, minuſque babentibus inobediendi vel evagandi occaſionis ſubducendam materiam, & ad trepidandum, ubi timor non aderat, ſcrupuloſam caliginem detergendam, eoſque ſuaviter deducendos, ut Filios ad ipſius Religionis gremium velut Matris, diligenti ſuper his perſcrutatione & matura deliberatione præhabitis, de Fratrum noſtrorum conſilio ioſraſcriptas declarationes, commiſſiones, ordinationes, & præcepta, quæ inferiùs inſeruntur, duximus adjungenda.

In primis, cum dicatur in Regula: *quod illi, qui promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cùm caputio, & aliam ſine caputio qui habere voluerint*; *item*, *quod Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur*: & ſuper prædictorum verborum ſenſu à præſatis prædeceſſoribus noſtris Nicolao & Clemente declarationes (ut præmittitur) limpidæ emanârunt: dictuſque Clemeos hujus vilitatis judicium Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis Ordinis prædicti duxerit committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerando: nec ob hoc in quibuſdã ex Fratribus antedicti Ordiois volentibus plus ſapere, quàm oportet ſapere, novarũ adinventiones ambiguitatũ ceſſavère quamplurimæ, vel non omnino non vetuſtarum replicatio quæſtionum, tam videlicet ſuper longitudine & latitudine, quàm groſſitie, & ſubtilitate, forma & figura veſtimentorum ipſorum: quinimo adeo hujuſmodi adinventiones, & quæſtiones propriâ exercuère licentiâ, ut ex eiſdem Fratribus aliqui Habitus propterea curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſqualidos, novitate pleoos, ac diſſidii non ignari, cùm à Communitate Ordinis diſcreparent, aſſumerent, nec eos ad Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum eorundem mandatum requiſiti deponerent; nec alios, prout ejuſdem Ordiois Commuoitas deferebat, Habitus, juxta eorumdem Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum arbitrium ducerent reſumendos, dicentes, in hoc eorumdem Prælatorum ſuorum non parendum fore arbitrio: cùm & ſuum ſic deſpectum, regularem, & cruciformem aſſererent: cæterorum verò ſuperfluum Habitum irregularemque cenſerent: Nec huic eorum opinioni, præſati Clementis declarationem ſæpius repetitam obeſſe: Nam, licèt Miniſtris, Cuſtodibus, & Guardianis præſatis veſtium vilitatis detur in illa judicium, tamen inibi conſequenter adjungitur: *ita tamen*, *quod vilitatem in veſtibus ſervent*: præſertim, cum & in declaratiune prædicti Nicolai dicatur, quòd ſemper in eiſdem Fratribus, & eorum actibus paupertas Sancta reluceat, prout ipſis ex eorum Regula invenitur indicta: ac in Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis generalibus caveatur, ut aſſerunt (quòd in omnibus, quæ ad Habitum Fratrum ſpectant) reluceat ſemper aſperitas, vilitas, & paupertas. Unde, cum nec paupertatis, aſperitatis vel vilitatis, oblatæ per Miniſtros, Cuſtodes, & Guardianos veſtes exiſterent, nec ipſorum Superiorum Ordinis ſui in deponeodo veſtes, quas gererent, nec in reaſſumendo, quas darent, ſequi judicium ullatenus tenebantur: Generali Miniſtro, & cæteris Fratribus, qui pro Communitate ejuſdem Ordinis àderant ſuis rationibus (quas brevitatis causâ omittimus) contrarium aſſerentibus ex adverſo, prout hæc & alia hinc inde coram Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ſcripto lecta, verboque fuère propoſita, ac etiam coram aliquibus ex Fratribus noſtris prædictis ſuper hoc deputatis â Nobis, præſertim per aliquos ex Fratribus dicti Ordinis, qui in prædictis Commuoitatibus adverſabantur eiſdem, fuerunt pluries repetita.

Quocirca Nos ſerioſiùs rationibus prædictis auditis, & aliis illiſque pleniùs intellectis, volentes perpetuum præſato finem dare negotio, de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio declaramus, & dicimus, quòd cum (ſicut ſupra prætangitur) dicatur in Regula, quod *Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur*, & cum vilitatem hujuſmodi veſtium tam Habitûs, quâm interiorum tunicarum, illam præfatus Clemens intelligi debere decreverit, quæ ſecundùm conſuetudinem vel cooditionem patriæ debeat, quantùm ad colorem panni & pretium, vilitas meritò reputari, atque conſequenter hujus vilitatis judicium, Miniſtris, Cuſtodibus ſeu Guardianis prædictis (ipſorum ſuper hoc conſcientias onerando) duxerit committendum, prout in ejuſdem Clementis literis ſuper hoc cooſectis pleniùs continetur: eorumdem Miniſtrorum, Cuſtodum, ſeu, Guardianorum

eodem

eodem modo judicio eſt relictum: Noſque nihilominus præfatorum Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum judicio, præſentium auctoritate committimus determinare videlicet, arbitrari, atque præſcribere, cujus longitudinis, & latitudinis, groſſitiei, & ſubtilitatis, formæ, ſive figuræ, atque ſimilium accidentium eſſe debeant tam Habitus, ipſorumque caputia, quàm interiores tunicæ, quibus Fratres omnes Minores dicti Ordinis induantur; ac inſuper, cujus, quantæque vilitatis indui eos veſtimentis oporteat; & an in veſtimentis hujuſmodi ſecundùm Regulam, & declarationes eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum, & præfatas Ordinis conſtitutiones reluceat aſperitas, vilitas & paupertas: utrum, vel quantum ad colorem pretium, vilitatem, paupertatem quoque, ac cætera accidentia ſupradicta Fratres veſtimentis induantur, ut debent: ſuper quibus eorumdem Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum conſcientias oneramus: ſtatuentes & diſtrictè præcipiendo mandantes, quod in prædictis & his ſimilibus eorum arbitrium, determinationem ſive judicium, Generalis quidem in totius Ordinis, Provincialium verò in Provinciarum; Miniſtrorum, ac Cuſtodum, & Guardianorum in adminiſtrationibus, Cuſtodiis, ac Guardianis, ſive Conventibus Ordinis memorati commiſſis eiſdem, Fratres omnes & ſinguli ſequi omnimode, illiſque parere per omnia teneantur. Ac inſuper, quod illorum ſequendo arbitrium, determinationem, ſive judicium, illiſque parendo, nec ſint, nec dici poſſint vel debeant, nec ipſi ſe ipſos autument ſuæ Regulæ vel conſtitutionum ſui Ordinis transgreſſores; maximè, cùm nec expreſsè, vel determinatè in prædicta Fratrum Minorum dicatur Regula vel declarationibus antedictis, quantæ longitudinis, quantæ latitudinis, quantæ groſſitiei, vel ſubſilitatis, qualis formæ qualiſve figuræ hujuſmodi debeant eſſe veſtes: ſicut nec, qualis, quantæquæ vilitatis eas eſſe oporteat, exprimitur in eadem, ſicque urgente neceſſitate, æquitate, non impari vero ſenſu, veroque id Regulæ ſuadentibus intellectu, ejuſdem Clementis inhærentes veſtigiis, præfatorum Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum in prædictis horumque ſimilibus fore judicium declarare compellimur, illaque eis (ut prædicitur) committere innitamur: Non enim particularium omnium certa poteſt dari ſcientia, neque eorum (cum infinita ſint) contingit fieri diſciplinam: non ars, non regula circumſtantias ſingulas accidentiaque cuncta complectitur: habent in illis minores majoribus obſequi, illiſque intendere, non in certis ſolùm, verùm etiam in dubiis, & incertis præſunt artibus, quibus obediant, præſunt regulis, quibus obtemperent, diſciplinis, ut illarum finis egregius debitis obſequentium miniſteriis ſubſequatur, ſic judicans cuncta, rimatur & diſcutit, leges caſibus applicat Canonum decreta ſecernit: ſic morbus aggravatus Medicum, ſic virtus conſtans in medio Sapientem prudentemque depoſcit: ne, ſi quiſque regatur, ut appetit, confeſtim corruat, ut non quærit: neque taliter conviventibus non ordo, ſed horror inhabitet: ne adſit (quod abſit) diſcordia, religans religio relegetur: ſententiæ namque variantur, ut capita, & creſcit in ſtolidis opinionibus phantaſia.

Eodem modo, eiſdemque quodammodo rationibus inviati, cùm præfatorum Miniſtrorum, vel Cuſtodum ſub certa formà, ſimul ſcilicet, & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus, & Cuſtodiis, cum Guardiani & duorum de Conventu loci diſcretorum Sacerdotum & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio & aſſenſu, præfatus Clemens judicio duxerit relinquendum, an ſit multum credibile ex jam expertis, quòd Fratres ipſi abſque granariis & celariis non poſſint vitæ neceſſaria invenire: quo caſu granaria & cellaria, congregationes, & conſervationes hujuſmodi eis ipſe conceſſit, prout in prædictis ejuſdem Clementis litteris pleniùs continetur: Nos de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio eorumdem Miniſtrorum, & Cuſtodum ſub eadem forma, judicio, præſentium auctoritate committimus, determinare videlicet, arbitrari, atque præcipere eo caſu, qualiter, ubi, & quando, & quoties granum, panem, & vinum, pro vita Fratrum neceſſaria, Fratres ipſi quærere debeant, conſervare ſive reponere, etiamſi reponenda ſint in prædictis granariis, & cellariis conſervanda: ſtatuentes, & diſtrictè præcipiendo mandantes, quòd in prædictis, & his ſimilibus eorundem arbitrium, determinationem, ſive judicium Generalis quidem in totius Ordinis, Provincialium verò in Provinciarum; Miniſtrorum, ac Cuſtodum ſimul & ſeparatim in adminiſtrationibus, & Cuſtodiis Ordinis memorati commiſſis eiſdem, cum Guardiani tamen (ut ſupra dicitur) & duorum de Conventu loci diſcretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio, & aſſenſu, Fratres omnes & ſinguli obſequi omnimodè, illiſque parere per omnia teneantur: ac inſuper, quòd illorum ſequendo arbitrium, determinationem, ſive judicium, illiſque paren-

rendo, nec dici poſſint, vel debeant, neque ſe ipſos autument ſuæ Regulæ aut Conſtitutionum ſui Ordinis tranſgreſſores.

Ideoque omnes & ſingulos Fratres antedicti Ordinis Minorum, qui ſtrictos, curtos, & difformes Habitus ab ipſius Generalis Miniſtri, & aliorum de dicta communitate Habitibus coram Nobis, & Fratribus noſtris, & aliis in Romanâ Curia detulerunt, vel deferunt, monemus, & hortamur in Domino; eis nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad mandatum ipſius Generalis deponant, quos deferunt, Habitus, & aliis juxta ejuſdem Generalis arbitrium, determinationem ſive judicium (ut ſupra prædicitur) induantur: ipſiſque Generali in omnibus iſtis, & aliis, & per omnia ſecundùm Beati Franciſci Regulam, & prædictas Prædeceſſorum noſtrorum declarationes, conceſſiones, & commiſſiones, in ipſis declarationibus comprehenſas, & noſtras contentas in præſentibus, humiliter obediant, pareant, & intendant: Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, indulgentiis, literis, libertatibus, immunitatibus vel exemptionibus, eis vel alicui ipſorum à præſato Clemente conceſſis, vel appellationibus ab eis vel ipſorum aliquo ad Sedem Apoſtolicam interiectis, quæ (in quantum poſſent derogare præſentibus) viribus vacuamus. Religio namque perimitur, ſi à meritoria ſubditi obedientia ſubtrahantur: magna quidem paupertas, ſed major integritas, bonum eſt obedientia maximum, ſi cuſtodiatur illæſa: nam prima rebus, ſecunda carni, tertia verò menti dominatur, & animo, quos velut effrænes & liberos ditioni alterius humili jugo propriæ voluntatis adſtringit. Ad hanc itaque Fratres prædicti non inviti, ſed ſponte redeant, hanc velint, & appetant, hanc magnis deſideriis concupiſcant, illudque votis canticorum ingeminent, *oſculetur me oſculo oris ſui*, charitatis utique, & dilectionis, Religionis hujus obedientia ſancta purificat, nam *meliora ſunt ubera tua*, præceptorum ſiquidem, & conſiliorum, velut quædam nutrientia pocula, vino, unguentis optimis, ſcilicet bonæ famæ fragrantia ſuavitatis odorem. Nec formident hi ad obedientiam Ordinis Deo auctore, dùm redeunt: nam Prælatos ſuos (ut firmiter ſperamus, eiſque injungimus) ſibi benignos, & mites invenient, cæteros dulces atque palpabiles, cùm ſint & eſſe debeant omnes & ſinguli Fratres in Chriſto, & clamitent: *Quis mihi det te fratrem meum* communi ſcilicet Patre Beato Franciſco congenitum, *Suggentem ubera matris noſtræ*, Religionis utique, & profeſſionis ejuſdem velut matris contemplationis, & electionis ſuavia, & dulcia pocula: *ut inveniam te foris* ab ejuſdem obſervantiis quodammodo diſparem, & deoſculer blandè, videlicet intra charitatis ubera complexans: Et jam me nemo, & te nemo deſpiciat; profectò, quos foris poſitos multi ac ſi diviſos & deſides fortaſſe deſpexerant, intus, puta intra dilectionis internæ præcordia, & conformis obſervantiæ clauſtra repoſitos, jam nemo deſpiciat, ſed ſuſcipientes eoſdem dulcedine, quiſque dignè laudibus efferet, & ſuſceptos. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Dat. Avenione Idibus Aprilis Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Inter Extravagantes communes de Verb. ſignific. cap. 1. Waddingus tom. vi. Annal. fol. 273. ubi hanc eandem Conſtitutionem, præfixo odioſo & injurioſo argumento à Bzovio ad Annum 1321. extenſam refert & in aliis libris ſub diverſa Data ob repetitam ejus publicationem reperiri advertit.

Erroneam Joannis de Poliaco contra Regulares doctrinam noviter damnat, & Joanni ut & revocatam à ſe, etiam ab aliis revocari curet, mandat.

JOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Veneralibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Eccleſiaſticis ad quos præſentes pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

VAs electionis Doctor eximius & egregius prædicator, cujus prædicatio mundum docuit univerſum, præſumptuoſam illorum audaciam reformare ſollicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes in errores varios prolabuntur, non plus ſapere quàm oportet ſapere; Sed ſapere ad ſobrietatem ſalubri doctrinâ ſuggeſſit, ut juxta Sapientis eloquia quiſque prudentia ſua modum ponat. Sanè cum dilectum Filium Magiſtrum Joannem de Poliaco Sacræ Theologiæ Doctorem certis de cauſis de Fratrum noſtrorum conſilio ad noſtram præſentiam vocaſſemus, fide digna ad noſtrum relatio perduxit auditum, quod ipſe in quibuſdam

buſdam articulis, tangentibus Pœnitentiæ Sacramentum non ſobriè, ſed perperam ſapiebat, infraſcriptos articulos continentes errores docens publicè in ſuis prædicationibus & ſcholis. Primò quidem aſtruens, quod confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem ſudiendi confeſſiones tenentur eadem peccata, quæ confeſſi ſunt, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundò, quod ſtante ſtatuto *omnis utriuſque ſexûs* edito in Concilio Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non tenentur confiteri omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe Parochialem Curatum, imò neque Deus poſſet hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem. Tertio quód Papa non poteſt dare licentiam generalem, nec poteſtatem audiendi confeſſiones, imò neque Deus, quin confeſſus habenti licentiam generalem, teneatur iterum confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe, ut præmittitur, parochialem Sacerdotem. Nos igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta Nobis veritatem haberent, articulorum præmiſſorum eidem Magiſtro Joanni copiam fecimus aſſignari, & ad defenſionis ſuæ audientiam plenam poſuimus tam in noſtra, & dictorum Fratrum noſtrorum præſentia in Conſiſtorio, quàm aliàs coram aliquibus de dictis Fratribus per Nos ad hujuſmodi officium deputatis. Verùm licèt præfatus Magiſter Joannes præfatos articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat ſe tamen paratum credere, & tenere in præmiſſis, & aliis ea, quæ tenenda & credenda eſſe Sedes Apoſtolica definiret. Nos igitur attendentes, quod dictorum articulorum aſſertio, prædicatio, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipſos per plures Magiſtros in Theologia examinari fecimus diligenter, & Nos ipſi etiam eum dictis Fratribus noſtris collationem habuimus ſolertem ſuper his, per quam quidem collationem, & examinationem comperimus præmiſſos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multùm, & veritati contrariam continere: Quos etiam omnes & ſingulos idem M. Joannes veris ipſi rationibus opinioni ſuæ contrariis demonſtratis in Conſiſtorio revocavit, aſſerens ſe credere eos non veros, ſed eorum contrarium verum eſſe, & dicens, ſe neſcire rationibus in contrarium reſpondere. Ideoque, ne per aſſertionem, prædicationem, doctrinam hujuſmodi in errorem (quod abſit) animæ ſimplicium prolabantur, omnes prædictos articulos & quemlibet eorum tanquam falſos, & erroneos, à doctrinâ ſana devios authoritate Apoſtolica damnamus, & reprobamus de dictorum Fratrum conſilio prædictorum, doctrinam ipſis contrariam veram & contrarium eſſe Catholicum, aſſerentes, videlicet quod illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneâtur peccata eadem confiteri, quam ſi aliàs illa fuiſſent confeſſi eorum proprio Sacerdoti juxta dictum Concilium Generale. Optantes autem veritatis vias notas eſſe fidelibus, & cũctis erroribus præcludere aditum, ne ſubintrent errores, fel. rec. Alex. IV & Clem. IV. Roman. Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigia imitando, univerſis & ſingulis inhibemus, ne quiſquam dictos articulos per Nos, ut præmittitur, damnatos & etiam reprobatos, & contenta in eis vel aliquo ipſorum, utpote à Catholicis mentibus reſpuenda, tenere audeat, ſeu defenſare quomodolibet vel docere. Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quod univerſi, & ſinguli veſtrûm in Civitatibus & Diœceſibus veſtris convocato Clero & populo communi præmiſſa omnia, & ſingula per Vos ſeu alios ſolemniter publicetis. Nos etiam Magiſtro Joannĩ mandamus, quod ipſe in ſcholis, & in ſermone Pariſienſi præſentes articulos, & contenta in eis tanquam veritati contraria propriæ vocis oraculo & aſſeveratione conſtanti publicè debeat revocare, quod ſe facturum dictus Joannes efficaciter repromiſit. Datum Avenione 8. Kal. Auguſti Pontificatûs noſtri Anno quinto.

In corp. jur. Can. inter extrav. commun. tit. de hæreticis.

N O T A.

JOannem de Poliaco, ſeu vulgò *de Poully*, Ducatûs Niverenſis Oppido oriundum, Facultatis Pariſienſis Doctorem Theologum egiſſe, & tum in Cathedra, tum in pulpito tres periculoſos errores, præpoſitæ Bullæ inſertos, de Sacramento Pœnitentiæ vulgâſſe, in Spondano *ad annum* 1321. ac in hiſt. Eccleſ. Natal. Alexandri *tom.* 8. *fol. mihi* 93. *col.* 2. invenio. Invenio & alibi nonnullos eum de malitia errorum excuſare nitentes, ſub prætextu, quod Decreto, ſeu capite Concilii Lateranenſis ſub Innocentio IV. celebrati, incipiente *Omnis utriuſque ſexûs* ſuffultus, jura Eccleſiaſticæ Hierarchiæ defenderit, nec aliud docuerit, quàm quod confeſſio Regularibus ſine licentia Parochi facta, Parochianum ab obligatione ſemel in anno proprio Parocho, ceu rationem de ſubditorum ſuorum animabus Deo reddere debenti, peccata ſua confitendi non diſpenſaret ſeu liberaret.

Incerto non immoror, dum articulos non ſolùm ab ipſo Magiſtro Joanne in Conſiſtorio Avenione habito revocatos, verùm etiam, ceu falſos, & à ſana doctrina declinantes Apoſtolica auctoritate

condemnatos, ex ipſa Pontificia Conſtitutione, quam Pontifex ab omnibus Eccleſiæ Prælatis, convocato Clero & populo promulgari juſſit, certum manet, & illorum condemnatio a Clemente VI. Innocentio VI. & Eugenio IV. (ut infra inter eorum Conſtitutiones videre eſt) fuit confirmata.

Cenſuram quidẽ contra gloſſantes &c. Decretalem Nicolai III. incipientem *Exiit* latam ſuſpendit, Fratribus Minoribus tamen obloqui ſeu contra eorum Regulam ſcribere inhibitum declarat.

JOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUia nonnunquam, quòd conjectura profuturum eredidit, ſubſequens experientia nocivum oſtendit, non debet reprehenſibile judicari, ſi Canonum Conditor, Canones à ſe, vel ſuis Prædeceſſoribus editos, vel aliqua in eiſdem contenta Canonibus revocare, modificare, vel ſuſpendere ſtudeat, ſi ea obeſſe potiùs viderit, quàm prodeſſe. Sanè dudum felicis recordationis Nicolaus Papa III. Prædeceſſor noſter quandam Conſtitutionem declarativam, quæ incipit: *Exiit* ſuper Regula dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum, quam Beatus Franciſcus almus Confeſſor inſtituit, promulgavit, ſub certis pœnis arctiùs interdicens, ne concordantiæ, contrarietates, ſeu adverſæ vel diverſæ opiniones ab ipſius Conſtitutionis lectoribus ſeu expoſitoribus aliquatenus inducantur, nec ſuper Conſtitutione gloſſæ fiant ab aliquibus, niſi forſan, per quas verbum, vel ſenſus ipſius, vel ipſa Conſtitutio quaſi grammaticaliter, & ad literam exponatur, nec intellectus ipſius per legentem diſtorqueatur ad aliud, quàm Conſtitutionis ejuſdem littera ipſa ſonat: gloſſantes autem in ſcriptis Conſtitutionem eandem aliter, quàm ſuperiùs eſt expreſſum, facientes quoque commenta, ſcriptnras, ſeu libros, & ex certâ ſcientiâ & deliberatè determinantes in ſcholis, ſeu prædicantes contra contenta in Conſtitutione prædicta, vel aliqua, ſeu aliquod prædictorum (non obſtantibus aliquibus privilegiis, ſeu indulgentiis, aut litteris Apoſtolicis, quibuſcumque perſonis, dignitatibus, Ordinibus, aut locis Religioſis, vel ſæcularibus, generaliter, vel ſingulariter, ſub quacũque formâ, vel expreſſione verborum conceſſis, quę noluit aliquibus in prædictis quomodolibet ſuffragari) ipſo facto excommunicationis ſententię voluit ſubjacere.

Nos autem attendentes, quòd argumentis frequenter, & collationibus latens veritas aperitur, quodque ſub eadem littera ſæpe latet multiplex intellectus, nec non eſſe difficile volentibus Conſtitutionem prędictam perfectè legere ac intelligere, pœnas adjectas in Conſtitutione hujuſmodi devitare, viam veritatis aperire volentes, & periculis, quæ ex prædictis poſſent litteratæ perſonæ, præcipuè ſcholaſticæ incurrere, ſalubriter obviare, præſertim, cùm de novo ſuborta ſint aliqua dubia, circa quæ poſſet periclitari veritas, & erroribus via pandi, niſi liceret conferre ſuper contentis in Conſtitutione hujuſmodi & diſputare: prohibitiones & pœnas prædictas tam latas, quàm comminatas, & earum effectus, in Fratrum noſtrorum, ac multorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, nec non multorum profeſſorum utriuſque juris, & multorum Sacræ Theologiæ Magiſtrorum præſentia, cùm Conſiſtorium teneremus, auctoritate Apoſtolicâ duximus uſque ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendendas. Per ſuſpenſionem autem hujuſmodi neqnaquam licentiam cuiquam intendimus impertiri, quod contra Fratrum Regulam prædictorum dogmatizare, ſcribere, ſeu determinare, prædicare, ſeu pravè loqui liceat publicè & occultè: quinimò hæc omnibus, & ſingulis auctoritate prædicta diſtrictiùs inhibemus. Ne autem inpoſterùm præmiſſarum prohibitionum & pœnarum ſuſpenſio in dubium revocari valeat, aut alicui propter defectum probationis impingi, quod velut tranſgreſſor prohibitionum ipſarum in pœnam ſeu pœnas inciderit antedictas: Nos volentes ſuper hoc de opportuno remedio providere, chartas, ſeu membranas, ſuſpenſionem continentes eandem appendi, ſeu affigi in majoris Eccleſiæ Avenionenſis oſtiis, ſeu ſuper liminaribus faciemus, quæ ſuſpenſionem prædictam ſuo quaſi ſonoro præconio & patenti judicio publicabunt. Datum Avenione vii. Kalend. Aprilis anno ſexto.

Corp. juris Canon. inter extravagant. commun. tit. 14. de verb. ſignif. Regeſt. Vatican. epiſt. 57. Waddingus tom. 6. annal. fol. 395.

N O-

N O T A

A Tempore jam agebatur controverſia inter Doctores de paupertate Chriſti, enata à quodam Beghino, qui in Civitate Narbonenſi captus, inter alios articulos, in præſentia Archiepiſcopi, & D. Inquiſitoris aſseruir: *Chriſtum Dominum, & Apoſtolos viam perfectionis ſectantes, & docentes, nihil habuiſſe, aut poſſediſſe jure proprietatis aut dominii in ſpeciali, neque in communi*: Inquiſitor ſententiam laturus in Beghinum convocavit Priores, Guardianos, & Lectores, inter quos & fuit Fr. Berengarius Taloni Perpinianenſis, Sac. Theologiæ Lector in Conventu Minorum Narbonæ, qui dum cum aliis alios Beghini articulos condemnabat, illum econtra de paupertate Chriſti, ſeu Dogma ſanum, & Catholicum in Decretali *Exiit, qui ſeminat*, per Eccleſiam definitum defendit. Ex quo infra paucos dies acrior inter Doctores erupit ſenſuum diſcordia & contentio, ita ut quæſtio coram Summo Pontifice, & in Cardinalium Conſiſtorio diſcuti deberet. Priuſquam autem Pontifex deſuper quid definiret, voluit audire ſententias Doctorum quorumdam, & præſertim Fr. Ubertini à Caſale, quem in Sacris Scripturis verſatiſſimum noverat. Solidè hic ad quæſtionem reſpondit, & ſua ſenſa ita patefecit.

Ad quæſtionem prædictam non eſt reſpondendum ſimpliciter affirmativè, vel negativè, ſed per duplicem diſtinctionem eligenda eſt veritas fidei, & hæreſis reſpuenda. Et primò diſtinguendum eſt de Chriſto & Apoſtolis, quia fuerunt ſub duplici ſtatu: fuerunt enim univerſales Prælati Eccleſiæ novi Teſtamenti; Et hoc modo, quantùm ad diſpoſitionis, & diſtributionis auctoritatem, pro dando pauperibus & miniſtris Eccleſiæ, ſicut de Apoſtolis ſcribitur, bona habuerunt communia, & negare, quod non habuerunt iſto modo, eſſet hæreticum, & de hoc non currit propriè quæſtio, quia nullus in iſto ſenſu negavit. Ex iſta Prælationis auctoritate Chriſtus dicitur loculos habuiſſe. Secundò, Chriſtus & Apoſtoli poſſunt conſiderari, ut ſingulares perſonæ, fundamenta perfectionis religioſæ, & perfecti mundi contemptores, ac gloriam mundi calcantes, & Chriſti conſilia de ſupererogatione perfectionis in ſe ipſis obſervantes, & omnibus volentibus eſſe perfectos, exempla lucida tribuentes. Et ſi quæratur, utrum iſto modo habuerint? diſtinguendum eſt de duplici modo habendi. Quorum primus eſt civilis & mundanus, quem modum habendi leges Imperiales definiunt, duas ejus partes oſtendentes, & hæc verba in bonis noſtris dicimus eſſe, in quibus habitis exceptionem, & defenſionem, & in non habitis repetitionem habemus. Et ita patet, quod qui habet aliquid civiliter, & mundanè, poteſt defendere rem ſuam ab invaſore, & repetere à detentore in judicio ſub judice Imperiali. Et iſto modo dicere, quod habuerit Chriſtus, & Apoſtoli res mundanas, eſt hæreticum, quia contra Evangelium; Nam Chriſtus Rex pacificus, qui Apoſtolos ſuos fecit filios pacis, ſeparavit ab omni humano litigio dicens = Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium: *Et* qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere, & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas. *In quibus verbis removet à ſe (quia ipſe fecit, quod docuit) & ab Apoſtolis (quibus hoc ipſum impoſuit) duplicem partem juris civilis & mundani, ſcilicet defenſionem habiti, & repetitionem perditi. Et iſte modus habendi, propriè dicitur, habere in re proprietatem & dominium. Et quia Chriſtus & Apoſtoli iſto modo nihil habuerunt, idcirco Beatus Petrus pro ſe, & pro omnibus Apoſtolis dicit, ſicut verus pauper =* Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te = *Dicere ergo, quod Chriſtus, & Apoſtoli iſto modo habuerint in communi, vel ſpeciali proprietatem & dominium, eſt hæreticum & blaſphemum. Et hoc modo concedo, quod intelligunt FF. Minores, licèt non diſtinxerint diverſos modos habendi. Alio modo poſſunt haberi res temporales, quantùm ad jus neceſſarium, & commune fraternæ charitatis. Et iſto modo Chriſtus, & Apoſtoli habuerunt bona temporalia jure naturali, quod ab aliquibus dicitur jus poli, ad ſuſtentationem neceſſariam, repellentes omnia, quæ divitias ſaperent, vel delicias redolerent, vel mundi pompam nutrirent. Et iſto modo habuerunt panes & piſces, Et ſic dicit Apoſtolus*: habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. *Nec eſt aliqua profeſſio, nec aliquod conſilium Chriſti, quod prohibeat talem modum habendi, ſcilicet quantùm ad neceſſarium uſum vitæ, & ideo dicere, quod non habuerint iſto modo, eſſet hæreticum, & ſic concedo, quod vellent dicere Fratres Prædicatores.*

Placuit Pontifici, Cardinalibus, ac etiam ipſis partibus erudita quæſtionis diſtinctio, motumque religioſæ æmulationis pacavit. Reſuſcitavit hunc, exacto modico tempore, aliorum ſuggeſtio; Hinc Summus Pontifex, ut unio charitatis, quæ celebres duos Ordines (tunc præſertim litigantes) hæreditario quaſi nexu colligaret, diſſidio doctrinæ non

rumperetur, ab omnibus Prælatis, & Sac. Theologiæ Magiſtris in Curia Pontificia præſentibus, propoſitionem hanc, ſchedæ inſcriptam = *utrum pertinaciter affirmare Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos non babuiſſe bona aliqua in ſpeciali, neque in communi, foret hæreticum?* diſcuti & examinari juſſit. Porro cum opinio FF. Minorum ex Decretali Nicolai III. prædicta validum haberet ſundamentum, cum in ea legantur hæc verba = *hi ſunt illius ſanctæ Regulæ Profeſſores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundatorum militantis Eccleſiæ Apoſtolorum ejus ſermonibus, actibuſque firmatur* = & alia clariora §. Porro = *dicimus, quod abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum, tam in ſpeciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamquè primi Fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, volentes perfectè vivere, per doctrinæ & vitæ exempla in eos* (Minoritas) *derivârunt*. Cum autem ſub cenſuris, & pœois eandem Decretalem aliis gloſſis, quàm per quas verbum, vel verbi ſenſus, ſeu conſtructio qnaſi gramaticaliter ad litteram, vel intelligibiliùs exponeretur, declarare ab ipſo Nicolao III. eſſet inhibitum, Joannes Pontifex ad ſenſum Decretalis, ſeu Nicolai rectiùs, & liberiùs inveſtigandum, per præfixam Conſtitutionem, cenſuras, & pœnas ſuſpendit &c.

Diſtinctionem uſûs juris, & uſûs facti rejicit, dominium rerum FF. Minorum abdicat, & nominationem Syndicorum nomine Sanctæ Sedis prohibet.

JOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Conditorem Canonnm non eſt dubiuin pertinere, cum ſtatuta à ſe, vel Prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potiùs, quàm prodeſſe, ne ulteriùs obeſſe valeant, providere. Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolaus III. Prædeceſſor noſter attentè proſpiciens in almi Confeſſoris, Beati videlicet Franciſci, Regula contineri, quod nihil ſibi approprient, neque domum, neque locum, neque rem aliquam aliam ſui Ordinis Profeſſores: ac conſiderans diligenter, quod per piæ recordationis Gregorium Papam IX., & nonnullos alios Prædeceſſores ejuſdem ſuerat declaratum, hoc debere ſervari tam in ſpeciali, quàm in communi, nec non & conſideranter attendens nonnullos Fratribus ipſis detrahere, impingentes eiſdem, quòd Regulam & declarationem hujuſmodi non obſervabant, pièque conſiderans ora contra præmiſſos Fratres oblatrantium claudere, ac Profeſſorum ipſorum conſcientiis providere, inter alia ordinavit, & ſanxit omnium utenſilium, & librorum, rerumque mobilium, & præſentium, & etiam futurorum, Eccleſiarum quoque, & Oratoriorum, ac Cœmeteriorum tam præſentium, quàm etiam futurorum, nec non, & aliarum emptarum, & eleemoſynis divinis oblatarum, ſeu conceſſarum dictis Fratribus (in quibus tamen offerentes, ſeu concedentes ipſa, nihil in ipſis ſibi ducerent reſervandum) proprietatem, & dominium plenè ac liberè ad ſe, & Romanam Eccleſiam pertinere, ipſa in ſe recipiens, ac antedictam Eccleſiam, ſimplici uſu ſacti duntaxat in rebus, & bonis hujuſmodi reſervato Fratribus antedictis. Et quia nonnunquam libros, & alia mobilia ſupradicta vendi expedit, ſeu etiam commutari, Fratribus ipſis in eadem ordinatione conceſſit, ut res ipſas cum rebus aliis, quarum uſum habere licet ipſis Fratribus (dummodo Generalis, & Provincialium Miniſtrorum conjunctim, vel diviſim auctoritas intercederet) poſſent liberè commutare: ſed & quia Fratribus ipſis pecuniam per ſe, vel per alium recipere ipſorum Regula diſtrictiùs interdicit, voluit & conceſſit, quod, ſi vendi contingeret res mobiles antedictas pretio æſtimato, quòd hujuſmodi pretium per Procuratorem deberet recipi, à præſata Sede, vel Cardinali Gubernatore ejuſdem Ordinis deputandum, per Procuratorem eundem in rem licitam, cujus uſus eſſet permiſſus ejuſdem Ordinis Fratribus, expendendum: hoc adjecto, quòd poſſent de vilibus rebus mobilibus, vel parum valentibus Fratres ipſi pietatis, ſeu devotionis intuitu, vel pro alia honeſta cauſa, & rationabili (obtentâ tamen ſuper hoc Superiorum ſuorum licentiâ) intra, vel extra dictum Ordinem ordinare.

Quamquam autem pia conſideratione motus Prædeceſſor noſter ordinavit ſupradicta, illa dicto Ordini exiſtimans profutura; ipſo tamen attento modo utendi Fratrum ipſorum, ac dictæ Eccleſiæ ſubſecutâ

pa-

patientia eirea ipſum non profuiſſe, ſed potiùs tam ipſis Fratribus, quàm multis aliis obfuiſſe, ſubſequens magiſtra rerum experientia noſeitur declarâſſe. Ipſis quidem Fratribua quantùm ad ſtatum perfectionis nequaquam profuit reſervatio dominii ſupradicta: Cum enim perſectio vitæ Chriſtianæ principaliter, & eſſentialiter in eharitate conſiſtat, quæ ab Apoſtolo perſectionis vinculum dieitur: & quæ unit, ſeu jungit aliqualiter in viâ hominem ſuo fini: & ad quam per eontemptum bonorum temporalium, & ipſorum expropriationem via diſponitur per hoc præcipuè, quòd ſollicitudo, quam temporalia in acquirendo, conſervando, & diſpenſando exigunt, & quæ plerumque ab actu eharitatis retrahit, amputetur: reſtat, quòd ſi ſollicitudo eadem poſt expropriationem hujuſmodi, quæ ante ipſam inerat, perſeveret, ad perſectionem hujuſmodi talis expropriatio valeat nil conferre. Conſtat autem, quòd poſt ordinationem prædictam non fuerint in acquirendis, ac conſervandis bonis prædictis in judicio, & extra minus ſollieiti, quàm ante illam fuerant Fratres ipſi, quàm ſint Religioſi Mendieantes alii, habentes aliqua in communi. Adhne nec utique profuit dictis Fratribus ordinatio ſupradicta, quantùm ad hoc, quòd propter earentiam talis proprii, ſe pauperiores dieere valeant, quàm ſi res ipſas cum illo (quo carere ſe dieunt) dominio obtinerent.

Licèt etiam Prædeceſſor noſter prædictus dominium earum rerum, quæ ipſis Fratribus offerri, ſeu eonferri, aut aliàs obvenire contigerit, quarum tamen uſum facti dumtaxat habere licet Ordini vel Fratribus antedictis, uſu facti ſimplici prædictis Fratrihus reſervato, in ſe, Romanamque Ecelesiam reeipiendum duxerit, ac liberè pertinere decreverit, ut ſuperiùs eſt expreſſum: attento tamen ipſorum Fratrum utendi modo, & ejus effectu, ac patientiâ eirea modum ipſum Romanæ Eccleſiæ ſubſecutâ, non ipſe uſus Fratrum dici debet, ſed potiùa Romanæ Eccleſiæ dominium ſimplex. Quis enim ſimplicam uſuarium dicere poterit, cui rem uſuariam licet permutare, vendere, ac donare? proculdubio hæc naturæ repugnare noſcuntur, nec ad uſuarium pertinere, quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt Fratres ipſi. Quod autem dominium Romanæ Eccleſiæ reſervatum ſimplex cenſeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullum eidem Eccleſiæ temporale obvênit hactenus commodum, nec ſperatur, quod obvenire debeat in futurum, cum nec intentio reſervantis, nec Fratrum ipſorum fuerit, quod ad quemcumque alium quâm ad Fratres dictarum rerum perveniret compendium; quod procul dubio modus utendi Fratrum ipſorum, & Romanæ Eccleſiæ ſubſecuta patientia evidenter declaravit. Et quod talis intentio fuerit ordinantis, ex hoc patet, quòd illarum rerum ſibi, & Romanæ Eccleſiæ dominium dumtaxat retinuit, quarum uſum facti liceret habere Ordini, vel Fratribus antedictis: talis autem Dominii carentia re in præſenti, ac ſpe in futurum omnimodo denudati, quoad pauperatem temporalem, quam altiorem præ Mendicantibus aliis in communi habentibus ſibi vendicant dicti Fratres, pauperiorem non efficit non habentem.

Quod autem quoad res, quæ uſu conſumuntur, non ſint cenſendi uſuarii Fratres ipſi, ex ſequentibus liquet ſatis; dicere ſiquidem, quod in talibus rebus uſus juris vel facti ſeparatus à proprietate rei, ſeu dominio, poſſit conſtitui, repugnat juri, & obviat rationi: nec Prædeceſſoris noſtri prædicti fuiſſe videtur intentio Romanæ Eccleſiæ talium bonorum dominium reſervare. Quis enim ſanæ mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti Patris, unius ovi, ſeu caſei, aut fruſti panis, aut aliorum uſu conſumptibilium, quæ ſæpe Fratribus ipſis ad conſumendum è veſtigio conferuntur, Dominium Romanæ Eccleſiæ, & uſum Fratribus retinere? profectò probabile non videtur, præſertim cùm illorum bonorum dumtaxat dominium præfatæ Eccleſiæ reſervaverit, quorum ſimplex uſus facti pertinere poteſt ad Fratres dicti Ordinis: quòd nequaquam poteſt in rebus uſu conſumptibilibus reperiri, in quibus nec jus utendi, nec uſus facti ſeparatim à rei proprietate, ſeu dominio poſſunt conſtitui vel haberi. Et quod de talibus rebus non intellexerit, evidenter oſtendit, dum reſpondit legi dicenti, non poſſe uſumfructum à dominio perpetuo ſeparari, ne dominium Dominis ſemper abſcedente uſu, inutile redderetur, quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum uſus rei, & penes alium Dominium poſſit (licet inutile) remanere, quod nequaquam in rebus uſu conſumptilibus poteſt eſſe, cum in illis per uſum vel abuſum uſuarii ſubſtantia talis rei eſſe deſinat, & per conſequens proprietas etiam inutilis non ſubſiſtat. Cum enim uſusfructus, prout eſt in re conſtitutus, qui ſervitus dicitur perſonalis, & pro quo reales competunt actiones, nihil ſit aliud, quàm jus utendi, nec uſus, qui etiam perſonalis eſt ſervitus, ſit aliud, quàm jus tantùm utendi rebus alienis, ſalvâ rei ſubſtantiâ, id eſt, jus percipiendi fru-

ctus,

Digitized by Google

ctus, & utilitatem aliam in totum vel pro parte ſuo nomine, qui poſſunt ex re, in qua uſusfructus, ſeu uſus conſtituitur, provenire, propter quod proprietas reputatur inutilis, à quâ perpetuò abſcedit uſusfructus, ſeu uſus conſtitutus in rebus, ex quibus ipſis ſtantibus uſufructuario, ſeu uſuario nulla poſſit utilitas provenire, patet quòd ad hoc, quòd talis uſusfructus, vel uſus in re aliqua conſtitui valeat, requiritur, quòd ex re illa poſſint fructus vel utilitas (ſalvâ ipſius rei ſubſtantia) ad fructuarium vel uſuarium pervenire. Quod ſi nulla ad ipſos poſſet ex re ipſa utilitas (ſalva rei ſubſtantiâ) pervenire, quales res conſtat eſſe uſu conſumptibiles, nequaquam poſſet in rebus ipſis cuiquam uſufructus vel uſus conſtitui vel â quoquam haberi. Adhuc nec jus utendi, quod nec eſt jus in re, nec ſervitus perſonalis, ſed merè jus perſonale, pro quo reales actiones non competunt, in rebus talibus, vel rebus ipſis utendi poteſt conſtitui, vel haberi; cum & jus tale exigat, quod ex re ipſa, quæ ad utendum conceditur, tali modo ad uſuarium pervenire poſſet utilitas aliqua, ac cum uſu permanere uſuarii ſalvâ rei ſubſtantiâ, quod nequaquam poteſt (ſicut ad ſenſum poteſt percipi) in rebus uſu conſumptilibus reperiri.

Rurſus nec ſimplex uſus, qui nec eſt ſervitus, nec pro illo competit jus utendi, in talibus rebus poteſt conſtitui vel haberi, cùm enim uti re aliqua nihil ſit aliud propriè, quàm fructus rei ſive utilitatem aliam in ſolidum vel pro parte recipere, qui ex ea poſſunt, ſalva rei ſubſtantia, provenire, reſtat, quod re illa uti quis nequeat, ex qua (ejus ſalvâ ſubſtantiâ) nulla ſibi provenire poteſt utilitas, quales res uſu conſumptibiles eſſe conſtat. Ex quibus patet, quòd nec uſus, qui eſt ſervitus perſonalis, nec jus utendi, quod non eſt ſervitus, ſed merè jus perſonale, nec actus ipſe utendi ſine jure aliquo poſſunt in rebus uſu conſumptilibus conſtitui, vel haberi; cùm quodlibet præmiſſorum exigat, quòd ex re ipſa (ſalvâ rei ſubſtantiâ) poſſit habenti jus utendi ſeu utenti ex re ipſa utilitas aliqua provenire: quod utique in rebus nequit uſu conſumptilibus reperiri.

Nec obviat ſupradictis, quod idem Prædeceſſor noſter in ordinatione prædicta etiam illorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, ſibi & Romanæ Eccleſiæ dominium reſervârit: hoc enim de rebus illis dumtaxat debet intelligi, quæ uſu non ſunt conſumptibiles, ſine quibus humana vita non eſt ſuſtentabilis, quæ utique non ſunt pauca. Licèt autem in rebus uſu conſumptilibus, nec jus utendi, nec ipſum uti poſſit conſtitui vel haberi, ipſis tamen poterit jus abuti. Abuti autem (dum tractatur de rebus uſu conſumptibilibus) pro rei conſumptione ſumitur, quod ei opponitur, quod eſt uti; uti quidem præſupponit, quòd cùm uſu ſalva rei ſubſtantia maneat: ſed abuti exigit, quòd cum actu hujuſmodi rei ſubſtantia conſumatur; cum abuti nihil aliud, quàm contra naturam uſus uti in hac materia propriè poſſit dici. Licet autem quis re viſibili abſque jure utendi aliquo uti poſſit, ipſum tamen uti etiam in re tali abſque jure utendi ſeparato à dominio vel conjuncto, nec ab aliquo poteſt conſtitui, nec à quoquam haberi.

Et quòd talis uſus conſtitui nequeat, ex hoc patet, quòd dare vel conſtituere, quod ſuum non eſt, nec ad ſe pertinet, nemo poteſt: licèt interdum illud dare poſſit aliter, quàm ſit ſuum. Actus autem ipſe utendi ad utentem pertinet, in quantum quis ſuorum actuum per liberum arbitrium & voluntatem Dominus dicitur, cum per hoc illos non exercere valeat, vel etiam exercere: non autem actus ipſe utendi ad eum pertinet, qui concedit alii, quod in re ſuâ actum illum valeat exercere, quod utique nihil eſt aliud, quàm quod actum ſuum ad rem concedentis ad actum ſuum utens valeat applicare. Sicut qui equum ſuum alicui commodat; non actum equitandi concedit commodatorio, ſed quòd actum illum in equo ſuo valeat exercere: quod non eſt utique actum utendi ſimplicem concedere ſine jure, cùm hæc concedere nihil ſit aliud quàm concedere jus utendi: quod quidem jus utendi ſeparatum à proprietate, ſeu dominio in rebus, quæ uſu conſumuntur, nequit conſtitui, ut patet manifeſtiùs ex prædictis.

Præterea, quod ſimplex uſus, id eſt, ſine jure utendi, à proprietate, ſeu dominio ſeparatus, etiam in re viſibili haberi nequeat, ſic probatur: ſi enim poſſit haberi uſus talis, aut ante actum ipſum, aut in ipſo actu, aut poſt completum actum hujuſmodi haberetur. Quod autem hoc nequeat fieri, ex hoc patet, quod non eſt, nequaquam haberi poteſt: patet autem, quod actus ipſe, antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut poſtquam perfectus eſt, in rerum natura non eſt. Ex quo ſequitur, quod haberi minimè poteſt: licèt enim ante actum ipſum quis facultatem habeat illam exercendi, per hoc tamen actus ipſe in rerum natura, niſi in potentia non exiſtit, cum autem actus eſt in fieri, nec adhuc, quod ipſe actus in rerum natura ſit, poteſt dici, licèt pro eo, quod ſit in fieri, dici poſſit: quod enim de actu, qui eſt in fieri, præteriit, vel futu-

rum

rum eſt, jam non eſt in rerum natura, ſed in memoria vel apprehenſione tantùm eſt: quare, niſi prout in memoria, vel apprehenſione tantùm eſt, haberi nequaquam poteſt. Quod autem in præſenti ſit, momentaneum vel inſtantaneum eſt: Quod utiqne magis intellectu quàm ſenſu percipi poteſt: unde nec poteſt haberi pro tunc, niſi pro momento illo ſeu inſtanti, in quo eum ſit, poteſt dici actum poſt actum completum: licèt ſi ex facto ipſo producta res aliqua fuerit, res ipſa aliqua facta haberi valeat: factum tamen ipſum, quod jam tranſiit, niſi in memoria (prout ſupra dictum eſt) non habetur.

Præterea, ſi ſimplex uſus abſque jnre utcudi haberi poſſit ab aliquo, conſtat, quod non juſtus eſſet actus utendi hujuſmodi reputandus: eum ille uſus fuerit, cui jus non competebat utendi: talis autem uſus non juſtus ad perſectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perſectioni aliquid adjicit, ſed ſibi repugnare potiùs, ac detrahere noſcitur manifeſtè. Quod autem uſum non juſtum Conditor Canonis Fratribus ipſis intellexerit reſervare, nequaquam debet aliquis ſapiens æſtimare: imò, quòd de juſto intellexerit, ex eo poteſt evidentiùs apparere, quòd in eadem ordinatione curavit adjicere, quòd illarum rerum dumtaxat in ſe, & Eccleſiam Romanam recipiebat dominium, quarum uſum facti liceret habere Fratribus, ſeu Ordini antedictis, ſubjungens nihilominus, quod non rerum omnium uſum habere debeant Fratres ipſi: quantùm autem ad uſum facti ſimplicem abſque omni jure utendi attinet, nulla rerum quoad Fratres differentia eſt cenſenda: ſic enim uti de facto poſſunt prohibitis, ut permiſſis, quare præmiſſa rerum diſtinctio ad illum uſum facti potiùs eſt reſerenda, pro quo ipſis competit Fratribus jus utendi: quarumdam enim rerum uſus Fratribns ipſis prohibitus noſcitur, & quarnmdam permiſſus: ex quo ſequitur, quòd uſus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui juſtus ſit, id eſt, pro quo competat jus utendi: & boc Conditor ipſe Canonis exprimit evidenter, cùm in eadem ordinatione adjecerit, quòd moderatus uſus in expreſſis priùs rebus ipſis Fratribus eſt conceſſus.

Præterea, ſi in rebus conſumptibilibus poſſit uſus conſtitui, vel haberi, neqnaquam ſimplex, nec à rei ſubſtantia, proprietate, ſeu dominio ſeparatus uſus hnjuſmodi poſſet dici: cum per talem uſnm, id eſt utendi actum, & in ipſo actu, & eum ipſo actu res conſumatur hujuſmodi, ac in ipſius rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine rei ipſius conſumptione eſſe valeat uſus talis: ex quo patet, quod uſus talis, nec ſimplex, nec ſeparatus à dominio poteſt dici.

Rurſus nedum Fratribus ipſis ordinatio prædicta nnn proſuit, ſed etiam occaſionaliter honori Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non leviter detrahit, & detraxit. Nunquid non præſatæ Eccleſiæ derogatur honori, ſi ipſam oporteat nunc in foro Eccleſiaſtico, nunc in Sæculari, interdum quoque coram pedaneis judicibus, & plerumque pro rebns parvis, & vilibus continuè litigare? hoc autem notum eſt fieri: cum occaſione retentionis dicti dominii, omnes cauſæ occurrentes agendo, vel deſendendo pro bonis hujuſmodi nomine Romanæ Eccleſiæ, virtnte cujuſdam privilegii à ſelic. record. Martino Papa Quarto Prædeceſſore noſtro eonceſſi, ſuper hoc agitentur, & (quod gravius eſt cenſendum) Procuratores cauſarum hujuſmodi multos vexare dicuntur indebitè, licèt poteſtas attributa Procuratoribus talibus per privilegium antedictum quoad adminiſtrationem bonorum præmiſſorum dudum ſervata non fuerit, nec ſervetur: quæ omnia in notam, & injuriam Sanctæ Eccleſiæ Romanæ non eſt dubium redundare.

Adhuc ordinatio antedicta Eccleſiarum Prælatis, & Rectoribus gravis exiſtere nimiùm, & moleſta monſtratur. Numquid non grave præmiſſis poteſt exiſtere, quòd ipſos oporteat ſe opponere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſorum Caput noſcitur, & Magiſtra, ac cum ea agendo, vel deſendendo litigare aſſiduè, vel cedere juri ſuo? hoc tamen oportet illos facere, cum in multis dicti Fratres prædictis exiſtere dicantur injurii: ſicut multorum Prælatorum, & Rectorum diverſarum Provinciarum adhuc in Curia exiſtentium habet inſinuatio, qui quidem Fratres facta ſua per Procuratores nituntur deſendere antedictos.

Nos itaque, qui veritatem tenemur colere, velut ille, qui illius, qui veritas noſcitur, licèt immeriti, vicem teneamus in terris, illa volentes in Sancta Dei Eccleſia, quæ non verbo obtinent tantùm, ſed quæ re, potiùs obſervari, præmiſſis in ſcrutinio rectæ conſiderationis adductis, ac deliberatione eum Fratribus noſtris & multis aliis præhabita diligenti, dignum arbitrantes & congrunm, Profeſſores dicti Ordinis non verbis tantùm, non ſimulatis actibus, ſed operibus claris, vcritate ſuffultis, perfectioris ſtatûs, ac altioris paupertatis ſibi prærogativam præ aliis Mendicantibus vendicare, ac nihilominus honori Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (cujus obnubilari poſſet gloria, ſi tam perverſæ ſimulationi, quæ profectò

& ipſis

& ipſis ſimulantibus officit, & aliis ſcandali materiam ſubminiſtrat, diſſimulando illi occurrere conſentiret) ac inſuper volentes indemnitati Prælatorum, & Rectorum ſalubriter ſuper hoc providere, nolentes inpoſterum ſub prætextu, ſeu pallio talis dominii temporalis, verbalis, nudi, ac ænigmatici tanta bona, quanta dicti Fratres faciunt, infici, ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex ſimulatione hujuſmodi, miniſtrare, de Fratrum noſtrorum conſilio, hoc Edicto in perpetuum valituro ſancimus, quòd in bonis, quæ inpoſterum conferentur, vel offerentur, aut aliàs quomodolibet obvenire continget Fratribus, ſeu Ordini ſupradictis (exceptis Eccleſiis, Oratoriis, officinis & habitationibus, ac vaſis, libris & veſtimentis divinis officiis dedicatis, vel dedicandis, quæ ad ipſos obvenient inſuturum, ad quæ ſe non extendunt adeo inconvenientia ſupradicta, propter quòd Conſtitutionem iſtam ad illa extendi nolumus) nullum jus, ſeu dominium aliquod occaſione Ordinationis prædictæ, ſeu cujuſvis alterius à quocumque Prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc ſpecialiter editæ Romanæ Eccleſiæ acquiratur, ſed quoad hoc habeantur prorſus ordinationes hujuſmodi pro non factis. Per hoc autem in his, quæ abſque dictis ordinationibus in bonis prædictis ad dictam Eccleſiam provenire vel pertinere quomodolibet poterant, vel debebant, nullum eidem parari præjudicium volumus, ſed illa ſibi expreſſiùs intacta & inviolata ſervamus. Et quia præfatum Martini Papæ prædeceſſoris noſtri privilegium dudum ſervatum quoad adminiſtrationem bonorum præmiſſorum non extitit, nec ſervatur, ac ipſorum Procuratorum officium, qui nominantur à Miniſtris, & Cuſtodibus dicti Ordinis, Eccleſiæ Romanæ injurioſum, ac multis aliis moleſtum noſcitur, & etiam oneroſum, diſtrictiùs inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis, ſeu adminiſtrandis bonis, quæ inpoſterum Fratribus, vel Ordini prædicts offerri, vel conferri, ſeu aliàs obvenire contingct, quiſquam nominetur à quoquam, ſeu conſtituatur amodo nomine Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Procurator: Nec occaſione cujuſvis privilegii quicunque adminiſtrationem quorumcumque bonorum, quæ obvenire Fratribus ipſis vel Ordini continget, inpoſterum in judicio, vel extra, agendo, vel defendendo, ſupplicando, vel aliàs quomodolibet aſſumere vel exercere dictæ Eccleſiæ nomine audeat, niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali: decernentes irritum, & inane, ſi ſecus à quoquam inpoſterum contigerit attentari: Nõobſtantibus quibuſcumque privilegiis à Martino Papa, & aliis Prædeceſſoribus noſtris ipſis Fratribus, vel Ordini ſub quacunque formâ, vel expreſſione verborum conceſſis. Per hoc autem dicti Ordinis Regulæ in reliquo non intendimus derogare, nec privilegiis Fratibus ipſis, ſeu eorum Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis (niſi dumtaxat quoad præmiſſa, & iſta tangentia) præjudicium aliquod generare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, inhibitionis, conſtitutionis, & intentionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Avenione ſexto Idus Decembris Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

In corp. juris Can. inter Extrav. commun. tit. de Verb. ſignif.

N O T A

EXtravagans hæc Conſtitutio, quæ in Summario, ſionti illius in juris Canonici Codice præfixo dicitur *multùm juridica & ſubtilis in plerisque locis, præſertim ubi probat uſum ſimplicem non poſſe conſtitui in rebus uſu conſumptibilibus*, ad valvas Eccleſiæ Cathedralis Avenionenſis fuit affixa, terminiſque magis emphaticis, ac phraſibus poſt aliquod dies infarta; fuit & dein per aliam Conſtitutionem incipien: *Quia quorumdam* mox hic ſubjungendam, eam impugnare inhibitum. Editionem illius Waddingus *tom.* 6. *Annal. fol.* 401. *num.* 57. nimis animoſo zelo, quo multi ex Fratribus ſuam opinionem de diſtinctione uſûs, in uſum juris, & uſum facti, tum in ſcholis, tum in roſtris propugnârunt, adſcribit; ex hoc enim irritatus Joannes Pontifex contrariæ opinionis ſtabiliendæ viam præfixâ Decretali ſtravit, Sententiam de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum uti infra reprobavit, & impugnantes Conſtitutionem, *Ad Conditorem* contumaces &c. declaravit. Non defuêre tamen, qui præcocem agendi modum in Papa mirabantur, & ſententiam Minorum tanquam rationi conſonam, experientiâ manifeſtam, & etiam Sacræ Scripturæ locis, præſertim cap. 23. Deuteronomii verſ. 24. = *Ingreſſus vineam proximi tui, comede uvas, quantùm tibi placuerit, foras ne efferas tecum* = probatam tenuêre. Quibus & integra acceſſit Theologorum acies, & adhuc in hodiedum communiter Doctores accedunt, ita ut cum Barboſa *tom.* 3. *Collect. in comment. ad hanc Extravag.* eam ceu *communem eſſe ſententiam, præcipuè Theologorum modernorum* concludere liceat.

Laceſ-

Laceſſitum fuiſſe Joannem teſtatur eximius Sotus Ord. Præd. *lib. 4. de juſt. q. 1. a. 1.* ita loquens : *neque legitime, neque, ſi fas eſt dicere, juſte feciſſe Joannem, ſed certe in odium Occhami*, Minoritæ *& aliorum ſui Ordinis* : quod & Ludovicus Molina *de juſt. t. 1. tract. 2. diſp. 6. n. 2.* confirmat his verbis : Joannem *laceſſitum ab Occhamo, & aliis ejuſdem Ordinis, qui illi fuerunt infeſtiſſimi, aliiſque occaſionibus permotum, à ſe & à Sede Apoſtolica abdicâſſe totum dominium rerum Fratrum Minorum*. Nec enim niſi agitati & turbati animi effectus videri poterat contradictio illa, quâ Joannes declarationes Nicolai III. & Clementis V. in ſua Decretali *quorumdam exigit* ſuprapoſita, *ſalubriter editas, ſolidas, claras, lucidas, multâque maturitate congeſtas* commendavit, & dein poſt modicum temporis ſpatium eas, è diametro oppoſitâ Conſtitutione rejecit. Egiſſe quidem ita Joannem contra Minores in propatulo eſt, nihil tamen contra eos, ceu certum de fide determinâſſe tradit verior hiſtoria; cum ſcholaſticè & diſputative tantùm proceſſerit, ſua ſenſa ſtatuendo, & argumenta contraria, præſertim in ſequenti Conſtitutione *quia quorumdam* refellendo. Imò nec definire potuit, cum non ſit res fidei, uti eruitur ex Bellarmino l. 4. de Rom. Pontifice c. 14. ita dicente : videri *Joannem erraſſe in hac re, quæ tamen non pertinet ad fidem*, cum ſit materia merè juridica.

Abdicando autem Joannes dominium rerum Fratrum à ſe & à Sede Apoſtolica, nullum prorſus Ordini Minoritano, nec in Pontificatu, nec poſt Pontificatum intulit præjudicium : tempore enim Pontificatûs Dominium hujuſmodi apud fideles, res Fratrum curantes, manſit; poſt Pontificatum autem Summi Pontifices ſucceſſores id revocatâ expreſſè Conſtitutione *Ad Conditorem* in ſe & Eccleſiam Romanam (prout ex pluribus illorum litteris, huic tomo inſerendis patebit) denuo ſuſceperunt.

Porro Joannem ad vitæ ſuæ finem omnia contra Minoritas acta & ſancita revocâſſe, Alphonſus Caſſarubeus *in compend. privileg. FF. Minorum verb. Paupertas*, Emanuel Rodriquez. *quæſt. Reg. tom. 3. q. 29. art. 1. fol. mihi* 86. cum Miranda, Corduba, Rouſerio &c. tenent : libenter hoſce Auctores in ſui ſenſûs bonitate relinquo, & Notam hanc certiore epiphonemate abſolvo, tum Minores de exceſſu, & ſtatui humilis profeſſionis difformi æſtu fidentiùs arguendo, tum in æternam Joannis Pontificis laudem verba Waddingi tom. VII. Annal. fol. 158. n. 2. repetendo : *nec ac alium legi Pontificem, qui plura in Ordinem* (Minorum) *contulerit beneficia, majora indulſerit privilegia, & plures ex Fratribus ad infulas promoverit Pontificias &c.*

Opinionem aſſerentium, Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe aliqua vel in ſpeciali vel in communi vel in habitis jus donandi &c. iis non competiviſſe, erroneam & hæreticam declarat.

JOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum inter nonnullos Viros ſcholaſticos ſæpe contingat in dubium revocari; utrum pertinaciter affirmare Redemptorem noſtrum, ac Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua nec in communi, etiam hæreticum ſit cenſendum : diverſa & adverſa etiam ſentientibus circa illud; Nos huic concertationi finem imponere cupientes, aſſertionem hujuſmodi pertinacem, cum Scripturæ Sacræ, quæ in pleriſque locis ipſos nonnulla habuiſſe aſſerit, contradicat expreſſè, ipſamque Scripturam Sacram, per quam utique fidei Orthodoxæ probantur articuli, quoad præmiſſa fermentum apertè ſupponat continere mendacii, ac per conſequens, quantùm in ea eſt, ejus in totum fidem evacuans, fidem Catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam, deinceps erroneam fore cenſendam & hæreticam, de Fratrum noſtrorum conſilio, hoc perpetuo declaramus Edicto. Rurſus inpoſterùm pertinaciter affirmare, quod Redemptori noſtro prædicto, ejuſque Apoſtolis iis, quæ ipſos habuiſſe Scriptura Sacra teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi competierit, nec illa vendendi ſeu donandi jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe Scriptura Sacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit expreſſè, cum talis aſſertio, ipſorum uſum & geſta evidenter includat, in præmiſſis non juſta, quod utique de uſu, geſtis ſeu factis Redemptoris noſtri Dei Filii ſentire nefas eſt, Sacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum : aſſertionem ipſam pertinacem, de Fratrum noſtrorum conſilio, deinceps erroneam fore cenſendam meritò ac hæreticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum declarationum infringere, vel auſu ei temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Avenione II. Idus Novembris Pontificatus noſtri anno VII.

Lib. 6. Decretal. inter extravag. tit. 14. de Verb. Signif. c. 4.

N O T A.

TRipudiârunt Romanæ Eccleſiæ hoſtes, & Romanorum Pontificum oſores publicatâ hâc Conſtitutione, dum eam & aliam Nicolai III. *Exiit qui ſeminat*, in puncto fidei contradictoriè ſibi opponi, & conſectariò alterum ex duobus Summis Pontificibus errâſſe, clamoroſâ ſparſerunt bucciná. Dedit & aliis Minoritas cavillandi anſam vel ignorantia vel paſſio, dum eos definitè antepoſito Joannis anathemate tactos autumârunt. Planè ſi punctum controverſiæ ad lapidem lijdium ſumamus, diſſonum Hæreticorum jubilum & futilem, aliorum cachinum eſſe dignoſcimus; Joannes damnat ſententiam abſolutè aſſerentium Chriſtum nunquam aliqua vel loculos habuiſſe: Nicolaus hoc nunquam negavit, imò inſpecto diverſo ſtatu & tempore Chriſtum & Apoſtolos aliqua, & loculos habuiſſe expreſsè fatetur, dum in ſua Decretali dicit: *Infirmorum Perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis*, & mox ſubjungit: *Egit namque Chriſtus & docuit opera perfectionis; egit etiam infirma, ſicut interdum & in fuga patet & in loculis*. Ex quo dum Pontificiarum aſſertionum contradictio ruit, perit & prætenſus unius ex illis error. Fulmen Joannis nec Minoritas feriit, cum à recta Nicolai Sententia nunquam deflexerint, duplicemque in Chriſto Statum & tempus ſemper diſtinxerint. Waddingum tom. 6. & 7. annal. cum aliis Ordinis hiſtoricis legat, qui plura hac de re cupit. Pauca hæc hîc adjungere opus cenſui, ne Summarium ſupra poſitæ Joannis Conſtitutioni præfixum lectoris animum præoccupet, & imperfecta rei cognitio veritatis ſtudio præjudicet.

Impugnantes Conſtitutionem *cum inter nonnullos* ceu hæreticos, & agentes contra aliam *ad Conditorem Canonum*, ceu contumaces & Eccleſiæ rebelles damnat.

JOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUia quorundam mentes ſic Pater mendacii dicitur excæcâſſe, quod noſtris Conſtitutionibus, quarum una incipit, *ad conditorem canonum &c.* alia verò, *cùm inter nonnullos*, utique tam cum Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quàm cum multis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, nec non & compluribus Sacræ Teologiæ Magiſtris, ac utriuſque juris profeſſoribus deliberatione præhabita diligenti digeſtis, ac de præmiſſorum Fratrum noſtrorum conſilio promulgatis, non abſque multa temeritate plectibili niſi ſunt detrahere, & nituntur veritatem, quam continent, per falſas inſanias obſuſcare; Nos tam perniciosis auſibus, ne eorum doctrina peſtifera ſimplicium animos labefacere, ac in ſui erroris devium deducere valeat, de eorundem Fratrum conſilio decernimus ſuper hoc ſalubriter (ut ſequitur) providere.

Ad impugnandas autem Conſtitutiones prædictas ſubſcripta ratione tam verbo, quàm ſcripto, uſi ſunt publicè, ſicut fertur: illud, inquiunt, quod per clavem ſcientiæ in fide, ac moribus ſemel definierunt Romani Pontifices, adeo immutabile perſeverat, quod illud Succeſſori revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licèt de iis, quæ per clavem poteſtatis ordinaverint, aſſerant ſecus eſſe. In confirmatione autem Regulæ Ordinis Fratrum Minorum, Honorii III., Gregorii IX., Innocentii IV., Alexandri IV., Nicolai III. Prędeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificium, hæc verba aſſerunt, contineri: Hæc eſt Regula Evangelica, Chriſti & Apoſtolorum imitatrix, quæ nihil in hoc mundo habet proprium vel commune, ſed in rebus, quibus utuntur, habent ſimplicem uſum facti: his addere præſumentes, præfatos Summos Pontifices & multa Concilia generalia per clavem ſcientiæ definiſſe paupertatem Chriſti, & Apoſtolorum conſtitiſſe perfectè in expropriatione cujuslibet temporalis dominii, civilis, & mundani, & ſuſtentationem eorum in ſolo & nudo uſu facti etiam conſtitiſſe; Ex quibus nituntur concludere, non licuiſſe, nec licere ipſorum ſucceſſoribus contra præmiſſa aliquid immutare. Ideoque, cum Conſtitutio noſtra in ratione prædicta, contra definitiones prædictorum prædeceſſorum noſtrorum, ſicut aſſerunt, definierit, Chriſtum & Apoſtolos in iis, quæ habuerunt, habuiſſe non tantùm ſimplicem uſum facti, ſed jus faciendi de ipſis, eoſque ipſos feciſſe Scriptura Sacra teſtatur: pertinacem aſſertionem dicentium ipſos jus hujuſmodi minimè habuiſſe (cum actus illorum fuiſſe concludant non juſtos, quod de Chriſto nefas eſt dicere) hæreticam declarando, concludere fatagunt, licèt falsò, Nobis non licuiſſe declarare vel ſtatuere ſupradicta. Item, quia conſtitutio, *ad conditorum Canonum &c.* contra definitiones prædictas Fratres Mi-

nores aſſerit non poſſe habere in re aliqua ſimplicem uſum facti, nituntur ſimiliter concludere contra ipſam.

Quòd autem, quod in ratione prædictâ præmittitur, videlicet quòd illa, quæ per clavem ſcientiæ in fide ac moribus à Summis Pontificibus ſemel ſunt definita, eorum Succeſſoribus revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licèt ſecus ſit: Sicut dicunt, in iis, quæ per clavem poteſtatis per Summos Pontifices ordinantor, prorſus ſit contrarium veritati, patet ex ſequentibus evidenter: primò quidem, ſecundùm illos, qui tenent clavem ſpiritualem nequaquam eſſe ſcientiam, ſed ligandi atque ſolvendi poteſtatem, patet aſſertores prædictos ponendo eſſe ſcientiam erraviſſe: pro quibus facit clavis definitio, quæ à Doctoribus datur: clavis eſt ſpecialis poteſtas ligandi atque ſolvendi, quâ judex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno. Item, quia claves, de quibus agimus, in collatione Sacerdotalis Ordinis conferuntur: conſtat autem, quòd ordinato in Sacerdotem ſcientia communiter non confertur: quare ſecundùm illos videtur, quod ſcientia non eſt clavis, ſed potentia tantùm ligandi atque ſolvendi debeat dici clavis. Adhuc ſecundùm illos, qui ponunt unam clavem ſpiritualem eſſe ſcientiam, & ſecundùm illos, qui auctoritatem diſcernendi inter lepram, & lepram eſſe aſſerunt clavem, & aliam poteſtatem ligandi atque ſolvendi, noſcuntur evidenter erràſſe: Supponunt enim per claves hujuſmodi circa ea, quæ fidei ſunt, & alia poſſe per Conſtitutionem aliquam definiri, claves autem, quæ in Sacerdotali conſeruntur ordine, ad talia minimè ſe extendunt: aliàs ſequeretur, quòd circa præmiſſa poſſent Conſtitutionem Sacerdotes ſimplices facere: quod falſum eſt evidenter. Si autem intendant claves iſtas extendere ad generalem poteſtatem attributam Beato Petro, ſuiſque Succeſſoribus in perſonam ejuſdem in commiſſione officii paſtoralis, per quam utique videretur evidenter ipſis omnia conceſſiſſe, ſine quibus Paſtoris univerſalis conveniencter cura nequit ſeu officium expediri, adhuc claret, ipſos etiam erràſſe: dicunt enim alium effectum habere illa, quæ per clavem ſcientiæ, & alium illa, quæ per clavem potentiæ ſtatuuntur, ſupponentes alia per clavem ſcientiæ, & alia per clavem potentiæ ſtatui, ſeu etiam difiniri: quod evidenter eſt falſum: per clavem enim ſcientiæ, ſive per auctoritatem diſcernendi, ſeu cognoſcendi inter lepram, & lepram, ſi ipſam dixerimus eſſe clavem, nil aliud per ipſum illi, cui datur, tribuitur, niſi auctoritas cognoſcendi. Ei autem, cui datur auctoritas de re aliqua cognoſcendi, de illa definiendi non intelligitur eſſe data. Quare reſtat, quod ad convenientèr ſtatuendum ſeu aliquod definiendum, utraque clavis, ſcilicet cognoſcendi & definiendi neceſſariò requiratur: vel quòd ſoli clavi potentiæ ſtatuere competat, & etiam diffinire: Sed ſicut lumen materiale clavigerum in uſum clavis materialis dirigit, & quaſi quantum ad hoc obtineat, ſcientia vicem lucis. Et hoc Salvator noſter in promiſſione clavium facta Beato Petro ſenſiſſe videtur expreſsè, cum poſt illam immediatè ſubjunxerit: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolvetis ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis, nulla de ſcientia habita mentione.

Quod autem ſubſequenter proponitur in ratione prædicta, videlicet, quòd in confirmatione, & declaratione Regulæ Fratrum Minorum, nonnullorum Prædeceſſorum noſtrorum, videlicet Honorii III., Greg IX., Innoc. IV., Alex. IV., Nicol. III. verba hujuſmodi continentur: *hæc eſt Regula Evangelica &c.* ac ex hoc uſum rerum in nudo uſu facti etiam conſtitiſſe pateat, prorſus obviat veritati. Honorius quidem præfatam Regulam abſque declaratione aliqua confirmavit, in cujus confirmatione de verbis prædictis mentio aliqua non habetur, ut liquere poteſt cuilibet confirmationem hujuſmodi intuenti, niſi quatenus de vitâ Evangelicâ habetur mentio in ipſa Regula confirmata ibi cùm dicit: *hæc eſt Regula Fratrum Minorum, videlicet, Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate*. Ex quibus verbis concludi non poteſt, quod per ipſum Prædeceſſorem noſtrum ea, quæ ipſi in verbis prædictis aſſerunt, fuerint diffinita, imò poteſt concludi potiùs, quod vita Evangelica, quam Chriſtus & Apoſtoli tenuerunt, habere in communi aliqua non excludat: cum ſine proprio vivere non exigat, quòd ſic viventes nihil habeant in communi. In declarationibus quoque Gregorii, Innocentii, & Alexandri prædictorum, qui eandem Regulam abſque confirmatione alia declarant, ſimiliter nulla prorſus ſit mentio de prædictis: imò per eas evidenter oſtenditur, eorum, quæ habere licet ipſis Fratribus, uſum juris ad ipſum Ordinem pertinere. Gregorius quidem in ſua declaratione, quantùm ad hoc, interſerult, quæ ſequuntur: *dicimus, quod nec in ſpeciali, nec in communi debent habere proprietatem; ſed utenſilium, librorum, & rerum mobilium, quas licet habere, Ordo uſum habeat*, & Fra-

& Fratres, ſecundùm quod Generalis Miniſter, & Provinciales ordinandum duxerint. bis utantur. Innocentius autem, & Alexander præſati in ſuis declarationibus ſic dixerunt: *dicimus inſuper, quod, cum in ipſa Regula contineatur expreſſè, quod Fratres nihil ſibi approprient, neque domum, neque locum, neque aliquam rem, quod nec in communi, nec in ſpeciali debens proprietatem habere, ſed locorum, & domorum, utenſilium, & librorum, & eorum, quæ licet habere, Ordo uſum habeat: & Fratres, ſecundùm quod Generalis, & Praviuciales Miniſtri ordinandum duxerint, bis utantur.* Cum enim dicatur in declarationibus ſupradictis, quod Ordo uſum rerum babeat præmiſſarum, ad uſum juris neceſſe eſt hoc referri: ſacta quidem, quæ ſingulorum ſunt, perſonam versm exigunt, & requirunt: Ordo autem vera perſona non eſt, ſed repræſentata, & imaginaria potiùs eſt cenſenda: quare, quæ ſunt facti, ſibi verè convenire nequeunt, licèt ei poſſint congruere quæ ſunt juris. Adhuc, licèt declaratio Nicolai III. prædicti contineat, quæ ſequuntur. *Hi ſunt illius ſanctæ Regulæ profeſſores, quæ Evangelica fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundatorumque militantis Eccleſiæ Apoſtalorum ejus ſermonibus & actibus firmantur.* Et poſt in eadem declaratione ſubjunxit dicens, *quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in ſpeciali, quàm in communi propter Deum, meritoria eſt, & ſancta, quam Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, volentes perfectè vivere per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alveos derivârunt.* Ex verbis tamen prædictis nequaquam poteſt colligi, quod præſati Prædeceſſoris noſtri Nicolai intentio fuerit dicere, quod dicta Regula, quoad omnia, quæ continentur in ea, Evangelico fundetur eloquio, ac vita Chriſti roboretur exemplo: nec quod Apoſtolorum vitâ & actibus ſit firmata. Conſtat enim multa contineri in dicta Regula, quæ nec Chriſtus verbo docuit, nec exemplo firmavit: utpote, quando præcepit Conditor Regulæ Fratribus univerſis, ut nullo modo denarium vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam, nec non & de multis aliis contentis in dicta Regula, quæ utique nec Chriſtus, nec Apoſtoli verbo docuerunt, nec firmaverunt exemplo. Nec obſtat, quod Chriſtus portare pecuniam Apoſtolis, & diſcipulis, dum ipſos ad prædicandum mitteret, interdixit; quod tamen, antequam eos mitteret, ipſis fuiſſe legimus interdictum. Quodque poſt reditum pecuniam portaverunt, in pleriſque locis Evangelica veritas, & Apoſtolica dicta teſtantur. Præterea Auguſtinus dicit expreſſè, quod illud non fuit præceptum, ſed poteſtas recipiendi neceſſaria ab iis, quibus prædicabant Evangelium: quam ſervare Apoſtolicis licuit, vel etiam non ſervare. Sed hoc Romanus Pontifex, prædeceſſor noſter Nicolaus quoad principalis tria vota, ſcilicet *in obedientia vivere, ſine proprio, & in caſtitate*, ac alia, ſi quæ de Evangelio reperiantur expreſſa in dicta Regula, videtur intellexiſſe dicere in declaratione prædicta: quod utique declarationibus noſtris in nullo obviat ſupradictis: adhuc non apparet ipſum dixiſſe ſuſtentationem Chriſti, & Apoſtolorum ejus in ſolo & nudo ſimplici conſiſtere uſu facti; cum quoad Chriſtum, & Apoſtolos nullam præfatus prædeceſſor noſter Nicolaus in ſua declaratione fecerit mentionem: imò ſenſiſſe ſatis videtur expreſſè, quod jus aliud à proprietate habuiſſe potuerunt: cum de ſola abdicatione proprietatis, non juris alterius in præfata declaratione, quatum ad ipſos attinet, mentio habetur. Adhuc idem Nicolaus prædeceſſor noſter videtur ſenſiſſe, quod Chriſtus, & Apoſtoli etiam quoad proprietatem habuerunt aliquid in communi: cùm enim in ſuà declaratione prædictâ verba de abdicatione proprietatis dixiſſet, reſpondens objectioni tacitè, quæ ſibi de loculis, quos Chriſtus habuiſſe in Evangelio legitur, poterat fieri, ſtatim, quæ ſequuntur, ſubjunxit: nec his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos, habuiſſe: nam ſic ipſe Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectioni condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret: ſic & infirmorum perſonam Chriſtum aſſerit in loculis ſuſcepiſſe: aliàs impertinens de loculis fuiſſet objectio, niſi intellexiſſet Chriſtum, etiam quoad proprietatem loculos habuiſſe. Præterea ſi diceretur Chriſtum in loculis habuiſſe tantummodo ſimplicem uſum facti, fruſtra diceretur, quod in perſona infirmorum ipſos Chriſtus habuit loculos: cum ſecundùm eum perfectis etiam conveniat habere ſimplicem uſum facti. Et ſi quæratur, propter quos infirmos iſtos loculos habuerit, Auguſtinus, cujus dictum inſertum eſt in decretis, reſpondet dicens: *habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat*: unde conſtat ipſum de ſuis diſci-

Digitized by Google

ſcipulis hoc ſenſiſſe. Nec hoc, ſcilicet in communi, & quoad proprietatem aliqua habere derogat, juxta dictum Gregorii IX. prædicti, altiſſimæ paupertati, qui in quadam ſua decretali dicit expreſſè, *Fratres prædicatores, & Minores in altiſſima paupertate Chriſto pauperi famulari*: & tamen conſtat, ipſos Prædicatores habere in communi, etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum regulæ & ſtatui non repugnat. Hoc etiam Alexander Prædeceſſor noſter præfatus in condemnatione libelli, contra ſtatum Prædicatorum, & Minorum editi videtur ſenſiſſe, in qua aliquando de dictis Fratribus, quæ ſequuntur, ſubjunxit: *cùm inſuper iidem Fratres omnia propter Deum derelinquerint, exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando: propter quod evidenter apparet, eos non ſolùm in ſtatu ſalvandorum exiſtere, ſed etiam perfectorum, & per ſuæ religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius perfectionis Evangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri*: ubi quidem expreſſè dicit, Prædicatores Chriſtum pauperem imitari, ipſoſque perfectionem Evangelicam amplexari, & in ſtatu exiſtere perfectorum, quodque ipſorum Religionis obſervantia perfectionis Evangelicæ tenet formam: & tamen conſtat ipſos habere poſſe etiam quoad proprietatem aliqua juxta eorum regulam in communi; Nec obſtat, quod dicunt Innocentium (aliàs Cœleſtinum) V. prædeceſſorem noſtrum dixiſſe, altam paupertatem eſſe, habere pauca propria propter Deum, altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi, altiſſimam, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi: dicimus quidem, quod hoc dixerit, non ut Papa, ſed ut Frater Petrus de Tarantaſia in quadam poſtilla ſua, quare dicta præmiſſorum Summorum Pontificum ſunt ei meritò præferenda.

Dicunt etiam, quod Apoſtolus de tali altiſſima loquitur paupertate, dicens: & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum: quod evidenter eſt falſum: quia ibi loquitur de paupertate Macedonum, qui etiam in ſpeciali bona temporalia obtinebant, de quibus Apoſtolus aſſerit, quod ſupra vires ſuas miſerant eleemoſynas Sanctis. Quod autem dicitur in declaratione Nicolai Prædeceſſoris noſtri contineri, quod Fratres Minores in rebus, quæ eis obveniunt, habent tantùm ſimplicem uſum facti, dicimus, quod, ſi ipſe intellexerit ſimplicem uſum facti denudatum omni jure, ita quod Fratres ipſi, ſeu Ordo nullum jus habeant utendi, hoc eſt expreſſè contra declarationem Gregorii, Innocentii, Alexandri, Summorum Pontificum prædictorum, in quibus expreſſè, quod talium bonorum uſum Ordo habeat, continetur: quod de uſu juris eſt intelligendum neceſſariò, ut ſuperiùs eſt probatum. Adhuc dicimus, quod eſt cum hoc impoſſibile, ſcilicet uſum facti ſimplicem abſque jure aliquo (quod nihil aliud quàm ipſum uti propriè dici poteſt) poſſe in re aliqua etiam uſu non conſumptibili ab aliquo obtineri, prout in decretali, *ad conditorem Canonum*, eſt probatum, & Auguſtinus in lib. 11. de actu, tenet expreſſè: Præterea, ſi ſimpliciter uſus denudatus ab omni jure haberi poſſet ab aliquo, conſtat, quod actus utendi hujuſmodi eſſet reputandus non juſtus, cum ille uſus fuerit, cui jus non competebat utendi: uſus autem non juſtus ad perfectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, ſed ſibi repugnare potiùs noſcitur manifeſtè. Quod autem uſum talem non juſtum Conditor Canonis Fratribus ipſis intellexerit reſervare, probabile non videtur; imò quod de juſto intellexerit, ex eo poteſt evidentiùs apparere, quod in eadem ordinatione adjicit, quod illarum rerum dumtaxat in ſe, & etiam Romanam Eccleſiam recipiebat dominium, quarum uſum facti liceret habere Fratribus, ſeu Ordini antedictis; ſubjungens, quod non rerum omnium uſum habere debeant Fratres ipſi. Quantùm autem ad uſum facti ſimplicem abſque omni juro utendi attinet, nulla rerum poteſt cenſeri differentia quoad Fratres: ſic enim uti de facto poſſunt prohibitis, ut permiſſis. Ex quo ſequitur, quod uſus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui juſtus ſit, & pro quo competat jus utendi: & ipſe videtur Conditor Canonis ex eo etiam ſenſiſſe, quod in eadem ordinatione ſubjunxerit, quod moderatus uſus rerum ipſis Fratribus eſt conceſſus. Rurſus impugnatores Conſtitutionum hujuſmodi aſſerere publicè perhibentur, quod libellum, & dicta Magiſtrorum aſſerentium dictam paupertatem, & vitam dictorum Fratrum non eſſe Evangelicam, & Apoſtolicam, Summi Pontifices damnaverunt, diſtrictiùs per Apoſtolicas litteras inhibentes, ne quiſquam præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum contumaciter adſtruere, ſeu quomodolibet præſumeret defenſare; ſtatuentes, quod præſumens contrarium, tamquam contumax Eccleſiæ Romanæ rebellis, ac ut hæreticus haberetur. Ad quod dicimus, aſſertionem huj-

juſ-

juſmodi falſam eſſe: non enim continetur in ſententia ſupradicta, quod contraſaciens, ut hæreticus haberetur, quæ quidem quoad hoc continet, quæ ſequuntur: *nos enim nihilominus auctoritate præſentium diſtrictiùs inbibemus, ne quiſquam præmiſſa vel aliquod præmiſſorum, pertinaciter aſſerere, vel quomodolibet defenſare præſumat: quicunque verò hoc præſumpſerit, tamquam contumax, & Eccleſiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur*: non fuit adjectum quod ut hæreticus, ut patet in ſerie ſententiæ condemnationis prædictæ.

Rurſus aſſeruiſſe dicuntur publicè hujuſmodi aſſertores, quod abdicatio juris in cujuſcunque rei proprietate, & in uſu ejus eſt ſancta, & meritoria propter Deum, & à Chriſto in ſe ipſo ſervata, Apoſtolis impoſita, & ab ipſis ſub voto aſſumpta: nec propter hoc uſus facti ad ſuſtentationem naturæ in Chriſto, & Apoſtolis convincitur eſſe non juſtus, ſed tantò juſtior, atque perſectior, & Deo acceptior, & mundo exemplarior, quantò pleniùs renunciatum ſuerit omni juri, per quod poteſt ſic utens pro uſu hujuſmodi quomodolibet contendere, vel in judicio litigare: quæquidem aſſertio continet multa falſa; cum neque Chriſtum expropriationem prædictam omnis juris in cujuſcunq; rei proprietate, & in ejus uſu in ſe ſervâſſe, nec eam impoſuiſſe Apoſtolis, neq; ſub voto ab ipſis fuiſſe receptam, Evangelica ſeu Apoſtolica doceat hiſtoria, ſed contrarium evidentiùs maniſeſtat; quod autem in prædicta aſſertione adjicitur, quod per abdicationem juris prædicti, videlicet proprietatis, is uſus facti ad ſuſtentationem naturæ in Chriſto & Apoſtolis non convincitur eſſe non juſtus, ſed tantò juſtior, &c. impoſſibilitatem includit, & errorem dictum hujuſmodi evidenter: Impoſſibile enim eſt actum humanum extrinſecum eſſe juſtum, ſi exercens actum ipſum, nullum jus habeat illud exercendi: imò non juſtus, ſed injuſtus neceſſariò convincitur talis uſus. Item eſt abſurdum, & erroneum, quod actus alicujus non habentis jus actum hujuſmodi faciendi ſit juſtior, & Deo acceptior, quàm habentis, cum concludat actum injuſtum juſtiorem, & Deo acceptiorem exiſtere, quàm ſit juſtus. Ex præmiſſis antem inferre nituntur (ut fertur) quòd prædictorum Summorum Pontificum definitio, quàm definierunt de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, ac Fratrum Minorum prædictorum Regulâ, (prout ſuperiùs expreſſerunt) per Nos non potuit mutari: procul dubio falſa aſſerunt, dicendo Prædeceſſores noſtros definiiſſe talia, ut ſuperiùs eſt probatum: & adhuc ſic loquentes, dum per talia Conſtitiones noſtras impugnare ſatagunt, Conſtitutiones illas, quibus ſe adjuvant, oſtendunt, (ſi eorum falſæ aſſertiones veræ exiſterent) fore invalidas, erroneas, & infirmas. Si enim Nobis non licuit contra Conſtitutionem Nicolai III. Prædeceſſoris noſtri, in qua ſe fundant, præcipuè aliquid ſtatuere commune, nec ſibi licuit contra ſtatuta Gregorii, Innocentii, & Alexandri prædictorum ſtatuere, aut aliquid declarare, quod tamen ipſum ſeciſſe (ſecundùm eorum aſſertionem) noſcitur evidenter. Cum enim illi declaraverint, quod Ordo Minorum habet uſum earum rerum, quas licet eis habere, quod ad uſum juris eſt referendum neceſſariò, ut ſuperiùs eſt probatum, ipſe verò ſecundùm ipſos ſtatuit, quod nec Ordo, nec Fratres jus utendi habeant, ſed tantummodo ſimplicem uſum facti; & inſuper ordinavit, decrevit, & ſtatuit hujuſmodi Conſtitutionem, Ordinationem, & declarationem ſuam duntaxat à Fratribus ipſis præciſè, & inviolabiliter perpetuis temporibus obſervandam: conſtat non ſolùm, quòd contra declarationes Prædeceſſorum prædictorum ordinaverit, ſed ipſum illas, quantùm ad ea, quæ ſua declaratio continet, etiam revocâſſe. Ipſe quoque Prædeceſſor noſter in ſuâ declaratione ſubjunxit ad Sedis Apoſtolicæ declarationem, & ordinationem eorum, & circa ea, quæ ipſe declaraverat, pertinere, ſic dicens: *Si quid in prædictis ambiguitatis emerſerit, hoc ad culmen Sedis Apoſtolicæ deducatur*; ut ex auctoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio, cui ſolùm conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & condita declarare: cujus tamen contrarium aſſerunt hujuſmodi aſſertores. Adhuc patet, quod aſſerunt eſſe ſalſum: licet enim Innocentius III. prædictus in Generali Concilio interdixiſſet novas Religiones inſtitui: tamen Succeſſores ipſius (non obſtante interdicto hujuſmodi) plures leguntur Ordines confirmâſſe, qui etiam (aliquibus exceptis) ſuerunt poſtea per Gregorium nonum Prædeceſſorem noſtrum diſſoluti certo modo in Concilio Generali. Si igitur poſt interdictum Generalis Concilii licuit Summis Pontificibus non confirmatos Ordines confirmare, & eorum Succeſſoribus ſic confirmatos in totum diſſolvere, non eſt mirum, ſi, quod declarat circa Regulas Ordinum ſolus Summus Pontifex, vel ordinat, liceat ejus ſucceſſoribus declarare, ſeu aliàs immutare. Patet autem, quòd neque Honorii confirmatio, neque Gregorii, neq; Alexandri, neque Nicolai prædictorum ſacta fuerit in Concilio Generali, cum per nullum ipſorum ſuerit Generale

rale

rale Concilium celebratum, licèt Innocentius IV. celebravit Concilium Generale, tamen in illo, nec auctoritate alicujus Concilii facta fuit ipſius declaratio ſupradicta: Nicolaus III. autem nec celebravit generale Concilium, nec aliquid circa dictam regulam declaravit: Gregorius autem IX. prædictus, nec confirmavit, nec declaravit dictam regulam: ſed in generali Concilio, ubi fuerunt caſſati nonnulli Mendicantium Ordines, dictorum Fratrum Minorum, & Prædicatorum Ordines non caſſavit, ſed aſſeruit approbatos, ſic dicens: *ad eos, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos, præſentem non patimur Conſtitutionem extendi*.

Præterea dicant Nobis, ubi legunt aſſertiones hujuſmodi, quòd ad fidem vel mores pertineat, Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe in his, quæ habuerunt, niſi ſimplicem uſum facti? profectò directè hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non ſit aliquis, nec ſub quo valeat comprehendi, ut patet in Symbolis, in quibus articuli fidei continentur; nec etiam reductè, quaſi hoc Sacra Scriptura contineat; quo negato tota Scriptura Sacra redditur dubia, & per conſequens articuli fidei, qui habent per Scripturam Sacram probari, redduntur dubii, & incerti: hoc enim in Scriptura Sacra non poterit, ſed contrarium reperiri: de Fratribus autem Minoribus prædictis conſtat, quod de ipſorum paupertate, & ſimplici uſu facti ſeu de dominio eorum, quæ ipſis offeruntur, quòd Summus Pontifex illud ſibi & Romanæ Eccleſiæ reſervaverit, vel potuerit reſervare, vel, quòd illud reſervatum Succeſſori abjicere non liceat, ſi hoc expedire viderit, ſeu quod Procuratores conſtitutos auctoritate Summi Pontificis pro negotiis Ordinis prædicti ſucceſſor revocare non valeat, in prædictis Symbolis, Evangelio, vel actibus Apoſtolorum & Epiſtolis mentio aliqua non habetur. Unde non poſſunt ex prædictis concludere, niſi falsò, quin contra ordinata per Summos Pontifices circa talia valeat Succeſſor aliud ordinare: quod Nicolaus præfatus expreſsè in ſuâ declaratione inſeruit, ut ſuperiùs pleniùs continetur.

Nos itaque, ne fabricatores mendaciorum hujuſmodi, ac etiam aſſertores de tam peſtifera, erronea, & damnata doctrina, confutatione ac confuſione utique omni digna, gloriari valeant, & alios trahere in errorem, cum auſu deteſtando, ac petulantia improba auſi defendere publicè fuerint, damnatam per Conſtitutionem prædictam hæreſim, ac etiam probare, videlicet, quòd Chriſtus, & ejus Apoſtoli in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantum habuerint abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti, ex quo (ſi verum eſſet) ſequeretur, uſum Chriſti fuiſſe non juſtum; quod profectò blaſphemiam continet, & Catholicæ Fidei inimicum, cum hoc de pertinaci animoſitate, ac erronea non ſit dubium proceſſiſſe: omnes, & ſingulos, qui verbo, ac ſcripto per ſe, vel alium ſeu alios talia publicè præſumpſerunt, ipſos quoque, qui eos docuerunt in talibus, &, ut præmiſſa facerent, in damnatam incidiſſe hæreſim, ac ut Hæreticos evitandos fore de Fratrum noſtrorum conſilio declaramus. Si quis autem damnatas per conſtitutionem, *cum inter*, hæreſes, vel ipſarum alteram deinceps ſcienter verbo, vel ſcripto defendere, vel approbare præſumpſerit, de Fratrum eorundem conſilio decernimus, ut tamquam hæreticus ab omnibus evidenter habeatur. Adhuc, quod conſtitutionem noſtram, *ad Conditorem Canonum* ſupradictam inſano auſu impugnare niſi ſunt (ſicut fertur) diſtrictiùs de eorundem Fratrum conſilio inhibemus, ne quiſquam contra definita, ordinata, ſeu facta per ipſam verbo, vel ſcripto ſcienter approbet aliquid vel defendat: Siquis verò contra præſumpſerit, tanquam contumax, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus habeatur. Nulli ergo omnino hominum &c.

Data Avenione Quarto idus Novembris Pontificatûs noſtri anno nono.

Lib. 6. Decret. inter extravag. commun. tit. 14. de verb. ſignif. cap. 5.

Indul-

Indulgentias Fratrum Minorum Eccleſiis, Feſtis, Benefactoribus, Miſſis, Concionibus &c. â Summis Pontificibus Prædeceſſoribus conceſſas ſpecificè enumerat, & Litteris Apoſtolicis confirmat.

JOANNES EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis in Chriſto Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Cuſtodibus, Guardianis, & ſingulis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Filiatinni veſtræ indulgentias Ordini veſtrn conceſſas per Prædeceſſores noſtrns, & per Nos facimus manifeſtas & confirmatas, ſicut inferiùs annotatur: videlicet, in Feſtivitatibus B. Mariæ Virginis, Beatorum Franciſci, Antonii, Ludovici, & B. Claræ: in Conſecrationibus Eccleſiarum, Altariumque, & vocabulis earum, & per octavas eſt data indulgentia decem annorum & dierum quinquaginta â Summis Pontificibus, videlicet, Alexandro IV. Innocentio IV. Clemente IV. Urbano IV. Nicolao III. Gregorio IX. Nicolao IV. Idem Alexander IV. omnibus accedentibus ad loca veſtri Ordinis ſive ad audiendum Verbum Dei, ſive ad audiendum Miſſas B. Mariæ Virginis, vel B. Franciſci, dum cantantur, dedit indulgentiam centum dierum. Idem etiam Papa omnibus viſitantibus loca Fratrum Minorum dedit indulgentiam quadraginta dierum. Idem Innocentius IV. pro eadem cauſa dies quadraginta. Item idem Innocentius omnibus porrigentibus manus adjutrices Fratribus Minoribus, ſive in Domibus eorum, ſive euntibus per viam, quadraginta dies. Item Nicolaus III. pro eadem cauſa dies quadraginta. Item Clemens IV. pro eadem cauſa dies centum. Item eiſdem omnibus viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum toties quoties causâ devotionis, octoginta dies. Item Fratres dicti Ordinis in omnibus prædicationibus ſuis extra Domum ſuam poſſunt dare octoginta dies indulgentiæ: in Domibus autem ſuis centum ultra prædictas indulgentias. Item Nicolaus IV. in Miſſarum ſolemniis B. Virginis, & B. Franciſci dedit indulgentiam centum dierum. Item Benedictus XI. accedentibus ad loca Fratrum Minorum in ſolemnitatibus eorum, centum dies. Item Nicolaus IV. dedit indulgentiam unius anni & dierum quadraginta accedentibus ad loca prædictorum Fratrum causâ devotionis. Item omnibus accedentibus ad loca veſtri Ordinis causâ devotionis, quocumque tempore, die, vel hora, licèt non ſit aliquod feſtum, conceſſa eſt indulgentia â pluribus Romanis Pontificibus annorum duorum, & dierum quadraginta. Nos igitur veſtris piis precibus inclinati ſalutem & profectum animarum benigniùs intendentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, quorum vicem, licèt immeriti, gerimus, auctoritate confiſi, eaſdem omnes indulgentias veſtro Ordini per prædictos noſtros Prædeceſſores conceſſas, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis concedimus & confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conceſſionum & confirmationum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione Pontificatus noſtri anno XV.

Monumenta Ord fol. 108. *Wadding. tom.* 7. *annal. fol.* 420.

BENE-

BENEDICTUS XII.

Toloſanus, antea Jacobus Furnerius, de Savarduno, Ordinis Ciſtercienſis, S. Theologiæ Doctor eximius, Abbas Montis frigidi, Appamiarum, & poſtmodum Mirapicenſis Epiſcopus, ac Presbyter Cardinalis Tit. S. Priſcæ, Avenione 20. Decembris 1334. culmen Apoſtolici Pontificatûs attigit, in eoque ſedit uſque ad 25. Aprilis 1342., quo Eccleſiam æquiſſimo meritorum cenſore, & ſapientiſſimo Eccleſiaſticæ, & Regularis diſciplinæ cultore privatam eſſe, Catholica luxit Communio, Avenione in Eccleſia Cathedrali Ei parentante.

Impensè dilexit Ordinem Minoritanum, & non ſolùm litteris in Pontificatûs acceſſu Se illius precibus commendavit, ſed & plura ad illius favorem ſancivit. Ex his prolixa Conſtitutio incipiens Redemptor noſter, *quâ ſtatuta Ordinis generalia confirmavit, recenſeri deberet, cum autem hæc omnia revocata fuiſſe, Firmamenta trium Ordinum aſtruant, quilibetque trium Ordinum ſtatuta jam habeat ſtatui ſuo aptata, illa hîc omittitur, & Lector eam videndi cupidus, ad Bullarii Romani* tom. III. part. 2. fol. 242. *remittitur.*

CLEMENS VI.

Natione Lemovicenſis, antea Petrus Rogerij, ex Monacho & Abbate Archiepiſcopus Rotomagenſis, & Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei tit. Faſciolæ, 7. Maij anno 1342. Avenione in ſumma Eccleſiæ militantis ſpecula conſtitutus eſt. Vigilias & curas Apoſtolatûs officii ad annos decem, & ultra ſex menſes produxit, & 6. Decemb. 1354. beato fine quievit, Exequiis Avenione in Eccleſia Cathedrali expletis, cadaver poſt aliquos menſes ad Monaſterium Caſæ-Dei, cujus olim Abbas, vel juxta Epitaphium Proviſor *erat, translatum, ibique in Capella ab ipſo conſtructa conditum fuit.*

Fratribus Minoribus in Habitu, modo vivendi, doctrina ac in aliis obſervantiis diſcrepantibus, gratias vel indulta concedi inhibet.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio, Generali Miniſtro Fratrum Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

AD Sedis Apoſtolicæ notitiam frequentibus relatibus eſt productum, quòd nonnulli, qui ſe Fratrum Ordinis Minorum profeſſores, & Regulæ Beati Franciſci ad litteram ſectatores jactando, ab Univerſitate communitatis Fratrum ipſorum, tam in Habitu, modo vivendi, & doctrina, quàm in aliis approbatis ipſius Ordinis obſervantiis diſcrepare multipliciter probantur, ex quibus in Ordine ipſo ſuſcitantur turbationes, & ſcandala oriuntur. Nos intendentes, quod ad Dei laudem & gloriam, ejuſdemque quietem Ordinis per providentiam circumſpectam Sedis Apoſtolicæ, ſalubris ſuper his ordinatio ſubſequatur, & quòd interim non expedit aliqua facere, per quæ approbari ſecta talium in ejuſdem Ordinis ſcandalum videatur; Tibi diſtrictiùs tenore præſentium inhibemus, ne illis immunitates, gratias vel favores concedere, vel exhibere præſumas, quouſque per Sedem eandem, circa ſtatum ipſorum, ſicut eidem Sedi videbitur, aliud extiterit ordinatum. Datum Avenione tertio Kalend. Decembris Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Wadding. tom. 7. Annal. fol. 294.

Conſtitutionem Joannis XXII. incip. *Vas electionis* confirmat, & F.F. Minores circa privilegia moleſtari vetat.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Pragenſi, & Cracovienſi, ac Olomucenſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri, & Fratrum Ord. Minorum Provinciæ Boemiæ, ſecundùm morem dicti Ordinis, Nobis extitit intimatum, quod olim propoſito pro parte ipſorum coram dilecto filio noſtro Guidone, Tuſculano Epiſcopo, tunc tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali, in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legato, quod nonnulli Plebani ac Rectores Eccleſiarum, eorumque locumtenentes dictæ Provinciæ, quandoque palam prædicabant, ac etiam ad partem in privatis colloquiis ſuggerebant, quod dicti Fratres, quantumcumque eſſent per Superiores ſuos electi, & Ordinariis locorum præſentati, legitimè non poterant, nec debebant Parochianorum dictarum Eccleſiarum confeſſiones audire, nec etiam eiſdem injungere pœnitentias ſalutares, præmiſſis adjiciendo, quod, ſi dicti Parochiani eiſdem Fratribus confeſſi eſſent, tenebantur nihilominus eadem peccata dictis Rectoribus, ſeu eorum locatenentibus iterum confiteri. Nonnulli etiam ex eiſdem Plebanis, Rectoribus, ac locatenentibus Parochianos præfatos, niſi eis confiterentur infra annum, quantumcunque dictis Fratribus confeſſi, & per eos abſoluti exiſterent, juxta formam Eccleſiæ conſuetam, excommunicabant, ac eis etiam infirmis denegabant Euchariſtiæ Sacramentum. Idem Guido tunc Legatus ſuper his diligentiùs informatus, attendens præmiſſa fore contra Conſtitutionē *Vas electionis* per ſel.rec. Joannem Papam XXII. Prædeceſſorem noſtrum ſuper hoc editam, illa fieri prohibuit per ſuas litteras ſpeciales.

Nos igitur cupientes cunctos Orthodoxæ fidei Profeſſores, & Viros præſertim Eccleſiaſticos, ſic ad invicem, & quoad alios etiam converſari, quod ex eorum verbis ſeu geſtis nullius offendatur juſtitia, nullumque animarum detrimentum proveniat, nec etiam cuiquam ſcandali materia præparetur; ac volentes, ut quod circa obſervationem Conſtitutionis ejuſdem, per dictum Guidonem olim Legatum præfatum proinde factum eſt, diligentiùs obſervetur, ipſorumque Miniſtri, & Fratrum ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos vel duo, aut unus veſtrûm per Vos, vel alium ſeu alios, eamdem Conſtitutionem, cujus tenorem fecimus de verbo ad verbum præſentibus inſeri, faciatis, auctoritate noſtra in dicta Provincia inviolabiliter obſervari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo; non obſtante ſi aliquibus communiter vel diviſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Tenor autem dictæ Conſtitutionis talis eſt = Joannes Epiſcopus &c. *Vas electionis &c.* Reſiduum. Vide ſupra fol.96.

Datum Avenione II. Kal. Auguſti Pontificatûs noſtri Anno X.

Regeſtum Vaticanum lib.3. part.1. fol.73.
Waddingus tom. 8. Annal. fol. 423.

INNOCENTIUS VI.

Antea Stephanus Alberti, Lemovicenſis, Epiſcopus Claromontanus, S.R.E. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis 18. *Decembris* 1352. *Avenione Summi Sacerdotii claves accepit, quibus & ligavit & ſolvit per annos* 9. *menſes* 8. *& aliquos dies. Obiit & ibidem ſenio ac curis confectus* 12. *Sept.* 1362. *manſitque ſepultus in Cathedrali Avenionenſi, uſquedum ad Domum Carthuſianorum Villæ-novæ, in qua vivens ſepulturam elegerat, fuit translatus.*

Fra-

Fratres Mendicantes in Confeſſionibus fidelium audiendis, prædicatione Verbi Dei, libera Sepultura, & eleemoſynis &c. impediri prohibet.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis in Regno Angliæ conſiſtentibus, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

GRavem dilectorum filiorum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Fratrum querelam accepimus, continentem, quod ipſi tam prætextu quarumdam prædicationum in Regno Angliæ per nonnullos contra ſtatum dictorum Fratrum, illum de facto depravantium & condemnantium, & non eſſe in ſtatu ſalutis falſò aſſerentium, olim factarum, quàm quæſtionis, quæ inter Venerabilem Fratrem noſtrum Richardum Archiepiſcopum Armachanum ex parte una, & Fratres prædictos ex altera ſuper nonnullis articulis per partes ipſas hinc inde propoſitis, coram quibuſdam ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ex commiſſione noſtra apud Sedem Apoſtolicam pendere dignoſcitur, in confeſſionibus Chriſtifidelium audiendis, prædicationibus Verbi Dei, & libera ſepultura, necnon & in eleemoſynis eis fieri ab eiſdem Fratribus conſuetis, quas eis facere aſſerunt mendaciter eſſe peccatum contra juſtitiam, impediuntur & etiam perturbantur in ipſorum Fratrum præjudicium, & maximam læſionem. Quare pro ipſorum parte fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ipſis ſuper hoc paternâ ſollicitudine curaremus. Nos igitur æquum & congruum reputantes, quod hujuſmodi lite pendente, nihil per alterutrum partium, in ipſarum partium & litis præjudicium debeat innovari; Univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attentè per Apoſtolica Vobis ſcripta mandantes, quatenus Fratres ipſos in prædictis confeſſionibus, prædicationibus, & ſepulturis, ac eleemoſynis non impediatis, nec per veſtros ſubditos impediri etiam permittatis; per prædicta autem non intendimus liti prædictæ aliquod præjudicium generari, nec eâ pendente, quidquam, ut præmittitur, volumus innovari.

Datum Avenione Kalendis Octobris Pontificatûs noſtri anno VI.

Regeſt. Vatic. Commun. epiſt. 282. *fol.* 471. *Bullar. Ord. Prædic. tom.* 2. *fol.* 250. *Waddingus tom.* 8. *annal. fol.* 128.

N O T A

DIu jam in Anglia contra Regulares Mendicantes fuerat dimicatum, vitæque hujuſmodi Profeſſores non eſſe in ſtatu ſalutis, tum in Eccleſiis, tum in plateis vulgatum, quin Eccleſiæ Prælati diſſolutum malignantium ſtudium linguamque acutam refrænarent, imò unito ſuo conſilio confoverent, ex privilegiis Mendicantium auctoritatis ſuæ faſces coarctari autumantes, antequam Richardus Radulphus Archiepiſcopus Armachanus, Hiberniæque Primas, ex repulſa, qua FF. Minores Conventûs Pontenſis quoddam ornamentum ad ſuum Palatium transferri denegârunt, irritatus, Cleri partibus acceſſerat. Hinc dum priùs Mendicantium privilegia acerbâ criſi traduxerat, ipſum tandem ſtatum Religioſum mordente invaſit ſtylo, ita ut Regulares, Eduardi Regis patrocinio ſuffulti, Avenionem, ubi tunc Papa Innocentius VI. morabatur, eum vocari effecerint. Hic Richardus paupertatem Evangelii, jam Londini in ædibus S. Pauli patulo ore impetitam, publico tractatu, incipiente: *nolite judicare ſecundùm faciem &c.* rediviva bile impugnavit, & tum huic, tum aliis libris, ac ſupplici libello errores immiſcuit ſequentes.

1. *Quod mendicitas voluntaria in Religioſò vitæ ſtatu propter Chriſtum ſuſcepta, ſit culpabilis, illicita & damnoſa.*

2. *Quod Chriſtus nunquam mendicaverit, nec mendicare conſuluerit, ſed econtra prohibuerit.*

3. *Quod voluntariè mendicare ſit contra jus humanum & divinum.*

4. *Quod nec Alexius, nec Franciſcus voluntariè mendicantes fecerint, ut pruden-*

tes & perfecti , ſed tantùm ut devoti & pii , ſicut Marcus (lapſus in imperitorum errorem , qui Marco Evangeliſtæ attribuunt , quod de Marco Anachoreta Baronius ad annum 45. refert , hoc aſſeruit) pollicem ſibi amputavit , ne cogeretur ad celebrandum Miſſæ Sacrificium .

5. *Quod ſolus Chriſtus , in quantum homo , fuerit verus rerum omnium Dominus temporalis , quia ſolus Adæ in ſtatu innocentiæ ſucceſſit , verùm quod dictarum rerum inveniret occupata dominia , noluerit cum poſſidentibus litigare .*

6. *Quod mortalis peccati reus , non poterit in illo ſtatu dominium alicujus rei juſto titulo poſſidere .*

7. *Quod audire confeſſiones eſſet contra Mendicantium ſtatum , nec privilegiis ad hoc datis uti poſſent ſine animæ ſuæ detrimento .*

8. *Quod in ſolis Parochiis , extra caſum neceſſitatis , liceret confeſſiones excipere .*

9. *Quod confeſſi Religioſis Mendicantibus nihilominus tenerentur confiteri proprio Sacerdoti , non quidem ad obtinendam de jam remiſſis peccatis abſolutionem , ſed ad obſervandum Eccleſiaſticum ſtatutum Decretalis* Omnis utriuſque ſexûs , *quod ideo adjunxit , ne in Extravagantem* Vas electionis *impingere videretur .*

Tractatum , libros , & propoſitiones , præter Joannem Heidelbam Carmelitam , Godefridum Hardabey Auguſtinianum , & Engelhertum Dominicanum , Rogerus Coneroey , FF. Minorum in Anglia Miniſter Provincialis alio libello incipiente = *confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus &c.* eruditè confutavit , ita ut Poſſevinus in apparatu ſacro de utriuſque Auctoris libris loquens dicat = *cum Richardus hic , quem Armachanum vocant , cautè legendus ſit , tum præcipuè Rogerus de Chonnoe* (aliàs Conerney) *Ordinis Minorum perpendendus eſt , qui defenſionem Mendicantium adverſus eumdem Armachanum doctè & accuratè conſcripſit .*

Calamus etiam typo fultus , inter partes pugnam finire haud potuit , hinc ab Ordinum Mendicantium Procuratoribus Summi Pontificis præſidium imploratum eſt , qui & cauſam 4. Cardinalium examini & cenſuræ commiſit , & interim per ſententiam interlocutoriam , & Conſtitutionem ſuperiùs poſitam , Archiepiſcopis & Epiſcopis Religioſos in ſuorum privilegiorum uſu moleſtare inhibuit , & Conſtitutionem Joannis XXII. contra Joannem de Poliaco editam , quam Richardus revocari urgebat , confirmavit . Ex quo hic cauſam ſuam caducam advertens , quin meliorem aleam ſperare poſſet , Avenione diſceſſit , reverſurus in Angliam , quam tamen ingredi non potuit , cum Hannoniæ in Montibus die 16. Dec. 1359. vel , ut alii volunt 1360. certamen cum vita finiverit .

Celebrant Richardi doctrinam , qua , Dundalci à parentibus ex inferiore Ultonia ex parte Rutæ natus , obſtetricante in Oxonienſi Academia Magiſterii , & mox Cancellariatûs gradu Archidiaconatum Licheſeldenſem , ac demum anno 1347. Archiepiſcopatum Armachanum cum Hiberniæ Primatu adeptus eſt , Thomas Waldenſis , & Cardinalis Bellarminus , quorum prior tamen *tom. 2. de Sacram. Confirm. cap.* 114. *& tom. 3. tit. 7. cap. 62. & ſeq.* eam nævis conſperſam ait : alter autem in libro *de Scriptor. Eccleſ.* cautè legendam monet , præſertim librum 10. contra Armenos *cap.* 4. 23. *&* 24. ac libellum undecimum *cap.* 4. *ſerm.* 1. *&* 4. in quibus locis multos errores habet de poteſtate Presbyterorum , & paupertate Chriſti , & de ſtatu Religioſorum Mendicantium . Duriùs econtra eum carpunt Lutzemburgus , Prateolus , Paulus Gryſaldus Peruſinus , dùm illum hæreticis annumerant . Purgant econtra eum ab hac labe alii cum Alexandro Natali *tom.* 8. *Hiſtor. Eccleſ. fol. mihi* 61. utpote in exordio libri , Innocentio Papæ & Cardinalibus in Conſiſtorio oblati proteſtantem = *quod non intendit aliquid aſſerere , aut temerè affirmare , quod fidei obviet Chriſtianæ , aut doctrinæ Catholicæ , quod etiam non eſt intentionis ſuæ deſtructionem ſeu caſſationem Ordinum Mendicantium approbatorum ab Eccleſia , aut à Summis Pontificibus confirmatorum expetere , aut etiam ſuadere ; ſed potiùs ſuaſurum ipſos Ordines debere reduci ad puritatem ſuæ inſtitutionis primariæ : ſemper Sanctitatis ſuæ correctioni obedire paratum .* Imò Waddingus *tom.* 8. *fol. mihi* 129. Richardum in Hibernia Sancti nomen obtinuiſſe ait , & ex regeſto Vaticano inter monumenta Hibernica Diploma Bonifacii IX. quo miracula , quæ ab ipſo ferebantur patrata , examinari juſſit , ſe daturum dicto loco adpromittit , eumque plus intellectûs exuberantiâ , quàm voluntatis perverſitate peccaviſſe aſſerit . Præter Auctores citatos , agunt de eo S. Antoninus 3. *part. hiſt. lib.* 24. *c.* 9. §. 19. Hieronymus Platus *lib.* 1. *de bono Stat. Relig. c.* 33. Marcus Ulyſſiponen. Portuen. Epiſ. 2. *part. Chronic. Min. lib.* 2. *cap.* 16. *&* 23. Beyerlink *tom.* 7. *theatri vit. hum. verb. Religioſus pag.* 182.

*pag.*182. Lorinus tom.1. comment. *in Pſalm.*39. *v.*18. Ivo noſter in triumpho vitæ Relig. *par.* 1. *c.* 19. & *par.* 2. *c.* 11. & *ſequent.* Arturus *in prol. Martyrologii Franc. fol.* 22. Sianda *Lexic. Polem. p.* 1. *fol.* 74. &c.

URBANUS V.

Antea Guilielmus Grimoaldi, natione quoque Lemovicenſis, Abbas ad S. Victorem Maſſiliæ, illibatæ vitæ, & eminentis doctrinæ ſamâ celebris, abſens, ad viduam D. Petri Cathedram 13. *Septembris* 1362. *vocatus, Decretum electionis ſubſignatum die* 27. *Octobris miſit Avenionem, ubi &* 30. *ejuſdem menſis inthronizatus, & ſubſequo* 6. *Novemb. coronatus eſt. Diem ibi & extremum clauſit* 19. *Decemb.* 1370. *in Eccleſia majori Avenionenſi ſepultus, & poſtmodum ad Monaſterium S. Victoris Maſſiliæ translatus.*

GREGORIUS XI.

Itidem Lemovicenſis, antea Petrus Rogerii, Diaconus Cardinalis S. Mariæ novæ prope Capitolium, Avenione 30. *Decembris* 1370. *electus, in vigilia Epiphaniæ anni ſequentis thiaram Eccleſiæ ibidem adeptus eſt. Romæ autem, quò poſt* 70. *annos Pontificiam Sedem reduxit,* 27. *Martii* 1378. *immortalitatis poſſeſſionem adivit, in Eccleſia ejuſdem S. Mariæ novæ, hodie S. Franciſcæ Romanæ appellata, tumulatus.*

URBANUS VI.

Neapolitanus, Bartholomæus Butillus antea vocatus, Archiepiſcopus Barenſis 9. *Aprilis* 1378. *Romæ electus eſt. Contra eum ſedit Clemens VII. antea Robertus ex Comitibus Gebennenſibus, Epiſcopus Cameracenſis, Presbyter Card. tit. SS. Apoſtolorum, à nonnullis Cardinalibus Fundis in Latio congregatis, & Urbanum tumultuariè, & contra Canones electum aſſerentibus, Pontifex proclamatus, qui & illico cum Cardinalibus ſuæ obedientiæ Avenionem ſeceſſerat. Urbanus, legitimus Pontifex habitus, Romæ* 15. *Octobris* 1389. *curſum vitæ & gubernii conſumavit, ad S. Petrum ſepultus.*

BONI-

BONIFACIUS IX.

Pariter Neapolitanus, Petrus Tomacellus priùs nuncupatus, Presbyter Cardinalis tit. S. Anaſtaſiæ 2. Novembris 1389. Urbano VI. à Cardinalibus, qui bujus partes ſecuti fuerant, tempore, quo Clemens Antipapa Avenione adhuc ſederet, Romæ in Pontificatu ſuffectus eſt. Cum autem hic 16. Septembris 1394. fatis & Aris ceſſiſſet, Cardinales Avenione cunctantes publicârunt Papam Petrum de Luna Hiſpanum, Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin, qui aſſumpto Benedicti XIII. nomine, uſurpatum Pontificatûs Diadema tandem in Concilio Conſtantienſi nolenter dimittere debuit, & Paniſcolæ regni Valentini arce 13. Maji 1423. obiit. Bonifacius autem, contra quem Clemens, & Benedictus ſederunt, legitimâ ſua Sede ultra 14. annos protractâ, Romæ 1. Octobris 1404. quievit, & ad Sanctum Petrum noviſſimam tubam expectat.

Litteras Innocentii IV. de FF. Minorum in obſequiis aliorum extra Ordinem ſubjectione, & alias Bonifacii VIII. de Ordinis Minoritani exemptione renovat.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Miniſtro Generali, & univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

AD hoc libenter intendimus, ut Eccleſiaſticarum perſonarum, præſertim ſub Religionis Habitu Domino famulantium, quieti, quantùm cum Deo poſſumus, favorabiliter cōſulamus, & eò vigilantiùs illarum procuramus augmentum, quantò Nobis prȩſtantior facultas extitit cȩlitus attributa.

Dudum ſiquidem fel. record. Innocentius IV. quaſdam, & ſucceſſivè Bonifacius VIII. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri quaſdam alias litteras vobis, & Ordini veſtro, auctoritate Apoſtolica conceſſerunt, quarum tenores de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, & ſunt tales: *Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio, Miniſtro Generali Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum ſicut te accepimus intimante &c.* Vide reſiduum ſupra fol. 24.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ad augmentum continuum Religionum &c. Vide ſupra fol. 74.

Nos igitur cupientes, ut vos à quibuslibet gravaminibus relevemini, & Ordo ipſe reformationem recipiat ſalutarem, & Profeſſores prædicti Ordinis, per quos Dei Eccleſia non mediocriter illuſtratur, quietiùs conſerventur, & in humilitatis ſpiritu devotiùs Domino famulentur, conceſſiones ipſorum Prædeceſſorum, & alia in prædictis litteris contenta, rata habentes & grata, illa, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Arch. Vatican. ex lib.6. anni tert. fol.173. Wadding. tom.9. Annal. fol.424.

Litteras Benedicti XI. de exemptione Ordinis Minoritani ab Ordinariorum juriſdictione confirmat.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtol. Benedictionem.

MEritis veſtræ devotionis inducimur, ut petitionibus veſtris, quæ veſtrorum, ac Ordinis veſtri jurium conſervationem reſpiciunt, favorabiliter annuamus. Nuper ſiquidem pro parte veſtra Nobis fuit

hu-

humiliter ſupplicatum, ut litteras per fel. rec. Benedictum Papam XI. Prædeceſſorem noſtrum vobis conceſſas, quæ incipiunt vetuſtate conſumi, quorumque tenorem de verbo ad verbum fecimus annotari, innovare de benignitate Apoſtolica dignaremur, quarum litterarum tenor talis eſt: *Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Inter cæteros Ordines, quos cæleſtis Agricolæ ſumma benignitas in horto plantavit Eccleſiæ, ſacrum veſtrum Ordinem &c.* Vide ſupra fol. 82.

Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictas litteras, quas in Cancellaria noſtra inſpici fecimus diligenter, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium innovamus, & præſentia ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Nonis Junii, Pontificatûs noſtri Anno ſexto.

Arch. Vaticanum ex lib. 5. fol. 143. Wadding, tom. 9. Annal. fol. 433.

Fratribus Minoribus, Ordinariis locorum præſentatis, confeſſiones Sæcularium audire, & abſque litteris commendatoriis, eleemoſynas colligere indulget.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis, Miniſtro Provinciali, & Cuſtodibus, ac Fratribus Ord. Minor. Provinciæ Auſtriæ, ſecundùm morem ejuſdem Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

AD uberes fructus, quos ſacer Ordo veſter &c. præſidio foveamus. Sanè ad noſtrum nuper fide dignis relatibus pervenit auditum, quod licèt Fratribus dicti Ordinis, juxta formam Conſtitutionis fel. rec. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, in Concilio Vienenſi ſuper hoc editæ, quæ incipit: *Dudum provida deliberatione* ſit indultum, quod ſi hujuſmodi Fratribus ad hoc idoneis, per eorum Superiores locorum Ordinariis præſentatis, pro confeſſionibus infra Civitates & Diœceſes ipſorum Ordinariorum audiendis, iidem Ordinarii, poſtquam ſuper hoc humiliter fuerint requiſiti, petitam licentiam faciendi præmiſſa exhibere, eiſque ad præmiſſa licentiam concedere neglexerint, & recuſaverint, ex tunc Fratres ipſi ſic præſentati liberè & licitè confeſſiones ſibi confiteri volentium audire, & ipſorum confeſſionibus ſic auditis, eis pro commiſſis abſolutionis beneficium impendere, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine valeant, ac injungere pœnitentias ſalutares. Quidam tamen temerè ſentientes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes, imprudenter præſumunt aſſerere, ipſos Fratres, quantumcunque per prædictos eorum Superiores Ordinariis hujuſmodi, juxta formam Conſtitutionis memoratæ fuerint præſentati, abſque Ordinariorum eorumdem ſuper hoc litteris teſtimonialibus, ſeu commendatoriis, præmiſſa facere non poſſe, neque ipſos Fratres ſic preſentatos infra Civitates & Diœceſes prædictas, abſque hujuſmodi litteris, confeſſiones ſibi confiteri volentium audire, & alia juxta dicti indulti formam, exequi permittunt. Noſque attendentes, quod ſi ipſis Fratribus ſic præſentatis exequendi præmiſſa abſque hujuſmodi litteris non adeſſet facultas, fruſtratoria quoad hoc videretur Conſtitutio antedicta. Nonnulli etiam ex hujuſmodi Ordinariis, & Eccleſiarum Prælatis, contra Inſtituta Regularia dicti Ordinis per Sedem prædictam approbata, frivolis opinionibus aſſerunt atque prætendunt, quod vobis & aliis Fratribus dicti Ordinis, quibus tamen ex Regula incerta mendicitas victum tribuere ſolet, non liceat per Civitates & loca à ſubditis Ordinariorum hujuſmodi, & aliis Chriſtifidelibus eleemoſynas, vel alia charitatis ſubſidia pro vitæ ſuſtentatione petere, niſi Ordinariorum hujuſmodi licentia, ac litteris teſtimonialibus, ſeu commendatoriis priùs petitis, pariter & obtentis.

Nos igitur aſſertiones tam temerarias penitus confutare volentes, prædictique Prædeceſſoris in hac parte veſtigiis inhærendo, univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis & Rectoribus, ad quos præſentes litteræ pervenerint, per Apoſtolica ſcripta, & ſub excommunicationis pœna, quam contra ſentientes incurrere volumus ipſo facto, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus Ordinarii .... videlicet hujuſmodi Fratres ad hoc ſufficientes & idoneos, qui per eorum Superiores pro hujuſmodi confeſſionibus audiendis electi, & ipſis Ordinariis nominatim & in ſcriptis præſentati fuerint, abſque hujuſmodi litteris teſtimonialibus,

ſeu

ſeu commendatoriis liberè, cujuſvis impedimenti ſublato obſtaculo, quorumcunque ipſis Fratribus confiteri volentium infra hujuſmodi Civitates & Diœceſes, quocumque loco & tempore, juxta formam Conſtitutionis antedictæ, confeſſiones audire, & ipſorum confeſſionibus ſic auditis, eis pro commiſſis, abſolutionis beneficium impendere, & pœnitentias &c. liberè permittant: necnon licentiam concedere non poſtponant.

Prælati verò & Rectores ſupradicti, quotieſcunque per vos, vel aliquos, ſeu aliquem veſtrûm, locis & temporibus congruis, conjunctim, vel diviſim ſuper hoc fuerint requiſiti, præmiſſa omnia & ſingula ſubditis ſuis fideliter publicare, ſeu publicari facere procurent, eaque faciant inviolabiliter obſervari. Diſtrictiùs inhibentes eiſdem Ordinariis & Prælatis ſub pœna antedicta, ne per ipſorum litteras vel alium, quemcunque modum, directè vel indirectè, publicè vel occultè, quovis quæſito colore, vos, vel aliquem veſtrûm impediant, quominus à prædictis ſubditis, omni loco & tempore, hujuſmodi eleemoſynas, & charitatis ſubſidia pro vitæ ſuſtentatione petere & recipere valeatis. Volumus inſuper & auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, quod præſentatio ſemel facta Ordinariis & Prælatis antedictis de hujuſmodi Fratribus ſuper confeſſionibus per eos, ut præmittitur, audiendis, quamdiu in Civitatibus & Diœceſibus, ad quas præſentati fuerint, perſeveraverint, ſufficiat. De qua præſentatione ſi alicui in dubium verteretur, ſufficiat fidem facere per teſtimoniales litteras Miniſtri aut Cuſtodis pro tempore, ubi Fratres ſic præſentati moram trahunt; ſuper quo ipſorum Miniſtri & Cuſtodum conſcientias oneramus: Apoſtolicis, ac Provincialibus & Synodalibus Conſtitutionibus, & aliis contrariis non obſtantibus. Decernentes ex tunc irritum &c. contigerit attentari.

Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal. Junii Pontificatûs noſtri Anno XIII.

Regeſt. Vatican. lib. 2. anni 13. fol. 134. Waddingus tom. 9. Annal. fol. 472.

Feſtum S. Antonii Patavini à Fratribus Ordinis Minorum, ac Monialibus Ordinis S. Claræ annuatim cum Octava celebrari mandat, & omnibus Chriſtifidelibus, qui tum die feſto, tum diebus per Octavam, celebrationi Officii pœnitentes & confeſſi intererunt, annum unum, & quadraginta dies de pœnitentiis injunctis relaxat.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pium, & honeſtum eſſe cenſemus, ut quos Deus merito Sanctitatis coronat, & honorat in cœlis, Nos officio venerationis laudari, & glorificari faciamus in terris. Hinc eſt, quod Nos dilectorum filiorum Henrici Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, in Eccleſiis, Domibus, Monaſteriis, & locis, tam prædicti, quàm S. Claræ, & Minoriſſarum Ordinum ubicumque ſitis, annis ſingulis feſtum S. Antonii de Padua, qui dicti Ordinis Minorum Profeſſor extitit, cum tota Octava, vel per octo dies ipſum feſtum immediatè ſequentes, cum illis celebritate, & ſolemnitate celebretur, cum quibus feſtum cum octava Aſſumptionis B. Mariæ Virginis annis ſingulis in Dei Eccleſia celebratur; diſtrictiùs inhibentes Miniſtris, Guardianis, & Cuſtodibus, cæteriſque Fratribus Minoribus, nec non Abbatiſſis, Monialibus, & perſonis dictæ S. Claræ Minoriſſarum Ordinum, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi ſtudeant inviolabiliter obſervare: ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Et ut Chriſtifideles Miſſis, & aliis divinis Officiis in Eccleſiis, & locis prædictis, in Feſto, & per totam Octavam hujuſmodi dicti S. Antonii celebrandis, devotiùs intereſſe cupiant, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui celebrationi hujuſmodi intererunt, unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Dec. Pontificat. noſtri Anno Decimoquarto.

Archivum Vaticanum lib. 1. anni 14. fol. 59. Waddingus tom. 9. Annal. fol. 481.

INNO-

INNOCENTIUS VII.

Patriâ Sulmonenſis, Coſmus, vel juxta alios Coſimatus de Melioratis, Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem 17. Octobris 1404. Romanum Pontificatum Romæ retulit, ac tenuit uſque ad diem 6. Novembris 1406. quo debitum naturæ ſolvit, in Baſilica S. Petri humatus.

GREGORIUS XII.

Venetus, antea Angelus Corarius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Marci 30. Novemb. vel 2. Decemb. 1406. à Cardinalibus Romæ exiſtentibus evectus eſt ad Papatum, cui in Concilio Conſtantienſi 4. Julii 1415. ceſſit. Mortuus Recineti 4. Julii 1417. cum titulo Cardinalis Portuenſis, & perpetui Legati Marchiæ, ibique in Eccleſia Cathedrali Pontificaliter tumulatus.

ALEXANDER V.

Priùs Petrus Philargus nuncupatus, Ordinis Minorum Profeſſor, Presbyter Cardinalis tit. SS. Apoſtolorum, in Concilio Piſano Seſſione decima nona, die 26. Junii 1409. Chriſti in terris Vicarius renuntiatus eſt, Benedicto XIII. & Gregorio XII. priùs exauthoratis. Geſſit Alexander ſacras vices per menſes 10. & dies 8. & Bononiæ 4. Maii 1410. beatâ morte eas explevit, in Eccleſia Fratrum ſuorum ibidem ſepultus, Benedicto & Gregorio adhuc de jure Sedis potenter contendentibus.

De loco originis Alexandri manet inter hiſtoriographos diſſidium, aliis Eum Bononienſem, aliis Cretenſem, ſeu de Candia, aliis ex ortu Bononienſem, & ex incolatu in Inſula longiùs protracto Cretenſem aſtruentibus. Certior manet meritorum illius commemoratio in Epitaphio ejus ita comprehenſa.

Petro Philargo Cretenſi, Viro inſigni, Oratori gentium, Concionatori facundiſſimo, Conſiliario Ducum, Diſputatori acerrimo, Pariſiis publicè Theologiam profitenti, in quatuor Sententiarum libros Scriptori loculentiſſimo, qui ex Ordine Minorum ad Epiſcopatum Vincentiæ, Novariæ, Archiepiſcopatum Mediolanenſem, Cardinalatum, & tandem ad Summi Pontificatûs apicem evectus, & Alexander V. appellatus, Bononiæ monitur anno ſalutis MCCCCX. Pontificatûs ſui menſe octavo, (vel meliùs) decimo.

Propoſitiones, quibus Fideles à confeſſione Religioſis Mendicantibus facienda retrahebantur, & quæ in Joanne à Poliaco jam aliàs reprobatæ fuerant, condemnat.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis, Electis, ſalutem & Apoſt. Bened.

Regnans in excelſis triumphans Eccleſia, cui Paſtor eſt Pater æternus, cuique Sanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicarium conſtituit Eccleſiam militantem, unigenito filio Dei vivi Domino Noſtro Jeſu Chriſto ineffabili commercio copulatam: in hac quidem ipſe Chriſtus à Patre progrediens per illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit fidei firmamentum, ut ab ea, velut à primitivo fonte, ad ſingulas orthodoxas nationes ejuſdem fidei rivuli deriventur. Ad hujuſmodi autem Eccleſiæ regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem deputare Miniſtrum, cujus inſtructionem ac doctrinam eloquio veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati fonte Baptiſmatis teneant & obſervent. Qui enim ſub hac doctrina curſus vitæ non peregerint, aut errores contra illam tenuerint, damnationis ſententiâ ferientur.

Sanè dudum fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *ſuper Cathedram*, quam piæ memoriæ Clemens V. etiam prædeceſſor noſter, poſtea in Vinnen. Concilio innovavit, ſuper prædicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confeſſionibus, pœnitentiis injugendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratrum Eccleſias, ſive loca, ſuam eligerent ſepulturam; quæ quidem Conſtitutio etiam ſucceſſivè ad Eremitarum Sancti Auguſtini, & B. Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres, per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, auctoritate Apoſtolica ſtatuit, & etiam ordinavit, ut dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis & locis eorum, & in plateis communibus liberè valeant Clero & populo prædicare, & proponere Verbum Dei, horâ illâ duntaxat exceptâ, in qua vellent Prælati Eccleſiarum coram ſe facere ſolemniter prædicare, in qua Fratres ipſi prædicare ceſſarent, præterquam ſi aliud de ipſorum Prælatorum conſenſu procederet ex licentia ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, ubi ſermones ex more fieri ſolent, diebus illis, quibus prædicari ſolemniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſeu etiam peculiaribus eorumdem Fratrum, poſſent iidem Fratres, & liceret eis prædicare liberè, niſi forſan in illa hora, quâ ſolet ad Clerum in prædictis locis ſeu ſtudiis proponi verbum Dei, Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior Clerum ad ſe generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel cauſa urgente Clerum ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem Parochialibus Fratres illi nullatenus auderent, nec deberent prædicare, vel proponere Verbum Dei, niſi Fratres ipſi à Parochialibus Sacerdotibus invitati, vel vocati fortaſſis exiſterent, vel de ipſorum placito vel aſſenſu petita licentia, vel obtenta foret, niſi Epiſcopus vel Prælatus per eoſdem Fratres prædicari mandaret.

Statuit etiam & ordinavit idem Bonifacius prædeceſſor auctoritate prædictâ, ut in ſingulis Civitatibus & Diœceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere noſcerentur, ac in Civitatibus & Diœceſibus, & locis ipſis vicinis, in quibus locis hujuſmodi non haberentur Magiſtri, Priores, Provinciales Prædicatorum & eorum Vicarii, ac Generales & Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes Minorum, & Prædicatorum Ordinum præfatorum, ad præſentiam Prælatorum eorumdem locorum ſe conferrent, per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, ut Fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum Civitatibus & Diœceſibus confeſſiones ſubditorum, ſibi confiteri volentium audire valerent, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundùm Deum cognoſcerent, imponerent pœnitentias ſalutares, & eiſdem beneficium abſolutionis impenderent, gratiâ & beneplacito eorumdem. Ac deinde præfati Magiſtri, Priores, Provinciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum, eligere ſtuderent perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum, quas ſic ab ipſis electas præſentarent, vel facerent præſentari Prælatis antedictis, ut de eorum licentia & beneplacito in Civitatibus & Diœceſibus eorumdem hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones ſibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent, prout ſuperiùs eſt expreſſum, & alia rationabilia & utilia dictus Bonifacius prædeceſſor ordinavit, & ſtatuit, prout in eadem Conſtitutione pleniùs exprimitur.

Po-

Digitized by Google

Poſtea verò ad piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam prædeceſſoris notitiam deducto, quod quondam Joannes de Poliaco in Sacra Theologia Magiſter, in quibuſdam articulis tangentibus Pænitentiæ Sacramentum, non ſobriè, ſed perperam ſapiebat, infraſcriptos articulos, periculoſos continentes errores, docens publicè in ſuis prædicationibus & in ſcholis: primùm ſiquidem aſtruens, quod confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, teneantur eadem peccata, quæ confeſſi ſuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti: ſecundò, quod ſtante ſtatuto: *omnis utriuſque ſexûs*, in Concilio Generali, Romanus Pontiſex non poteſt ſacere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat eſse parochialem Curatum, nec Deus poſſit hoc facere, quin, ut dicit, implicet contradictionem: Tertiò, quod Papa non poſset dare generalem poteſtatem audiendi confeſſiones, imò nec Deus, quin confeſsus habenti generalem licentiam, teneatur eadem iterum confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dicit eſse, ut præmittitur, Parochialem Curatum.

Prædictus Joannes Prædeceſſor volens ſcire, ſi ſuggeſta ſibi in ea parte veritate haberent, præſatum Joannem de Poliaco, de Fratrum ſuorum conſilio evocari, atque articulorum ſuorum copiam eidem Magiſtro Joanni tradi fecit, & ad defenſionem ſuam audientiam plenam ſibi præbuit, tam in ſua dictorumque Fratrum præſentia, & in Conſiſtorio, quàm alibi coram aliquibus Fratribus ipſis, per eum ad hoc deputatis, ſi præſatus Magiſter dictos articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur. Qui quidem Magiſter Joannes aſſerebat, ſe paratum credere, & tenere in præmiſſis & aliis, quæ tenenda & credenda fides Apoſtolica definiret; præſatuſque Joannes Prædeceſſor attendens, quod dictorum articulorum aſſertio, prædicatio & doctrina redundare poterat in multarum perniciem animarum, ipſos per plures Magiſtros in Theologia examinari fecit diligenter, & ipſe etiam eum dictis Fratribus ſuis collationem ſolemnem habuit ſuper præmiſſis, per quas quidem collationem & examinationem ſuper hoc præhabitas comperit, prædictos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multùm, & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & ſingulos idem Magiſter Joannes, veris ſibi rationibus opinioni ſuæ dudum habitæ contrariis demonſtratis, in eodem Conſiſtorio revocavit, aſſerens eos non veros, ſed contrarium verum eſſe, eum diceret, ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere. Ideoque ne per aſſertionem, prædicationem & doctrinam hujuſmodi, in errorem, quod abſit, animæ ſimplicium prolaberentur, omnes prædictos articulos, & quemlibet eorum, tanquam falſos & erroneos, & â doctrina ſana devios, idem Joannes Prædeceſſor, auctoritate Apoſtolica damnavit & reprobavit, de Fratrum ſuorum conſilio prædictorum, doctrinam ipſis contrariam veram eſſe & Catholicam aſſerens, quod illi, qui prædictis Fratribus confiterentur, non magis tenerentur eadem peccata iterum confiteri, quàm ſi aliàs illa confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, juxta dictum Concilium Generale; optans veritatis vias notas etiam fidelibus, & cunctis erroribus aditum præcludere, ſel. rec. Alexandri Papæ IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum veſtigia imitando, univerſis & ſingulis diſtrictiùs inhibuit, ne quiſquam dictos articulos per eumdem Joannem Prædeceſſorem damnatos & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipſorum, utpote â Catholicis mentibus reſpuenda, tenere auderet ac defenſare. Ac univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Electis per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandavit, ut in Civitatibus & Diœceſibus eorum, convocato Clero communiter præmiſſa omnia & ſingula per ſe, vel alios, publicarent ſolemniter: necnon eidem Joanni mandavit, ut ipſe in ſcholis vel ſermone, Pariſiis, prædictos articulos & contenta in eiſdem tanquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, & aſſertione conſtanti publicè deberet revocare, & etiam ſe facturum illud dictus Joannes de Poliaco efficaciter repromiſit.

Cum autem, ſicut nuper Fratrum Prædicatorum & Minorum prædictorum, ac etiam Eremitarum S. Auguſtini, & B. Mariæ de Monte Carmelo Ordinum, lamentabilis querela ad noſtrum perduxit auditum, nonnulli Clerici, & Eccleſiaſticæ perſonæ, ac utriuſque ſexûs homines, nedum prædictos damnatos articulos prorſus erroneos, & ſacris Canonibus contrarios per eundem Joannem Prædeceſſorem, ut præfertur, ſed etiam quoſdam alios articulos prorſus erroneos, & ſacris Canonibus contrarios, etiam publicè non verentur aſtruere, & per illos proprias & multorum ſimplicium animas inficere, illoſque â devotione eorumdem Fratrum Ordinum prædictorum, & ne Chriſtifideles ſua peccata Fratribus ipſis confiteantur, damnabiliter detrahere ſatagant, etiam contra eamdem Conſtitutionem Bonifacii prædeceſſoris ſuper hoc editam, ut

præſertur. Qui quidem adjecti erronei articuli ſequuntur per ordinem in hæc verba: *Primus videlicet articulus talis eſt: Confeſſus Fratri admiſſo in forma* Dudum, *tenetur eadem peccata in numero iterum Curato confiteri: damnatur per Joannem Papam XXII. in ſtatuto, quod incipit*, Vas electionis. *Secundus, Concluſiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joannem XXII. ſunt ſatis veræ, & à quocumque litterato ſufficienter poſſent teneri: Statutum Joannis XXII. editum*, Vas electionis, *& irritum & inane, quia cum illud fecit, erat hæreticus, & per conſequens quidquid fecit prædictus Joannes, ſive Mendicantibus ſive aliis ante revocationem, inane fuit. Stante ſtatuto* Omnis utriuſque ſexûs, *nec Deus, nec Papa de potentia ſua poteſt facere, quin confeſſus Fratri Mendicanti admiſſo, iterum teneatur confiteri ſuo Curato. Confeſſio Fratribus admiſſis facta, eſt dubitabilis & incerta: quapropter omnes tenentur dimittere incertum, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœna peccati mortalis. Quamvis Fratres admiſſi habeant auctoritatem abſolvendi, & audiendi confeſſiones, tamen populus ſubjectus non habet poteſtatum accedendi ad Mendicantes admiſſos, ſine licentia proprii Sacerdotis, & Fratres petentes privilegia pro confeſſionibus audiendis, & ſepulturis habendis, ſunt in peccato mortali, & excommunicati, & Romani Pontifices talia privilegia concedentes Mendicantibus, aut eiſdem confirmantes, ſunt in peccato mortali & excommunicati. Fratres non ſunt, aut fuerunt paſtores, ſed fures, latrones, & lupi. Sacerdos Curatus dans licentiam Mendicantibus audiendi confeſſiones, magis diſpenſat cum ſtatuto*, Omnis utriuſque ſexûs, *quàm Papa, Fratribus dans licentiam juxta formam decretalis*, Dudum.

Nos verò attendentes, quod nimis pernicioſum eſſet, antiquos dudum, ut præmittitur, per eumdem Joannem Prædeceſſorem cum tanta ſolemnitate & maturitate damnatos & reprobatos, & etiam hujuſmodi novos articulos, per Nos veluti erroneos, & etiam eiſdem Canonibus contrarios, tenere, aſtruere, vel docere, nec non in hac parte ſalubriter providere volentes, eoſdem novos articulos, & quos Nos etiam unà cum Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus maturè, prout tanti negotii qualitas exigit, vidimus, & examinavimus, nec non etiam per pleroſque in Sacra Theologia Magiſtros, ac quoſdam Doctores in jure Canonico recenſeri fecimus diligenter, per quam quidem examinationem reperimus, etiam ipſos novos fuiſſe, & eſſe falſos, confictos, & erroneos, ac eiſdem Canonibus contrarios: & propterea ipſos, ut tales, de eorumdem Fratrum conſilio, damnamus & reprobamus. Volentes, quod ſi quis deinceps prædictos articulos aſſerere, aut in ſcholis, vel alibi gloſſare, defendere, ſeu tenere, aut prædicare præſumpſerit, tanquam hæreticus ſit cenſendus, & excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, à qua niſi per Summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, non poſſit abſolvi.

Quocirca Univerſitati veſtræ &c. mandamus, quatenus univerſi & ſinguli Veſtrûm, convocato Clero Civitatum & Diœceſùm veſtrarum, eis præmiſſa omnia & ſingula, per Vos, vel alios, ubi, & quando ſuper hoc per eoſdem Fratres, ſeu ipſorum aliquem aut aliquos requiſiti fueritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicetis, ac etiam per Rectores ipſarum Parochialium Eccleſiarum, Civitatum & Diœceſûm præfatarum, in hujuſmodi Parochialibus Eccleſiis publicari faciatis. Et ſi quos forſan hujuſmodi damnatos articulos, novos, & veteres, aut eorum aliquem, ſeu aliquos aſtruere, vel tenere, ſive prædicare repereritis, contra illos communiter vel diviſim, tanquam hæreticos, ſeu de Catholica fide ſuſpectos procedere, necnon ipſos & eorum quemlibet, juxta tantorum exceſſuum qualitatem per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, auctoritate prædicta compeſcere; necnon ad obſervandam dictam Conſtitutionem præfati Bonifacii Prædeceſſoris, juxta ejus tenorem compellere, ratione prævià ſtudeatis. Contradictores &c. non obſtante prædicta, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexûs*, ac aliis Conſtitutionibus contrariis quibuſcumque.

Datum Piſis IV. Idus Octobris, Pontificatûs noſtri Anno I.

Regeſt. Vatic. lib. 1. Alex. V. fol. 180.
Wadding. tom. 9. Annal. fol. 508.

Regu-

Digitized by Google

JOANNES XXIII.

Neapolitanus, priùs Balthaſar de Coſſa ſeu Coxa, Diaconus Cardinalis S. Euſtaebii, à Cardinalibus, Bononiæ cum Papa Alexandro commorantibus 17. Maij 1410. Pontifex renuntiatus fuit. Latam in Concilio Conſtantienſi ſuæ depoſitionis poſt Seſſionem quinque annorum &c., ſententiam ipſemet approbavit: reſipiſcentem Martinus V. Sacri Collegii Decanum, & Epiſcopum Portuenſem eſſe, inter Cardinales Sede eminentiore diſtingui voluit, & Florentia 22. Decembris 1419. mortuum in Baptiſterio S. Joannis ſepelivit.

MARTINUS V.

Romanus, antea Odo, vel Otho Columna, S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis tum à Cardinalibus, tum ab aliis in Concilio Conſtantienſi nominatis Nationum Electoribus Novembris 1417. Melior electus *Pontifex, & 21. ejuſdem menſis* ſuper ſolium poſitus eſt. *Currente Martini Pontificatu deceſſit de vivorum conſortio Petrus de Luna, ſeu Benedictus XIII. uti ſupra fol. 118. relatum eſt cui pauci Pſeudo-Cardinales Ægidium Sancii Munionis, Canonicum Barcinonenſem ſubrogârunt. Per quinque circa annos hic aſſumpto ſibi Clementis VIII. nomine, inſignia Pontificia uſurpavit, ea autem ſponte depoſuit, Mytrâ Eccleſiæ Majoricenſis contentus. Ex quo ſchiſma, quod Eccleſiam Dei tamdiu convulſerat, ſuffocatum eſt, & Martinus,* temporum ſuorum felicitas *dictus, Eccleſiam Dei in pace rexit, uſque ad* 20. *Februarii 1431., quo & ipſe poſt glorioſa geſta in pace quievit, in Baſilica Lateranenſi ſepultus.*

Regulares Mendicantes ad alios Ordines Monaſticos (Ordine Carthuſianorum duntaxat excepto) tranſire ſeu recipi ſub poena excommunicationis prohibet; tranſitum jam factum nullum declarat; ac ſub prætextu hujuſmodi tranſitûs vagantem ceu Apoſtatam tractari jubet.

MARTINUS EPISOPUS

Servua Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Viam ambitioſæ cupiditatis Religioſis, potiſſimè Mendicantibus, præcludere cupientes, ad alios Ordines præſertim Monaſticos (fucatis tamen coloribus aſſerentibus, ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obſervantiæ) tam Sancti Benedicti, quàm Ciſtercienſis, Camaldulenſis, Vallis.Umbroſæ, Canonicorum Regularium S. Auguſtini, vel aliorum Monaſticorum Ordinum convolare nitentibus licentiam à Sede Apoſtolica ſeu Legatis, aut Nuntiis ejuſdem Sedis ad traosferendum ſe de Mendicantium Ordioibus ad alios Ordines, præſertim ea ratione (ut veriſimile eſt, prout facti evidentia docet) ut libenriùs degant, dignitateſque & beneficia Monaſtica conſequi valeant, & ex certis aliis cauſis honeſtati non conſonis obtinentibus. At volentes etiam conſervationi Ordinum Mendicantium providere, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcieotia tenore præſentium declaramus, & etiam decernimus ſtatuentes, quod de cætero nullus Religioſus Ordinum Mendicantinm quorumcumque, cujuſcunque gradûs, ſtatus, conditionis, vel Religionis exiſtat, quantumcumque & qualitercumque poſſit, & debeat, virtute cujuſcunque licentiæ, etiam indulti Apoſtolici, ſeu Pœnitentiarii noſtri curam gerentis, vel alia quavis auctoritate hactenus, etiam per literas Apoſtolicas, facultatum quorumvis tam Legatorum, vel Nuntiorum

rum Sedis Apoſtolicæ, quàm alia auctoritate, maximè de transferendis Fratribus, aut aliquibus præſertim Ordinum Mendicantium Profeſſoribus in genere vel in ſpecie ab Ordinibus hujuſmodi Mendicantium ſub quacunque verborum forma appareant, admitti, vel recipi, per alios etiam Superiores Ordinis, ſeu Monaſterii, aut loci Monaſtici, ſeu aliàs in Monachum, vel in Fratrem alicujus ex Ordinibus Monaſticis ſupradictis, vel aliis expreſſis (Ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto) ſub pœna excommunicationis, quam tam recipientes, quàm recepti ipſo facto incurrent, & quam ex nunc, prout ex tunc contra quemlibet tranſgreſſorem quomodolibet in præmiſſis, ſcientia, & auctoritate antefatis proferimus in his ſcriptis. Et à nemine, niſi dumtaxat à Romano Pontifice (præterquam in mortis Articulo) excommunicati hujuſmodi poſſint abſolutionis beneficium quomodolibet obtinere: Et nihilominus ſecus facta non teneant, & nullius exiſtant efficaciæ, vel momenti. Decernentes etiam & volentes, quod ſi quis hactenus, virtute cuſvis licentiæ, ſeu mandati hujuſmodi fuiſſet receptus ad aliquem Monaſticum Ordinem, & Habitum conſuetum ſolitum geſtari per Monachos talis Ordinis ſuſcepiſset, ſeu profeſſionem emiſerit, ſive non, ſub dicta pœna teneatur in Monaſterio, in quo receptus fuerint, etiamſi Beneficia Eccleſiaſtica ſeu Rectorias Eccleſiarum quarumvis obtineat, ſtare in ejus totali ordinatione, & in hujuſmodi Ordine Monaſtico Altiſſimo deſervire.

§. 2. Si quis autem prætextu hujuſmodi licentiæ, vel ſine habitu, vel cum habitu vagando incederet, monitione prævià teneatur, & debeat intra terminum quindecim dierum à die monitionis hujuſmodi computandorum ad ejus Religionem, vel Ordinem, unde eum licentia vel ſine licentia receſſerat, remeare: quod ſi efficere neglexerit, poſt ipſum terminum, tamquam notorius Apoſtata excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & ab omnibus retractari, etiam per invocationem auxilii brachii ſæcularis, quoties fuerit opportunum.

§. 3. In futuris autem nullus ex Profeſſoribus alicujus ex Ordinibus Mendicantium hujuſmodi in aliquem Monaſticum Ordinem (Carthuſianenſium dumtaxat excepto) poſſit aut debeat per quemcūque recipi, aut admitti virtute alicujus licentiæ, vel indulti abſque Sedis hujuſmodi licentia ſpeciali, ſub dictis pœnis: & nihilominus ſecus facta non teneant ipſo jure: hujuſmodi licentiis, & indultis, nec non Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Mendicantium Ordinum prędictorum, etiamſi de illis ſpecialis & expreſſa, etiam de verbo ad verbum in noſtris literis mentio habenda foret, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc prohibitionis noſtræ paginam infringere &c. Si quis &c.

Datum Gebennis tertio Kalendas Auguſti Pontificatûs noſtri Anno I.

Lib. 6. Decret. inter extravag. commun. de Regul. & tranſeuntibus &c. Bullar. Rom. t. 3. par. 2. fol. 427. Waddingus tom. 5. Annal. fol. 105. Conſtitius in roll. fol. 33. Bullarium PP. Prædicat. tom. 2. fol. 550. & tom. 8. fol. 407. col. 2.

N O T A.

Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ à quolibet Summo Pontifice illico poſt ejus ad Pontificatum aſſumptionem confirmari ſolent, de hac Conſtitutione tit. *de Mendicantibus transferendis num.* 23. ita loquuntur - *Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines tranſierint pro tempore, voluit (Papa electus) Conſtitutionem fel. rec. Martini Papæ V. Prædeceſſoris ſui deſuper factam, & in libro Cancellariæ Apoſtolicæ deſcriptam, quæ incipit* Viam ambitioſæ cupiditatis &c. *firmiter obſervari.*

Con-

Digitized by Google

Conſtitutionem Martini IV. incipientem *Exultantes in Domino* confirmat, & omnibus in ea contentis, non obſtante Conſtitutione Joannis XXII. incip. *ad Conditorem*, FF. Minores uti poſſe, uſque ad utiliorem Sanctæ Sedis diſpoſitionem indulget.

MARTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AMabiles fructus, quos ſacer Ordo Fratrum Minorum, velut pomerium quoddam divinâ manu conſitum in militantis Eccleſiæ in ubertate produxit hactenus, & producit aſſiduè, ac odorem ſuavitatis in omnem terram ex fructuoſis operibus dicti Ordinis profeſſorum continuè prodeuntem, in noſtræ conſiderationis intuitum ſpecialiter inducentes, de ſtatu præfati Ordinis proſperè conſervando, ut felicibus ſemper ſucceſſibus augeatur, ſollicitè cogitare Nos convenit, & ad ea paternis ſtudiis intendere, per quæ Profeſſores ipſi, ab exteris, & ſæcularibus curis relevati, in humilitatis ſpiritu, & contemplationis ſuavitate, ſinceriùs, & quietiùs poſſint Altiſſimo famulari.

Dudum ſiquidem fel. rec. Martini Papæ IV. prædeceſſoris noſtri litteræ emanârunt tenoris ſubſequentis. *Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus univerſis Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Exultantes in Domino, quod ſacri veſtri Ordinis profeſſores in Dei beneplacito confirmati, promptitudinem devotionis, & operis illius ſtudent imitari veſtigia, ejuſque vias ſummopere cuſtodire, qui deſcendens à Patre luminum, & ſervi formam accipiens &c. Reſiduum vide ſupra fol. 67.

Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Miniſtrorum, Cuſtodum, & Fratrum prædictorum petitio continebat, licèt ipſi ex litteris, & conceſſione præfatis magnum commodum, quo puram in ipſo Ordine obſervantiam tenere, & quietiùs divinis Officiis, ac contemplationibus vacare valerent, ſe conſequi reportareque poſſe proſpiciant, ipſi tamen piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam Prædeceſſoris noſtri, Conſtitutione, quæ incipit: *Ad Conditorem*, per quam Miniſtris, & Cuſtodibus, & Fratribus prædictis, ne litteris, & conceſſione præfatis ſine Apoſtolicæ Sedis ſpeciali licentia utantur inter cætera probibetur, obſtantibus litteris, & conceſſione prædictis, ſine conſcientiarum ſuarum ſcrupulo, licitè uti non poſſe formident, licentiâ hujuſmodi deſuper non obtentâ.

Pro parte Miniſtrorum, Cuſtodum, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper bis eis, & eorum ſtatui, & commoditatibus paternaliter providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ex præmiſſis, & certis aliis cauſis animum noſtrum moventibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, Miniſtris, Cuſtodibus, & Fratribus prædictis concedimus, quod ipſi, & eorum ſinguli, litteris, ac omnibus in eis contentis; liberè ac licitè uti valeant, tamdiu & quouſque per Sedem prædictam aliud in præmiſſis eidem Ordini utiliùs fuerit ordinatum. Non obſtantibus præmiſſis, & aliis quibuſvis Apoſtolicis Conſtitutionibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & voluntatis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos Kalendas Novembris, Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.

Speculum Minorum. Waddingus tom. 10. Annal. fol. 130.

Joanni, S. R. E. Presbytero Cardinali Cervantes, Statuta ad Ordinis Minoritani commodum condere, Regulam declarare &c. committit.

MARTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio, Joanni, Tituli Sancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, ſalutem & Apoſtol. Benedictionem.

CUm Generale Capitulum Fratrum Minorum, in Civitate noſtra Aſſiſiate ſit de proximo celebrandum, Nos, qui eorum Ordinem inter cæteros Religioſos Ordines, ob ſingularem devotionis ardorem, quem erga Beatum Franciſcum gerimus, paternâ charitate proſequimur, cupientes, ut per Miniſtros, Officiales, & Fratres in dicto Capitulo congregatos, juxta prædicti Ordinis inſtituta talis reformatio fiat, quæ

Deo

Deo accepta, Nobis grata, & ipſi Ordini conveniens exiſtat, ac Chriſtiano Populo fructuoſa, de tua circumſpectione & ſapientia, in nonnullis arduis noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotiis comprobata, ſumentes in Domino fiduciam ſpecialem, etiam de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Tibi tenore præſentium committimus, & mandamus, quatenus perſonaliter Te conferens ad Civitatem prædictam, ipſi Capitulo auctoritate noſtra præſis, ipſumque pro tua prudentia dirigas, ordines, & diſponas, ac ſalubri maturitate provideas, quod omnia & ſingula ſalubriter, & ſincerè ſtatuantur, & ordinentur ad honorem Dei, ejuſque Eccleſiæ, ac Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis obſequium debitum, & devotum, ipſius quoque Ordinis bonum regimen, tranquillitatem, & pacem.

§. 1. Nos enim Tibi dirigendi, diſponendi, ſtatuendi, præcipiendi, mandandi, & quoſcumque tranſgreſſores mulctandi, puniendi, corrigendi, privandi, abſolvendi, ponendi, deponendi, approbandi, reprobandi, procedendi, judicandi, & exequendi, voces quoque Miniſtrorum, & Cuſtodum, cæterorumque dicti Ordinis Officialium abſentium, aut aliàs commodè intereſſe non valentium, ſupplendi, ac dictum Ordinem reformandi tam in capite, quàm in membris, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, omniaque alia, & ſingula faciendi, quæ in præmiſſis, vel quolibet præmiſſorum neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna Tibi videantur, auctoritate Apoſtolica plenam, & liberam per præſentes concedimus facultatem.

§. 2. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis excommunicationis, ſuſpenſionis, & privationis officiorum, & omnium actuum legitimorum dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, cæteriſque Officialibus, & Fratribus in dicto Capitulo congregatis, quatenus Tibi in omnibus pareant, & intendant. Nos enim ſententias ſive pœnas, quaſcumque inflixeris, ſeu tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus auctoritate Domini uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§. 3. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Statutis dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, necnon privilegiis indultis, ac conceſſionibus, per Sacrum Generale Concilium Conſtantienſe præfatis Fratribus conceſſis, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos octavo idus Junii Pontificatûs noſtri Anno Decimotertio.

Joannes Miſeratione Divina Tituli Sancti Petri ad Vincula Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardin., Reformator Ordinis Fratrum Minorum, ac Legatus à Latere, cum plenaria poteſtate ad Capitulum Generale ejuſdem Ordinis Aſſiſii celebratum ſub Anno Domini MCCCCXXX. de menſis Junii die 12. in feſto Corporis Chriſti à Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus. Venerabilibus Fratribus, Generali, Provincialibuſque Miniſtris, ac univerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem, & ſinceram devotionem in Domino Jeſu Chriſto.

Non eſt novum, ſi pro reparatione rerum, ac temporum exigentia leges innoventur humanæ, quoniam, etſi nihil ſub cœlo novum, plus tamen timeri ſolet, quod ſpecialiter injungitur, quàm quod generaliter inhibetur. Et centies repetita placebunt, ac diverſa in unum collecta faciliùs breviata ſervantur, & quæ uſu viloſcunt antiquo, pariter renovata delectant. *Renovamini*, inquit illo Præco refulgens, *ſpiritu menſis veſtræ*, *& induite novum hominem*, *qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*, *& nolite conformari huic ſæculo*, *ſed renovamini in novitate ſenſûs veſtri*, *ut probetis*, *quæ ſit voluntas Dei bona*, *beneplacens*, *& perfecta*. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus*, *omnia autem membra non eumdem actum habent*, *ita multi unum corpus ſumus in* Chriſto Jeſu, qui *eſt caput noſtrum*, *Creator Dux*, *Redemptor*, *Dominus*, *& Magiſter*. *Vos autem Genus electum*, *Regale Sacerdotium*, *Gens Sancta*, *Populus acquiſitionis*, *quos non vocavit Deus in immunditiam*, *ſed in Sanctificationem*, *ut veritatem annuntietis illius*, *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum*, evangelicæ ſcilicet perfectionis Jeſu Chriſti Filii Dei, qui ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ tenerrimus prædilector, non ceſſat quotidie providere de remediis, & auxiliis opportunis, novellis eam floribus fulciendo pulcherrimis, ſanctis ſcilicet deſideriis divinorum chariſmatum & gratiarum, copioſius irrigando fructibus operum fœcundorum, tribuentium incrementa virtutum germine verbi Dei. Sponſa ſiquidem Chriſti Eccleſia Sancta eſt, ſed in propoſi-

to

Digitized by Google

to noſtro Minorum Religio vertitur reformanda, quam Altiſſimus Jeſus Chriſtus Dei Filius ſibi quodam ſingulari annulo mirificè deſponſavit, cum ejuſdem Religionis Inſtitutorem & Ducem, ſuæ Sanctiſſimæ paſſionis privilegio decoravit, ac ſpecialibus ſigillis, ſacris videlicet Stigmatibus, mirabiliter inſignivit. Quæ quidem ſacra Religio, licèt plantata ſit ſuper illo firmiſſimo fundamento, *præter quod nemo aliud ponere poteſt*, quod eſt ſuum Sanctiſſimum Evangelium, quaſi ad modum fluctuantis Naviculæ procellis agitatæ ventorum, tentationum ſcilicet pulſibus vulneratæ quamplurimis, tot indiget ſemper almæ Matris Eccleſiæ providentiis, & ſavoribus, quot quatitur impulſibus, & vitiorum vulneribus ſauciatur.

Cum nuper igitur proximis temporibus retroactis nonnullæ quærulosæ reclamationes, tum de prædicatoribus, tumque de aliis diſcurrentibus, & infeſtis Fratribus ejuſdem Ordinis, Sanctiſſimi Domini Martini divinâ providentiâ Papæ V. ſæpius propulſaverint pias aures & auditum. Hinc eſt, quod pro univerſali reformatione Ordinis prælibati infraſcripta ſtatuta recollegimus, ordinavimus, & fecimus, & qua ſuprâ Apoſtolica auctoritate confirmamus, authenticamus, & roboramus, ac ab omnibus, & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis volumus, & mandamus inviolabiliter obſervari, tam à Capitibus quàm à membris diſcurrentes ſecundùm ordinem, & proceſſum dictæ Regulæ, per duodecim capitula diſtricta, & particulariter ordinata.

Quoad Capitulum primum Regulæ

Quad incipit: Regula & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti obſervare &c.

QUia diu dubitatum, & hæſitatum extitit inter Fratres, ad quæ conſilia Evangelica tenerentur? Dicimus, & declaramus, quod ad illa conſilia Fratres tantummodo obligantur, quæ in ipſa Regula præceptoriè, vel inhibitoriè, ſeu ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa juxta declarationem fel. rec. Clementis V. in §. 1. ſuæ declarationis, *Exivi de Paradiſo*, cujus verba & tenorem hîc inſeri mandavimus *videlicet, declaramus, quod illud, quod ponitur in Regula de non habendo plures tunicas, quàm unam cum caputio, & aliam ſine caputio*: Item *de non portandis calceamentis, & de non equitando extra cauſam neceſſitatis*: Item *quod Fratres vilibus induantur*: Item, *quod jejunarent à feſto omnium Sanctorum uſque ad Natale Domini, & in ſextis feriis teneantur*. Item, *quod Clerici faciant divinum officium ſecundùm ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Item, *quod Miniſtri & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis ſollicitam curam gerant*: Item, *quod ſi quis Fratrum in infirmitatem inciderit, alii Fratres debent ei ſervire*: Item, *quod Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo fuerit eis contradictum*: Item, *quod nullus audeat populo penitus prædicare, niſi à Generali Miniſtro, vel aliis, quibus ſecundùm declarationem prædictam id competit, fuerit examinatus & approbatus, & ad hoc inſtitutus*; Item, *quod Fratres, qui cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, debeant, & poſſint ad ſuos Miniſtros recurrere*. Item, *omnia, quæ ponuntur in Regula ad formam Habitûs, tam Novitiorum, quàm Profeſſorum, necnon ad modum receptionis ad profeſſionem ſpectantia, ſunt ab ipſis Fratribus ſicut obligatoria obſervanda, niſi recipientibus, quoad habitum Novitiorum, ſicut dicit Regula, ſecundùm Deum aliter videatur*. Hæc, inquam, omnia ſunt à Fratribus tanquam obligatoria obſervanda. Item Ordo communiter ſenſit, & ſentit, tenet, & tenuit ab antiquo, quod, ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum, *teneantur*, obtinet vim præcepti, & ſervari debet à Fratribus, ſicut tale.

Poſt quæ quidem verba declaratoria; Nos Joannes præfatus declaramus de tunicis ipſorum Fratrum ſecundùm quatuor Magiſtros, Fratres videlicet Gaufridum, Alexandrum de Ales, Joannem de Rupella, & Richardum, quod Miniſtri, & Prælati poſſint plures concedere, cum viderint neceſſarium, ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones.

Sciant etiam Fratres; ſe non obligari ad Teſtamentum B. Patris Franciſci, ſecundùm declarationes Summorum Pontificum fel. record. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. Nicolai III. & Clementis V.

Et quod omnes Fratres ut dignum, & juſtum eſt, reverentiam exhibeant & honorem, humilem obedientiam, & firmiſſimam fidelitatem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ, & Sacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, prout in principio, medio, & in fine Regulæ obligantur, cæteriſque Prælatis, & Clericis, prout congruum eſt, & intentio fuit Sanctiſſimi Patris B. Franciſci, qui Presbyteros monuit præ cunctis revereri.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli Fratres, Gallici, Itali, Hiſpani, & Theuthonici, & quicumque alii per orbem terrarum conſtituti, obedire teneantur, & debeant ſuis Prælatis, ſcilicet Generali Miniſtro, Provincialibus, Cuſtodibus, Guardianis, & quibuſcumque aliis Prælatis Ordinis ſecundùm Regulam datis, non obſtante quocumque privilegio, ſeu indulto, quomodocumque, & qualitercumque conceſſo, in generali, vel ſpeciali, in Concilio Conſtantienſi, in Curia Romana, vel alibi ubicumque, quæ omnia & ſingula, in quantùm præſentibus obviant, caſſamus, revocamus, & annullamus, & nullius decernimus valoris, ac ſi nunquam conceſſa fuiſſent.

Et ſi quæ Monaſteria Monialium ex aliqua Bulla Apoſtolica conceſſa fuerint aliquibus particularibus Fratribus, ex nunc prædicti Fratres, ſive in Hiſpania, ſive alibi reſignare debeant Miniſtris Provincialibus, niſi eiſdem per prædictos denuo fuerint commiſſa, ſub pœna inobedientiæ contumacis.

Item, quoad votum Paupertatis, videlicet, vivendo ſine proprio, & quod Fratres nihil ſibi approprient; ſtatuimus & ordinamus, illud inconcoſsè tenendum, quod fel. rec. Nicolaus III. declaravit in ſua Decretali: *Exiit qui ſeminat de verborum ſignif. lib. 6. §. porro ſucceſſivè* & ſeriatim per ordinem uſque ad §: *verum, quia expreſsè continetur in Regula*, & quod quilibet Conventus habeat ſuum Procuratorem, ſecundùm declarationem, & Privilegium dicti Nicolai III. & Martini IV. & Sanctiſs. D. N. Martini V.

Item, quoad votum Caſtitatis, ſtatuimus, & ordinamus, ſervandum fore ſtatutum Guglielmi Farinerii factum in Capitulo Generali Aſſiſii celebrato Anno Domini MCCCCIV. Cap. 7. ubi ſic habetur: *Fratres evidenter notati de ſuſpectis conſortiis, & colloquiis Mulierum, quæ in Regula prohibentur, ſi admoniti & correcti ſufficienter, ſe non correxerint, ſi in officiis fuerint, ab omnibus officiis abſolvantur, & ſuſpendantur; nec taliter ſuſpenſi, ſeu abſoluti reſtituantur, niſi in Capitulo Provinciali per Miniſtrum. Si verò in officiis non fuerint, priventur libris, & omni actu legitimo. Et cui hæc pæna non competit, privationis caputio, & aliis pænis gravibus puniatur ad arbitrium Miniſtrorum: Et ad hæc Miniſtri firmiter teneantur.* Et intelliguntur ſuſpecta conſortia non ſolùm de Mulieribus, ſed etiam de ſuſpectis familiaritatibus quibuſcumque. Quicumque Frater conſuetus fuerit à ſocio ſuo Fratre cum Mulieribus ſequeſtrari, de quibus judicio Prælati ſui meritò poſſit oriri ſuſpicio; ſi canonicè monitus, & correctus, non ſe emendaverit, tamquam ſuſpectus de Mulieribus, omnibus officiis Ordinis, & actibus legitimis ſit privatus. Et ſi taliter punitus, iteratò duobus fide dignis teſtibus convincatur de ſequeſtratione prædicta, vel ſi ſequeſtrationes hujuſmodi ſuſpicionem multùm violentam facerent, ſui Prælati judicio de conſilio Diſcretorum, probentur legitimè, abſque admonitione vel punitione præmiſſa arctetur ad veritatem dicendam. Si verò unus teſtis fide dignus de ſequeſtratione prædicta appareat contra eum, & alius de lapſu carnis, arctetur graviùs in domo diſciplinæ. Si verò aliquis de innominabili crimine, *propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ* ſit (quod abſit) notatus, & convictus, carceri perpetuo mancipetur, ubi omni die igne circa ipſum accenſo, corpore denudato, diſciplinatus, panem & aquam quotidie comedens, defleat vitam ſuam in amaritudine & dolore: circa quod ſi Prælati fuerint negligentes, ipſo facto ſuis officiis ſint privati.

Quoad Cap. II. Regulæ.

Qualiter valentes venire ad Ordinem recipiantur.

STatuimus, & ordinamus, illud ſervandum fore, quod fel. rec. Nicolaus Papa III. declaravit in prædicta Decretali *Exiit qui ſeminat §. ſed quoniam*, ubi ſic dicit. *Sed quoniam in deſideriis noſtris hoc geritur, ut ad Dei Gloriam ſalus proficiat animarum, ac dictus Ordo, per quem jugiter ad amorem divinum affectio Chriſtianæ Religionis accenditur, & merito, & numero augeatur, concedimus, & præſenti ſtatuto firmamus, licere non ſolùm Generali, ſed etiam Provincialibus Miniſtris Perſonas fugientes à ſæculo in Fratres recipere, quæ Miniſtrorum Provincialium licentia per ipſum Generalem, ſiquidem expedire viderit, poſſit arctari. Vicarii verò Provincialium Miniſtrorum ex officio Vicariæ licentiam hanc ſibi noverint interdictam, niſi per Miniſtros eoſdem, quibus hoc committere poſſe Vicariis, & aliis licere decernimus, hoc ipſis Vicariis ſpecialiter committatur. Caveant tamen ipſi Provinciales, quod hoc non indiſcretè, non paſſim, ſed ſit conſideratè committant, ſicque illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus conſiliis fulciant, quod omnia diſcretè procedant. Nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, ſed illi tantùm,*

qui

Digitized by Google

qui ſuffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumſtantiis, poſſint utiles eſſe Ordini, ſibique per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum: hæc Nicolaus.

Statuimus inſuper, & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem, niſi annum quartumdecimum compleverit, etiamſi oblatus fuerit à Parentibus, niſi pro ſcandalo evitando, ut ſi forſan foret filius Militis, vel ſuperioris dignitatis. Nec recipiatur aliquis ad profeſſionem, niſi annum compleverit probationis. Et venientes ad Ordinem diligenter examinentur de fide Catholica & de Eccleſiaſticis Sacramentis, ut in Regula continetur, ita quod ſint Fideles Catholici, & de nullo errore ſuſpecti, Matrimonio non ligati per copulam carnalem, corpore ſani, animo prompti, legitimè nati, debitis expediti, conditione liberi, nullâ vulgari infamiâ notati, competentur litterati vel ad labores Fratribus honeſtos, & utiles apti, aut talis conditionis exiſtentes, quod eorum receptio Clero & Populo non modicam ædificationem afferat.

Et quod venientes ad Ordinem de bonis ſuis faciant, quidquid Dominus inſpiraverit eis, ſecundùm regulam, & declarationem Clementis V. *in §. cæterùm, quia Chriſti Confeſſor*, ibi verſiculo, *cum verò facere de rebus ſuis, quod Dominus inſpirabit eis religionem ipſam ingredientibus liberum velit eſſe, non videtur prohibere, quin liceat eis recipere, conſideratis ſcilicet eorum neceſſitatibus & moderaminibus declarationis jam dictæ, ſi quid de bonis ſuis intrans, ſicut & cæteris pauperibus, per modum eleemoſynæ liberè velit dare*.

Item, de qualitate Habitûs, cum Regula dicat, *quod Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur*, ſtatuimus, & ordinamus, ut in Generalibus Statutis prædicti Guglielmi continetur, Cap. 2. quod veſtimentorum vilitas attendatur in pretio pariter & colore, ita quod ſemper in veſtimentis reluceat aſperitas, vilitas, & paupertas. Et, ut ignorantia nemini ſit occaſio delinquendi, ordinamus, quod omnes Fratres veſtimentis talibus induantur, quod nec ſint adeo pretioſa, ut videntes ea de curioſitate, & vanitate notare debeant, nec ita vilia, & groſſa, quod ipſa videntes in horrorem inducant, & provocent ad deriſum. Longitudo autem Habitûs ultra longitudinem Fratris deferentis talis ſit, quod nec plica ultra quatuor digitos protendatur, nec ita brevis, quin chorda ex ea valeat operiri. Latitudo verò decem & octo palmorum non excedat menſuram, nec ſit minor quindecim. Caputium verò tali modo fiat, quod exiſtens in capite, extremitas per longitudinem duorum digitorum cingulum non excedat, nec per duorum digitorum altitudinem ſuper cingulum debeat remanere, cui longitudini correſpondeat proportionaliter latitudo ſecundùm corporum quantitatem. De Mantellis autem, de modo dormiendi, de camiſiis, de cingulo, & de calceamentis in omnibus ſervetur generale ſtatutum prædicti Guglielmi in 2. cap.

Quoad Cap. III. Regulæ.

De divino Officio &c.

Statuimus, & ordinamus, ſervandam eſſe Conſtitutionem Benedicti XII. cap. 5. ubi ſic dicit: *in primis, circa agendum officium in eodem Ordine, auctoritate Apoſtolica ordinamus, quod ante miſſarum, & horarum principia Fratres dicti Ordinis omnes, quos cauſa rationabilis non excuſat, ad chorum concurrant præparaturi Domino corda ſua, ibique ſine riſu, murmure, diſcurſu, & abſque vagis & vanis aſpectibus, ſub ſilentio, in pace, cum debita gravitate permaneant, cantent, & orent, & uſque in finem unanimiter perſeverent*. Quia verò Eccleſiaſticus cantus divinæ laudis Sacrificium, fructuſque labiorum canentium, non ſolùm eorum, qui pſallunt, ſed etiam Auditorum ædificatio eſſe debet, eoſdem Fratres hortamur in Domino, ut divinas laudes integrè, attentè, honeſtè, ac religiosè perſolvant, geſtus leves, & cantus diſſolutos, & fractos omnino declinent, ſed tractim pſallant, debito more incepta, quæ ſimul canenda fuerint, ſimul continuent, ſimul pauſent, ut in dicto Capitulo habetur: Hoc addito, quod de cantu in locis, ubi pauci ſunt Fratres, qui non ſufficerent ad cantandum, vel alia rationabili cauſa Prælati poſſint diſpenſare, cum viderint expedire.

Item de jejunio illa obſerventur, quæ in Regula continentur: idem fiat de non equitando, præterquam in caſu neceſſitatis; attentis etiam verbis divi Bonaventuræ in ſua declaratione ſuper hoc paſſu, qui dicit; quod non debeant equitare, nec bigare, neque quadrigare, niſi manifeſtâ neceſſitate, ſcilicet prolixi, vel impediti itineris, vel negotii urgentis, vel infirmitate cogantur.

Digitized by Google

Quoad Cap. IV. Regulæ

Quod Fratres non recipiant pecuniam &c.

STatuimus & ordinamus juxta declarationem Nicolai III., & Clementis V. Martini IV. & V. quod quilibet Conventus, ſive locus habeat ſuum Procuratorem, Œconomum, Syndicum, & actorem, cui omnes eleemoſynæ pecuniariæ, & alia, quæ ad pecuniam reduci poſſunt, integraliter conſignentur, qui eaſdem diſpenſare debeat legaliter & fideliter in reparationem Conventuum, & locorum, aliaſque neceſſitates Fratrum pro tempore occurrentes, & quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. Si quis autem contrarium attentaverit, ipſo facto omni actu legitimo ſit privatus, & pœnâ carceris puniatur.

In omnibus autem, quæ ultra hæc magis arctarent Fratres dicti Ordinis, ſive ex declaratione Clementis V. ſive alia quacumque declaratione Summorum Pontificum vel aliorum quorumcumque, Apoſtolica Nobis auctoritate commiſſâ miſericorditer diſpenſamus, non aſtringentes propterea eos, qui voluerint prædictas declarationes ſervare, quin ſuo voto ſatisfacientes ſervare valeant, & tenere.

Item Miniſtri, & Prælati pro neceſſitatibus infirmorum ſollicitam curam gerant, eis diligenter de neceſſariis providendo, ordinando infirmarios, vel alios Fratres deputando ſervitiis eorundem: qui deputati, ſi culpabiles inventi fuerint, vel notabiliter negligentes, Præſidentium arbitrio puniantur, & alia fiant circa prædicta, ſicut in Generalibus ſtatutis Ordinis Prædicti Guglielmi cap. 4. continetur.

Quoad Cap. V. Regulæ

De modo laborandi.

STatuimus & ordinamus, quod Fratres habentes gratiam laborandi, laborent fideliter, & devotè &c. prout in Regula continetur. Merceſque laboris, ſi pecuniaria fuerit, per ſolventem ſtatim conſignetur Procuratori Conventûs, ſive loci, quod ſi pecuniaria non fuerit, conſignetur Prælato ejuſdem loci, de qua poſſit omnibus Fratribus ibidem commorantibus communiter, prout neceſſitas exigerit, providere. Per hoc tamen nullus Fratrum præſumat puerorum ſcholas regere in Conventu, vel extra Sæcularium perſonarum, ſub pœna privationis actuum legitimorum.

Quoad Caput VI. Regulæ

Quod Fratres nihil ſibi approprient.

STatuimus & ordinamus ab univerſis obſervandum, prout Regula dictat, & qui contrarium fecerit, puniatur, ut ſuprà dictum eſt de pecuniariis. Item, quod omnes Fratres vadant pro eleemoſyna confidenter juxta diſcretionem Prælati præcipientis, cujus arbitrio committimus diſcernendum, qui congruè mittendi ſunt pro eleemoſyna, vel qui non.

Quoad Cap. VII. Regulæ

De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

STatuimus & ordinamus, quod nullus Frater Provinciali Miniſtro inferior, niſi ex ſpeciali Generalis vel Provincialium licentia Miniſtrorum, poſſit aliquem abſolvere Fratrem à peccato inobedientiæ contumacis, proprietariæ rerum detentionis, carnis lapsûs, furti rei notabilis, injectionis manuum violenter, falſi teſtimonii in judicio facti, compoſitionis, vel projectionis, aut publicationis libelli famoſi, falſificationis ſigilli cujuſcumque Perſonæ notabilis, falſæ criminationis in infamiam cujuſcumque. Si quis autem contrarium attentaverit, ipſo facto actibus legitimis ſit privatus, & ſi legitimè fuerit, deprehenſus, carceri mancipetur.

Quoad Caput VIII. Regulæ

De electione Generalis Miniſtri.

QUia langueſcente Capite cœtera membra dolent, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod electio Generalis Miniſtri canonicè celebretur in Capitulo Pentecoſtes, à Miniſtris, & Cuſtodibus, ut Regula dictat: ipſi autem Electores, talem in tanta Religione ſtudeant habere Paſtorem, qui Scientiâ, vitâ, moribus, & exemplo meritò valeat magis prodeſſe, quàm ambitiosè præeſſe ovibus ſibi commiſſis, omni poſtpoſito amore, odio, timore, prece, pretio vel rancore: quod, ſi ſecus factum fuerit, electio nulla ſit, & Electores voce activa & paſſiva perpetuò ſint privati.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod Generalis Miniſter non habeat ſecum plures duobus Sociis notabilibus, uno Ciſmontano, & alio Ultramontano, addito ſocio Scriptore, & alio Servitore, cum uno famulo. Et quod de cætero, ſi Generalis ſit Ultra-

Ultramontanos, Ciſmontanus Socius teneat ſigillum Ordinis, & econtra, ſi Generalis ſit Ciſmontanus, ultramontanus Socius teneat Sigillum Ordinis. Nec poſſit eos Generalis ad libitum commutare, niſi morte interveniente, vel aliâ causâ legitimâ, & caſu notabili: tunc enim in loco illius ſubſtitutionem alterius Socii de conſilio Diſcretorum facere poſſit.

Item, quod ſecundùm declarationem quatuor Magiſtrorum, Generalis non poſſit immutare aliqua ordinata per ipſum, & Capitulum Generale, ſine ipſius Capituli Generalis aſſenſu, in his, quæ tangunt Regulæ puritatem. Nec poſſit aliquem licentiare ad curſum Magiſterii, niſi fuerit præſentatus per Miniſtrum Provincialem, qui neminem audeat præſentare, niſi de conſilio, & aſſenſu ipſius Capituli Provincialis.

Item, quod prædictus Generalis nullam exactionem pecuniariam facere poſſit, nec pro confirmatione Miniſtrorum, neque viſitatione Provinciarum, neque pro Magiſterio, aut veſtiario, vel literis officiorum aut ſuffragiorum, ſive quacumque occaſione vel colore quæſitis: quod, ſi ſecus fecerit, ipſo facto ſuo officio ſit privatus; Nec teneantur Fratres ſibi ulteriùs obedire. Et ſi exinde impoſterum præſumpſerit Generalatûs officium detinere, quod ipſo facto ſit perjurus, infamis, & inhabilis ad quæcumque officia, vel beneficia, honores & dignitates, tam in Ordine quàm extra Ordinem obtinenda.

Item, quod non faciat Vicarios in Provinciis, niſi in caſibus neceſſariis & opportunis, quibus expletis Vicariatûs officium ipſo facto volumus expirare.

Quoad Caput IX. Regulæ

De Prædicatoribus.

STatuimus & ordinamus, quod Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo fuerit illis contradictum, ſed cum omni humilitate, & reverentia Prælatos Eccleſiæ debeant venerari.

Item, quod nullus præſumat Populo prædicare, niſi à Generali Miniſtro, vel à Provincialibus in Capitulis Provincialibus, vel ab aliis, quibus per Generalem Miniſtrum fuerit commiſſum, examinatus extiterit, & approbatus, & officium prædicationis ſibi commiſſum. Poſſint nihilominus præfati Miniſtri conceſſam prædicandi licentiam revocare, ſuſpendere, & arctare, quoties, ſicut, & quando eis videbitur expedire, juxta declarationem prædicti Nicolai III. in præfata Decretali; *Exiit qui ſeminat §. & quia in eodem.*

Et quod prædicti, quibus committitur auctoritas prædictam licentiam concedendi, nullum ad prædicationis officium admittere debeant, niſi extiterit admittendus Sacerdos, vel Diaconus, ætatis ad minus viginti quinque annorum, competentis litteraturæ, vita, & moribus comprobatus, cujus doctrinâ meritò populi ædificari valeant ſine ſcandalo.

Caveant autem Prædicatores prædicti omnino, ne, quando prædicant, præſumant quidquam contra libertatem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis Perſonis detrahere, vel (quod abſit) ſcandalum contra Clerum, vel Religionem aliquam excitare, aut Perſonâ aliquam præſentem criminaliter nominare, ſed potiùs contra hæreſes & ſchiſmata Populos dirigere, & fideliter animare, & in Orthodoxæ fidei veritate firmare, maximè contra præſentem Sathanicam, & damnatam hæreſim Huſſitarum, contra quos in aliqua parte ſermonis, prout videbitur expediens, invehatur. Si quis autem temerariè contra ſtatum, honorem, dignitatem, & Eccleſiaſticam libertatem præſumpſerit prædicare, ipſo facto prædicationis officio, & omni actu legitimo ſit privatus. Quod ſi poſt prædictam privationem præſumpſerit prædicare, per ſuos Prælatos, omni appellatione poſtpoſitâ, vel alio ſubterfugio, carceribus mancipetur.

Qui Prælati ipſi, ſi in prædictis fuerint negligentes, in eamdem pœnam ſe noverint incidiſſe, niſi rationabili & legitima cauſa, de impotentia ſe valeant excuſare. Super quos, & prædictos Prædicatores delinquentes, Ordinarii locorum plenam juriſdictionem habeant puniendi, & carcerandi ſine alio proceſſu, ad quod cum opus fuerit, prædicti Ordinarii invocare valeant brachium ſæculare: Item, quod nullus Frater audeat in Eccleſiis alienis prædicare abſque licentia Ordinarii, ne gignat ſcandalum, & dedecus Ordinis, liceat tamen iis in iis terris, ubi pro tempore fuit conſuetum, ut in Quadrageſima, Proceſſionibus, & ſimilibus, & tunc nec ſine licentia Prælatorum Ordinis: nec prædicent vanitates, vel materias, quæ ſcandalum poſſint veriſimiliter generare.

Quoad

Digitized by Google

Quoad Cap. X. Regulæ.

De admonitione & correctione Fratrum.

Statuimus & ordinamus, quod prædictum Capitulum diligenter per Miniſtros executioni debitæ demandetur: Attendentes inſuper, quod Miniſter quilibet in ſua Provincia uno provido, & honeſto Socio ſit contentus, eum uno ſervitore: Et quod nullus Miniſter, Cuſtos, Guardianus, vel Lector, vel quicumque alius Frater, quicquam exigat aliquo colore, vel cauſa, quod, ſi ſecus fecerit, ipſo facto ſuo officio ſit privatus, & ſubditi deinceps obedire ſibi non teneantur. Et ſi quid aliquis Miniſtrorum Generali Miniſtro præſumpſerit contribuere, ipſo facto, ut ſuprà, ſuo officio ſit privatus.

Statuimus inſuper, quod Miniſtri diligenter, & ſollicitè inſtent, & invigilent reformationi ſtudiorum, per quaslibet ſuas Provincias, ita & taliter, quod cuilibet ſtudenti pro poſſe provideatur de ſuis neceſſariis, tam pro libris, quàm pro reliquis opportunis, de communibus eleemoſynis per Procuratorem receptis pro quolibet Conventu, ſive loco nativo Fratris ad ſtudium promovendi. Exhortantes ſtrictiſſimè in Viſceribus Jeſu Chriſti cæteros Fratres aliorum locorum, quod cum viderint idoneos ad ſtudia promovendos, totis viribus eiſdem impendant auxilium, conſilium, & favorem in quibuslibet opportunis, quærendo pro eis eleemoſynas, recommendando volentibus ſubvenire, eiſque ſerviendo in viſceribus charitatis; cum ſcientia donum Dei ſit, & armatura ad defendendam ſanctam Fidem Catholicam, corona Ordinis, lumen veritatis, & via in tenebris ambulantium Populorum.

Similiter attendant prædicti Miniſtri cum omni vigilantia, & circumſpectione, quod cœremoniæ Ordinis, tam quoad Divinum Officium, quàm quoad ſilentium, & alias cæremonias, utriuſque Communitatis, ſpiritualis, & temporalis, ſecundùm antiquas conſuetudines Ordinis obſerventur.

Et ſi quæ ſunt debita de præterito contracta, ſolvantur de expropriatione Fratrum, vel locorum, de vineis & poſſeſſionibus, cæteriſque rebus in Ordine repertis, quarum poſſeſſio, ſecundùm puritatem noſtri ſtatûs non poteſt Ordini convenire; &, ſi quid ſupereſſe poterit de pretio talium rerum vendendarum, vel ex reddenda ratione quorumcumque Fratrum, vel Miniſtrorum, vel aliorum ſubditorum, aſſignetur Procuratoribus locorum quorumcumque per quaslibet Provincias, pro communi utilitate, & commoditate eorumdem Fratrum, vel locorum.

Miniſtri autem, & alii Prælati corrigant ſubditos ſuos humiliter, & charitativè eos viſitent ſecundùm Regulam, delinquentes miſericorditer puniendo, juxta tenorem ſeptimi Capituli Statutorum Generalium prædicti Guglielmi, & vigeſimi ſeptimi Capituli Statutorum Benedicti XII. vel alios, prout eiſdem Miniſtris, & Prælatis meliùs videbitur expedire.

Item, cum in eodem Ordine aliqui Fratres fuerint, & ſint excellentes in devotione, & obſervantiâ ſtrictiori hujus Profeſſionis, ordinamus, quod tales ſic viventes per Prælatos ſuos benè tractentur, & favorabiliter in ſuis devotionibus nutriantur in ſuis Eremitoriis, & locellis. Caveant autem prædicti Prælati, ne Fratres aliquos ad Eremitoria mittant pro reſidentia ibidem facienda, niſi maturos, ſolidos, & probatos in obſervantia Regulari, ubi fieri poterit, bono modo.

Item, quod de cætero nullus audeat Conventus, aut loca, ſeu Eremitoria multiplicare, aut de novo ædificare, ſeu ædificari facere, non ſolùm pro Fratribus, quin etiam pro Sororibus, ſine auctoritate D. N. Papæ, Dominorum Diœceſanorum, Generalis, & Provincialium Miniſtrorum licentia, ſine præjudicio Conventuum propinquorum, in quorum terminis hæc contigerit attentari, ſalvâ etiam Decretali Bonif. VIII. in Cap. *cum ex eo. de exceſſibus Prælatorum lib.6.*

Item; ubi Regula dicit, quod, ubicumque ſunt Fratres, qui ſcirent, & recognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, declaramus juſtam eſſe cauſam recurrendi ad Miniſtrū, ſcilicet, cum tali loco eſt annexa proprietas, vel cura animarum, pueros baptizandi, & alia Parochialia faciendi, aut, quia ibi Domino reclamante morantur Fratres, aut, quia propter neceſſariorum penuriam oportet eos in fructum congregationibus, & quæſtibus inhoneſtis contra Regulæ puritatem, & uſum Ordinis generaliter excedere, aut propter ſocietatem inhoneſtam, vel importabilem Fratribus, præſertim rudibus, & infirmis; propter hujuſmodi autem cauſas & ſimiles, Fratres debent, & poſſunt ad ſuos Miniſtros recurrere, per eoſdem inde piè, & paternitaliter amovendi, & in locis devotis, & ſpiritualibus collocandi.

Quoad

Quoad Cap. XI. Regulæ.

Quod Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.

STatuimus & ordinamus, illud eſſe ſervandum, quod præfatus Nicolaus III. decrevit in eadem ſua Decretali, *Exiit qui ſeminat*, §. *denique quia continetur*. Ubi determinat prohibitum eſſe Fratribus, ne ingrediantur Monaſteria Monacharum quarumcumque: Intelligens nomine Monaſterii clauſtrum, domos, & officinas interiores; ſed alia loca, ubi homines ſæculares conveniunt, poſſunt Fratres ipſi cauſâ prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ accedere, quibus id à Superioribus ſuis pro ſua maturitate, vel idoneitate fuerit conceſſum, exceptis ſemper prædictarum Monaſteriis Incluſarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas, ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, quod etiam Gregorius IX. determinavit.

Addentes nihilominus, quod ſi quis ſine Miniſtrorum licentia aliquod Monaſterium intrare præſumpſerit, ipſo facto carceri mancipetur, & diligenter attendant Miniſtri, quod Moniales ſibi commiſſæ debitam clauſuram ſervent, tam Fratrum, quàm Sæcularium acceſſus compeſcendo ſub interminatione maledictionis æternæ.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Frater de cætero præſumat fieri Compater virorum, vel mulierum; & qui jam compaternitatem contraxerint, quantùm in eis eſt, hoc nomine ſe à nemine nominari permittant, nec ipſi alios nominent, & qui contrafecerint, carceri mancipentur.

Quoad Caput XII. Regulæ.

De Euntibus inter Saracenos.

STatuimus, quod ſervetur Regula, & in præſenti Capitulo, & in quibuſcumque aliis Capitulis generalibus, quantùm poſſibile eſt, provideatur, & diſponatur, de bono regimine locorum Terræ Sanctæ, tam quoad Guardianum, quàm quoad alios Fratres, ita quod ſemper pro gubernatione illorum locorum eligantur in Capitulis Generalibus de melioribus, & devotioribus Fratribus Ordinis, qui vita, moribus, & doctrinâ probati, lucis exemplum præbeant, & ædificationem pariter infidelibus, cum quibus contigerit converſari.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod Procuratores Ordinis in Curia Romana nihil exigant, vel extorquere præſumant â Fratribus advenientibus undecumque: quod ſi ſecus fecerint, ipſo facto ſuo officio ſint privati. Et Procurator Ciſmontanus tractet negotia Fratrum Ciſmontanorum: Ultramontanus autem tractet negotia Ultramontanorum.

Item ſtatuimus & ordinamus ſub eadem pœna, quod Inquiſitores hæreticæ pravitatis teneantur reſtituere communitati Conventuum, ubi officium inquiſitionis exercent, quidquid ſibi advenire poterit vel competere ex officio inquiſitionis, uſque ad condignam ſatisfactionem expenſarum, quas in prædictis Conventibus perceperint, dum officium inquiſitionis exercent. Etſi eiſdem Inquiſitoribus à Communitate, vel ab alia perſona ſpiritnali competenter proviſum fuerit de expenſis, non teneantur prædicti Conventus providere eiſdem de victu, & veſtitu. Quod ſi quid ſuperfuerit ultra prædictum victum & veſtitum, de eo, quod ſibi competeret ex officio, ſuo Conventui nativo reddatur diſtribuendum communiter inter Fratres: & quod nullus Inquiſitor ejuſdem Ordinis in officio Inquiſitionis remaneat ultra duos annos ſecundùm ejuſdem Ordinis generalia ſtatuta dicti Guglielmi. *C. 6. §. finali.*

Item ſtatuimus & ordinamus, quod decætero nullus Prælatorum, Miniſter, vel Magiſter, aliquem Fratrum ejuſdem Ordinis præſumat adſtringere, vel compellere ad aliquam pecuniariam ſolutionem ratione cujuſcumque gradûs Scholaſtici, vel Magiſterii, Lectoratûs, Baccalaureatûs, vel alterius cujuſcumque ſub pœna privationis gradus, tam in exigente quàm in contribuente.

Inſuper, quia parum eſt leges condere, niſi executioni debitæ demandentur, volumus & mandamus, ac ſtrictè præcipimus univerſis & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis, ubicumque fuerint, & interierint, cujuſcumque gradûs, ſeu conditionis exiſtant, quod in his omnibus ſupradictis ſuis Prælatis teneantur firmiter obedire, ſcilicet Generali in toto Ordine, & Miniſtris Provincialibus in Provinciis, Cuſtodibus in Cuſtodiis, Guardianis in Guardianatibus, cæteriſque Prælatis in his, & aliis licitis & honeſtis, quæ non ſunt contra animam ſuam & Regulam dicti Ordinis. Et ſi quis, quod abſit, contrafecerit, triná admonitione præmiſsâ, factis congruis intervallis, poſt, ſi rebellis, & inobediens extiterit, carceri mancipetur.

In omnibus autem aliis ſtatutis, conſtitutionibus, ordinationibus, & declarationibus tam Summorum Pontificum quàm aliorum quorumcumque, ſive de non comedendo carnes in Feſtivitatibus Nativita-tis,

Digitized by Google

tis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Dominicæ, Pentecoſtes, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis Glorioſæ Virginis, S. Franciſci, S. Antonii, & Sancti Ludovici Epiſcopi, vel quibuſcumque aliis temporibus, per Regulam vel per Eccleſiam non prohibitis, & jejuniis, ſive de quibuſcumque aliis, in aliis Conſtitutionibus poſitis, quę non ſunt contra legem Dei, vel ſtatutum Eccleſię generale, auctoritate Apoſtolica diſpenſamus, nolentes aliquem dicti Ordinis, ex prædictis ſtatutis, ſeu Conſtitutionibus, ordinationibus, declarationibus, de quibus in his præſentibus non fit mentio, mortalis peccati vinculo alligari, niſi tales eſſent caſus tranſgreſſionis, vel exceſsûs, qui Divina Lege, ſeu Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ generali ſtatuto, meritò inducerent ad mortale. Et ubicumque in aliis Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis Papalibus, vel generalibus, pœna excommunicationis imponitur, quatenus in aliam pœnam temporalem valeant commutari, arbitrio Præſidentium reſervamus. Sententias verò excommunicationis inibi contentas, auctoritate præſata ex nunc tollimus, remittimus, & laxamus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Prædicta autem ſtatuta, conſtitutiones, ordinationes, ſeu declarationes, & revocationes, volumus ab omnibus tam Prælatis, quàm ſubditis integrè, & inviolabiliter obſervari, mandantes & diſtrictè præcipientes omnibus Prælatis, tam Generali, & Provincialibus Miniſtris, quàm aliis Prælatis Ordinis quibuſcumque, quod omnia & ſingula ſupradicta ſervent, & faciant ab omnibus inviolabiliter obſervari. Quod ſi in prędictis fuerint negligentes, ipſo facto ſuis officiis ſint privati, & ne alicui ignorantia ſit occaſio delinquendi, ſub interminatione divini judicii mandamus Prælatis prædictis, quatenus per quemlibet Conventum, & locum ad minus ſemel in menſe legi faciant.

Has igitur conſtitutiones, reformationes, & ordinationes, per Nos Joannem Cardinalem Legatum, & Reformatorem præfatum Auctoritate Apoſtolica factas & ordinatas, alta, & intelligibili voce in pleno Capitulo ad ſonum Campanæ, ut moris eſt, congregato, coram multitudine copioſa Fratrum ejuſdem Ordinis propterea ibidem exiſtentium, de verbo ad verbum per organum venerabilis, & Religioſi Viri Fratris Joannis de Capiſtrano ejuſdem Ordinis Profeſſoris legi, & publicari fecimus, & ad perpetuam rei memoriam, per Generales & Provinciales Miniſtros, Cuſtodes, Diſcretos, & omnes, ac quoſcumque Fratres, & Religioſos dicti Ordinis præſentes, abſentes, & futuros in omnibus, & per omnia, prout ſuperiùs latè ſcriptæ ſunt, ſub pœnis in eiſdem contentis inviolabiliter teneri, & obſervari mandavimus, & per præſentes mandamus.

Poſt quarum quidem Conſtitutionum, reformationum, & ordinationum publicationem, & lecturam, omnes, & ſinguli Miniſtri, Cuſtodes, Cuſtodum Diſcreti & alii, in dicto Capitulo exiſtentes, tam nominibus ſuis propriis, quàm ſuorum Conventuum & Fratrum præſentium, & futurorum, dictis Conſtitutionibus, ordinationibus, & reformationibus tanquam legitimè, ſanctè, juſtè factis, & ordinatis, non coacti, nec circumventi, liberè, & ſponte ſine contradictione aliqua in pleno Capitulo acquieverunt, & in ejuſdem, & eorum ſingulis in omnibus & per omnia conſenſerunt, & intelligibili voce unanimiter clamando, & dicendo *conſentimus in eiſdem in omnibus, & per omnia, & volumus ſtare, vivere & mori in iſto Ordine Sancto fraternaliter, ſecundùm conſtitutiones & reformationes prædictas.*

In quorum omnium, & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras literas, ſive præſens publicum inſtrumentum, conſtitutiones, reformationes, & ordinationes hujuſmodi in ſe continentes ſive continens, exinde fieri, & per Secretarium noſtrum Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi, & ſignari mandavimus, noſtrique Sigilli Cardinalatûs juſſimus, & fecimus appenſione muniri.

Lectæ & in ſcriptis publicatæ fuerunt hæ conſtitutiones, reformationes, & ordinationes ſupradictæ, per Nos de mandato noſtro, modo ſupradicto, Aſſiſii in Monaſterio Fratrum Minorum tempore generalis Capituli in pleno Capitulo Nobis ibidem de præſati D. N. Papæ mandato præſidentibus, ſub anno à Nativitate Domini 1430. indictione 8. die verò Mercurii 21. menſis Junii Pontificatûs præſati D. N. PP. anno 13. præſentibus ibidem Rever. Patre Domino Bernardo, Montis Albanenſis Epiſcopo, & Guglielmo Pacize, & Joanne Meroles, &c. &c. rogatis.

Et ego Robertus Gundiſalvi, de Mocuellos, Clericus Burgenſis Diœceſis, publicus auctoritate Apoſtolica Notarius, dictique Rever. in Chriſto Patris, & Domini mei Domini Joannis Card. Legati & Reformatoris præfati, Secretarius, præmiſſis &c. Amen.

Bull. Rom. tom. 3. part. 2. fol. 462. Waddingus tom. 10. Annal. fol. 148.

N O-

N O T A.

Conſtitutiones has, quæ Martinianæ appellantur, utpote Martini PP. V. juſſu & commiſſione in Capitulo generali Aſſiſii tunc celebrato, concordi Patrum Capitularium conſenſu confectæ, cautè legendas eſſe ipſa, quæ iis ineſt, & in Monumentis Ordinis fol. 13. à tergo notatur, relaxatio monet. Diverſam nactæ ſunt aleam, nam Martinus V. Conſtitutione incip. *Pervigilis more* apud Waddingum tom X Annal. fol. 162. tum eas confirmavit, tum modificavit, Eugenius verò IV. modificationem primò revocavit, poſtmodum confirmavit, & tandem ac ultimò uſque ad tempus Capituli Bononiæ celebrandi ſuſpendit, Pius II. verò Conſtitutione incip. *Ad exequendum* revalidavit. Litteræ Pontificiæ autem deſuper editæ conſultò omittuntur.

Confeſſarios Regulares non advertentes, vel ignorantes Excommunicationes & Cenſuras reſervatas, ac de eis abſolventes pœnitentes, ab Irregularitate ſeu Cenſuris, ſi quas propter hujuſmodi præſtitam abſolutionem incurrerint, abſolvi, vel diſpenſari, concedit.

MARTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ſæpe boni Religioſi, ex charitate, vel Prælatorum obedientia cogantur ad Confeſſiones audiendas, & ſint multiplices & inexplicabiles ſententiæ excommunicationis in Corpore juris, quarum nonnullæ etiam à peritiſſimis ignorantur, ex quo dicti Religioſi propter conſcientiæ timorem, quoniam dubitant ſe incurriſſe in aliquam cenſuram Eccleſiaſticam abſolvendo inadvertenter aliquos, aliqua excommunicatione innodatos, cujus excommunicationis abſolutio Superiori reſervatur, ne dicti Religioſi cogantur contra Charitatem, & Prælatorum obedientiam facere, vel præfatas metuere ſcrupuloſitates, conceditur, quòd dicti Religioſi, ſi præfata, vel ſimili causâ inadvertenter incurrerint irregularitatem, vel excommunicationem, poſſint per idoneos eorum Confeſſores authoritate Apoſtolica abſolvi, & diſpenſari, cum oportuerit. Et quod prædicta vires habeant oraculo Vivæ Vocis non obſtante, quòd non fiat Bulla, vel quibuſcumque aliis contrariis, niſi ex craſſa, & ſupina ignorantia cenſuram, vel irregularitatem incurrerint.

Bullarium Caſſinen. tom. 1. Conſtit. 51 fol. 49. Bull. Ord. Prædic. tom. 7. fol. 79.

EUGENIUS IV.

Venetus, priùs Gabriel Condelmerius, Ordinis Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga Con-fundator & Profeſſor, Epiſcopus Senenſis, Presbyter Card. Tit. S. Clementis 3. Martii 1431. in Conventu RR. PP. Prædicatorum ad Minervam, Urbis & Orbis Præſul acclamatus eſt. Contra eum ſedit Felix V. priùs Amadæus, ultimus Comitum, & primus Ducum Sabaudiæ, Eremiticam tunc vitam Ripaliæ, ſub Habitu leucophæo, & inſtituto, ut quidam volunt, Franciſcano agens, in Pſeudo-Concilio Baſileenſi ſeſſ. 39. die 17. Nov. 1439. electus. Produxit legitimum ſuum Pontificatum Eugenius uſque ad 23. Februarii 1441., quo debitum humanæ conditionis exſolvit, & tumulum in Baſilica S. Petri accepit.

Conſtitutionem Clementis IV. incip. *virtute conſpicuos*, & plurima Ordinis Minoritani privilegia continentem confirmat.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licèt debitum Paſtoralis officii omnibus regularem vitam profeſſis, ut in ſuis conſerventur privilegiis, Nos reddat favorabiles & benignos, ad ſacrum tamen Ordinem Fratrum Minorum, quorum præclara Religio veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum ad laudem Dei & fidei incrementum ſemper attulit & affert quotidie verbo & exemplo in populo Chriſtiano, dirigentes præcipuè, velut pius Pater oculos mentis noſtræ, dignum cenſemus & debitum, ut ipſum Ordinem, ejuſque in odorem ſuavitatis Altiſſimo deſervientes perſonas, in ſuis privilegiis, præſertim per Romanos Pontifices conceſſis, debitè conſervemus, ac illa, ne de eorum robore ullatenus hæſitari valeat, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboremus. Hinc eſt, quod Nos dilectorum filiorum Guillelmi de Caſali, Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum prædictorum ſupplicationibus inclinati, litteras quaſdam fel. rec. Clementis Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, dicto Ordini conceſſas, quarum tenorem inferiùs de verbo ad verbum deſcribi fecimus, ac omnia & ſingula in eis contenta, pro ipſarum ſubſiſtentia firmiori, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor verò prædictarum litterarum ſequitur & eſt talis: Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. *Virtute conſpicuos &c. Vide & nota, quæ ſuprà fol. 49. dicta ſunt.* Nulli ergo &c. Datum Florentiæ Anno MCCCCXXXIX. IV. Idus Novembris Pontificatûs noſtri Anno IX.

Arch. Vatic. lib. 1. de Regul. fol. 74. Waddingus tom. xi. Annal. fol. 380.

Doctrinam, quâ Communionem Sacramentalem præcisè in ipſa Reſurrectionis Dominica neceſſariam eſſe ſpargebatur, reprobat, ac Canoni Eccleſiæ per Communionem in hebdomada Sancta vel octava Paſchæ ſatisfieri, Confeſſoribus Ordinis F.F. Minorum promulgare mandat.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectis filiis, Vicariis Generalibus, ac Provincialibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac quibuſcumque veſtri Ordinis & Obſervantiæ, per vos deputatis, & deputandis Confeſſoribus.

Fide digna relatione percipimus in Civitate Licii non parvam per hæc tempora excitatam fuiſſe commotionem de die debitæ perceptionis Sacratiſſimi Corporis Domini Jeſu Chriſti, & per aliquos Religioſos eſſe affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Reſurrectionis Dominicæ mortaliter peccarent, etiamſi in die Jovis Sancta, & aliis quibuſcumque diebus infra annum pluries, & frequentatis vicibus communicâſſent, quod piis auribus eſt audire moleſtum. Recolimus aliàs per quoddam noſtrum Breve ſcripſiſſe Ven. Fratri noſtro Epiſcopo Licien. quod intelligebamus ſatisfactum eſſe, ſi paulò ante, vel paulò poſt diem Reſurrectionis Domini quis communicet. Mirati ſumus, quod poſtmodum nova controverſia revixerit, ſed inimicus homo ſuperſeminavit zizania. Nos igitur cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare, attendentes juxta doctrinam B. Auguſtini, quod ſolent circumſtantiæ ſcripturarum illuminare ſubſtantiam veritatis, & non ſolùm adjacentia, ſed etiam præcedentia & ſubſequentia verba ſunt conſideranda prudenter, cum dicat Canon Eccleſiæ = *Omnis utriuſque ſexûs fidelis, ſaltem ſemel in anno confiteatur*, & infra, *ſuſcipiens ad minus in Paſcha reverenter Eucharistiæ Sacramentum* = & ſequitur; *niſi de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum.* Dicimus expreſsè non inten-

intentionis Legiſlatoris fuiſſe, animas illaqueare fidelium ſub culpa mortali, ad communicandum præciſè in die Dominica Reſurrectionis, ſed terminum ſtatuiſſe à Paſcha ad Paſcha, cum dicit ſemel in anno, ed infra ad minus in Paſcha, niſi &c. = Mens enim magis quàm verborum ſonus eſt attendenda diſcretè. Intelligimus itaque optimo jure ſatisfactum eſſe Canoni, ſi in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, ſemel meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem Fideles præparatione debita Sanctum Eucbariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem. Et huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere. Quare devotioni veſtræ committimus, ut dicta, ubi oportere intelligetis populis nota faciatis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo noſtro ſecreto die octavo Julii MCCCCXL. Pontificatûs noſtri anno decimo.

Monum. Ordinis fol. 114. Wadding. tom. xi. Annal. fol. 98.

Damnationem Articulorum Philippi Norreys contra FF. Minores, alioſque Mendicantes confirmat.

EUGENIUS EPISOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Regnans in excelſis triumphans Eccleſia, cui Paſtor eſt Pater Æternus, cuique SS. miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicariam conſtituit Eccleſiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino Noſtro Jeſu Chriſto ineffabili commercio copulatam. In hac quidem ipſe Chriſtus, à Patre progrediens, per illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit fidei firmamentum, ut ab eo velut à primitivo fonte ad ſingulas orthodoxas Nationes ejuſdem fidei rivuli deriventur. Ad hujuſmodi autem Eccleſiæ regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem deputare miniſtrum, cujus inſtitutionem, ac doctrinam eloquio veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati fonte Baptiſmatis teneant, & obſervent, qui enim ſub hac doctrina curſum vitæ peregerint, ſalvationis gratiam merebuntur, qui verò ab ea deviaverint, aut errores contra illam tenuerint, non correcti, ferientur damnationis ſententiâ, quam nonnunquam convenit Apoſtolico munimine roborari.

Sanè petitio pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Auguſtini, ac de Monte Carmelo Ordinum Nobis exhibita continebat, quod quidam Philippus Norreys, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinen. Diæceſis, nonnullos Articulos prorſus erroneos, & ſacris Canonibus contrarios, etiam publicè prædicare, & aſtruere non expavit, ac multorum ſimplicium animas inficere, illas à devotione Fratrum hujuſmodi retrahendo. Nos verò attendentes, quod nimis perniciosum eſſet articulos hujuſmodi veluti erroneos, & eiſdem Canonibus contrarios tenere, aſſerere, vel docere, cauſæ hujuſmodi examinationem dilecto filio Noſtro Dominico S. Mariæ in via lata Diacono Cardinali, vivæ vocis oraculo, ut de præmiſſis ſe diligenter informaret, & quicquid in re hac informationis reciperet, Nobis in Conſiſtorio ſecreto referret, commiſimus: ipſeſque Cardinalis ſufficienti per eum informatione præhabitâ, & facta Nobis in Coſiſtorio præfato relatione fideli, de mandato noſtro, juriſque peritorum, necnon plurimorum in Sacra Theologia Magiſtrorum conſilio, & aſſenſu per ſuam definitivam ſententiam pronuntiavit, decrevit, & declaravit, prout in Inſtrumento dictæ Sententiæ deſuper confecto, ejuſdem Cardinalis ſigillo munito, pleniùs continetur. Quare pro parte Fratrum eorumdem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pronuntiationi, decreto, ſententiæ, & declarationi prædictis, & omnibus aliis in dicto Inſtrumento contentis, & inde ſecutis, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur omnium, & ſingulorum præmiſſorum ſtatum habentes pro ſufficienter expreſſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pronuntiationem, decretum, ſententiam, & declarationem prædictam, & omnia alia in præfato Inſtrumento contenta, & inde ſecuta rata habentes & grata, illa, Authoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia tenore præſentium confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, Tertio Nonas Auguſti, Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Arch. Vaticanum Lib. 1. *de Regular. fol.* 144. *Wadding. tom. XI. Annal. fol.* 104. *Bullar. Ord. Præd. tom.* 3. *fol.* 127.

Articulos Philippi prædicti recenſet, & eorum damnationem publicari Eccleſiarum Prælatis committit.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, Dublinenſi & Armachano Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocenſi ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum univerſorum Magiſtrorum, & Miniſtrorum, aliorumque Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Ordinum, petitio continebat, quod licèt olim ipſi Ordines ſanctè, & juſtè adinventi, & in Dei Eccleſia inſtituti, ac à Sede Apoſtolica exſtiterint approbati, necnon ex eis fides Catholica non modicum ſuſceperit incrementum, tamen iniquitatis filius, Philippus Norreys de Hibernia, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinen. Diœceſis, ſuæ ſalutis immemor, non verens linguam ſuam in perverſionem Statûs & Relioſorum Ordinum eorundem, ad iniqua, reprobataque verba protendere, nuper malitioſè, perversè, damnatè, & erroneè in Regno Angliæ, & Terra Hiberniæ in Fidei Catholicæ diminutionem, ſanctæque univerſalis Eccleſiæ, Dei, ac Sanctorum ignominiam & dedecus, necnon in Chriſtifidelium animarum periculum dixerit, & docuerit, quod ſicut Muri Hieruſalem erant deſtructi per quatuor diverſos Principes, ſic Eccleſia Chriſti erit deſtructa per Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item, ſicut Princeps Tributorum miſſus ab Antiocho in Civitatem Jeruſalem, locutus eſt ei verba pacifica in dolo, ſic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium venerunt in Eccleſiam cum dolo, ut deſtruerent eam pro eorum conatu & poſſe. Item, ſicut Princeps Tributorum venit in Civitatem Jeruſalem cum turba multa, & turba dicitur à turbo turbas, ſic Fratres intraverunt Eccleſiam, & ſunt in ea quaſi turba, quia perturbant Eccleſiam. Item, ſicut Gabaonitæ venerunt ad Ducem Ioſue cum mendaciis, ſic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium intraverunt cum mendaciis. Item aſſeruit, quod fuerunt quatuor Concilia generalia celebrata, in quibus diverſi hæretici fuerunt condemnati, & tamen Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores hæreticis, quàm ipſi fuerunt. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Ribaldi peſſimi. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt fures & latrones, qui ſpoliant ſanctam Eccleſiam Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores Juda Traditore. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, ſunt Antichriſti, & directè contra Chriſtum. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt diſcipuli Mahometi. Item quod nullus Parochianorum cujuſcunque Parochiæ poteſt accedere ad aliquem Fratrem admiſſum in forma juris ſecundùm Capitulum *Dudum*, gratia Confeſſionis faciendæ, ſine licentia proprii Sacerdotis, ſive Curati Parochialis. Item, quod confeſſi Fratribus admiſſis ſecundùm formam Capituli *Dudum* tenentur iteratò quolibet Anno omnia peccata ſua, ac eadem peccata in numero confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dixit eſſe Parochialem Curatum. Item dixit firmiter ſe credere, nullum bonum hominem eſſe inter Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item, quod dubitavit, aliquos Fratres quatuor Ordinum Mendicantium eſſe Sacerdotes, aut habere Sacrum Ordinem Presbyteratûs. Item dixit apertè, quod ipſemet noluit ſtare judicio Domini Papæ, ſed judicio Concilii Generalis. Item dixit indifferenter, quod nullus Sacerdos ſive Religioſus, ſive non, deberet quovis modo mendicare, necnon plura alia ſeditioſa, & perverſa, ab eademque fide penitus aliena, coram omni Populo palam prædicare non expavit in Fratrum, & Ordinum prædictorum detrimentum, vilipendium, & contemptum. Noſque hujuſmodi Cauſæ examinationem dilecto Filio Noſtro Dominico Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, vivæ vocis oraculo, ut de præmiſſis ſe diligenter informaret, & quidquid in re hac informationis reciperet, Nobis in Conſiſtorio ſecreto referret, ad dilecti Filii Magiſtri Venturæ de Caſtello noſtri, & Romanæ Curiæ Procuratoris Fiſcalis, cauſæque hujuſmodi Promotoris inſtantiam commiſimus, ipſeque Cardinalis ſufficienter per eum informatione præhabitâ, & facta Nobis deſuper in Conſiſtorio præfato rela-

relatione fideli, de mandanto noſtro, juriſque peritorum, necnon plurimorum in Sacra Theologia Magiſtrorum conſilio, & aſſenſu, per ſuam definitivam ſententiam pronunciavit, decrevit, & declaravit, prout hæc omnia in libello per dictum Venturam Procuratorem in hujuſmodi cauſa exhibito, petita fuerant, nonnullos dictorum Articulorum, quos dictus Philippus protulit, & prædicavit, fuiſſe & eſſe falſos, ſcandaloſos, injurioſos, blaſphemos, ſeditioſos, quoſdam erroneos, quoſdam verò alios damnatos, & reprobatos, illoſque Dei & Eccleſiæ Sanctæ, ac Sanctorum ignominiam, ac dedecus, & manifeſtam hæreſim ſapere, & multarum animarum periculum generare, dictumque Philippum, & ejus ſequaces, errantes, mendaces & in prædictis ſcandaloſos, & à decretis ordinatis per Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ab expreſſa & evidenti veritate devios, & alios aſſertores & Prædicatores nonnullorum ex dictis Articulis, juxta Decreta quorundam Prædeceſſorum noſtrorum tanquam hæreticos eſſe cenſendos, & ut tales reprobandos, & damnandos, & ab omnibus Chriſtifidelibus evitandos fore, ac reprobari, damnari, & evitari debere. Ipſos igitur Philippum, & Sequaces, ſi de cætero contra hujuſmodi ſententiam, & declarationem directè, vel indirectè, publicè, vel occultè, quovis quæſito colore venire præſumpſerit, vel præſumpſerint, ac niſi dictus Philippus præfatos Articulos, ubicunque illos legiſſe, dogmatizâſſe, & prædicâſſe reperiri contigerit, quoties opus fuerit, ad requiſitionem Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum hujuſmodi revocaverit, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, ipſo facto excommunicationis ſententiam, à qua niſi per Romanos Pontifices, vel alios à Nobis poteſtatem habentes, præterquam in mortis articulo, non poſſit abſolvi, ac privationis omnium beneficiorum, & officiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinet, necnon honorum, & dignitatum, ac inhabilitationis etiam ad futura, & alias poenas à dictis Prædeceſſoribus Noſtris, aut aliàs jure circa prædicta contra tales generaliter & ſpecialiter promulgatas, incuriſſe declarandum fore, & declaravit, ad quæ quidem beneficia, officia, honores, & dignitates reſtitui, vel rehabilitari non poſſit, niſi, ut præfertur, per Nos, vel alium ſuper hoc à Nobis poteſtatem habentem, præfatum Philippum in expenſis in hujuſmodi cauſa legitimè factis condemnandum fore, & condemnavit, illarum taxatione ſibi impoſterum reſervata, & ſubſequenter Cardinalis præfatus expenſas ipſas in ducentis, & quinquaginta Florenis auri de Camera boni, & juſti ponderis providâ moderatione taxavit, dilecti Filii Edmondi Suine Ordinum prædictorum quo ad præmiſſa Procuratoris ſuper expenſis eiſdem juramento ſecuto, prout in inſtrumento publico inde confecto, ipſius Cardinalis Sigillo munito, pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicum eadem petitio ſubjungebat, Magiſtri, Miniſtri, & Fratres hujuſmodi dubitant, ne Philippus, & ſequaces prædicti præfatos Articulos, quoties opus ſuerit, revocare, & aliàs Cardinalis ſententiæ hujuſmodi reverenter parere non velint, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper his de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrûm, per Vos, vel alium, ſeu alios præmiſſa executioni debitæ demandantes, dictamque ſententiam, ubi, & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicari faciatis eiſdem Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus, vel dicto eorum Procuratori, de Florenorum ſumma hujuſmodi pro expenſis juxta præſati Inſtrumenti earundem condemnationis, & taxationis tenorem plenam, & debitam ſatisſactionem impendi, & nihilominus legitimis ſuper his per Nos habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare curetis, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c., invocato ad hoc, ſi opus ſuerit, auxilio brachii ſæcularis &c. non obſtante ſi Philippo præfato, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim à dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excomunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Florentiæ Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, nono Kalendas Septembris Pontificatûs noſtri anno decimo.

Arch. Vatic. lib. 128. *fol.* 141. *Bull. Ordinis Præd. tom.* 3. *fol.* 128. *Bullar. Carmelit. in Eugen. IV. Conſtit. XVII. fol.* 198. *Wadding. tom. XI. fol.* 105.

N o-

N O T A

FAmam tum doctrinæ, quâ in Univerſitate Oxfordienſi S. Theologiæ Magiſter fulſit, tum virtutis, qua Eccleſiæ S. Patritii Dublinenſi, Decanus præfuit, turpi maculâ Philippus Norreys Hibernus polluit, dum mutuatis ex Richardi Armacani libris & ſcriptis invidiæ armis contra Mendicantium Ordinum privilegia ſurrexit, veréque inſulſis, ac inſanis propoſitionibus, ac libellis, quos præpoſitæ duæ Conſtitutiones Apoſtolicæ recenſent, eorum privilegia laceſſivit. Reſuſcitata ſcabies ne bonam inficeret maſſam, longiuſque in Regularium præjudicium ſerperet, causâ ad Apoſtolicum Forum delata, & à Dominico, S. Mariæ in Via lata Diacono Cardinali in ſtatera appenſa, tum ab hoc eodem primò, & poſtmodum ab ipſo Summo Pontifice, Apoſtolico anathemate ſecta & exſciſſa, Philippo cum pedariis ſuis nota hæreſeos fuit inuſta, & à Nicolao V. per Conſtitutionem inferiùs dandam eum in pertinacia ſua ſordeſcentem hæreticum publicè nuntiandi facultas & commiſſio data. Semen tamen nequitiæ penitus non fuit ſublatum, cum libri ab eo impreſſi, videlicet *Declamationes*; *Lib. lecturæ Scripturarum*; *contra Mendicum validum &c.* illud ſparſum teneant. Agunt de eo Balæus *cent.* 14. Jacob. Wartæus, *de clar. l.* 1. *Script. Hiberniæ*, Wadding. *tom. XI. novæ edit. fol. mihi* 104 *n. XV.* & ex eo Bremond *in Bull. Ord. Præd. t.* 3. *fol. mihi* 129

Redivivos Joannis à Poliaco contra FF. Minores de confeſſionibus excipiendis errores noviter damnat, & Eccleſiæ Prælatis contra pertinaces ceſuris procedere mandat.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis Filiis Electis, & Abbatibus, ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

GRegis Nobis crediti curam gerentes pervigilem, ſtudiis efficere conamur aſſiduis, ut, pro quorum ſalute languores humanos Altiſſimi Filius perpeti voluit, Fideles, execrandis non involvantur erroribus, ſed noſtri directione miniſterii, prout ſuperna gratis contulerit, à noxiis, ac diſpendiis jugiter præſerventur, & ut etiam Vos in partem ſollicitudinis vocati pro dictis extirpandis erroribus opem, & operam ferventiùs impendatis, Vos pro injuncto Nobis officio excitamus. Dudum ſiquidem fel. rec. Bonifacius Papa VIII. Prædeceſſor noſter, in ſua, quæ incipit: *Super Cathedram*: Conſtitutione, ſive Decretali, quam poſtea piæ mem. Clemens Papa V., etiam Prædeceſſor noſter in Viennen. Concilio innovavit, & & quæ ſubſequenter ad Eremitarum S. Auguſtini, & B. Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres, per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cætera ſtatuit, & ordinavit, quòd in ſingulis Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent, ac in locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non haberentur, Magiſtri, & Priores Provinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarii, & Generales, ac Provinciales Miniſtri, nec non Cuſtodes Minorum, Ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum ibidem ſe conferrent per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad hoc electi forent in eorum Civitatibus, & Diœceſibus Confeſſiones ſuorum ſubditorum confiteri ſibi volentium audire liberè valerent, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundùm Deum expedire cognoſcerent, pœnitentias imponere ſalutares, ac beneficium abſolutionis impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorundem: Præfatique Magiſtri, Priores, ac Miniſtri ſtuderent eligere perſonas idoneas, ſufficientes, vitæ probatæ, diſcretas, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum, quas ſic electas Prælatis ipſis præſentarent, vel facerent præſentari, ut de illorum licentia, gratia, & beneplacito in Civitatibus, & Diœceſibus eorundem perſonæ ſic electæ hujuſmodi confeſſiones ſibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent, prout in ipſa Conſtitutione, ſive Decretali pleniùs continetur.

Et licèt poſtmodum ad piæ rec. Joannis Papæ XXII., etiam Prædeceſſoris noſtri, notitiam deducto, quod quondam Joannis de Poliaco Magiſter in Theologia ſequentes articulos tenuerat, publicèque docuerat, videlicet, quod confeſſi Fratribus, licen-

centiam generalem confeſſiones audiendi habentibus, eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum proprio Sacerdoti confiteri tenerentur, ac ſtante ſtatuto: *Omnis utriuſque ſexûs*: in Concilio Generali, nec Deus, nec Romanus Pontifex facere poſſet, quòd Parochiani non tenerentur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti Parochiali Curato confiteri. Quodque non poſſet Papa generalem dare poteſtatem audiendi confeſſiones, imò nec Deus, quin confeſſus generalem habenti licentiam, teneretur eadem iterum ſuo proprio Sacerdoti, velut Parochiali Curato confiteri, dictus Joannes Prædeceſſor à verbis, quæ *Vas electionis* protulit, exordium ſumens, habitâ inde per plures Sacræ paginæ profeſſores examinatione diligenti, nec non de Venerabilium Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu præfatos articulos tanquam falſos, & erroneos, & à ſana doctrina devios auctoritate Apoſtolica damnaverit, & reprobaverit, ipſeque Joannes de Poliaco veris rationibus opinioni, quam dudum habuerat, contrariis, & quibus reſpondere non poterat, demonſtratis, eoſdem articulos non eſſe veros affirmans, illos in Conſiſtorio publico, nec non ipſorum Joannis Papæ, & Cardinalium præſentia revocaverit; tamen, ſicuti nuper Fratrum Ordinum eorundem lamentabilis quærela ad noſtrum, non ſine diſplicentia gravi, pervenit auditum, plures Eccleſiaſticæ, necnon aliæ utriuſque ſexûs perſonæ, reprobos, ſuperſtitioſoſque hujuſmodi articulos complexantes, fidelium que animos inficere, ac eos, ut Fratribus Ordinum hujuſmodi non confiteantur, & ab illorum devotione retrahere molientes, nedum prædictos, ſed & alios etiam Sacris Canonibus omnino contrarios articulos aſtruere publicè non verentur, videlicet, quod confeſſio Fratribus ſic electis, & admiſſis facta dubitabilis, & incerta ſit, unde tenentur omnes incertum dimittere, & ſic ſolum confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus ſub poena peccati. Et quamvis ipſi Fratres admiſſi auctoritatem habeant confeſſiones audiendi, & abſolvendi, tamen ad eos accedendi populus ſubjectus ſine licentia proprii Sacerdotis non habet poteſtatem, Fratres quoque privilegia pro confeſſionibus audiendis, & ſepulturis habendis petentes, in peccato mortali, & Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, ſive confirmantes etiam in ſimili peccato, & excommunicati ſunt, ac dicti Fratres Mendicantes non paſtores, ſed fures, latrones, & lupi cenſentur, Sacerdos autem Curatus Mendicantibus confeſſiones audiendi licentiam dans magis ſuper ipſo Statuto: *Omnis utriuſque ſexûs*: diſpenſat, quàm Papa Fratribus licentiam tribuens, juxta formam Decretalis antedictæ.

Nos igitur animarum, & alia, quæ præmiſſorum Articulorum occaſione, niſi prodeuntes inde confutarentur, errores ſuccedere poſſent, pericula trepidantes, ac illis, quantùm in Nobis fuerit, obviare cupientes, omnes articulos prædictos, unà cum Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus maturè inſpeximus, & per diverſos in jure Canonico Doctores, & Sacræ paginæ Profeſſores diligenter examinari fecimus, & quia protinus illos falſos, erroneos, ac eiſdem Canonibus adverſos fore reperimus, illos, de dictorum Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica pro falſis, erroneis, & adverſantibus Sacris Canonibus damnatos, reprobatoſque declaramus, atque decernimus.

Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrûm, quando ſuper à quoquam prædictorum Ordinum Prædicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium, ſuper præmiſſis privilegiatorum, Magiſtro Generali, ac Provinciali Miniſtro, Vicario, & aliud gerente officium, fueritis requiſiti, ad confutandos, & reprimendos, ac penitus tollendos hujuſmodi errores, prout in præfatis Decretali, ſive Conſtitutione = *Super Cathedram* = ac Extravagante = *Vas electionis* = continetur, diligenti ſtudio, atque cura provideatis, ac intendatis, præfataſque Conſtitutiones integrè ſervantes, faciatis ab omnibus inviolabiliter obſervari. Et ſi quos forſan hujuſmodi damnatos, ut præfertur, articulos, aut aliquem, ſeu aliquos eorum pertinaciter aſſerere, vel tenere, ſeu prædicare invenietis, contra illos communiter, vel diviſim, tanquam contra hæreticos, & de Catholica Fide ſuſpectos, procedere, nec non ipſos, & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſorum qualitatem, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, auctoritate prædicta, compeſcere ſtudeatis. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, decimoſeptimo Kalendas Februarii, Pontificatûs noſtri Anno Decimoſexto.

Bullar. Carmelit. in Eugen. IV. Conſtitut. 24. fol. 120. Bullar. Prædicator. tom. 3. fol. 206.

NICO.

NICOLAUS V.

Natione Genuenſis, patriâ Sarzanenſis, antea Thomas, S. R. E. tit. Sanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Bononienſis 5. Martii 1447. Summi Apoſtolatûs faſtigium attigit. Illum cum Felix V. Pſeudo-Papa, ceu verum Pontificem ſpontè agnoviſſet, pax Eccleſiæ Dei fuit reſtituta: Hanc Nicolaus glorioſâ factorum ſerie uſque ad 24. Martii 1455. quo diem ultimum clauſit, gubernavit, in Baſilica S. Petri locum quietis adeptus.

Philippum de Norreys, Apoſtolica mandata ſpernentem, & à Summi Pontificis ſententia ad Sedem Apoſtolicam appellantem, intra Miſſarum ſolemnia hæreticum, & excommunicatum nuntiari jubet.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus, Cantuarien. & Dublinen. Archiepiſcopis, & Epiſcopo Londinien., ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum fel. rec. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri emanârunt litteræ tenoris ſubſequentis: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Dublinen. & Armachano Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocen. ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita Nobis pro parte dilectorum Filiorum. Reſiduum vide ſupra fol.* 140.

Et deinde Nobis, qui dicto Prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, fuimus, Divina favente clementiâ &c. aſſumpti, pro parte Magiſtrorum, Mioiſtrorum & Fratrum prædictorum expoſito, quod dictus Philippus ſententiæ hujuſmodi, & habitis ſuper ea proceſſibus contumaciter parere non curârat, loco, & tempore congruis deſuper requiſitus, ſed congregatis in Baſilea, etiam poſt translationem olim Concilii Baſileenſis, de Bſilea ad Civitatem noſtram Ferrarienſem per eumdem Prædeceſſorem factam, adhæſerat, & in ſententiis, cenſuris, & pœnis in proceſſibus prædictis contentis, quas occaſione non paritionis hujuſmodi incurrerat, per duos annos inſorduerat, & à litteris, proceſſibus, ac requiſitione prædictis, ad Sedem Apoſtolicam, ut dicebat, appellârat: Nos dicto Dominico, tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbytero tunc, ut præfertur, Sanctæ Mariæ in Via Lata Diacono Cardinali, commiſimus, ut ad dilecti Filii Procuratoris Fiſcalis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ inſtantiam, contra prædictum Philippum &c. aggravatorias, brachium ſæculare implorando, litteras daret; ac prout ſibi videretur, omnibus, & ſingulis Prælatis, ac Principibus ſæcularibus, Communitatibus, & aliis Officialibus locorum, ad quæ dictus Philippus declinaret, ſub pœnis, & cenſuris mandaret, ut ipſum Philippum caperent, & in firma cuſtodia detinerent, quouſque dictas damnatas concluſiones revocaret, ac dictis Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus de expenſis hujuſmodi, in quibus condemnatus erat, ſatisfaceret, & quid de ipſo agi deberet, exiſteret ordinatum: ipſeque Cardinalis Philippum prædictum tanquam rebellem, & inobedientem mandatis Sedis Apoſtolicæ, & propter præmiſſa hæreticum, in ſententiis, cenſuris, & pœnis prædictis per ſuas litteras aggravavit, cum auxilii brachii ſæcularis invocatione, ac litteras aggravatorias, & reaggravatorias, cum invocatione auxilii hujuſmodi, extra Romanam Curiam decrevit, & conceſſit, prout &c. contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat Magiſtri, Mioiſtri, & Fratres prædicti dubitent, quod dictus Philippus litteris Cardinalis hujuſmodi, & præſentium vigore habendis proceſſibus reverenter parere non velit, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his &c. dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati &c. mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrûm alias litteras Cardinalis, ubi & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, necnon ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi aggravatorias fore nunciantes, dictum Philippum, quoties ſuper hoc pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prædictorum fueritis requiſiti, in Eccleſiis, aliiſque locis, infra Miſſarum ſolemnia, dum

major

major inibi populus ad Divina convenerit, Dominicis, feſtiviſque diebus, hæreticum & excommunicatum, campanis pulſatis, candelis accenſis pariter & extinctis, & in terram projectis, publicè nuntietis, & ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctiùs evitari, necnon capi, & ſub dicta cuſtodia detineri faciatis, donec & quouſque prædictas concluſiones revocaverit, & de expenſis, ipſis Magiſtris, Miniſtris & Fratribus prædictis ſatisfecerit. Et inſuper legitimis &c. proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare curetis, contradictores &c. invocato &c. ſæcularis. Non obſtante, ſi dicto Philippo, vel quibuſvis aliis &c. mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno MCCCCLVIII. XV. Kal. Auguſti, Anno II.

Arch. Vaticanum lib. 1. de Regul. fol. 16.
Waddingus tom. 12. Annal. fol. 8.

Fratres Minores inquietare, detinere &c. Eccleſiæ Prælatis inhibet, & Miniſtro Generali illos, ut ut privilegiatos, corrigendi facultatem largitur.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei Memoriam.

ETſi cunctorum fidelium, quorum, licèt immeriti, in ſupremi Pontificatùs officio curam gerimus, ſtatui ſalubriter dirigendo noſtræ ſollicitudinis partes libenter adhibeamus, ad Ordinem tamen Fratrum Minorum eò ſpecialiùs noſtræ mentis oculos flectimus, quò ex illo fructus uberes in agro Dominico continuò provenire conſpicimus: &, ut omnium adverſantium ab eis ademptis anfractibus cùm pacis dulcedine, & quietis amœnitate ſub regulari Habitu in mandatis Domini valeant libentiùs gloriari.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli de Peruſio Miniſtri Generalis, & Fratrum dicti Ordinis petitio continebat, quod, licèt ipſi Fratres, illorumque domus; & loca, per ſpeciale Sedis Apoſtolicæ privilegium ab omni Juriſdictione; & ſuperioritate quorumcunque Ordinariorum ſint exempti, pariter & immunes, & dumtaxat Romano Pontifici, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti exiſtant, nihilominus nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi eorumque Vicarii, ſive alii locorum Ordinarii in diverſis mundi partibus, & præſertim in Hiſpaniæ, & Legionis regnis conſiſtentes, eoſdem Fratres moleſtare, perturbare, & inquietare, capere, carcerare, ac de eorum domibus expellere, ac eos invitos detinere præſumũt, in grave ipſorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Ordinariorum hujuſmodi animarum periculum, dictæ Sedis contemptum, ac Fratrum, & Ordinis prædictorum damnum, & præjudicium, & ſcandalum plurimorum.

Quare pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eis providere de opportuno remedio dignaremur.

Nos igitur volentes, eiſdem Miniſtro & Fratribus præſidio ſubvenire, quod hujuſmodi perſonarum præſumptio retundatur, & eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, Officialibus, & aliis Ordinariis quibuſcunque præcludatur aditus ſimilia committendi, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolicâ præſenti irrefragabili Conſtitutione ſtatuimus, & mandamus, quod nulla perſona cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradùs, ſeu conditionis exiſtat, de cœtero eoſdem Fratres moleſtare, perturbare, capere, opprimere, aut quoquomodo offendere, vel contra voluntatem retinere, ſeu de domibus, in quibus habitant, expellere præſumat: quod ſi forſan quiſpiam temerè contra præſentem hanc noſtram Conſtitutionem venire præſumpſerit, & ab ipſis Fratribus monitus, à præmiſſis reſipiſcere quoquomodo contempſerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat. Et nihilominus, ne eiſdem Fratribus delinquendi tacitè concedi videatur impunitas, aut occaſio malignandi, Miniſtro Generali dicti Ordinis pro tempore exiſtenti concedimus, quòd omnes & ſingulos Fratres, ſive in Monaſteriis Monialium, ſive in aliis domibus, Conventibus, Eremitoriis, & locis dicti Ordinis commorantes etiam ab obedientiâ, viſitatione, & correctione dicti Miniſtri per ſpecialia Sedis Apoſtolicæ indulta ſe exemptos eſſe, præter Regulæ & ſtatutorum dicti Ordinis formam, prætendentes, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, exemptionibus, indultis & Litteris Apoſtolicis prædictis, & Eremitoriis, eis, eorumque Monaſteriis, ſive Domibus, Conventibus, locis prædictis, & Eremitoriis per Nos vel Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſis, de quibus in noſtris litteris habenda eſſet mentio ſpecialis, juxta Conſtitu-

ſtitutiones, & regularia inſtituta antiqua dicti Ordinis corrigere, viſitare, punire, & emendare, ac in gravioribus criminibus, ſi res ipſa exegerit, cum moderamine tamen torturæ ſubjicere poſſit & valeat, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium literarum licentiam concedimus, ac pariter facultatem, Conſtitutionibus Apoſtolicis dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quacunque firmitate alia roboratis, conventionibus vel ſtatutis, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergò omnino hominũ &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, decimo ſeptimo Kalend. Februarii Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Archiv. Vatic. lib. 29. *Bull. fol.* 229. *Monumenta Ordinis fol.*46. *à tergo. Wadding. tom. XII. Annal. fol.* 538. *cit. & noſter à Sorbo verb.* correctio Fratrum *fol.* 241.

B. Bernardinum Senenſem Ordinis Minorum Profeſſorem Anno Jubilæo Sanctorum Albo inſcribit.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Miſericordias Domini in æternum Nos cantare debere Propheta admonet dicens: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*. Magna & inenarrabilia ſunt profectò opera miſericordiæ Dei, quibus jugiter in ſalutem humani generis, ſe ejuſdem miſerationis ſinus effundit: quæ ſi quis ab initio creati hominis recenſere voluerit, non tantùm hominum linguæ, ſed, ſi quæ illis ſunt, non ſufficerent Angelorum. Quàm inenarrabile eſt, quod, cum hominẽ *creâſſet ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, quodque particeps eſſe poſſet felicitatis æternæ, in unam cœleſtem Civitatem adſcribendus conſortiis Angelorum, ſi datæ ſibi divinitus legis non contempſiſſet imperium! Non paſſa eſt divina clementia ipſum penitus interire, ſed pro temporum diverſitate non deſtitit congruentes exhibere medicinas, quibus â lege Domini aberrans in ſalutis ſemitam traheretur; nunc Angelos deſtinando, qui divinam pateſacerent voluntatem, ſuaderent, quæ juſta ſunt, quæ ſancta ſunt, & ad implendum divinum beneplacitum adjuvarent; nunc mittendo Patriarchas, gratiæ ſuæ ſpiritu repletos, qui exemplo ſuo cæteros inſtruerent ad ſalutem; nunc divinos Prophetas, qui Spiritu ſuo ſancto illuminati, non tantum ejus temporis divina beneſia humano generi commemorarent, ſed etiam ſutura prædicerent: & illud maximè, quo nihil poteſt inter opera divinæ miſerationis ſublimiùs excogitari, quod Dei Filius in ſua perſona naturam noſtræ mortalitatis aſſumeret, & adimpleret ea per myſterium paſſionis & mortis ſuæ, quibus â Diaboli poteſtate, & peccatorum vinculis ſolveremur. Hæc facta ſunt per illam immenſiſſimam profunditatem, & abyſſum impenetrabilem miſericordiæ Dei. Quæ nos, qui Chriſtum induimus, & ipſius ſumus Baptiſmate conſecrati, per ſingulos dies commemorantes, conamur cum corde noſtro, ſpe, fide & charitate viventes, ſacrificium immolare, cum per miniſterium Sacerdotum illius ſalutaris hoſtiæ, qua peccatum mundi hujus abluitur, ſacrificium indeſinenter offertur. Hæc inenarrabilia ſunt, & vix poſſunt, niſi exigua quadam & tenuiſſima ex parte cogitari. Verùm ſi quis cogitationem extenderit in divina beneficia, quæ, poſt Domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem ad Cœlos, humano generi exhibita ſunt, quis illa non dicam dinumerare, ſed, quamvis potens eloquio, minima ex parte enarrare ſufficiat? Quis non ſtupeat tantam vocationem humani generis per Apoſtolicam tubam pauciſſimorum hominum, â Dei Filio Jeſu Chriſto Domino noſtro in univerſum orbem terrarum deſtinatorum, Evangelicam veritatem humanis auribus intonantium? quorum prædicatione factum eſt, ut nihil terrenum, nihil igneum, nihilque corporeum, nihil denique, quod corporis ſenſus attingit, pro Deo colendum eſſe homines putent? quodque â vetere, ſeu carnali vita tam inæſtimabilis multitudo in novam & ſpiritualem vitam tranſlata eſt, ut perſuaſa ſit humano generi, in ipſis, qui Evangelio crediderunt, continentia uſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ; & quod majus eſt, non ſolum quotidiana, ſed per continuos plures dies perpetuata jejunia; quod caſtitas uſque ad conjugii proliſque contemptum; quod patientia uſque ad cruces flammaſque neglectas; quod liberalitas uſque ad patrimonia diſtributa pauperibus; quod denique totius hujus mundi aſpernatio uſque ad deſiderium mortis intenditur. Hæc in plurimis, qui Chriſti Evangelio credidêre, impleta ſunt, & quotidie videmus impleri,

cum

Digitized by Google

cum terrarum ubique videamus, ubi floret Chriſti religio, ſacra Cœnobia Viris, Mulieribuſque referta, qui ſeipſos Omnipotenti Deo ſacras victimas immolârunt; cum videamus innumerabiles fere ſanctiſſimos & devotiſſimos ſacerdotes fungentes ſuo miniſterio id implere conari, ut ab hac carnali vita in ſpiritualem tranſeant, & â ſæculi hujus concupiſcentiis immaculati illæſique permaneant, cum ex innumerabili multitudine populi, pars non exigua per Evangelii ſemitam tranſire conatur, implendo mandata cœleſtia, quantùm ſinit mortalis infirmitas. Hæc facta ſunt divinâ providentiâ per humanitatem doctrinamque Chriſti, per ipſius paſſionem & mortem; per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortem; per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his univerſis, digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum oportunitate miracula. Quanta verò eſt illa divina miſeratio, quod decurſu temporum, multorum frigeſcente charitate, illam penitus non ſinit extingui, ſed continuò Eccleſiam ſuam per miniſterium electorum ſuorum renovare, & multiplicare non ceſſat, unicuique tempori electos quoſdam quaſi primos magni gregis arietes, & quaſi alteros Apoſtolos deſtinando, qui Evangelii ſemitam fere oblitteratam, & pene corruentem, & vitæ exemplo, & doctrinæ verbit innovarent, tantæ perfectionis in ſe exemplaria jacientes, quæ poſtea innumerabiles fere, divino Spiritu illorum corda tangente, faciliſſimè ſequerentur? Hoc factum eſt per miſericordiam Dei ſuperioribus temporibus, & fere ubique terrarum; ſed noviſſimis diebus divina ſe miſeratio exuberanter effudit, cum in multorum cordibus frigeſcente charitate, ſacram Religionem, quæ ab Evangelicæ perfectionis ſemita aberrare videbatur, divino dignata eſt igne ſuccendere, ut videamus pleraſque ſacras Religiones ita renovatas, & ita divino igne ſuccenſas, ut, niſi ingrati eſſe velimus, divinæ beneficentiæ immenſas gratias referamus, quod ad excolendam vineam ſuam, etiam hac noviſſima hora, operarios deſtinare non ceſſat. Quamplures videmus in hoc miniſterium deſtinatos; ſed temporum noſtrorum præcipuus, & magnus inter electos fuit Vir iſte ſanctiſſimus, propter quem celeberrimus iſte Conventus agitur, Sanctus Bernardinus, Vir ab ipſis cunabulis perfectioni Evangelicæ conſecratus: qui in vineam Domini cultor & operarius deſignatus, injunctum ſibi opus indeſinenter exercuit; qui ſe incontaminatum ab hujus ſæculi contaminatione cuſtodiens, primum in ſe ipſo jugum Chriſti ſuave complexus eſt, & adeo vitæ exemplo & ſacra prædicatione profecit, ut fere per omnem Italiam renovaverit Evangelium Chriſti, ubique ſine offendiculo ſcandaloque pertranſiens, & quantùm fieri potuit, ſemper Deo & hominibus placens. Non eſt hujus loci, propter anguſtiam temporis, ſingulas ſuas divinas, & fere innumerabiles recenſere virtutes: nam tanta Omnipotentis Dei atteſtatione munitur, ut humanâ laude non egeat. Tanta etenim in ſanctitatis ſuæ teſtimonium coruſcavêre miracula, ut etiam, ſi qui ſint miniſtri Satanæ, qui ejus cuperent detrahere ſanctitati, tantis viſis ſignis atque portentis, penitus obmuteſcant: & qui beneficia Dei, tempori noſtro exhibita recognoſcunt, agant uberes gratias tantæ ſanctitatis Auctori, videntes in hoc glorioſiſſimo Viro renovari, quod de unigenito Dei Filio dictum eſt: *Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*. Tanta enim tempore ſanctæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Eugenii Papæ IV. increbuêre miracula, ut ſæpe per plurimos timoratos & religioſos Viros, necnon litteris multorum Principum, & præcipuè chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Alphonſi Aragonum Regis illuſtris, & Senenſium & Aquilanorum populorum precibus, litteris & Nuntiis pulſatus ſit, ut tanta & tam divina miracula quotidie coruſcantia diligenter mandaret inquiri, ut, veritate compertâ, tanto Viro gloriam, quam jam divina teſtificatione in triumphante Eccleſia obtinebat in cœlis, in militante non negaret in terris. Fecit quod rei gravitas & magnitudo poſcebat, & quod aliàs Sedes Apoſtolica obſervare conſuevit; commiſit tribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui duos venerabiles Epiſcopos delegantes, veritatem tantæ rei inquiri cum omni gravitate mandarent: qui exactis aliquot menſibus, ad Sedem Apoſtolicam revertentes, quæ invenerunt, fideliſſimè retulerunt. Cum autem idem Prædeceſſor noſter, rerum veritate perſpectâ, pulſantium precibus ſatisfacere cogitaret, vocante Deo, de hac miſeriarum valle ſubtractus eſt. Nos, qui non meritis noſtris, ſed divina dignatione, illi in onere & honore ſucceſſimus, fuimus per eoſdem, quos ſupra retulimus, ſæpiſſime requiſiti, ut, quod Prædeceſſor noſter, impediente morte, non fecerat, impleremus. Nos rei gravitatem & magnitudinem attendentes, deliberavimus maturè & graviſſimè procedendum. Propterea tribus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus commiſimus, ut duos Venerabiles Epiſcopos eligerent, quos denuo pro inquirenda veritate delegarent, ut duplici inquiſitione informati, rem audaciùs age-

remus. Miſerunt, ſicut injunxeramus, duos Venerabiles Epiſcopos, qui eorum quæ invenerant, in ſcriptis notitiam reportantes, fideliſſimè ſingula retulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore Prædeceſſoris noſtri fuerant deſtinati; ſed multa plura clariſſima miracula reportârunt, quæ poſt priorum regreſſum fuerant perpetrata. Nos non eâ inquiſitione contenti, etiam tertiò deſtinare decrevimus: propterea duos alios Venerabiles Epiſcopos juſſimus proficiſci; qui profecti, poſt menſes aliquos rediêre, uberrima & fideliſſima atteſtatione reſerentes, tanta dietim innovari & coruſcare miracula, quod ſi ſingula recenſenda eſſent, vix poſſent magnis libris includi, & ex omnibus quædam majora, & inſigniora retulerunt. Nos poſtea etiam Senas mittendum eſſe cenſuimus; miſimuſque Venerabilem Fratrem noſtrum Angelum Epiſcopum Eſculanum, qui poſt aliquot menſes reverſus, coruſcantem divinam gratiam in miraculorum perpetratione, ſub veriſſima & fideliſſima atteſtatione recenſuit: quem etiam voluimus Aquilam proficiſci, ut etiam reportaret, ſi in tanti Viri ſanctitatis atteſtationem perſeveranter divina miracula coruſcarent. Qui reverſus, prioribus à Nobis deſtinatis conformia reportavit; & inſuper magna & ſtupenda, quæ poſtmodum contigerant, retulit, quæ non in angulis, ſed publicè, & in conſpectu multitudinis fuerant perpetrata. Nos bis compertis, ne Spiritui Sancto reſiſtere videremur, qui per os Propheticum *laudari Deum in Sanctis ſuis* jubet, piis & devotis poſtulantium precibus condeſcendere cogitavimus, fecimuſque per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales per Nos deputatos, omnia per Nuntios reportata, in ſecreto Conſiſtorio noſtro diligenter particulariterque referri, quæ per Conſiſtorium examinata ſunt: ſed propter gravitatem rei viſum eſt in aliud Conſiſtorium differri, ut tempore medio quilibet Cardinalis in domo ſua poſſet illa diligentiùs intueri; & in ſecundo Conſiſtorio, ſcrutatis omnium votis, in eamdem ſententiam convenerunt, tantam eſſe evidentiam & numerum miraculorum, necnon de vitæ ipſius ſanctimonia, ac fidei integritate tam clarum tamque evidens teſtimonium, ut in tanti Viri canonizationem, animi concorditer ſua vota depromerent, quorum ſecuti judicium, tunc canonizandum eſſe decrevimus. Verùm, ut res cum majori gravitate procederet, juſſimus in Capella majori Palatii noſtri Apoſtolici apud Sanctum Petrum, Prælatorum omnium, qui in Curia eſſent, fieri congregationem; ipſiſque ibidem poſitis, unà cum Venerabilibus Fratribus noſtris propoſuimus rem hanc, omnia recenſentes, quæ uſque in horam illam in hujuſmodi materia fuiſſent actitata, & ſingulorum vota ſcrutata ſunt: qui in eamdem ſententiam devenerunt, in quam Venerabiles Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Conſiſtorio ſecreto convenerant. Poſtea in Conſiſtorio Generali re propoſitâ, quod in Conſiſtorio ſecreto per Nos decretum fuerat, publicè decrevimus faciendum, hoc eſt, tanti Viri canonizationem in Eccleſia Principis Apoſtolorum, hac die Pentecoſtes per Nos celebrari debere. Nos igitur, qui huc hodie convenimus, ut in conſpectu tantæ multitudinis, ſanctitati tanti Viri teſtimonium perhibeamus, aſſumimus illud Dominicum verbum, quod ſuis imitatoribus dixit. *Ubi ego ſum, illic & Miniſter meus erit*. Miniſtravit Vir iſte ſanctiſſimus Chriſto, & ſecutus eſt Chriſtum: miniſtravit Chriſto, cum ſe laqueis ſæculi exueus, *& deponens veterem hominem cum actibus ſuis, & induens novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis*, jugum leve ſanctæ Religionis amplexus eſt. Miniſtravit Chriſto, cum in ſancta Religione proficiens, dietim majora virtutum divinarum augmenta capiebat, præcipuè humilitatis Chriſti imitator effectus, pauper ſpiritu, & dives gratia. Miniſtravit Chriſto, cum multis exemplo vitæ ad ſalutem profecit æternam. Miniſtravit Chriſto, cum membris Chriſti, hoc eſt fidelibus Chriſti, pabulum doctrinæ cœleſtis deſinenter exhibuit, plurimas Deo lucriſaciens animas, quas à Diaboli & ſæculi laqueis exuebat. Miniſtravit Chriſto, cum per Civitates, Provinciaſque ſeminans verbum Dei, populorum catervas, antiquis odiis diſſidentes, omni cordium rancore depoſito, in charitatem mutuam revocabat. Miniſtravit Chriſto, cum in pluribus locis mores in laſciviam vergentes, & diutiùs antiquatos, verbi Divini prædicatione dimovit, exhortans tam viros, quàm mulieres ſervare pudicitiam, reliquoſque laudabiles mores, ſine quibus nemo verè poteſt eſſe Chriſtianus. Miniſtravit Chriſto, cum nominis ſui per omnem Italiam celebritate vigente, in eadem, quam primò aſſumpſerat, humilitate permanſit. Miniſtravit Chriſto, cum verbum Dei indefeſsè prædicare non deſtitit. Miniſtravit Chriſto, cum ſe vocante ad æternam requiem, nec mori timuit, nec vivere recuſavit. Ergo quia non poteſt veritas ipſa mentiri, quæ eſt Unigenitus Dei Filius, qui per os carnis aſſumptæ locutus eſt, dicens: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*,

Digitized by Google

erit, cum ſciamus hunc Sanctum Virum miniſtraſſe Chriſto, & ipſum fuiſſe ſecutum uſque ad conſumationem vitæ, minimè dubitare permittimur, quin potiùs certiſſimum tenere debemus, quod ubi eſt Chriſtus Dei Filius, ſit etiam miniſter ſuus Sanctus Bernardinus. Ergo quia cum Chriſto ſunt omnes Sancti ejus, de Omnipotentis Dei miſericordia, qui non deſerit Eccleſiam ſuam, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ac Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad id accedente conſenſu, decernimus, declaramus, & ordinamus, Sanctum Bernardinum inter Sanctos Dei, ab univerſa Eccleſia debere deputari, & Sanctum haberi, & tanquam Sanctum honorari, & coli, ipſumque canonizamus, & pro canonizato haberi volumus: mandantes, feſtum ipſius in numero Sanctorum Confeſſorum non Pontificum debere collocari, & ei officium Confeſſorum non Pontificum decantari. Inſuper omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in die Feſti ſui, Eccleſiam, in qua ſanctum Corpus ſuum requieſcit, devotè viſitaverint, & ad ornatum ſive fabricam dictæ Eccleſiæ manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuis temporibus duraturis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, declarationis, ordinationis, voluntatis, mandati, canonizationis, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, nono Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Bullar. Roman. tom. 3. part. 3. fol. 64. Waddingus tom. 12. fol. 51. agit & de hac Decret. Card. Petra tom. 5. Coment. fol. mihi 31.

CALISTUS III.

Natione Hiſpanus, Patriâ Valentinus, antea Alphonſus Borgia, S. R. E. Tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis die 8. Aprilis 1455. Chriſti in Terris Vicariatu jam decrepitus eſt potitus; illum & exercuit uſque ad 6. Auguſti 1458. quo ad Manes Baſilicæ S. Petri conceſſit.

PIUS II.

Hetruſcus, Patriâ Senenſis, priùs Æneas ex Gente Piccolominea, S. R. E. Tit. Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Patriæ Epiſcopus 19. Auguſti 1458. viduam Divi Petri Sedem occupavit, Seſſionemque glorioſis geſtis continuavit uſque ad 14. Auguſti 1464. quo Ancone, ubi ob bellum Turcis indictum morabatur, illam cum vita deſeruit. Corpus ejus Romam translatum priùs ad Altare S. Andreæ Apoſtoli, cujus Sacrum Caput ipſe è Peloponeſo advexerat, in Baſilica Vaticana fuit inhumatum, & poſtmodum ad Templum S. Andreæ de Valle translatum.

Fratri-

Fratribus Minoribus Ultramontanis Indulgentias Stationum Almæ Urbis concedit, ita tamen, ut qualibet vice Septem Pſalmos cum aliis orationibus dicere teneantur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio, Joanni Mongini, Vicario Generali Ultramontano Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia &c. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIgna exauditione vota perſonarum humilium maximè Divinis laudibus, ſacræque Religionis Obſervantiæ deditarum, Apoſtolico Nos convenit favore proſequi, ipſarum preces, præſertim ex quibus ſine cujuſque præjudicio honor Dei, & Animarum ſalus provenire valeat, favorabiliter exaudire. Cum itaque nuper ex parte dilecti Filii Zegerii Guardiani de Dixmuda Ordinis veſtri Minorum pro tua ſamilia in noſtra Romana Curia tui Commiſſarii expoſitum fuerit, dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari, continuè in Ultramontanis partibus degentes, ad quam ſinceram gerimus devotionem, gratias, & indulgentias ad ſuarum animarum ſalutem, & ſpiritualem conſolationem à Nobis in humilitate frequenter & ſæpiſſime deſiderare, ut in dulcedine Divini amoris per Nos conſolati, ſemper, & eò frequentiùs ad Apoſtolicam noſtram Sedem, cui ſecundùm Regulæ ſuæ inſtituta ſpecialiter ſunt ſubjecti, in dies majorem devotionem acquirant, quantò ſe ſenſerint in Divina pietate benigniùs de Indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus conſolatos. Unde ſæpe contingere poteſt aliquos ex ſupradictis Fratribus, quodam ſervore ad acquirendas Indulgentias in Alma Urbe, in locis ſanctis, in diebus Stationum, viſitantibus hujuſmodi loca, & Stationes conceſſas accendi: ex quo tibi Vicario Generali, & aliis ſuis Prælatis tibi ſubjectis, ad obtinendam licentiam viſitandi Almam Urbem inſeſti ſunt & moleſti: unde etiam per diverſos diſcurſus Religioſis omnibus inutiles & nocivos, diverſa ſcandala oriuntur, ita, ut id, quod ipſis aliquo modo videtur in devotionem, potiùs tamen propter ſupraſcripta, atque etiam propter diſtantiam locorum, & itineris perplexitatem, in ſuarum poſſit cedere periculum animarum, & detrimentum. Quare pro parte ipſius tui Commiſſarii prædicti humiliter petitio Nobis oblata continebat, quatenus ipſos Fratres, paterno affectu miſericorditer reſpicere, ipſiſque Fratribus tuæ Ultramontanæ ſamiliæ in augmentum devotionis, & ſpiritualis exercitii, de hujuſmodi Indulgentiis in Alma Urbe, in locis ſacris, & diebus Stationum per Romanum Pontificem conceſſis, de Apoſtolica & conſueta pietate providere dignaremur. Nos igitur, qui omnium Religioſorum, maximè illorum, qui in vera, & indubitata obſervantia Deo ſervire, & vota ſua in populi ædificationem reddere cordialiter affectant, curam gerimus ſingularem, etiam in omnibus, quæ ad Dei laudem, & devotionis augumentum, & ſuarum animarum ſalutem tendunt, paterno affectu conſolari cupimus; pium, & laudabile ipſius Commiſſarii tui deſiderium plurimùm commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, affectantes omnes Fratres de Obſervantia tuæ Familiæ Ultramontanæ à diſcurſibus præſervari, &, quantùm cum Deo valemus, ad fervorem devotionis accendi, & in quietis ſpiritu Domino ſamulari, tibi Vicario, ac tuis pro tempore Succeſſoribus, cæteriſque Fratribus tuæ familiæ præſentibus, & futuris, quod omnes, & ſingulas Indulgentias, & remiſſiones viſitantibus ſacra Loca Almæ Urbis &c. in diebus Stationum per Nos, & alios Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſas, quas hic volumus de ſingulari gratia, ac ſi præſentibus inſererentur, haberi pro ſufficienter expreſſis, in veſtris locis promereri poſſitis, per præſentes piè concedimus, & ſpeciali dono gratiæ indulgemus, ac eas ad veſtra loca pro Vobis duntaxat extendimus, & prorogamus; Ita tamen, quod ordinatis in veſtris locis in honorem, ac reverentiam Dei, ſuæque benedictæ Matris Mariæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, & Sanctarum ſpecialium titulis ad inſtar ſacrorum Locorum Almæ Urbis, in quibus Stationes ſervantur, ipſiſque diebus debitis viſitatis, quoties hujuſmodi Indulgentias, ſeu gratias ſpirituales promereri deſideraveritis, aut quilibet veſtrûm deſideraverit, ſeptem Pſalmos, aut alias devotas Orationes æquivalentes ſecundùm diſcretionem veſtrorum Confeſſorum, qualibet vice pro Nobis, ac Succeſſoribus noſtris, Sanctaque Matre Eccleſia, & cuncto populo Chriſtiano dicere cum devotione debebitis, ac quilibet Veſtrûm dicere tenebitur, & obligabitur: alioquin hujuſmodi Indulgentiæ vobis minimè ſuffragentur: non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium quibuſcumque.

Rodriguez in Collect. privileg. fol. 133. *Waddingus tom.* 13. *Annal. fol. pariter* 133. *& fol.* 260.

NQ-

N O T A.

ANimadvertit ad hanc Conſtitutionem Emanuel Rodriquez in *nova Collect. privileg. tom.* 1. fol. 127. & ex eo noſter à Sorbo *Verb. Indulgentia fol.* 14. enuntiatas Stationum Indulgentias tribus vicibus, & quidem primà 13. Martii 1459. ad triennium; ſecundà ad ſupplicationem Cardinalis Nicolai de Cuſa in perpetuum fuiſſe conceſſas, & tertià vice confirmatas cum declaratione, quod Laici loco Pſalmorum pœnitentialium, æquivalentes orationes ſecundùm Confeſſorum ſuorum diſcretionem dicere poſſent: quod à Vicario Generali illius temporis ad viginti Pater noſter, & totidem Ave Maria fuit taxatum.

Faciliorem autem viam haſce Indulgentias lucrandi omnibus Regularibus Paulus V. in ſuâ Conſtitutione aperuit per articulum = *Præterea iidem Religioſi intra Clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & , ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitâſſent.* Quænam verò ſint hæ Stationum indulgentiæ, in Nota dictæ Paulinæ Conſtitutioni ſubnectenda videre erit.

Modum interdicti à FF. Minoribus obſervandi præſcribit.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, univerſis Fratribus Ordinis S. Franciſci de Obſervantia nuncupatis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SCiens inimicus humani generis obedientiam plus valere, quàm victimam, omnem conatum adhibet, ut Eccleſiaſticarum cenſurarum contemptum introducat, & ſic ſervorum rebellium multitudinem in barathrum trahat. Hic malignus in multis regionibus adeo prævaluit, quod Eccleſiaſticum interdictum minimè curatur, atque, ut intelleximus, aliquos etiam Religioſos corrupit, quod aſſerant, ſe ad alicujus talis interdicti minimè teneri obſervantiam, niſi poſtquam & Matrix Eccleſia obſervaverit.

Nos verò, qui curam Gregis Dominici ſuſcepimus, & ne ex omnibus Nobis commiſſis quiſquam perdatur, dum ſolliciti ſumus, maximè ad vos Servos Dei reſpicimus, qui contempto mundo B. Franciſcum imitantes, in præceptis Apoſtolicis ad ſolum Chriſtum tenditis: ne quiſquam in vacuum currat, & aberret, quomodo Eccleſiaſticum interdictum per Vos ſervandum ſit, declaramus.

Interdictum enim Eccleſiaſticum, aut à Sede Apoſtolica, & ejus Commiſſariis emanat, aut ab inferioribus Sedibus, & earum Commiſſariis. Si primum, tunc poſtquam vobis, qui loca interdicta inhabitatis, inſinuatio facta eſt, ad illius obſervantiam interdicti, nulla exceptione aut excuſatione admiſsâ, etiamſi cæteri Religioſi aut Sæculares ex quacumque cauſa defecerint, mox adſtringimini: non enim habetis, niſi Apoſtolicum præceptum reſpicere, & ei, etiam juxta Regulam veſtram ſimpliciter (ut mandatur) obedire. Si verò interdictum ab inferioribus Sedibus emanaret (licèt ab illis exempti ſitis) ad obedientiam tamen interdicti ejus obligamini, quando Matricem Eccleſiam illud ſervare videbitis; cui tunc vos conformare debetis, ne cenſuræ Eccleſiaſticæ per veſtram difformitatem vigore vacuentur. Hac diſtinctione utamini, & ne declinetis ab illa.

Et ita præcipimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ vobis injungimus, ulteriores diſputationes, & opiniones penitus vitantes, ut inveniamini in ſimplicitate obedientiæ, ſicut decet Deo charos, & Religioſos, ambulare.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, nono Kalendas Februarii, Pontificatûs noſtri Anno quinto.

Monum. Ordin. fol. 49. *Rodriq. in collect. privil. fol.* 135. *Wadding. tom.* 13. *Annal. fol.* 337.

PAULUS

PAULUS II.

Venetus, Petrus Barbo antea vocatus, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. Sancti Marci 30. Auguſti 1464. Pontificatum adeptus eſt, cujus Majeſtatem & auctoritate, & armis adauxit. Sedit per annos 6. menſes 10. dies 26. ab electione computandos. Vitam cum morte commutavit Romæ 25. Julii 1471. ad S. Petrum ſepultus.

Privilegia Ordini Minoritano à Summis Pontificibus Prædeceſſoribus conceſſa, indefinitè confirmat.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cæteros Ordines in agro Domini plantatos Sacrum Ordinem Fratrum Minorum ſuis exigentibus meritis gerimus in viſceribus charitatis, & ad ea vigilanter intendimus, ac opem & operam efficaces impartimur, per quæ ſtatus ejuſdem Ordinis ad Divini nominis gloriam, & exaltationem Catholicæ Fidei proſpetis ſemper affluat ſucceſſibus, & iis, quæ præfato Ordini, & ejus Fratribus per Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices conceſſa ſunt, libenter, cum à Nobis petitur, munimem adjicimus firmitatis. Cum, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti Filii Franciſci de Savona Ordinis Fratrum Minorum Generalis in Theologia Magiſtri petitio continebat, quod plures Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri diverſa privilegia ſub variis formis eidem Ordini, illiuſque Fratribus hactenus conceſſerunt, & propterea dictus Generalis pro pace, & quiete Fratrum ejuſdem Ordinis ſummopere deſideret, illa per eamdem Sedem Apoſtolicam approbari, ut Ordo ipſe, ac illius Fratres dictæ Sedis fulciti præſidiis devotiùs, & quietiùs vota ſua Altiſſimo exſolvere poſſint. Eapropter Generalis ipſe Nobis humiliter ſupplicavit, ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus Ordini prædicto, & illius Fratribus conceſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, illaque juxta formas eorum obſervari mandare, & aliàs ſuper his opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes fructus ſalutares, quos Ordo ipſe in Eccleſia Dei hactenus produxit, & producit in dies, ac ſperantes, quod de bono in melius perſeveret, & propterea volentes, quod hujuſmodi Privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, ſublatis quibuſvis dubietatibus, & diſpendiis firmiter obſerventur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, libertates, & immunitates per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros ipſi Ordini ſub quacumque verborum forma hactenus conceſſa, illorum tenores, necnon nomina dictorum Pontificum, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus, & approbamus, ac plenum firmitatis robur obtinuiſſe, & obtinere decernimus: necnon irritum, & inane, quidquid ſecus à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſitan extitit hactenus, vel inpoſterum contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores in eiſdem privilegiis voluerunt non obſtare, etiamſi de illis, & eorum tenoribus per præſentes deberet haberi de verbo ad verbum mentio ſpecialis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

Rodriq. in Collect. privil. fol. 141. Waddingus tom. 13. Annal. fol. 382.

Bona

Bona Eccleſiæ alienari prohibet, alienantes & recipientes excommunicat, alienationemque nullam declarat.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AMbitioſæ cupiditati illorum præcipuè, qui divinis & humanis affectatis, damnatione poſtpoſitâ, immobilia, & pretioſa mobilia Deo dicata, ex quibus Eeeleſiæ, Monaſteria, & pia loca reguntur, illuſtrantur, & eorum Miniſtri ſibi alimoniam vendicant, profanis uſibus applieare, aut cum maximo illorum, ac Divini eultûs detrimento exquiſitis mediis uſurpare præſumunt, oceurrere cupientes, omnium rerum, & bonorum Eecleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſoſum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, neenon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac de rebus & bonis in emphyteuſim ab antiquo coneedi ſolitis, & tunc eum Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura Conſtitutione præſenti fieri prohibemus: Prædeceſſorum noſtorum Conſtitutionibus, prohibitionibus, & deeretis aliis ſuper hoc editis, quæ tenore præſentium innovamus, in ſuo nihilominus robore permanſuris. Si quis autem contra hujus noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis & rebus eiſdem quidquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, loeatio, conductio, & infeudatio hujuſmodi, nullius omnino ſint roboris, vel momenti. Et tam, qui alienat, quàm is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunieationis incurrat. Alienanti verò bona Eeeleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſulto Romano Pontifice, aut contra præſentis Conſtitutionis tenorem, ſi Pontifieali, ſeu Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eceleſiæ ſit penitus interdictus. Et ſi per ſex menſes immediatè ſequentes ſub interdicto hujuſmodi, animo (quod abſit perſeveraverit) indurato, lapſis menſibus eiſdem à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterii, cui præſidet in ſpiritualibus, & temporalibus, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Inferiores verò Prælati, Commendatarii, & aliarum Eccleſiarum Rectores, beneficia, vel adminiſtrarionem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præpoſituris, præpoſitatibus, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, offieiis, eanonicatibus, præbendis, aliiſque Eecleſiaſticis, eum cura, & ſine eura ſæcularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienârunt dumtaxat, ipſo facto privati exiſtant: illaque abſque deelaratione aliqua vaeare cenſeantur, poſſintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad qnos eorum collatio pertinet, perſonis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerint) liberè de jure eonferri: niſi aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis ſint ſpecialiter, aut generaliter reſervata: & nihilominus alienatæ res, & bona hujuſmodi ad Eccleſias, Monaſteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujuſmodi pertinebant, liberè revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ probibitionis, & innovationis infringere, vel ei auſu temerario eontraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Mareum Anno Dominicæ Inearnationis, milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo, Kalendas Martii, Pontifieatûs noſtri Anno Quarto.

Lib. Sext. Deeret. inter Extravagant. com. lib. 3. Bull. Rom. tom. 3. par. 3. fol. 125.

NOTA

PArum nos tangit hæc Conſtitutio, cum enim alienatio ſit translatio Dominii, quod nulla in re habemus, nec Conſtitutio nos multùm angere poteſt: Eam tamen hìc ponendam cenſui, cum noſter à Sorbo de alienatione hujuſmodi tractet, & Conſtitutionem prædictam fol. 109. vocet 1 ac Sacra Congregatio Concilii ad omnes Regulares indefinitè eam extendi, iiſque notam eſſe voluerit Decreto ſequenti:

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, rerum experimento edocta, quantùm Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, &

pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apoſtolicis privilegiis innixi, ac proinde operæ pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere: ſpeciali SS. D. N. juſſu, Generalibus, & Provincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuſcumque aliis Superioribus Regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Inſtituti, intra fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos ſeu vitalitios, hypothecam, locationem & conductionem ultra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquam in caſibus à jure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, abſque ipſius Congregationis Concilii expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa inpoſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant: ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim ſel. rec. Pauli II. quæ incip. Ambitioſæ, *in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò, pacta, cenſus, hypothecas, locationes, & conductiones, & conceſſiones quaſcunque contra hujuſmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis Suæ auctoritate ipſo jure nullas, atque irritas decernit. Non obſtantibus &c. Indultis privilegiis &c. quibus &c. Sanctitatis Suæ auctoritate derogat. Romæ 7. Septemb. 1629.*

Ex eo tamen, quod Conſtitutio Paulina alienationem *pretioſorum mobilium*, inter quæ juxta Engel *jur. Canon. lib. 3. tit. 13. num. 5.* Sacræ Reliquiæ, Calices, vaſa Sacra, & juxta Declarationem Sac. Congregationis Concilii *in Florentina 23. Februarii* 1547. Codices manuſcripti antiqui, Picturæ, vel arte, vel pretio, vel antiquitate æſtimabiles comprehenduntur, & talia aliquoties ad uſum in noſtris reperiantur Conventibus, illorum alienationem prohibitam eſſe nemo non videt. Et quamvis mobilia ſint, quia tamen ſervando ſervantur, quoad alienationem immobilibus æquiparari Canoniſtæ tenent. Hinc ſi ea vel cauſa neceſſitatis, vel utilitatis alienari debere contingeret, id per Syndicum in illo caſu conſtituendum, & cum Solemnitatibus præſcriptis fieri deberet.

Si autem quæras, an Eccleſiæ ſuppellectilia aliis commodare pariter ſit interdictum in normam & regulam agendorum relinquo Decretum à S. Congregatione Epiſc. & Regul. 14. Martii 1680. in cauſa RR. PP. Minorum de Obſerv. editum, & à Mattheucci *in ſuo offic. Curiæ cap. 45. fol. 356. c. 2.* ita citatum *Sacra Congregatio &c. injungendum cenſuit, prout præſentis Decreti tenore injungit omnibus & ſingulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, Localibus, eorumque ſubditis ſub pœna privationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda, ne ullo unquam tempore, quavis occaſione, vel prætextu, ad inſtantiam, & preces cujuſvis indulgeant, aut conſentiant ſupellectiles, vaſa, ornamenta, veſtes, atque omnis generis res, ſpectantes aliquo modo ad eorum Eccleſias, Capellas, Altaria, Oratoria, Sacriſtias &c. illa ad uſum, vel officium exterorum diſtrahi, aſportari, ſeu aliis ab ipſis Minoribus Obſervantibus commodari, quin priùs acceſſerit conſenſus, ſaltem ultra duas partes totius Capituli cujuſlibet reſpectivè Conventûs, per ſecreta Suffragia ſingulis vicibus præſtandus, necnon à P. Miniſtro Provinciæ authenticè confirmatus, & ita ſervari mandat.*

Plura, qui in hac materia cupit, conſulat Piaſec. *prax. part. 2. c. 5. a. ult. num.* 37. Paſſerinum, Card. Petra *tom. v. Comment. fol. mihi* 219. Mattheucci &c.

Eligentium nomina in electionibus publicari prohibet.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis, Capitulo Generali Fratrum Minorum de Obſervantia celebranda in Inſula Biſuntina lacûs Vulſini.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Intelligentes à paucis annis citrà introductum fuiſſe in Congregatione veſtra, quoties eam pro electione Vicariorum Generalis, & Provincialium, & aliorum veſtræ familiæ Prælatorum fieri contigerit, quod voces tam Eligentium, quàm Electorum publicè nominentur, ac volentes hanc introductionem abolere ex eo, quòd hoc modo ſæpius indigni, vel timore, aut aliàs privati favoris, aut affectionis ſingularis reſpectu, non ritè eliguntur; committimus vobis, & tenore præſentium in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, quatenus de cætero per dictum modum in dicta electione Prælatorum minimè procedatis, ſed per illos, qui Scrutinium agunt, ſimpliciter dicatur, quot voces quiſque electus habeat, ſuppreſſis ſilentio

tio

tio Eligentium nominibus: Nam hâc viâ ſalubriùs, & meliùs eum pace & quiete omnium, ſine rancore & invidia ad ipſam electionem in Domino procedetur.

Datum Romæ apud Sanctam Marcum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Junii MCCCCLXIX. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Exſcriptum à Waddingo ex Autographo, & vid. tom. 13. Annal. fol. 435.

SIXTUS IV.

Natione Ligur, Patriâ Savonenſis, nomine & cognomine Franciſcus à Ruvere, Profeſſione Regulari Minor, & Minorum Miniſter Generalis, Cardinalis S. Petri ad Vincula, 9. Auguſti 1471. ad Triregnum Eccleſiæ ſublimatus eſt. Cætera complet Epitaphium Monumento ex fuſili ære confecto, & de Canonicali Odæo Baſilicæ Vaticanæ ad Sacellum è regione chori ſitum translato adjunctum, ac ad pedes Pontificaliter decumbentis ita exaratum.

Sixto IV. Pontif. Maximo, ex Ordine Minorum, doctrina, & animi magnitudine omnis memoriæ Principi, Turcis Italia ſummotis, auctoritate Sedis aucta, Urbe inſtaurata, templis, ponte, foro, viis; Bibliothecâ in Vaticano publicata, Jubilæo celebrato, Liguriâ ſervitute liberata; cum modicè, ac plano ſolo condi ſe mandaviſſet, Julianus Cardinalis Patruo bene merito majori pietate quàm impenſâ fieri curavit. Obiit Idib. Sextil. hora ab Occaſu quinta Anno Chr. MCCCCLXXXIV. Vixit annos LXX. dies XXII. horas XII.

Cadavera ſepeliendorum cum Habitu Ordinis Fratrum Minorum cum eo patente, nec linteo, vel pallio tecta ad Ordinis Eccleſias deferri poſſe ſancit, & impedientibus pœnam excommunicationis decernit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolicæ manſuetudinis exempla Nos admonent, ut fidelium perſonarum devotionem, animarumque ſalutem procuremus: Et quæ pro Sacræ Religionis Beati Franciſci honore proceſſiſſe concernimus, ut illibata perſiſtant, roburque Apoſtolicæ confirmationis à Nobis petitum favorabiliter impendamus. Sanè pro parte dilectorum Zaneti de Utino, Generalis Miniſtri, & Capituli Ordinis Fratrum Minorum in Civitate noſtra Ferrarienſi, præterito Feſto Pentecoſtes celebrati, Nobis exhibita petitio continebat, quòd, licèt ab exordiis dictæ Religionis devota innotuerit conſuetudo, videlicet, quòd multi, Reges & Principes, Nobiles, & populares in mortis articulo requiſierint, & ſæpe requirant in Habitu dictæ Religionis mori & ſepeliri, & veluti Fratres patenter uſque ad locum ſepulturæ deferri, cujus devotionem approbantes Prædeceſſores noſtri, quaſdā ſic ſepeliri eligentibus, Indulgentias conceſſerunt. Nihilominus nonnulli Curati, Eccleſiarum Rectores, in Ultramontanis, & aliis Regionibus, ipſam devotionem irridentes, penitùs extinguere cupientes, ſuos Parochianos contumelioſè impediunt, ne ſic in extremis voluntatibus ſepeliri eligant, nolentes corpora de domibus defunctorum levare, nec ad eorum Eccleſiâs funera ſic compoſita cum Habitu, ſine

ſine linteo, vel pallio cooperta deſerri permittunt, nec etiam per vicos ad locum ſepulturæ deportari, in ſcandalum plurimorum, & præjudicium Religionis, & præfatæ devotionis. Quare pro parte Generalis, & Capituli prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eorundem Prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs perſonis in Habitu prædicto ſepeliri volentibus, quòd id eis liceat, ſine tamen alicujus præjudicio, Apoſtolica auctoritate perpetuò indulgemus, diſtrictiùs inhibentes Prælatis, & Rectoribus Eccleſiarum ſub excommunicationis pœna, quam Canonicâ monitione præmiſſa contrafacientes incurrant, & à qua per alium, quàm per Romanum Pontificem, & in mortis articulo duntaxat abſolvi non poſſint, nec aliter ſepeliri volentibus, quovis modo impedimentum afferant, ſed permittant illos patenter ad Eccleſias, & locum ſepulturæ in Habitu hujuſmodi deſerri, jure Rectorum Parochalium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conceſſionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, octavo Idus Septembris Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

Confettius Collect. privileg. fol. 81. *citat & noſter à Sorbo verb.* Habitus *fol.* 382. *num.* 8.

A' Sancto Patre Franciſco, ac illius Ordine tum ſibi, tum Eccleſiæ collata beneficia celebrat, illius Feſtum de præcepto celebrari ſancit, ac decem annorum Indulgentiam cum totidem quadragenis illud celebrantibus concedit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRæclara Sanctorum merita, & grandia virtutum inſignia, quibus velut radiantibus in Firmamento ſyderibus Sacroſancta illuſtratur Eccleſia, ac ſuper Petram ſtabili firmiſſimam Sanctorum irradiatur ſplendoribus, & novæ prolis inſtaurata præſidio incrementum ſuſcipit & fulgorem, eò frequentiùs debent univerſi fideles congrua devotione recolere, reverentia, & digna renuniſcentia celebrare ſolemniter collabentibus ſæculis. Cum peccatis ſacientibus Fidei Catholicæ fervor plurimùm tepuiſſet, decua ille morum, Deoque acceptiſſimus Pauperum Patriarcha Franciſcus ad ſalvandas animas, ipſius Salvatoris Noſtri pretioſo cruore redemptas, aberrantem fidelium plebem ad ſalutis opera excitandam, erudiendamque, & ſuo reintegrandam Auctori ordinatione ſuperna deſtinatus, inter admiranda ipſius opera, Spiritu Paracleto inſpirante, novam Fratrum Religionem ſacram ad Dei laudem & gloriam, militantis Eccleſiæ decorem, ac populi Chriſtiani profectum in agro Dominico, tempore opportuno plantavit, inſtituit, & ſupra Petram, quæ Chriſtus eſt, perpetuò ſtabilivit, ut præcipua Virorum inſignium ſanctimonia, moribus, ſcientia, ac virtutibus præditorum fœcunditate, & numeroſitate exuberans, fructuoſos palmites ex vite vera produceret, qui Chriſti Vexillum per Orbem univerſum vehere, Nomen, quod eſt ſuper omne nomen cunctis gentibus prædicare, ſalutaribus inſuper monitis, exhortationibus, & exemplis diabolicâ fraude deceptos, Deo lucriſacere, & à maligni hoſtis ſervitute eripere ſtudio indefeſſo contenderent, quemadmodum hæc ipſius inclyti Patris germina, & veſtigiorum ejus providi ſectatores, benedicente Altiſſimo multiplicati in domo Domini, & gratiis perfuſi cœleſtibus, longè latèque univerſas nationes mortalium penetrantes, Chriſti Evangelium, ac veræ Fidei documenta cunctis gentibus nunciare, ei-

dem

dem Eccleſiæ antemurale conſtituere, ac pro virili ſuo tueri, muuire, & ampliare non ceſſant. Iu hujus igitur ſollemuiis almi Patris, Seraphicique Fraucisci, quem ſupremus ille Paterfamilias pro multiplicato cum talentis ſibi creditis iunumerabilium animarum lucro, præclariſque virtutibus aliis, coronâ gloriæ in æterna claritate maguificat, & quaſi lucernam in domo Domini poſitam, ſummæ devotionis ſtudio cenſuit à cunctis Fidelibus venerari. Cupientes, prout operis, & officii noſtri debitum eſſe conſpicimus, propter miræ ſanctitatis excellentiam, virtutum ſuarum cumulum, exigentiam meritorum, & hanc Religionem ſacram ad extirpandas hæreſes ſchiſmaticorum, & iufidelium confutandos errores, credentium verò profectum ſalubriter inſtitutam, quautùm Nobis ex alto conceditur, venerationem congruam, & honorem adjicere: ac tanto Confeſſore glorioſo pro ſuis in Nos beueficiis, præſertim ab ipſis cunabulis, cum vitalis ſpiritus in noſtro corpuſculo palpitans, extingui protinus videretur, ipſius protinus meritis & iuterceſſione priſtinæ reſtituti fuimus ſanitati: cum & aliis gratiarum donis, & futurorum præſagiis, quæ cordi noſtro inſident, & memoriæ jugiter retinemus. Tum quia diverſis temporibus, aliis in variis noſtri corporis morbis, & humanis caſibus conſtituti præſidio ipſius B. Franciſci, qui Nos ad Sacram Religionem prædictam, quaſi data manu pro ſua pietate vocavit, & ad hanc uſque diem cum hominis utriuſque ſalute, Domino annuente, perduxit, adjuti, & liberati extitimus, pro cujus memoria ejus Habitum & inſignia ad extremum uſque diem corde jugiter geſtare ſtatuimus, etiam pro iis acceptis beneficiis poſſibilem Nobis gratitudinem aliquam, ſuæ quamvis excellentiæ imparem pro ejus gloria, & honore, animarumque ſalute, ſiucero, & hilari animo exhibere; necnon ipſius feſtivitatis diem celebrem, magiſque devotum, & cunctis fidelibus acceptabilem conſtituere in futurum, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, uuiverſis & ſingulis utriuſq; ſexûs Chriſtifidelibus ubilibet conſtitutis verè pœnitentibus & confeſſis, qui ejuſdem glorioſi Confeſſoris Franciſci feſtivitatem hanc, quam deinceps perpetuis futuris temporibus celebrem eſſe, & ut Feſtum Duplex à cunctis Chriſtianis celebrari, ab omnique opere ſervili abſtineri, & ſub obſervantia & præcepto comprehendi volumus, & tenore præſentium declaramus, devotè celebraverint annuatim, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus. Verùm, quia difficile foret præſentes litteras ad univerſi Mundi partes deſtinare, volumus etiam & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumpto, manu publica ſcripto, & alicujus Epiſcopalis Curiæ ſigillo munito, tanquam præſentibus litteris originalibus firmiter ſtetur ubique, ac plena ei fides adhibeatur, ac ſi ipſæ origiuales litteræ ſorent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Iucarnatiouis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ſexto Nonas Octobris, Pontificatûs noſtri Anno ſecuudo.

Speculum Ordin. tract. 2. fol. 51. Bullar. Rom. tom. 3. par. 3. fol. 134. Rodriquez in Collect. privil. fol. 149. Waddingut tom. 14. Annal. fol. 36.

Conſtitutionem de non ſolvenda per Fratres Mendicantes quarta Legatorum parte à ſe editam, & horum privilegia confirmat.

SIXTUS PAPA IV.

Venerabilibus Fratribus, univerſis Epiſcopis, ac eorum Vicariis, cæteriſque Eccleſiarum Rectoribus, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ad removenda ſcaudala & diſſeuſioues, quæ exoriri videbantur, certa privilegia, per fel. rec. Calixtum Papam III. Prædeceſſorem noſtrum conceſſa; videlicet, ut Fratres Mendicantes quartam partem Legatorum ſibi factorum, Parochianis, ſub quibus ipſi Legatarii eſſent, tradere tenerentur, per noſtras plumbatas litteras: *Ad futuram rei memoriam*, revocavimus, & eorum privilegia omnia confirmavimus, voluimuſque, ut quartam partem hujuſmodi, Fratres ipſi pro ſe retinerent, ueque de illa cuiquam reſpondere tenerentur, prout latiùs in eiſdem litteris continetur.

Nunc autem accepimus, quod, quamvis dilecti Filii Fratres Minores Regularis Obſervantiæ dictas litteras noſtras diverſis Eccleſiæ Prælatis præſentaverint, quidam tamen ex ipſis illas admittere noluiſſe dicuutur, iu ipſorum Fratrum præjudicium, ac noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis contemptum, quod valde miramur; quiuimo ipſorum aliqui contra eorumdem Fratrum privi-

vilegia, ſepulturam impedire & moleſtare præſumunt, cogentes mortuorum hæredes per Eccleſiaſticas cenſuras, ut corpora defunctorum ad Parochiales Eccleſias deſerantur, & ibidem officium decantetur, ſub velamine cujuſdam *ultimi vale*, quod minimè fieri conſuevit, ac diverſimodè litteris non attentis, contra dictorum Fratrum privilegia venire non ceſſant. Nos autem, quorum eſt omnium jura ſervare, Vos, & veſtrûm quemlibet hortamur, & ſub pœnis in ipſis noſtris litteris contentis adſtringimus, quatenus in his, & aliis ſimilibus dictos Fratres ampliùs moleſtare contra eorum privilegia non præſumatis, ſed juxta litterarum noſtrarum tenorem, illa ad unguem obſervetis, prout obſervari volumus, & mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Viennen., & aliis contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima ſecunda Januarii, Pontificatûs noſtri Anno tertio.

Exſcriptum ex Brevi originali poſuit Waddiag. in tom. 14. *Annal. fol.*546.

MARE MAGNUM
MINORUM,
SEU
BULLA

Qua Sixtus PP. IV. privilegia per Pontifices Prædeceſſores, præſertim Clementem IV. conceſſa de novo approbat, confirmat, & ampliat.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini univerſalis Eccleſiæ, meritis licèt inſufficientibus, diſponente Domino, præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta creditæ Nobis deſuper diſpenſationis officium, quieti Subditorum, & quorumlibet ſub Religionis Habitu ſtudio vacantium piæ vitæ, in quorum utique proſperitate reficimur, jugi, quantùm Nobis ab alto conceditur, ſollicitudinis ſtudio intendamus, & ut ea, quæ pro Divini cultûs, & Religionis incremento, animarumque ſalute à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus providè facta ſunt, ſublatis ambiguitatibus, quæ exinde emerſiſſe noſcuntur, in ſua integritate perſiſtant, noſtri miniſterii partes interponimus efficaces.

Du-

ANIMADVERSIO.

Bulla hæc Collaterali, MARE MAGNUM *communiter appellatur, & quidem juxta Cardinalem Petra* tom.v. Comment. fol. mihi 273. ob latitudinem & pluralitatem gratiarum, *quas à diverſis Summis Pontificibus Ordini Minoritano conceſſas ſpecificè complectitur, & quas Sixtus IV. ut ceu Ordinis hujus, & D. Franciſci Filius grati animi monumentum erga utrumque perennaret, confirmavit & adauxit.*

Sicut autem Religioſiſſimus Pontifex, & alios Mendicantium Ordines peculiari affectu dignatus eſt, ita & RR. PP. Prædicatorum, Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini Ordines ſimilem Bullatum gratiarū cuilibet ſpecificè & reſpectivè conceſſarum complexum ab eo obtinuerunt, ſimili MARIS MAGNI *metaphora nuncupatam, ita ut ex Spondano Briet.* in annot. mundi tom. VII.

ann.

Dudum ſiquidem à ſel. record. Eugenio IV. Prædeceſſore noſtro litteræ emanârunt tenoris ſubſequentis:

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Licèt debitum paſtoralis officii. *Reſiduum vide ſupra fol.* 138. Hinc eſt, quod Nos dilectorum Filiorum Guilielmi de Caſali, Generalis Miniſtri Ordinis & Fratrum prædictorum ſupplicationibus inclinati, litteras quaſdam ſel. rec. Clementis Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri dicto Ordini conceſſas, quarum tenorem de verbo ad verbum inferiùs deſcribi fecimus, ac omnia & ſingula in eis contenta pro ipſarum ſubſiſtentia firmiori, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor verò prædictarum litterarum ſequitur, & eſt talis:

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Univerſis Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem &c.

Virtute conſpicuos Sacri Veſtri Ordinis Profeſſores, qui cotemplationi cœleſtium ſerventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicæ circumſpectionis auxilium ſic providè dirigi, & ſollicitè conſoveri, ut alicujus prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque religioſi ſtatûs perſerant detrimentum, ſed in bis robur, & vigorem habeant, per quæ cultum Divini Nominis devotis, & quietis mentibus invaleſcant.

ann. Chr. 1484. fol. 67. *à Sixto IV.* in Dominicanos, Minoritas &c. non tantùm fluenta, ſed Magna Maria gratiarum effuſa *eſſe memoret.*

Concuſſum autem eſt Mare Tridenti, & fines ejus coarctati, dum plura in eo contenta indulta in habita ibi SS. OEcumenica Synodo fuerunt vel revocata, vel modificata.

Nec manſit terminus à Tridentino poſitus, ſed variis quoque poſtmodum Pontificiis Conſtitutionibus nova inducta reſtrictio. Hinc cum Bulla hæc Sixtina potiora Ordinis Minoritani complectatur privilegia, partim jam infirmata, partim verò in ſuo primævo vigore conſiſtentia, Bullam in articulos diſtinguere, articulis complexum privilegii præponere, & ad latus diametrale ſenſum, vel qualitatem hujus adjungere conſultum cenſui, ne in iis, quæ ad Ordinis decorem, vel ejus commodum relaxato etiam juris rigore conceſſa ſunt, incerti & dubii vagemur.

Concedit, quod Miniſter Generalis ſtatim poſt electionem regimen aſſumat.

§. 1. Hinc eſt, quod, cum, ſicut Nobis exponere curâſti, Tu, Fili Generalis Miniſter, & prædeceſſores tui, juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & à Sede Apoſt. toleratam, ſtatim, poſtquam electi ſecundùm prædicti Ordinis Regulam, & Conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam geſſeritis, Miniſterii officium plenè, ac liberè in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devotè, & humiliter obedierint, ac intenderint reverenter, & in eadem Regula ſit expreſſum; ut Generalis Miniſter, qui pro tempore ſuerit, à miniſterii officio amoveri valeat à Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus in Generali Capitulo congregatis; Nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum à Sede Apoſt. approbatum eâdem, honeſtate floridum, præclarum ſcientia, & virtute fœcundum, privilegio Apoſtolicæ gra-

tiæ

Ad §. 1. Operatur hoc indultum, ut Miniſter Generalis eoipſo, quod canonicè electus ſit, Fratrum gubernium illico adeat, Fratreſque & ligare, & ſolvere queat, ac hi ipſi obedire teneantur, quin alia confirmatio vel à Summo Pontifice, vel à Legato à Latere, ſi quis in Provincia, vel loco Capituli exiſteret, requiratur: prout Rodriquez tom. 2. quæſt. Regul. quæſt. 52. art. 3. fol. mihi 150. *Noſter à Sorbo* Verbo Generalis Ordinis fol. mihi 371. *Lezana* in Mare Magn. Min. §. 1. fol. mihi 53. col. 1. *cum aliis tenent, privilegium eò præclarius æſtimantes, quod electus Miniſter Generalis à juris communis diſpoſitione qua aliàs confirmandus, exercitio officii ante confirmationem extra caſus exceptos ſeſe ingerere inhibetur, per illud plenè abſolvatur.*

Ad

tiæ attollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtræ, ut Succeſſores tui, Fili Generalis Magiſter, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Generales Miniſtri effecti, curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plenè habeant, & liberè gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare, ac ſolvere, necnon in eodem Ordine illa agere valeant, quæ ipſi Miniſtri, & Definitores ad hoc electi, juxta prædictas Conſtitutiones eiſdem Ordini, & Fratribus ſecundùm Deum viderint expedire, aliàſque poſſint officium Miniſterii licitè in omnibus exercere. Iidemq; Fratres tibi Generali Miniſtro, & Succeſſoribus tuis, devotè & humiliter obediant & intendant.

Quod Miniſter Generalis, ſi expediverit, ab officio poſſit abſolvi.

§. 2. Et præfati Succeſſores, & Tu, Generalis Miniſter, à Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones ipſius Ordinis abſolvi, & amoveri poſſitis, auctoritate Apoſtolica indulgemus, ratum habentes, & firmum, quidquid ſuper præmiſſis per Te Generalis Miniſter, dictoſque prædeceſſores Fratres, & Definitores factum, & obſervatum eſt hactenus, conceſſâ Tibi exeqnendi officium Miniſterii, quoad præmiſſa omnia, & alia, libera facultate.

Quod

Ad 2. Miniſtrum Generalem à Provincialibus, & Cuſtodibus deponi poſſe eruitur tum ex ipſis S. Regulæ verbis cap. 8. Si aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorum Provincialium & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium, & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem *tum ex communiter recepta Gloſſa* in cap. 1. de renuntiatiatione in 6. verbo inſufficientem ALII PRÆLATI PROPTER INSUFFICIENTIAM BENE DEPONUNTUR, & ECCLESIASTICI, ET SÆCULARES. tum c. 18. q. 2. Si quis Abbas, & 15. q. 6. Alius &c. *Tum ex privilegio hic per Sixtum IV. confirmato.*

In nullo tamen caſu hoc licet, niſi concurrat cauſa inſufficientiæ, tum in S. Regula, tum in jure expreſſa, quam ex duplici capite oriri noſter P. Sigiſmundus dub. 101. fol. mihi 5. *docet, primò quidem ex defectu morali, ut ſi foret notorius Regulæ tranſgreſſor* C. cum ad Monaſterium verſ. quod ſi prævaricator de ſtatu Monach. *vel notoriè crimineſus, & ſcandaloſus dicto* C. Si quis Abbas 18. c. 2. *vel notabiliter in officiis negligens exiſteret* Can. dictum Diſt. 81. Can. Inferiorum Diſt. 86. Can. Quoniam Diſt. 100. &c. *præſertim autem hæ cauſæ urgerent, ſi Miniſter Generalis de hujuſmodi defectibus monitus, ab iis tamen non recederet.*

Oritur ſecundò inſufficientia ex defectu naturali, vel ſenio, quo electus Miniſterio incumbere impeditur Can. 1. Diſt. 85. *vel ſi ita* ſit ægrotus, *ut ad regimen ſit inhabilis* Can. alius 15. q. 6. *Hanc autem inſuf-*

Ad 3. Ju-

Electores nec tempore, nec regulis juris coarctantur.

§.3. In electionibus quoque Generalis, & Provincialium Miniſtrorum ipſius Ordinis, Fratribus, qui debent electionem hujuſmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus ſuper hoc à jure ſtatutum non currat, nec ipſi in hac parte juris hujuſmodi regulis coarctentur.

Custodes & Guardiani etiam aliter quàm per electionem inſtituti, vi inſtitutionis regimen in actu ſecundo aſſumant.

§.4. Cuſtodes verò & Guardiani, qui ſecundùm ſtatuta ejuſdem Ordinis, aliter quàm per electionem inſtituuntur, poſt ipſam inſtitutionem, ſeu proviſionem de ipſis factam, curam animarum Fratrum ſibi ſubditorum ipſius Ordinis habeant, ipſoſque li-

ficientiam judicat Sigiſmundus loco citato, locum habere, etiamſi ab initio Miniſter fuerit habilis, & ſufficiens, citans & juris textus, & Juriſtarum opiniones.

Ad 3. *Jure communi ſancitum eſſe noſcimus* Cap. Ne pro defectu 41. de electione &c. *quod ultra tres menſes Cathedralis Eccleſia, vel Regularis, Prælato non vacet: hac autem juris regulâ, qua tempus electionis definitur, Minores non coarctari, Clemens IV. conceſſit; cum ſæpius Fratres, præſertim in longinquis partibus exiſtentes intra 3. menſium ſpatium electioni vel Miniſtri Generalis, vel Provincialium adeſſe non poſſe cognoſceret. Notandum autem eſt, quod Bulla duntaxat de Vocalibus, qui vel Miniſtrum Generalem, vel Provincialem eligere debent, loquutur: hinc quoad alias Prælatorum electiones tempus trimeſtre fixum manet, niſi per alias leges municipales, ſeu Conſtitutiones, & Deciſiones, prout apud Nos factum eſt, aliud ſit ſancitum.*

Indulget & inſuper Summus Pontifex, quod Minores in hac parte electionis, nec aliis juris regulis coarctentur, ſeu ligentur, quod tamen non de eſſentialibus, nec de forma, vel à jure, præſertim cap. quia propter 42. de elect. *vel à Concilio Tridentino inducta, ſed de Solemnitatibus, quæ quidem accidentales, in jure tamen expreſſæ ſunt, intelligi debent: Solemnitates verò hujuſmodi ſunt,* Primo, *ut electio non fiat ante Prædeceſſoris ſepulturam, juxta* cap. bonæ memoriæ de elect. Secundo, *ut electio præſentetur intra octo dies juxta* cap. cupientes de elect. in 6. Tertio, *ut intra menſem electus conſentire teneatur juxta* cap. quam ſit de elect. in 6. Quarto, *ut præcedat auditio Miſſæ, & communio, quas Rodriquez* tom. 2. quæſt. Regul. q. 52. a. 1. fol. mihi 148. *ex allegato Concilio Baſileenſi neceſſarias requirit. Ab his & hujuſmodis juris conditionibus, Minores vi Clementini privilegii liberos declarant Miranda* tom. 2. Manual. quæſt. 13. art. 10. *Noſter Sigiſmundus à Bononia* dub. 19. num. 5. fol. mihi 32. num. 5. *Peyrinus* tom. 1. Privileg. Minim. in Conſtit. Julii II. incip. *Virtute* §. 3. num. 6. fol. mihi 82. &c.

Ad 4. *Quod electio Prælati Monaſterii de jure communi pertineat ad Monaſterium, ſeu ad Monachos vel Fratres eidem aggregatos, patet* ex c. Congregatio 16. quæſt. 7., c. Abbas 18. quæſt. 2. &c. *Jam verò, cum Religioſi, vel Monaſteria leges, aut ſtatuta juri*

gare, ac ſolvere poſſint, juxta ipſius Ordinis inſtituta.

communi contraria, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, cap. ſuper his de major. & obed. *concedere non poſſint, Clemens IV. Minoribus per hunc Bullæ articulum indulſit, ut, etiamſi Cuſtodes, & Guardiani aliter quàm per electionem localem inſtituerentur, factâ inſtitutione, cura animarum Fratrum iis competat; & ita privilegium hoc Sigiſmundus noſter* dub. 108. num. 7. fol. mihi 12. *Rodriquez* tom. 2. quæſt. reg. quæſt. 83. &c. *intelligunt.*

Loquitur Summus Pontifex de Cuſtodibus & Guardianis: pro quo notandum eſt, quod in Ordine Minoritano præter Miniſtrum Generalem, Provinciales, Definitores &c. qui ſunt veri Prælati, reperiantur, & Cuſtodes, ac Guardiani.

Duplex jam eſt Cuſtodum in noſtra Religione Capucina claſſis: prima eorum, qui nudè ex uſu quarumdam Provinciarum ad Capitulum Generale pro dandis votis ablegantur: alia illorum, qui habent ſub ſe Cuſtodias, Conventus & Guardianos; vel, qui ad Capitulum Generale quidem deputantur, eo ipsò tamen Cuſtodes Provinciæ manent, & Cuſtodes Cuſtodiarum vocitantur, & qui vi Regulæ c. 4. Infirmorum neceſſitatibus, & Fratrum indumentis providere, & ex S. Patris Teſtamento Fratres in fide non ſanos repertos, Ordinis Protectori præſentare debent &c. ac quibus per hunc Bullæ articulum ligandi, ac ſolvendi poteſtas committitur.

Porro privilegium hoc apud nos, Cuſtodes nec primæ, nec ſecundæ claſſis tangit; non eos primæ, cum non ſint Prælati, nec illos ſecundæ, cum apud nos per electionem, non quidem localem ſed capitularem, quæ locali æquivalet, inſtituantur. Tangit ergo privilegium unicè Guardianos, cum horum proviſio apud nos non à Fratribus Monaſterii, ſed à Definitorio Provinciali fiat: hinc & vi hujus privilegii hi Fratres illico ac ſunt electi, juxta Ordinis ſtatuta ligant & ſolvunt, haud aliter, ac id faciunt Cuſtodes per electionem inſtituti.

Lectores ſine alterius licentia, in Domibus ſuis docent.

§.5. Fratres autem de Ordine veſtro, quos ſecundùm conſtitutiones ipſius Ordinis Conventibus veſtris deputandos duxeritis in Lectores, ſine cujuſquam alterius licentia liberè in Domibus prædicti Ordinis legere, ac docere valeant in theologica facultate (illis locis exceptis, in quibus viget ſtudium generale) ac etiam quilibet in facultate ipſa docturus ſolemniter incipere conſuevit,

Ad 5. Vi hujus privilegii inſtituant Superiores Ordinis Minoritani Lectores in ſuis Domibus ita liberè, ut ab Epiſcopis locorum, nec pro hoc munere approbari, nec examinari debeant, quemadmodum Sacra Congregatio decidit per Decretum 25. April. 1573. *emanatam, & à Pignatelli* tom. 3. conſult. 62. fol. 135. col. 1. num. 23. *ita relatum* = Lectores Sacræ Scripturæ in quibuſcunque Conventibus Regularium de ipſorum licentia, ab Epiſcopo loci approbandi non ſunt, ſecus verò, ſi extra, quia in hoc caſu idem

§.6. ſer-

ſervandum eſt, quod in Prædicatore &c.

Debent autem inſtitui Lectores cum vi Clementinæ Ne in agro §. ad ampliationem de Statu Monach. *tum vi Concilii Tridentini* ſeſs. v. cap. 1. *& quidem quoad Regulares Mendicantes in Conventibus*, *in* quibus Studia commodè vigere poſſunt. *Huic autem Decreto Tridentino per lectionem Theologiæ Scholaſticæ vel Moralis ſatisfieri*, *ex uſu docent Rodriquez* tom. 2. quæſt. reg. quæſt. 130. art. 2. ſol. mihi 364. in fin. *Peyrinus* tom. 1. privil. FF. Minim. in Conſtit. 2. Julii II. §. 5. ſol. mihi 84. col. 1. num. 16.

Provinciales cum Definitoribus prædicationis officium Fratribus committunt.

§. 6. Et quia prohibente Regulâ veſtra, nulli Fratrum Minorum eſt licitum populo prædicare, niſi à Generali Miniſtro veſtri Ordinis examinatus, & approbatus fuerit, & ſibi prædicationis officium ab ipſo conceſſum; Nos prædictorum Fratrum laboribus, & periculoſis diſcurſibus evitandis, necnon ut animarum ſalus poſſit inde faciliùs provenire, ſuper prohibitione hujuſmodi opportunæ proviſionis remedium apponentes, ut ſinguli Provinciales Miniſtri in ſuis Provinciis cum Definitoribus, in Provincialibus Capitulis congregatis, Fratres in ſacra pagina eruditos examinare, & approbare, & eis officium prædicationis, Deum habendo præ oculis, committere valeant (ſicut ex forma Regulæ Miniſter poterat Generalis) plenam auctoritate præſentium concedimus facultatem.

Ad 6. Munus concionandi confert vi Regulæ ſolus P. Miniſter Generalis, vi autem hujus collateralis privilegii, *id FF. Minoribus in ſacra pagina eruditis committunt Provinciales Miniſtri cum Definitoribus in Capitulo congregatis*. *Aliter diſpoſuit*, *& privilegium limitavit Concilium Tridentinum* ſeſs. 5. c. 2. *hæc ſtatuens* = Regulares verò cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſunt; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint &c. *Item ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Nullus autem Sæcularis, aut Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. *Si tamen Regularem huic Decreto contrafacere contingeret*, *ſciendum eſt à S. Congregatione Concilii ſtatutum eſſe* = Regulares, qui abſque Epiſcopi licentiâ prædicaverint in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, tametſi Decreto ejuſdem Concilii *ſeſſ.* 24. c 4. contrafecerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantùm à ſuis Superioribus Regularibus.

Alia autem de hac re ſcienda dabunt loca in Indice Verb. Concionator. *unitim videnda*.

Fratres Minores à quocunque Catholico Antiſtite ordinari indulget.

§. 7. Et quia ejuſdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſæpius tranſmittuntur, propter quod ſtabilem & perpetuam in certis & determinatis ejuſdem Or-

Ad 7. Duo in hoc articulo conceduntur privilegia, *primum quidem*, *quod FF. Minores à quolibet Epiſcopo ordinari poſſint*, *& ſecundum*, ſine qualibet examinatione. *Porro pri-*

dinis Domibus non faciunt manſionem; quia etiam bonos & idoneos, ac approbatos à Vobis Fratres facitis ad ordines promoveri, liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis quibuſcumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem, & gratiam Apoſtolicæ Sedis habentibus præſentare; Ipſiſque Pontificibus præſentatos à vobis Fratres ſine qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni proviſione, vel obligatione ipſorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere.

mum non ampliùs ſubſiſtere leges ſupra fol. 69. *Quibus unicè adjungendum eſt, quod privilegium fortiùs ruat ex Decreto S. Congregationis, juſſu Clementis VIII. edito, quo Superioribus Ordinis dimiſſorias fuit ſubditis dare præcipitur tantùm* ad Epiſcopum Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis Ordinem ſuſcepturus, poſitus eſt.

Alterum autem privilegii de examine, tum per Leonem X. in Conc. Lateranenſi ſtatuente, quod Fratres ad Ordines promovendi poſſint per Ordinarios de grammatica & ſufficientia examinari, *tum per Concilium Tridentinum* ſeſſ. 23. de reform. cap. 7. 8. *& maximè cap. 12. verbis* = Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopali examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quoad hoc penitus excluſis, *tum per Decretum S. Congregationis ſub Clemente VIII. editum, ſuprà relatum, & ita ſonans* = dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam = *revocatum eſſe patenter eruitur.*

In Fratrum Oratoriis uſus Altaris portatilis permittitur.

§. 8. In locis quoque, in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia divina officia celebrare, ac etiam Eccleſiaſtica recipere Sacramenta.

Ad 8. Tempore, quo Fratres Minores Eccleſias necdum habebant, privilegium hoc viguit ſine obſtaculo: tempore verò, quo Sacroſancta Synodus Tridenti agebatur, & quo Eccleſiæ ad illorum uſum undique conſpiciebantur, fuit illud in dicta Synodo non parum vulneratum, uti infrà ad Decretum juſſu Clementis XI. deſuper editum annotabitur.

In hac eâdem Conſtitutione infrà n. 35. Sixtus privilegium hoc à Clemente IV. ad Oratoria locorum, in quibus Fratres morabantur, arctatum, ampliavit, dum etiam extra illa, & in quovis alio loco congruenti & honeſto ſuper Altari portatili ejuſmodi Miſſas... liberè & licitè celebrare Minoribus indulſit &c. *quod autem ita univerſaliter expreſſum in dicta nota Decreto Clementino ſubjungenda annullatum reperies.*

Iis facultas celebrandi Miſſas tempore interdicti conceditur.

§. 9. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, in Eccleſiis & Oratoriis veſtris, ac aliis quibuſcumque, cum ad loca perveneritis Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, clauſis januis, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campaniis, ſubmiſſa voce liceat vobis celebrare divina officia, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta; dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis ſpecialiter interdici, ne-

Ad 9. Remittit Compilator novi Bullarii Romani notâ marginali huic articulo appoſitâ Lectorem quoad hoc privilegium ad Sacrum Concilium Tridentinum & quidem ad Caput 12. Seſſionis 25. quo interdicta.... mandante Epiſcopo in Regularium Eccleſiis publicari, atque ſervari præcipitur: *Remitto autem & ego eum, omneſque illius notam legentes ad Conſtitutionem Clemen. VIII. incipientem* Sacræ Seraphici, *infrà dandam, & poſt*

Digitized by Google

neque Eccleſiæ, & Oratoria eadem fuerint ſpecialiter interdicta.

FF. Minores ſuis Familiaribus &c: Sacramenta adminiſtrant, eos in ſuis ſepeliunt cæmeteriis, ac tempore interdicti generalis ad Divina Officia admittunt.

§. 10. His verò, qui veſtris immorantur obſequiis, cuncta liberè miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos cum deceſſerint, in veſtris cæmeteriis ſepelire. Si quando autem in terras, in quibus reſidetis, vel earum perſonas excommunicationis, ſeu intordicti ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorum quoque veſtrorum procuratores, & operarii, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter continuè inſtiterint, hujuſmodi ſententiæ obnoxii minimè habeantur, ibique poſſint audire Divina, juxta formam, quæ locis ipſis in eo caſu à Sede Apoſtolica eſt conceſſa; niſi iidem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter ſeu interdici eoſdem contigerit.

& poſt Concilium Tridentinum emanatum, quâ Ordini Minoritano tempore interdicti Miſſas, & alia Divina Officia ſub præſcriptis conditionibus in nonnullis Ordinis Feſtis celebrare conceſſum eſt; ubi & de extenſione hujus privilegii agetur. Vide & hujas Bullæ numerum ſequentem, & infrà num. 35.

Ad 10. *Porro privilegium quoad Sacramentorum adminiſtrationem in hodiedum non controvertitur, utpote ab ipſo Concilio Tridentino* ſeſs. 24. de reform. cap. XI. *confirmatum, dum enim ibi nonnullos exemptos juri Ordinariorum ſubjicit, Regularium Famulos ſeu Familiares excipit per verba* = qui prædictis locis, aut militiis actu ſerviunt, & intra eorum ſepta, ac Domos reſident, ſubque eorum obedientia vivunt. *Ex quo ad uſum hujus privilegii tria copulativè concurrere debent. Primo, quod hujuſmodi Famali acta inſerviant Monaſteriis: Secundo, quod intra Fratrum ſepta & Domos reſideant, ubi, ut verbum* Septa *verificetur in clauſura, per Domos juxta Cardinalem de Luca* de juriſdict. diſt. 4. num. 9. *Monaſteria intelligi debent: Et tertio, ut ſub Fratrum obedientia vivant, non quidem, ut Paſſerinus* de Stat. tom. 2. par. 187. art. 1. ſol. 86. n. 338. *advertit, quia ex vi voti obedientiæ teneantur obedire, ſed quia obedientiâ ſervientium ſubſunt Domino ſeu Superiori. Hinc & cohærenter Sacra Congregatio Concilii* in una Mediolanen. *ad dubium* = An Laicis, qui intra clauſtra Regularium habitant, & illis actu ſerviunt, poſſint Regulares Sacramentum Euchariſtiæ, ac Extremæ Unctionis miniſtrare, necnon in eorum Eccleſiis eiſdem laicis ſepulturam dare? In menſe Junii 1587. reſcripſit POSSE, *quemadmodum* in lib. 4. Decret. ſol. 267. *regiſtratum reperitur. Quod ipſum in alia* Uratiſlavien. jurium Parochialium, *ante paucos annos innovatum fuit, in qua dum Abbas Monaſterii S. Vincentii Ord. Præmonſtratenſis in Perſonas eidem Monaſterio inſervientes, & tum intra, tum extra hujus ſepta commorantes omnimodum juriſdictionis Parochialis exercitium prætendit, à Sacra Congregatione Concilii 25. Januarii* 1738. (uti in theſauro reſol. Concil. tom. anni dicti ſol. 15. videre eſt) *fuit deciſum NEGATIVE', & additum* = Et P. Abbatem ſive Religioſos ab ipſo deputatos poſſe tantùm laicis degentibus intra ſepta Monaſterii, eique actu inſervientibus miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore

§. 11. Pa-

Digitized by Google

Paſchatis, ac Extremæ Unctionis, necnon ſepulturam dare in propria Eccleſia, juxta Decretum editum in Mediolanenſi. *Ex quo, dum à Sac.Congregatione Decretum hoc quaſi pro lege, & regula ſua teneri animadverto, omnes alias ejuſdem deciſiones miſſas facio, ſolùmque adhuc ſubjunctum volo, quod, etiamſi Decreta enunciata de Sacramento Pœnitentiæ Famulis ejuſmodi adminiſtrando ſileant, id tamen à Regularibus ſine approbatione Epiſcopi, licitè, & validè fieri poſſe, dummodò ſint à ſuis Superioribus approbati, tum ex Conſtitut. Clementis X.incip.* Superna, *tum ex Decreto Sac.Congregationis Concilii die 14. Auguſti 1568. emanata tenoris ſequentis* = Prælati Regulares, ſeu alii Regulares non poſſunt audire confeſſiones Sæcularium, qui ſunt de Familia, & deſerviunt ipſorum Moſiaſteriis abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi: ſecus tamen, ſi illi Sæculares ſunt verè de Familia, & continuè commenſales = *clarè patet, idq; tradunt Tamburinus, Barboſa &c. citati à Paſſer.* tom.2. de ſtat. hom.q.187.art.2.fol.mihi 86. n.338.

An autem ſæculari non familiari, qui caſu in Monaſterio vel in Eccleſia graviter infirmatur, & ad Cellas Conventûs portatur, debeant adminiſtrari Sacramenta à Parocho loci, vel à Superiore Conventûs, æque ſolidè ac pathetìcè reſolvit Paſſerinus tom. & quæſt. citat. art.4. fol.486. col.1. *his verbis*: Sed quantùm ad Sacramenta conſuetudo Orbis in jure fundata eſt, ut Fideles in neceſſitate illa recipiant à proprio Sacerdote loci, in quo ſunt, & ſic exiſtens infirmus in Monaſterio, Sacramenta recipit à Regularibus &c. = *Et ratio à Paſſerino addacta coadjuvatur doctrinâ Em.Cardinalis Petra, qui* tom.2.in Conſtit.9. Innoc.III. fol. 148. *in caſu licèt diſſimili, ita loquitur* = Adminiſtratio enim Sacramentorum reſpicit juriſdictionem localem &c.

A jure, quod Minores per privilegium habent, adminiſtrandi Familiaribus ſuis Sacramenta, deducitur & jus tumulandi: conceſſo enim quod eſt majus, conceſſum quoque ſupponitur, quod eſt minus. Et ita argumentatur Eminentiſſimus Petra loc. cit. fol.153. col.1. *ubi & alios citat Auctores conſentientes. Cumq; privilegium hoc in ſupradictis Sac. Congregationis Decretis ſpecificè contineatur, & communi per Urbem & Orbem praxi roboretur, non eſt, quod diutiùs eidem immorer; ſicut nec Privilegio tertio, hujuſmodi Familiares tempore interdicti ad officia Divina admittendi, cum ex ſuppoſito, quod poſt Tridentinum Minores interdicto aliquoties non ligentur, de eo non dubitetur, ſi iidem excommunicati aut interdicti ſpecialiter non exiſtent.*

Ad

Digitized by Google

FF. Minoribus in terris Excommunicatorum commorari conceditur.

§. 11. Et quia vos extremam patientes pro Chriſti nomine paupertatem, exhortationis pio ſtudio, bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris liberè commorari, & ab eis tunc, & etiam quando per ipſas vos tranſiere contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere, ac recipere valeatis.

Ad 11. Conceſſum fuit hoc indultum, primò ab Innocentio IV. per litteras ſuprà fol. 19. poſitas, viguit ſemper, & viget in hodiedum continuo Eccleſiæ commodo decorum. Cum autem jure communi cap. quoniam multos 11. quæſt. 3. *cum excommunicatis, etiam vitandis, in iis, quæ eorum ſalutem concernunt, converſari liceat, ideo, ne privilegium hoc inutile credatur, Doctores per id facultatem, cum excommunicatis etiam in iis, quæ remotè aut mediatè tantùm ad illorum ſalutem conducunt, uti ſunt colloquia, convictus &c. converſandi concedi tenent.*

Generali, & Provincialibus Miniſtris, necnon eorum Vicariis, ac Cuſtodibus Fratres Subditos à cenſuris abſolvendi, ac cum iis ſuper irregularitate diſpenſandi facultas datur.

§. 12. Generalis quoque, & ſinguli Provinciales Miniſtri, & eorum Vicarii, ac etiam Cuſtodes, in Provinciis & Cuſtodiis ſibi commiſſis; prædictis Fratribus conſtitutis ibidem, necnon & Fratribus aliis ejuſdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus, undecumque abſolutione & diſpoſitione indigentibus, ſive priuſquam intraverint Ordinem, ſive poſt, in caſibus, in quibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrerint ſententias, à jure, vel à Judice generaliter promulgatas, & hujuſmodi ſententiis innodati, aut in locis ſic ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto Divina Officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines, ſic ligati, notam irregularitatis incurrunt: abſolutionis & diſpenſationis beneficium valeant impartiri, niſi adeo gravis fuerit, & enormis exceſſus, quod ſint ad eamdem Sedem meritò deſtinandi.

Ad 12. De hac abſolvendi, & diſpenſandi facultate, jam ab Innocentio IV. ſuprà fol. 18. conceſſa ad calcem Conſtitutionis Leonis X. infrà exſcribendæ, & incipientis Exponi &c. *opportuniùs, & fusiùs agetur.*

Ipſi quoque recenſiti Ordinis, & Provinciarum Superiores à Fratribus, in Confeſſarios ab iis electos abſolvi & diſpenſari poſſunt.

§. 13. Fratres etiam veſtri, quos pro tempore vos Generalis, & Provinciales Miniſtri, necnon & vices veſtras gerentes, ac etiam Cuſtodes, in proprios habueritis Confeſſores, abſolutionis & diſpenſationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione & diſpenſatione Fratrum ejuſdem Ordinis ſuperiùs vobis factæ.

Ad 13. De vigore hujus privilegii juxta præcedentis paragraphi formam adminiſtrandi eò minùs dubitari debet quò certiùs ſubſiſtit, quod Prælati iis ipſis facultatibus, quas ipſi erga ſuos activè exercere poſſunt Subditos, & quæ Ordini communiter conceſſæ ſunt, paſſivè potiantur & gaudeant, cum deterioris conditionis Subditis non ſint cenſendi. Imò ex hoc ipſo, quod privilegia ob merita & labores, quibus Regulares cultum Dei promovent, & culturam Eccleſiaſticæ Vineæ fovent, potiſſimùm concedantur, & in hiſce *Præ-*

§. 14.

Digitized by Google

Prælati Subditis inferiores non ſint, æqua inter hos & illos videtur gratiarum communio. Ita diſcurrit & indultum certum & inconcuſſum tenet Lezana tom. 1. par. 1. Summæ quæſt. cap. 18. ſol. 127. num. 52. *tum* in Mari Magno Carmel. §.55. ſol. mihi 229. num. 336. *citans ibi Rodriquez, Cajetanum, Silveſtrum, noſtrum Coriolanum, Miranda, Boſſium, Bordonum &c.*

Iidem Superiores Majores à cenſuris tum recipiendos ad Ordinem, tum jam vel ad Habitum vel ad Religionem receptos abſolvunt, & cum iis in irregularitate diſpenſant.

§.14. Ad hæc, volentibus veſtro aggregari Collegio, qui ſuſpenſionis aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis à jure, vel à Judice promulgatis generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium obſervatâ formâ canonicâ impertiri, ipſoſque in Fratres recipere, ac eos, qui poſt aſſumptum Habitum, vel profeſſionem emiſſam recoluerint ſe talibus in ſæculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundùm formam ipſam vos Generalis, & Provinciales Miniſtri, & præfati Cuſtodes, ac vices veſtras agentes, valeatis abſolvere, & cum irregularibus diſpenſare, ſi forſan talibus innodati ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis, Divina præſumpſerint officia celebrare, vel Ordines receperint. Ita tamen, quod ſi aliqui ex hujuſmodi eiſdem ſententiis propter debitum ſunt adſtricti, ſatisfaciant, ut tenentur. Volumus autem nihilominus quod poſtquam fuerint abſoluti, hujuſmodi volentes aggregari ſupradicto Collegio, niſi mox Ordinem veſtrum intraverint (etiamſi ſuper hoc eis induciæ à Prælatis ejuſdem Ordinis concedantur) eoipſo in priſtinas ſententias, à quibus eos taliter abſolvi contigerit, relabantur. Cæterùm veſtra diſcretio cautè provideat, ut Apoſtolicæ Sedis, Legatorum ipſius, & Ordinariorum locorum, in abſolutionibus hujuſmodi ſcandalum evitetur.

Ad 14. *Quod ita abſolvi poſſint tum Novitii, tum recipiendi, patet primò quoad primos, quod juxta communem Novitii in favorabilibus veniant ſub nomine Religioſorum; & ſecundò quoad ſecundos, quod mox recipiendus habeatur pro recepto, & Apoſtolicæ Litteræ de recipiendis nominatim loquantur. Notandum tamen eſt, quod nec recipiendi, nec Novitii hujus abſolutionis vel diſpenſationis beneficio potiantur, niſi ſub certis conditionibus, quarum prima eſt, quod à cenſuris duntaxat generaliter promulgatis vi hujus privilegii abſolvantur. Secunda, quod debeat abſolutio fieri* obſervata forma canonicâ, & ſecundùm formam ipſam, *præſcriptam* in cap. à nobis de ſentent. excommunic. *quod tamen de abſolutione in foro externo duntaxat danda intelligendum eſſe cenſent Doctores. Tertia, quod mox Ordinem non intrantes in priores relabantur cenſuras, non quod prior data abſolutio valorem ſuum non ſit adepta, cum abſolutè & ſine ulla conditione dari debuerit, utpote* actu legitimo nullam conditionem recipiente, *ſed propter inobedientiam, vel dolum, quibus ſe novi peccati reos conſtituunt, eaſdemque ſe præſentandi obligationes contrahunt. Quarta, quod ſi cenſuræ proveniant ex debitis, non niſi datâ prius ſatisfactione, abſolutio ſubſiſtat. Et quinta, ut in hujuſmodi abſolutionibus ſcandalum Apoſtolicæ Sedis, Legatorum, & Ordinariorum loci evitetur, quod juxta Lezana* in Mare Magn. Minimor. § 9. ſol. 320. col. 2. num. 37. *denotat*, ut Prælati utentes hujuſmodi privilegiis cum volentibus aggregari eorum Religionibus prudenter ſe gerant, tum cum ipſis abſolvendis, tum cum Prælatis Eccleſiarum, Ordinariis videlicet locorum &c.

A quibus cenſuris autem abſolvi, & ſuper quibus irregularitatibus diſpenſari poſſint, in Nota prædictæ Leoninæ Conſtitutioni ſubnectenda videre erit.

Per litteras Apoſtolicas &c. FF. Minores conveniri prohibetur, ac ab aliis oneroſis commiſſionibus & juris eximuntur.

§.15. Porro quieti veſtræ providere volentes, quod per litteras Apnſtolicæ dictæ Sedis, aut Legatnrum, ſeu Delegatorum ipſius, conveniri à quoquam minimè valeatis: & quod ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis inviti per litteras ipſius Sedis de cætero impetrandas; quodque nullus veſtrûm correctionis, ſeu viſitationis, vel inquiſitionis officium Monaſteriis vel Eccleſiis, ſeu quibuſcunque perſonis Impendere, vel ad cognitinnes cauſarum, citationes partium, & denunciationes ſententiarum interdicti & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, ſeu Religioſarum quarumlibet perſonarum teneantur per Apnſtolicas litteras impetratas, & impetrandas inpoſterum, niſi hujuſmodi Apoſtolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine veſtro expreſſam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus. Concedimus etiam, nt ad viſitandum aliqua Monaſteria Monialium cujuſcunque Ordinis, vel ad andiendum confeſſiones earum compelli aliquatenus non poſſitis. Ad recipiendum commiſſiones cauſarum, ſeu ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas per literas præfatæ Sedis, in quibus non facta fuerit de indulgentia hujuſmodi mentio ſpecialis, ſive per Legaios, vel Delegatos ipſius, vel etiam per quoſcunque.

Ad 15. Quantumvis Minoritæ Summo Pontifici tum obedientiâ generali, ſeu aliis quibuſcunque Fidelibus communi, tum obedientiâ ſpeciali juxta illa S. Regulæ verba = Fr. Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus, *& declarationem à S. Bonaventura* in cap. 1. Reg. *deſuper factam, obedire teneantur, nihilominus, ut inter Apoſtolicos labores vitæ regularis quiete non privarentur, Sacra Sedes juri ſuo quaſi cedere voluit, indulgenda, ut per litteras, vel in Curia Romana expeditas, vel à S. Sedis Legatis, ac horum Subdelegatis emanatas conveniri, ſeu in jus vocari non poſſint. Hoc tamen de litteris Apoſtolicæ Sedis communibus, non verò de ſpecialiter ad Fratres directis intelligendum eſſe Rodriquez* tom. 2. quæſt. regul. qu. 119. art. 2. fol. mihi 343. col. 2. *Peyrinus* tom. 1. privil. FF. Minim. in conſtit. 2. Julii II. §. 10. fol. mihi 86. col. 2. n. 37. *Lezana* in Mare Mag. FF. Prædic. fol. mihi 19. num. 43. *cum aliis aſſerunt.*

Circa Sedis Apoſtolicæ Legatos, cum hi ſint in quadruplici differentia, Legati videlicet à latere, qui ſunt potiſſimùm Cardinales, & juxta Hierolexicon Macri verb. Legatus fol. mihi 339. col. 1. *tales dicuntur, cum ſumant inſigne ſuæ jurisdictionis & facultatis ſtantes à latere Pontificis ſub ejus Baldachino: alii Nuntii cum poteſtate Legati à latere, qui ſpeciales ſemper habent facultates, & ampliſſimas, figuramque gerunt Metropolitani, ſeu Primatis: alii Nuntii ſimpliciter miſſi, qui reſtricto duntaxat jure ſunt muniti: alii Legati nati, qui juxta eundem Macrum loc. cit.* ratione Eccleſiarum, quas poſſident, annexâ ex privilegio hac dignitate fruuntur, *dignè quæritur, quorum horum Legatorum litteris Minoritæ conveniri non poſſint? Porro cum privilegia Legatorum Natorum nonniſi ad facultatem ordinariam Archiepiſcopi ſeu Metropolitani extendantur, ab his Minoritas conveniri non poſſe, ex iis, quæ infra de locorum Ordinariis in hac materia dicentur, concluditur. Quoad Legatos ſimplices, Doctores quidem communiter docent, Fratres non poſſe coram iis conveniri, praxim tamen contrariam cum Peyrinus loc. cit. vix non communem dicat, cautè & humiliter cum iis agendum eſt, ſique in ſuo ſenſu ſe tenaces præbeant, exhibitio coram ipſis noſtri privilegii, ac inconcuſſæ ejuſdem poſſeſſionis probatio omnem perplexitatem demet, ipſoſque DD. Nuntios ad facultatem ſibi datam, & privilegio noſtro derogantem,*

vel allegandam vel producendam movebit.

Ex quo litteras Legatorum à latere, & Nuntiorum cum poteſtate Legatorum à latere à Minoribus recuſari non poſſe, limpidè inferri videtur, & cum Doctoribus tenetur; quod enim Nuntio minoris gradûs & facultatis conceſſum ſupponitur, id Nuntio, ſeu Legato majoris auctoritatis denegatum non cenſetur. Alios autem actus, commiſſiones, ſeu executiones, quibus Minoritæ eximuntur, ſpecificè in hoc articulo enarrantur, & in verbo abbreviato ſunt, Primò, *collectio pecuniarum.* Secundò, *officium viſitationis vel Inquiſitionis, ſive Monaſteriis, ſive Eccleſiis, ſive Perſonis impendendum.* Tertiò, *cauſarum cognitio.* Quartò, *cura Monialium ſuſcipienda, vel earum confeſſio excipienda. À qua Capacini in Italia exiſtentes non ſolùm vi privilegii liberi exiſtunt, ſed etiam per Conſtitutionem Clementis XII.* tom. 2. Bull. fol. 12. *juxta modificationem ibi poſitam abſtinere jubentur.* Quintò, *promulgatio interdicti ſeu cenſurarum, de qua in articulo ſequenti.*

Ab Eccleſiarum Prælatis, vel eorum Vicariis ac Officialibus Minoritæ ad ſententias ſeu cenſuras contra Principes & Benefactores promulgandas obligari non debent.

§. 16. Nullus inſuper Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nulluſque alius Prælatus Eccleſiaſticus, nec eorum Vicarii, vel Officiales, ad portandum ſeu deferendum litteras, vel exequendum aut denunciandum ſententias contra Principes ſæculares, Communitates, Populos, ſeu quoſcunque Benefactores veſtros, nulluſque delegatus vel ordinarius Judex ad faciendum citationes, vel commiſſiones recipiendas, ſive quod ſint in cauſis aliquibus aſſeſſores, ſive ad alias lites, ſeu controverſias contingentia in cauſis, quæ coram ipſis tractentur, quempiam veſtrûm compellere valeant, ſine prædictæ Sedis mandato, vel licentia ſpeciali, expreſſam faciente de hac indulgentia mentionem. Nec quiſquam veſtrûm parere, vel intendere teneatur ſuper his monitionibus, mandatis, aut juſſionibus eorumdem, aut facere, vel implere quod in hac parte injungendum duxerint.

Ad 16. Obſtat privilegio Concilium Tridentinum ſeſs. 25. cap. 12. *ſtatuens* = Cenſuræ & interdicta necdum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. *Ad quæ Paſſerinus* tom. 3. de ſtat. quæſt. 189. art. 10. fol. mihi 906. col. 2. *ita concludit* = Et ſic ex vi Concilii Tridentini interdicta non ſolùm generalia, ſed etiam Capitularia, & unius hominis Regulares publicare, & ſervare debent, mandante Epiſcopo, *arctatur tamen hæc Paſſerina loquendi univerſalitas per ſupra f. 164. col. 2. ad 9. enuntiatam Clementis VIII. Conſtitutionem, quâ Minoritæ in certis Ordinis ſui feſtis interdicta ſervare non tenentur; hinc ſi* ſervare & publicare *interdictum eodem, quo in Tridentino textu uniuntur, procedant paſſu, Minores in dictis feſtis nec ad publicandum interdictum teneri videntur.*

Quid autem in caſu, quo excommunicatio in ſpecie contra Principes vel Benefactores promulganda foret, ſperari poſſit, ab exemplo Provinciæ Rhenanæ tom. IV. Bull. fol. 338. *recenſito, & deciſione Sac. Rotæ ibi ſubjunctâ deduci poteſt.*

Generales & Provinciales, ac eorum Vicarii ſubditos cum Prælatis Eccleſiæ commorantes, aut aliàs litteris Apoſtolicis proviſos revocant & corrigunt.

§.17. Cæterum Generalis & Provinciales Miniſtri, ac ipſorum Vicarii, illos ex Fratribus, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ipſius, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac aliis quibuſcunque proviſum extitit, vel impoſterum contigerit provideri, corrigere, ac etiam non obſtante contradictione aliqua, poſſint ad ſuum Ordinem revocare; nec per litteras ejuſdem Sedis, ſeu Legatorum ipſius jam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipſius Ordinis præſatis Archiepiſcopis & Epiſcopis, aut aliis teneantur in ſocios deputare, niſi dictæ litteræ Apoſtolicæ obtinendæ, de indulto hujuſmodi, & Ordine ipſo expreſſam fecerint mentionem, & aliàs id honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti viderint expedire.

Ad 17. Jam quidem Regularibus jure communi Clem. Ne in agro §. quia verò de Statu Monachorum *extra Clauſtra ſine Superiorum licentia commorari fuit inhibitum; quod & in Concil. Tridentino fuit innovatum* ſeſs. 25. cap. 4. *per verba* = Prohibet Sancta Synodus, ne quis Regularis ſine ſui Superioris licentia, prædicationis vel lectionis, aut cujuſvis operis pii prætextu ſubjiciat ſe obſequio alicujus Prælati, Principis, vel Univerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuſcunque Perſonæ ſeu loci; neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis ſuper iis obtenta ſuffragetur; quod ſi contrafecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur = *Per indultum autem Laterale Superioribus Ordinis Minoritani facultas conceditur hujuſmodi Fratres, etiam Apoſtolica auctoritate, Prælatorum obſequiis deputatos puniendi & revocandi.*

Notari autem hîc debet, quod tum textus juris, tum Tridentina ſanctio ſupponant & permittant, ut ad hujuſmodi moras à Religioſis extra Clauſtra trahendas Superiores Ordinum licentiam concedere queant. Hoc tamen jam reſtrictum eſt jure novo indulto per Decretum Clementis VIII. de Reformat. Regul. §. 32. *ita expreſſum* = ineatur ratio, quâ ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcunque conceſſis degentes extra Conventûs clauſtra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda hujuſmodi facultates concedi poſſint.

Minoritas nullus Prælatus, Legato à latere duntaxat excepto, nec ulla alia vel Religioſa, vel Sæcularis Perſona in Socios ſeu ad negotia tractanda aſſumere poteſt, niſi eos Superiores probaverint.

§. 18. Nullus autem Legatus, niſi de latere noſtro miſſus, auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, ſpecialem de hoc indulto, & Ordine veſtro non facientium mentionem, nulluſque Prælatus, nec aliqua Perſona religioſa, vel ſæcularis de Fratribus ejuſdem Ordinis, ad ſua, ſeu Eccleſiæ negotia procuranda, vel ad ſecum manendum, aliquos aſſumere valeat, niſi quos Generalis & Provincialis Miniſter ipſorum, tanquam idoneos & diſcretos ſibi duxerint aſſignandos: quos etiam ſubjacere volumus Ordinis diſciplinæ.

Ad 18. Retroactis temporibus ab Epiſcopo Regulares cujuſcunque Ordinis ſibi in obſequium, invitis etiam eorum Superioribus cap. cum Paſtoris *aſſumptos fuiſſe tradit variè hiſtoria, hinc & iis in Concilio Viennenſi* Clem. 2. de celeb. Miſſ. *indultum fuit, ut in recitatione divini Officii Epiſcopis, quibus inſerviebant, ſe conformarent.*

Factum fuerit licèt hoc vel ex eo, quod Regulares eo tempore adhuc ſub Epiſcoporum jure conſtiterint, vel ex eo, quod Superiores reverenti ſilentio factum probaverint, vi tamen hujus Clementini privilegii, Sanctione Concilii Tridentini ſeſs. 25. cap. 4. *firmati, requiritur Superiorum Ordinis conſenſus,*

imò hic non amplius ſufficit, ſed ex juſſu Sac. Congregationis Pontificia licentia obtineri debet.

Poſſunt & Superiores Minorum tum prædicantes Crucem, tum Inquiſitores amovere, aliò transferre, alioſque iis ſubſtituere.

§.19. Illos verò, ipſius Ordinis Fratres, qui ad prædicandum Crucem, vel inquirendum contra pravitatem hæreticam, ſeu ad alia hujuſmodi negotia, ſunt, vel fuerint ubicunque à Sede Apoſtolica deputati, Tu fili Generalis Miniſter, tuique ſucceſſores, removere, ſeu revocare & penitus transferre, ipſiſque, quod ſuperſedeant, injungere, alioſque ſubſtituere cum expedire videritis, liberè & licitè valeatis, & in eos, ſi contravenerint, cenſuram Eccleſiaſticam exercere: & quilibet Miniſter Provincialis, vel ejus Vicarius ejuſdem Ordinis, id ipſum in ſua Provincia circa Fratres ipſius Ordinis, quibus ab eadem Sede ſimilia contigerit committi, facere poſſit. Non obſtantibus aliquibus litteris, vel Indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel etiam impoſterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem.

Ad 19. Privilegium hoc eſt extenſivum alterius ſub §.17. comprehenſi, & vigore illius Generalis, & Provinciales, etiam Prædicantes crucem, & Inquiſitores removent & mutant.

Per Crucem ſeu Cruciatam intelligitur ea expeditio, qua olim Chriſtiani Cruce rubea inſigniti, & indulgentiarum lucro allecti, juxta Tiraquellum lib. 1. de bello Sacro cap. 17. *Terræ Sanctæ recuperationem quæſiverunt. Inquiſitores autem ſunt ii, qui judices in cauſa fidei ſunt, & contra hæreticam pravitatem inquirunt. Inſpecto moderno Ordinis noſtri Statu ſicut modicam vel nullam utriuſque hujus officii partem habemus, ita & privilegii tenor majore deductione non eget.*

FF. Minoribus emiſſa Profeſſione ab Ordine ſine licentia diſcedere, & aliis diſcedentem recipere inhibetur.

§.20. Inhibemus quoque, ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam, ſine Generalis, vel ſui Provincialis licentia diſcedat ab ipſo, diſcedentem verò abſque cautione litterarum alterius ipſorum, prætextu alicujus privilegii Apoſtolicæ Sedis, nullus audeat retinere. Quod ſi fortè retinere præſumpſerit, vobis Generalis, & Provinciales Miniſtri dumtaxat licitum ſit in ipſos diſcedentes Fratres ſententiam excommunicationis promulgare.

Ad 20. Suſpenditur gloſſa, cum hanc & ſubſequentiam articulorum categoriam opportuniore loco dari ſuadeat prolixa eorum materia.

Dimiſſi Minoritæ ad alias Religiones intra tres menſes tranſire debent, aut contra eos ceu Apoſtatas procedi poteſt.

§.21. Si verò aliqui de Fratribus veſtri Ordinis poſt obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à vobis, ad Religionem aliam tranſeundi, infra duos vel tres menſes ſe ad illam Religionem ſuæ ſaluti congruam non contulerint, & ipſius non ſuſceperint Habitum regularem, licitum ſit vobis Generali & Provincialibus Miniſtris, & vices veſtras gerentibus, contra ipſos, tanquam contra alios Ordinis veſtri Apoſtatas procedere, ſecundùm quod honeſtati ipſius Ordinis vide-

Ad 21. Uti ſupra.

de- *Ad*

deritis expedire. Illud idem intelligi volumus, de iliis, qui poſt ſuſceptionem Habitûs alterius Religionis, infra tempus probationis nulla profeſſione facta, inde præſumpſerint reſilire.

Apoſtatæ etiam invocato brachio ſæculari capiuntur & excommunicantur.

§.22. Apoſtatas quoque veſtri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & aliàs ſubdere diſciplinæ rigori poſſitis per vos, ac etiam alios in quocunq; Habitu eos contigerit inveniri, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Inhibemus etiam, ne Fratres, quos ab Ordine veſtro pro ſuis culpis per Generalem, ſeu Provinciales Miniſtros aut Cuſtodes expellî contigerit, vel qui egreſſi fuerint, proprio ſuo motu prædicare, confeſſiones audire, ſeu docere præſumant, niſi ad alium Ordinem, in quo licitè hujuſmodi exercentur officia, tranſierint, de veſtra, vel dictorum Miniſtrorum licentia ſpeciali. Quod ſi fortè ipſi contra hujuſmodi inhibitionem noſtram aliquid ſuper præmiſſis temerè attentare præſumpſerint, Miniſtri, ac Cuſtodes, & eorum Vicarii in illos, quos infra fines ſuarum Provinciarum, & Cuſtodiarum, juxta conſuetudinem Ordinis veſtri præſcriptos invenerint, talia præſumentes, monitione præmiſſâ, auctoritate noſtra excommunicationis ſententiam valeant promulgare.

Ad 22. Nec hic chartam nitidam excurſu in materiam Apoſtatarum contaminare volo: conjunctam Lector in Indice hujus tomi verbo Apoſtata *inveniet.*

Expulſi ab Ordine, honore & officiis priventur, ad alios tamen Ordines iis tranſitus conceditur.

§.23. Ejectos autem de Ordine veſtro, vel egreſſos, qui receptione in eodē Ordine ſuis culpis exigentibus reddiderint ſe indignos, & alios Fratres ejuſdem Ordinis ex rationabili cauſa ad quoſcunque Ordines approbatos, præterquam ad B. Auguſtini, Templariorum, Hoſpitaliorum, & aliorum Religioſorum arma portantium, ad vitandam occaſionem evagandi, Generalis, & Provinciales Miniſtri cum ſuis teſtimonialibus litteris auctoritate noſtra licentiandi, liberam habeant facultatem. Nos enim diſtrictiùs inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter tranſire, vel aliqui eos recipere, ſeu retinere præſumant, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, faciente de hoc plenariam mentionem.

Ad 23. Uti ſupra mutato verbo Apoſtata *in* Expulſi.

Digitized by Google

Habitum Minoriticum, vel ei conſimilem portare inhibetur.

§.24. Inhibemus etiam, ut nulli ſive ſit in Religionis Ordine, ſive extra Ordinem conſtitutus, Habitum veſtrum, aut ita conſimilem, quod propter eum Frater Minor eredi poſſit, deferre liceat abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Et ut dicta inhibitio majorem conſequatur effectum, ſtatuimus, ut hi, qui Habitum veſtrum, vel ſibi prædicto modo conſimilem deferre præſumpſerint, ad deponendum ipſum per Diœceſanos locorum, eum à vobis requiſiti fuerint, monitione præmiſsâ per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellantur.

Ad 24. Jure communi & Sacris Canonibus generaliter cautum eſt, ne una Religio utatur Habitu alterius; diverſa enim profeſſio diverſitatem quoque exigit veſtimenti, cum hoc Religiones viſibiliter diſtinguat, vel, ut Concilium Aquiſgranenſe cap. 125. *ait*, Habitus ſingulorum Ordinum in Eccleſia idcirco ad invicem diſcreti ſunt, ut his viſis, cujus propoſiti ſit geſtans, vel in qua profeſſione Deo militet, liquidè cognoſcatur: confuſio inſuper Habitûs *juxta Innocentium IV. in ſua Conſtitutione ſuprà fol.*20. *poſitam*, ſæpe confuſionem inducat Ordinum, & etiam animorum, *ſitque contentionum fœcunda radix. Non facit quidem Monachum Habitus, in dubio tamen facit præſumptionem, ut judicetur quis talis, qualem eum deſignat Habitus.*

Speciatim autem tum in Conſtitutione prædicta, tum in hoc articulo geſtatio Habitûs Minoritani ſine S. Sedis licentia prohibetur, & in caſu ab Ordinariis requiſitis, & monitione præmiſsâ ii, qui illegitimè eum portant, ad eum deponendum per cenſuras ſunt compellendi. Hinc & 1686., *ad inſtantias, quibus Procuratores Generales RR. PP. Obſervantium & Reformatorum, necnon & Capucinorum Conſtitutiones Pontificias deſuper emanatas ſervari rogârunt, S. Congregatio Ordinariis locorum injunxit, ut circa Habitum Franciſcanum Conſtitutiones Apoſtolicæ* juxta earum teoorem executioni demandentur. *Tomus* 1. *Bullarii fol* 132. *& ſeq. tam Libellum Supplicem, cum Decretum Sac. Congregationis exhibet, in cujus Indice* verb. Habitus, *pariter annotantur & paginæ, in quibus Apoſtolicæ Conſtitutiones geſtationem Habitûs Capucini prohibentes extenduntur. Ex devotione vel voto à pueris hunc aliquando portari exempla docent, ſciendum tamen circa hoc eſt, quod expleto ſexto ætatis anno illum deponere debeant, prout ſub die* 16. *Septembris* 1627. *à Sac. Congregatione reſcriptum eſſe ex Lantuſca Emin. Petra* tom. v. fol. mihi 277. col. 2. num. 10. *& Matthæucci* in offic. Curiæ fol. mihi 161. col. 2. *referunt.*

Decimas nec de hortis, nec de virgultis ſolvunt Minoritæ.

§.25. Cæterum, cum humilitas veſtra ſibi de latitudine Orbis terræ nihil, præter Domos & hortos cum virgultis, præmiorum obtentu cœleſtium, duxerit reſervandum, Nos piè volentes, quod illorum fructus integrè veſtræ paupertatis uſibus appli-

Ad 25. Et licitum, & rationi congruum dicit ſuprà Clemens V. quod Fratres, qui in laboribus ſpiritualibus orationis, & ſtudii ſedulò occupantur, hortos & areas habeant competentes &c. *Ex hiſce autem decimas, vel alias exactiones petere à contrario*

entur, ut de dictis hortis, & virgultis nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præſentium indulgemus, diſtrictiùs inhibentes, ne quis à vobis de præmiſſis aliquid exigere, vel extorquere præſumat.

& illicitum & rationi difforme audacter dixero; illicitum, enim generatim Regulares ſtabilia non poſſidentes, & ex pura eleemoſyna viventes, ad decimas ſolvendas non tenentur, uti jam ſæpius deciſum eſt; rationi difforme, ubi enim decimarum fundus nihil eſt, lex Imperatoris ceſſat, & Is nullam videtur actionem vel exactionem habere, cui propter inopiam adverſarii actio vel exactio eſt inanis.

Bona à Novitiis reſtituenda Dominis, qui ſciri vel inveniri nequeunt, in pios uſus convertendi, Miniſtris &c. facultas conceditur.

26. Quia verò nonnulli veſtræ Habitum Religionis aſſumentes, diverſis perſonis, quæ ſciri & inveniri non poſſunt, interdum aliqua bona reſtituere tenentur: Vobis Miniſtris & Cuſtodibus, ac Vicariis prædictis concedimus, ut ſinguli veſtrûm in locis ſibi commiſſis, bona ipſa in pios uſus convertere valeant, prout ſecundùm Deum viderint expedire.

Ad 26. Notat Rodriquezius tom. 3. quæſt. 56. art. 4. fol. mihi 197. *Minoribus utile concedi privilegium, dum facultas bona Novitiorum ad uſus pios applicandi eorum Miniſtris confertur; cum aliàs juxta Regulæ caput ſecundum Novitios ad alios pro bonorum diſpoſitione remittere deberent. Et quantumvis bona in hoc paragrapho expreſſa, in rigore bona Novitiorum non ſint, ea tamen in horum poteſtate eſſe, & ad eos illorum diſpoſitionem pertinere, idem Rodriquez loc. cit. affirmat.*

Contendunt quidem nonnulli, hujuſmodi incertorum reſtitutionem pertinere ad Epiſcopos, quibus autem Navarrus cap. 17. n. 92. *fusè contradicit. A' lite diſcedo, cum Ordo meus, ubi de bonorum diviſione agitur, nec manum nec manicam apponat, & ſpartam deſuper aliis libenter relinquat.*

In Eccleſiis Minorum ſepultura omnibus libera ſtatuitur, ac quibuſcumque aliis in illorum cœmeteriis defunctos iis invitis ſepelire, ac in Eccleſiis exequias celebrari inhibetur.

§. 27. Sepulturam quoque in Eccleſiis veſtris concedimus, & eam liberam eſſe cenſemus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deſideraverint, niſi excommunicati & interdicti, aut etiam publici Uſurarii fuerint, nullus obſiſtat: ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus corpora mortuorum aſſumuntur: diſtrictiùs inhibentes, ut nulli Religioſi, vel ſæculares vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in veſtris cœmeteriis ſepelire, aut in Eccleſiis veſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, ſine veſtro aſſenſu, & voluntate præſumant.

Ad 27. Reſervatur & hujus articuli categoria opportuniori loco, interim, ſicut privilegium clarè hic pro Minoribus generatim expreſſum eſt, ita illud ſervatis ſervandis, pro Nobis Capucinis, tum Decreto Sac. Congregationis Concilii, tum deciſione Rotali tom. 1. Bullarii fol. 82. *videndis, tum aliis Decretis hinc inde per tomos Bullarii diſperſis munitum tene, & Reverendiſſimum Patrem Matthæuccium, dum in ſuo officiali Curiæ* cap. 48. fol. mihi 370. col. 2. *Eccleſiis noſtris jus ſepeliendi detrahit, invitum ad devia abreptum fuiſſe concInde. Vide infrà in hac Bulla num. 37. privilegium hoc declaratum & ampliatum.*

FF. Minoribus extra Ordinem confiteri prohibetur.

§.28. Inhibemus inſuper univerſis Fratribus veſtri Ordinis, ne aliquis eorum, niſi neceſſitatis urgente articulo, alii quàm Prælatis ſuis peccata ſua confiteri præſumat, vel aliis ejuſdem Ordinis Sacerdotibus ſecundùm Regulam, & ipſius Ordinis inſtituta.

Ad 28. Infirmatum eſt hoc privilegium Conſtitutione moderni Summi Pontificis Benedicti XIV. quæ in ſeptimo & ultimo Bullarii tomo dabitur.

Fratrum confeſſiones invitis Superioribus excipere, eos ad Synodos vel proceſſiones compellere, aut eorum gubernio ſe immiſcere, Ordinarii locorum non poſſunt.

§.29. Univerſis autem Eccleſiarum Prælatis, & aliis inhibemus, ne confeſſiones veſtras vobis invitis audire, vel compellere veſtros ad Synodos, ſeu convocationes ſuas accedere, vel cum eis extra Civitates vel intra proceſſionaliter exire, aut ſuis Conſtitutionibus ſubjacere, vel Capitula, ſcrutinia, & inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam à Miniſtris, Cuſtodibus, vel Guardianis veſtris exigere, aut de ipſorum inſtitutione, vel deſtitutione, ſive de ſtatutis veſtri Ordinis ſe aliquatenus intromittere, ſeu prohibere, ne ad Civitates vel Villas, ubi religiosè vel honeſtè morari poſſitis, à populis evocati, audeatis accedere, ibique pro veſtris uſibus conſtruere ædificia, Eccleſias, ſeu Oratoria, aut in accedentes Fratres, ſeu conſtruentes hujuſmodi, vel receptores ipſorum, excommunicationis ſententias ferre præſumant.

Ad 29. Plura continet hic numerus privilegia, de quibus hic diſtinctè agitur (uno ſolo ad alium locum remiſſo). Primo quidem prohibetur Eccleſiarum Prælatis, ne audiant Minorum Confeſſiones, Superioribus horum invitis. Ex quo confeſſiones taliter auditas Lezana in Mare Magnum Minorum fol. 69. §.33. *invalidas fore aſſerit ex defectu juriſdictionis, quam in Minores nullus habet, niſi eorum Prælati, & cui ipſi hanc commiſerint, uti notant Peyrinus* in Conſtitut. 2. Julii II. §.25. num. 26. *noſter Longus* de caſib. reſerv. 1. part. ſect. 3. art. 13. num. 1. &c.

Limitari tamen hoc debet pro caſu, quo Superior injuſtitiâ certâ (ſtante enim dubio in favorem Superioris judicari deberet) ſubdito Minoritæ negaret abſolutionem, nec hic intra Ordinem alium, à quo abſolvi poſſet, reperiret. Quo in caſu ſubditus Epiſcopo, vel alii ab eo deputato confiteri poſſet, nam per epichejam hanc Papæ, vel Religionis, vel Superiorum majorum voluntatem eſſe, præſumi poſſe tenet Lezana loc. cit. *ubi & citat Molinam* tom. 4. de juſt. diſp. 61. num. 5. *Sanchez* in præcep. Decal. lib. 4. cap. 39. n. 36. *& Bordonum* reſol. 34. num. 22. *expreſſè id affirmantem.*

Dicitur, Superioribus invitis, ſi enim hi vel tacitè, vel interpretativè conſentiant, cenſendum eſt, ipſis Prælatis ab iis facultatem eſſe delegatam. Quod tamen de Epiſcopis locorum, in quibus Minoritæ degunt, intelligi debet, cum hi in illa Diœceſi habeant juxta Sanchez loc. ſupra cit. num. 3. *Portellum* in dub. Regul. verb. Epiſcopus in addit. num. 4. *& Bordonum* cit. num. 21. *juriſdictionem jure communi.*

Quoad ſecundum, ſeu quod Minoritæ ad Synodos compelli non poſſint, eruitur ex ipſo Concilio Tridentino ſeſs. 24. cap. 2. *ubi ita ſtatuit* = Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe

§.30. reſſe

reſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, accedere teneantur, ratione tamen Parochialium, aut aliarum Eccleſiarum Sæcularium etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi ſint, Synodo intereſſe = *hinc cum Concilium Regulares eos, qui curam animarum exercent, ad acceſſum ſpecificè obligat, alios ab illo immunes declarat, quod non ſolùm Conſtitutione Innocentii IV.* Nimis iniqua *ſupra fol.* 21. *videnda ſancitum jam prius fuerat, verùm etiam variè deciſum in Auctoribus reperitur.*

Neque ad conferentias morales, ſeu caſus conſcientiæ ab Epiſcopis Regulares vocari poſſe, probat luculenter Reſolutio Sac. Congregationis Concilii in theſauro reſol. tom. 1. fol. 29. *ita extenſa.*

Aquipendii Viſitationis Sacrorum Liminum. In relatione ſtatûs Eccleſiæ de more ab Epiſcopo Aquipendii ad hanc Sacram Congregationem tranſmiſſa, legitur ab eodem inſtitutas fuiſſe in ſua Diœceſi Conferentias, ſive Congregationes pro diſcutiendis caſibus conſcientiæ, quæ ſingulo quoque menſe coguntur, cuique diligentiſſimè interveniunt omnes Parochi & Sacerdotes, quibus fidelium Sacramentales confeſſiones commiſſæ ſunt, & reliquus Eccleſiaſticorum Cœtus.

In eadem relatione habetur, quatuor eſſe Conventus Regularium in Civitate Aquipendii, Auguſtinianorum videlicet, Minorum Conventualium, Capucinorum, & Patrum Minoris Obſervantiæ, & Religioſos in iiſdem degentes ſæpe ſæpius non eſſe in numero à Sanctionibus Apoſtolicis præſcripto.

Rurſus in citata legitur relatione, alios quinque eſſe Religioſorum Conventus in Diœceſi, duos Patrum Minoris Obſervantiæ, alterum in Terra Canini, alterum in Terra Farneſii, ubi pariter exiſtit Conventus Capucinorum. Quartus Conventus eſt ille Servorum B. M. Virginis, qui eſt in Terra Iſchiæ, & poſtremus eſt Conventus Carmelitarum in Oppido Cellularum, qui eſt Epiſcopali Viſitationi ſubjectus. Tandem in relatione, aliis prætermiſſis dubiis, qui ſpecialem non merentur diſcuſſionem, proponit Epiſcopus, an Regularibus, qui ſuorum ſubditorum confeſſiones audire cupiunt, liberum ſibi ſit & licitum, conditionem in concedendis facultatibus injungere, intereſſendi videlicet menſtruis diſceptationibus, & Congregationibus caſuum conſcientiæ.

Pro parte affirmativa ponderari poſſe videtur, id non eſſe novum: claræ etenim memoriæ Cardinalis de Luca *in Annotationibus*

nibus ad Concilium Tridentinum diſcur. 2. num. 2. dixit, id futurum eſſe maximopere proficuum, tum, ut Epiſcopus perſpectas habeat opiniones omnium ſuorum Confeſſariorum, tum, ut quantùm poſſibile eſt, uniformis ſit Confeſſariorum doctrina in materia morum, & ſignanter contractuum, in qua ſæpe ſæpius Theologi diſſident à Theologis, & à Canoniſtis: quibus addi poſſet, collationem hanc omnium Confeſſariorum tam Sæcularium, quam Regularium futuram eſſe non inutilem pro animorum unione, juxta ea, quæ habentur in actis Eccleſiæ Mediolanenſis *tomo* 1. *parte* 4. *in inſtruct. Confeſſ. pag.* 647. Ideo Regularium Superiores Confeſſores ſuos ſæpius moneant, & ad hanc animorum unionem in Fidelium ędificationē adhortentur, curentque in primis, ut, dum in caſuum reſolutione diverſa inter eos, & Parochos ſententia fuerit, prudenter in eos ſe gerant, & ad laicorum notitiam id non veniat, ſed ad Nos pro deciſione recurrant.

Negativæ econtra favent opinioni ea, quæ ſequuntur; primò, quod Epiſcopus Confeſſariorum Regularium doctrinam perſpectam habere poteſt in examine, quod illorum approbationem præcedit, ad terminos Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformat.* Secundò, quod in Decretis pro reformatione Regularium, editis à Clemente VIII. præſcribitur, quod in ſingulis Monaſteriis, & Conventibus bis in hebdomada habeatur lectio Sacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ, ad quam Fratres omnes convenire tenentur; Tertiò, quod hîc in Urbe, in decem & ſeptem Conventibus fiunt Congregationes caſuum conſcientiæ, illiſque interveniunt Parochi tantummodo, & Confeſſarii ex Clero Sæculari, & Regulares, in quorum Conventibus prædictæ caſuum lectiones habentur; Quartò tandem, quod ab hac Sacra Congregatione die 12. Maji 1685. uti habetur *lib. Decret. 35. fol. 238.* prodiit hæc reſolutio in quadam cauſa Foroſempronien. Acceſsûs ad Congregationem caſuum conſcientiæ.

Epiſcopus exponit in Civitate Foroſempronien. duo adeſſe Regularium Cœnobia, unum ſcilicet Minorum Conventualium S. Franciſci, alterum verò Barnabitarum, quæ propter exiguum Religioſorum numerum inibi degen-

tium,

tium, ſubjecta ſunt juriſdictioni Ordinarii, ex Decreto s. m. Innocentii XI. incipien. *Ut in parvis*, & licèt dicti Religioſi hujuſmodi ſubjectionem agnoſcant atque patiantur, qui tamen ex eis ſæcularium confeſſiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem caſuum conſcientiæ, quæ ſingulis menſibus habetur, cuique Confeſſarii omnes interſunt, accedere renuunt; quocirca petit declarari, an prædictos Confeſſarios Regulares cogere poſſit ad intereſſendum præfatæ Congregationi Caſuum Conſcientiæ? Sacra &c. reſpondit negativè.

His poſitis, onus erit EE. VV. decernere.

An in caſu, de quo agitur, permiſſum eſſe valeat Epiſcopo concedenti Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium injungere, ut interſint Congregationibus caſuum conſcientiæ.

Sacra Congregatio die 12. Maji 1718. reſpondit

Negativè, & detur Decretum in Foroſempronien. 12. Maji 1688.

Punctum, quod ſuprà ad alium locum remittendum eſſe dixi, eſt illud, quo Prælatis Eccleſiarum Regulares ad proceſſiones compellere inhibetur, cum enim hoc Minoritarum privilegium à Concilio Tridentino ſeſs. 25. de Regul. cap. 13. *fuerit modificatum, aliaque plura ſcitu neceſſaria involvat, aptiùs ad calcem Conſtitutionis Gregorii XIII. incip.* Expoſcit, *illius elucidatio rejicitur. Quod iidem Prælati Regulares ſuis Conſtitutionibus, quæ actiones totius populi communes non concernunt, aut fors Regulari Obſervantiæ derogant, ſubjicere, de iis vel in ipſis Regularium Domibus, vel extra eas (extra* ca-

caſus exceptos) inquirere, aut ſe Superiorum inſtitutioni, aut deſtitutioni immiſcere non poſſiat, concordat cum privilegio, Regulares à jure Epiſcoporum eximente.

Ad punctum de fidelitate & obedientia à Regularibus Epiſcopis non promittenda reſpondet Emin. Card. Petra tom. IV. Comment. in Conſtit. Gregor. XI. fol. mihi 172. col. 2. num. 9. *poſt adductas plurium Pontificum Bullas ita concludens* = Ideoque non ſolùm eſt prohibitum Epiſcopis exigere hanc obedientiam ab Ordinandis Regularibus, ſed nec etiam poſſunt recipere, ſi id velint Ordinandi; quique etiam prohibentur id agere, cum ipſi ſint immediatè ſubjecti Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, uti ſuo immediato Superiori, ideoque non poſſunt ſine gravi injuria ejuſdem Sanctæ Sedis aliis ſe ſubmittere, & ab immediata ſubjectione erga illam ſe ſubtrahere . . . . . graviterque Epiſcopi agerent contra Sanctæ Sedis poteſtatem, ſi, dum ab ea, uti à fonte juriſdictionem aſſumunt, id, quod hæc ſibi reſervavit, uſurpare velint, ejuſdemque Sedis jura invadere tentent, quia exemptio ſit gratia exemptoris potius, quàm exempti.

Hinc Goffridus Abbas Vindocinenſis, poſtea Cardinalis Sanctæ Priſcæ, cum in ſui benedictione, ceu Abbas immediatè Romano Pontifici ſubjectus, obedientiam ac fidelitatem Epiſcopo promittere coactus fuiſſet, Ivoni Epiſcopo Carnotenſi Epiſtol. Lib. 2. Epiſt. 2. actum violentum, profeſſionem *appellatum ita perſtrinxit* = Profeſſum veſtrum me vocâſtis, ſatis meliùs fuiſſet, ut à Vobis Sacratum dixiſſetis. Quod ſi pro conſecratione profeſſionem, & pro profeſſione ab Achodiario B. Petri ſubjectionem Vobis vindicâſtis, conſecrationem utiq; illam gratis minimè impendiſtis: non enim gratis impenditur, per quod homo homini ſubjectus efficitur; in profeſſione ſiquidem illa, conſilio veſtro, nimis ſimpliciter acquievi; ubi ſi quid aliter actum eſt, Vos ſcienter feciſtis, ego autem ignoranter peccavi &c.

Quid in ſpecie circa nos Capucinos in caſu Flandriæ ad favorem fuerit à Sacra Congregatione Concilii deciſum, in tom. 1. hujus Bullarii fol. 72. reperire eſt. Plura qui deſuper quærit, Cardinalem Petra loco cit. alioſque adeat.

Ad ultimum, quod Eccleſiarum Antiſtites FF. Minores in conſtruendis Cœnobiis non poſſint impedire, in hoc tomo tum à Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3. *tum ab aliis Summis Pontificibus, tum à Sac. Congregationum Decretis modificatum fuiſſe Lector ſparſim, & in Indice verb.* Conventus *unicum inveniet.*

Ad

FF. Minores de piis Legatis canonicam portionem non ſolvunt.

§.30. Concedimus quoque vobis, ut de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ac aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pitantiis, aut victu, ad ſuſtentationem veſtram, vel indumentis, necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ Domus veſtri Ordinis obligatæ noſcuntur, vel de Domibus, prædiis & hortis, aliiſque locis, vobis ſecundùm inſtituta veſtri Ordinis opportunis, aut de his, quæ pro hujuſmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis, vobis legantur (dummodo præmiſſa non convertantur in uſus alios, ſed in illos duntaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac conceſſione vel indulgentia continentur) nulli canonicam juſtitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hæredibus de præmiſſis aliquid exigere vel extorquere præſumat, diſtrictiùs inhibemus.

Ad 30. Vix in judicio jacta eſt tanto religioſo calore, cauſis beneficialibus exceptis, alia canonica materia, quantò hæc de canonica juſtitia ſeu portione, cum enim RR. DD. Parochi laboris & altaris ſui ſtipendio privari detrectarent, & Regulares in privilegio ſuo, Apoſtolici ſui zeli præmio, manuteneri inſiſterent, controverſiæ ad Sacros Conciliorum congreſſus, ad Curiæ Romanæ Staturam, & Epiſcopalium Tribunalium fores continuatâ ſerie fuerunt delatæ. Nec eas diremit in Italia Sac. Concilium Tridentinum Decreto ſuo ſeſs. 25. cap. 13. *deſuper edito, à S. Pio V. in Conſtitutione ſua incipien.* Etſi Mendicantium Ordines *declarato, & ab aliis ejus in Solio Petri Succeſſoribus confirmato. Diremit tandem, & ſaltem uſque ad præſens tempus s. m. Benedictus XIII. per Conſtitutionem ſuam* Romanus Pontifex *præcipiendo* = Ut.... in futurum Parochis Defunctorum, qui in Eccleſiis quorumcunque Regularium tumulabuntur, perſolvatur, & cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, nec non omnium intorticiorum & candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur = *ita ut nec Capucinus Italus ampliùs à præſtanda hujuſmodi quarta ſeſe extricare valeat, cum jam variè à tempore editæ Benedictinæ Conſtitutionis in S. Congregatione Concilii fuerit contra eum deciſum, prout in digreſſione ad calcem hujus Conſtitutionis de hac materia danda reperietur.*

Dixi Capucinus Italus, *cum Benedictina Conſtitutio Italiam, & Inſulas ei adjacentes duntaxat afficiat; hinc Ultramontanus quietè in ſui privilegii uſu perſiſtit, cum rarior ſit imò vix audita canonicæ portionis prætenſio, RR. DD. Parochis ſibi abundè dotum credentibus, quod in Altari Capucino conſumitur.*

In tranſitu ad alia loca FF. Minores Sacram Supellectilem, omnemque ædificii prioris materiam ſecum transferunt, ita, ut ab Eccleſiæ Prælatis, nec bona, nec loca occupari poſſint: & à ſolutione procurationum, ſeu ſubſidiorum eximuntur.

§.31. Ad hæc liceat Fratribus veſtri Ordinis, cum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia, ſeu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ

di-

Ad 31. Per hoc privilegium non datur FF. Minoribus facultas Conventus de uno ad alium transferendi locum, ſed induigetur duntaxat, quod ſi à Minoribus Conventum

tranſ-

Digitized by Google

dimittunt (dedicatis Eccleſiis duntaxat exceptis) quàm libros , calices , & paramenta ſecum ad alia loca transferre , & ædificia ipſa cum ſolo , & aliis ad eadem loca pertinentibus , præter Eccleſias , per perſonas ad hoc à Sede Apoſtolica deputatas vendere , ipſorumque pretium in aliorum horum , ad quæ dicti Fratres ſe transferunt , ædificationem , ſeu aliàs in eorum utilitatem convertere , ſecundùm quod eis meliùs videbitur expedire : cum ipſa priora , & alia loca Fratrum ad Nos , & Apoſtolicam Sedem ſpecialiter & immediatè pertinere noſcantur . Et ne aliqui Archiepiſcopi , vel Epiſcopi, aut alii Eccleſiarum Prælati , ſeu quævis alia perſona Eccleſiaſtica , vel ſæcularis, prædicta loca ſeu bona occupare , accipere , vel uſurpare , aut quoquo modo ſibi vendicare præſumant , abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, diſtrictiùs inhibemus .

Indulgentes vobis , ut ad præſtationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis , vel Nunciorum ipſius , ſeu Diœceſanorum locorum , aut exactionum , vel collectarum , ſeu ſubſidiorum , vel proviſionum quorumcunque minimè teneamini, nec ad ea ſolvenda per litteras dictæ Sedis , aut Legatorum, vel Nunciorum ejuſdem, ſeu Rectorum Terrarum Eccleſiæ Romanæ impetratas , ſeu inpoſterum impetrandas , cujuſcunque tenoris fuerint , in perpetuum compelli poſſitis , niſi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi , & dicto Ordine fecerint mentionem .

transferri contingeret , ſuppellex , & alia quæque translata cenſeantur . Fundaturque hoc privilegium in jure communi , vi cujus facta translatione Eccleſiæ ab habente poteſtatem , omnia jura ad ipſam pertinentia pertineant ad illam , ad quam ſit translatio, cap. & hoc diximus 16. quæſt. 7. cap. Abbatis in fine . *Rota in Bergomenſi* Legati coram Seraphino , & in una Colonienſi *Monaſterii* coram Ubaldo &c.

Variis quidem Ordinibus & hoc idem privilegium conceſſum eſt , notat autem Scholiaſtes in Mare Magn. Min. *Lezana* §.35. fol. mihi 69. *majori ſpecialitate id verificari de Minoribus , quàm de aliis Ordinibus , cum dominium rerum omnium , quibus Minores utuntur , juxta Conſtitutionem* , vel cap. Exiit qui ſeminat , *ad Sacram pertineat Sedem; hinc & ſæculares, qui prædicta Minorum bona indebitè ſibi vendicarent, graviùs, ceu bona Eccleſiæ uſurpantes, peccare Portellus* in dub. Reg. verb. BONA in addit. n. 2. *aſſerit* .

Circa punctum , quo Fratres Minores ad procurationes , & ſubſidia Legatis Sanctæ Sedis , vel Diœceſanis præſtanda obligari non poſſe ſtatuitur , notandum eſt per procurationes , juxta Azorium tom. 2. lib. 3. cap. 42. quæſt. 1. *intelligi expenſas , quas Epiſcopi faciunt in ſuis viſitationibus , & ad quas omnes , qui viſitationi ſubjacent , tenentur , per ſubſidium autem auxilium , quod datur Epiſcopis à Subditis , vel quia debitis premuntur , vel quia iter inſtituunt ad communia negotia gerenda , vel cum Eccleſiæ lis intentatur &c. Porro cum Minoritæ nec Epiſcopali viſitationi ſubjaceant, nec ſint ejus Subditi , eos & à procurationibus , ac à ſubſidiis immunes ipſa quoque dictitat ratio , præter ea , quæ ſupra ſub num. 25. de decimis dicta ſunt* .

FF. Minores coram locorum Ordinariis conveniri non debent .

§.32. Cæterùm , cum fel. rec. Innocentius Papa Prædeceſſor noſter olim duxerit ſtatuendum , ut exempti quantacunque gaudeant libertate , nihilominus tamen ratione delicti , ſeu contractûs , aut rei , de qua contra ipſos agitur , rite poſſint coram locorum Ordinariis conveniri : & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem , prout jus exigit , exercere , Nos vobis , ut occaſione Conſtitutionis hujuſmodi , nullum libertatibus , & immunitatibus , vobis , & Ordini veſtro , per privilegia , & indulgentias ab Apoſtolica Sede conceſſis , præjudicium generetur , auctoritate præſentium indulgemus.

Ad 32. *A' Tridentino quidem* ſeſs. 7. c. 14 *privilegium hoc abrogatum fuiſſe nonnulli arbitrantur dum ſtatuit* = In exemptorum cauſis Conſtitutio Innocentii VIII. quæ incipit *Volentes* in generali Concilio Lugdunenſi edita ſervetur, quam eadem Sacroſancta Synodus innovandam cenſuit , & innovat ; *Fuit autem poſtmodum à Sac. Congregatione Concilii Tridentini Interpretum expreſſè definitum* : neque Conſtitutione in Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit *Volentes*, neque Decreto Concilii Tridentini *cap. 14. ſeſſ. 7.* comprehendi Regulares, ideoque eos juxta eorum privilegia coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus eſſe conveniendos ; *fuitque hæc Sacræ Congregationis*

§.33.

nis declaratio à Paulo V. per litteras in forma Brevis incip. Religioſorum *infra ponendas cum Decreto irritante approbata; Ex quo P. Bremond* tom.8. fol.263. *ad quæſtionem, & caſum, quo Regularis contra exemptionis privilegium ab Epiſcopo citaretur, eum comparere coram eo non teneri, ex Paſſerino* tom.3. de ſtatibus &c. q.189. art.10.n.730. *reſpondet: Idemque dicendum cenſet, ſi Regularis, nulla expreſſa cauſa, vel etiam expreſſa cauſa notoriè nulla, citaretur, nam uti Paſſerinus* loc. cit. num.731. *ait*, cum conſtet & ſit notorium, Regulares eſſe omnino exemptos à juriſdictione ordinaria Epiſcopi, eis verò ſubjici tanquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ in ſolis particularibus caſibus, & in jure expreſſis, ſimul eſt notorium, quod ſi Ordinarius, nullo expreſſo caſu particulari, vel particulari cauſa, citat Regularem, quod hujuſmodi citatio eſt notoriè nulla, & Religioſo Ordini injurioſa, & nihili habenda. *Citatio enim, cum ſit actus juriſdictionis, non poteſt ab Ordinario decerni contra Regularem exemptum*, cap. de illicita 24. quæſt. 3. cap. ex parte de reſcript. &c. *Ubi prudentiſſima cautela addit, quod extra caſum notorii privilegii Regularis teneatur ſe ſiſtere, & econtra, ſi privilegium foret dubium, Epiſcopus ad ulteriora non poſſit procedere, ſed Sedes Apoſtolica juxta Conſtitutionem Innocentii X. eſſet conſulenda.*

Nec contra eos cenſuræ promulgari poſſunt.

§.33. Decernimus ergo irritum & inane, quidquid contra tenorem conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum hujuſmodi per quoſcunque fuerit attentatum, & interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem in vos, vel veſtrûm aliquos, aut loca veſtra, ſeu benefactores veſtros, vel executores, aut hæredes prædictos, impoſterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum &c.

Ad 33. Reſponſum ad hunc numerum dabit numerus 39. infrà & mox ponendus.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono quarto Idus Novembris, Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Præmiſſa Clementis IV. & aliorum Pontificum indulta Sixtus IV. confirmat.

§.34. Nos igitur, qui dicti Ordinis FF. Minorum, in quo Generalis Miniſtri fungebamur officio, dum ad Cardinalatûs honorem aſſumpti fuimus, & Perſonarum ejus ſtatum proſperum & tranquillum, propter uberes fructus, quos Ordo ipſe multâ refulgens glo-

Ad 34. Per verba, Motu proprio, *quibus Sixtus IV. præpoſita Clementis IV. privilegia ſe confirmare ait, denotatur conceſſio magis voluntaria, quæ & ideo juxta Lezanam* tom.3. verb. Clauſula num.41. *& alios ibi citatos ampliori poteſt, quantum verborum*

gloriâ meritorum, & gratia redolens ſanctitatis in agro militantis Eccleſiæ, in propagatione Religionis & fidei Orthodoxæ hactenus produxit utiliter & producit, ac in futurum producturum fore ſpe firma tenemus, palmites ſuos à mari uſque ad mare, & etiam ad barbaras extendendo nationes, intenſis deſideramus affectibus, Clementis, & Eugenii prædictorum, ac aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, qui Ordinem prædictum FF. Minorum, aliis variis privilegiis non immeritò decorârunt, veſtigiis inhærentes, Motu proprio non ab eorum dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate & deliberatione, ac ex certa ſcientia noſtra, Clementis, & quaſcunque alias quorumcunque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum litteras, dicto Ordini FF. Minorum, & illius Domibus, & Profeſſoribus in genere, ſub quacunque verborum forma conceſſas, quas, ac ſi de verbo ad verbum, unà cum prædictis litteris Eugenii prædeceſſoris præfati, præſentibus inſertæ forent, haberi volumus pro expreſſis, ac omnia & ſingula in illis contenta, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & pro potiori cautela, omnia & ſingula per Clementem, & Eugenium, alioſque Prædeceſſores noſtros prædictos in eiſdem litteris, pro, & in favorem dicti Ordinis FF. Minorum quomodolibet ordinata, ſtatuta, decreta, conceſſa & indulta fieri & ſervari debere, auctoritate, motu & ſcientia prædictis de novo ordinamus, ſtatuimus atque decernimus, ac eidem Ordini Minorum, illiuſque Domibus & Profeſſoribus concedimus & indulgemus.

Privilegium Altaris portatilis ad quacunque loca honeſta extendit, & tempore interdicti tum Fratres, tum Sorores Tertii Ordinis, tum Fratrum, tum Monialium, ac Tertiariorum negotia gerentes admitti declarat.

§. 35. Et quia, ſicut accepimus, Noſque ipſi experientiâ didicimus in minoribus conſtituti præfati Ordinis curam gerentes, circa litteras & privilegia hujuſmodi nonnulla dubia poſtmodum ſunt exorta, habitâ ſuper illis conſideratione decenti, motu, auctoritate, & ſcientia ſimilibus, litteras ejuſdem Clementis Prædeceſſoris, in ea parte, in qua concedit dicti Ordinis Profeſſoribus, ut liceat eis in locis, in quibus degunt, habere Oratoria, & in eis cum Altari portatili etiam tempore interdicti, januis clau-

rum proprietas patitur, & jure poſteriore non reſtringitur vel annullatur.

Per verba illa = ex certa ſcientia, *privilegia novam acquirunt robur, novæ conceſſioni & juri æquivalent, ita quidem, ut actus aliàs nullus, per illa validus reddatur, tollit enim juxta Doctores omne juris obſtaculum.*

Verba alia, habere volumus pro expreſſis *eam continent vim & expreſſionem, ut aliâ opus non ſit &c.*

Ad 35. Redi ad num. 8. & ibi reſponſum ad privilegium Altaris portatilis à Sixto IV. hic ampliatum excipe. Sub num. verò 9. locum notabis, in quo extenſio privilegii, tempore interdicti divina celebrandi reperitur.

Ad

clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, Miſſarum ſolemnia, & alia Divina officia celebrare; & quod eorum inſiſtentes obſequiis, cenſuris generaliter promulgatis non ligentur. Cum contingat èns perſæpe requiri, ut etiam extra Oratoria ſuper hujuſmodi Altari portatili celebrent divina officia, & ad illa interdicti tempore, Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupati Fratres & Sorores, ac ſuos, & illorum Procuratores admittant, extendentes. Concedimus eiſdem Fratribus, ut non ſolùm in Oratoriis, & locis, in quibus degunt, ſed etiam in quovis alio loco congruenti & honeſto, poſſint ſuper Altari portatili ejuſmodi, Miſſas, & alia Divina officia liberè & licitè celebrare, exceptis Eccleſiis ab Ordinarii juriſdictione non exemptis, quoties id eiſdem Fratribus per Ordinarios ex cauſa contigerit inhiberi. Et ut liceat eis tempore interdicti Fratres & Sorores dicti Tertii Ordinis B. Franciſci de Pœnitentia nuncupati, necnon ipſorum FF. Minorum, ac Fratrum & Sororum dicti Tertii Ordinis, & Monialium S. Claræ Procuratores, ac negotia gerentes utriuſque ſexûs admittere ad Divina.

Specificat caſus, à quibus Fratres Minores à ſuis Superioribus abſolvi nequeunt.

§.36. Præterea, quia idem Clemens Prædeceſſor in dictis ſuis litteris, Generalibus & Provincialibus Miniſtris, & eorum Vicariis, ac Cuſtodibus, abſolvendi Fratres ejuſdem Ordinis, necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ipſi Miniſtri, Vicarii & Cuſtodes habuerint pro tempore in Confeſſores, abſolvendi ipſos Miniſtros, Vicarios, & Cuſtodes ab exceſſibus & cenſuris, niſi talia perpetrâſſent, propter quæ eſſent meritò ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi, ac cum eis deſuper diſpenſandi, facultatem concedit, & propterea, qui ſint deſtinandi, perſæpe revocetur in dubium, ut abſolventium & abſolvendorum, diſpenſantium & diſpenſandorum pro tempore, puritati conſcientiæ conſulamus: declaramus hæreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificâſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, duntaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandos. Reliquis verò omnibus, etiam ſimoniæ pravitate qualitercunque irretitis, poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis beneficium, & diſpenſationis gratiam, juxta eaſuum exigentiam impertiri.

Ad 36. In paragrapho 12. ſuprà poſito Clemens IV. facultatem abſolvendi Subditos Superioribus Ordinis Minoritani conceſſam &c. limitavit, & caſus gravis & enormis exceſſûs excepit: hîc verò Sixtus IV. enarrat & ſpecificat hujuſmodi caſus graves & enormes: totam autem de hac Minoritica abſolvendi facultate materiam coacervatam invenies infrà inter Leonis X. Conſtitutiones.

Libertatem Sepulturæ ampliat indulgendo, ut Minores corpora Defunctorum proceſſionaliter levare, & ad ea ad Eccleſiar Parochiales deferenda obligari non poſſint &c. ac exemptionem à Quarta firmat.

§.37. Eam verò partem litterarum ejuſdem Clementis Prædeceſſoris, in qua ſepulturam in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis liberam eſſe voluit, ſalvâ juſtitiâ Eccleſiarum, à quibus corpora mortuorum aſſumuntur, declarantes, libertatem hujuſmodi intelligi debere, etiam quoad hoc, ut Fratres ipſi nullius ſuper hoc petitâ licentiâ, Parochias, in quibus corpora prædicta forent, cum Cruce proceſſionaliter ingredi, ac corpora ipſa levare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre poſſint, ubi hoc fieri conſuetum foret, vel ſi Presbyteri de levatione requiſiti id facere recuſarent, nec cogantur inviti etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, ipſi, vel Defunctorum conſanguinei, illa ad Parochiales Eccleſias, aut loca deferre, & cum illis, vel ſine, inibi celebrare, vel celebrari facere pro eiſdem Defunctis aliqua divina officia, ante vel poſt ſepulturam eorumdem. Juſtitiam autem Eccleſiarum, à quibus corpora ipſa ſumuntur, juxta ejuſdem Clementis Prædeceſſoris voluntatem, ſalvam eſſe debere decernimus eo caſu, quo duntaxat apud loca ipſorum Fratrum corpora ipſa ſepeliuntur; Si verò non apud eos, ſed alins etiam Mendicantium Ordinum Profeſſores corpora ipſa contingeret ſepeliri, ex his, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc corpora ipſa non ſepelirentur, de bonis Deſunctorum quomodolibet obvenirent, quovis particulari, vel univerſali titulo, directè vel per obliquum, nullam Canonicam aut Parochialem portionem dare teneantur, nec ſimiliter aliqua portio debeatur de his, quæ ad certos & determinatos uſus, eiſdem Fratribus vel eorum Domibus, in genere aut in ſpecie, etiam de bonis eorum, quorum cadavera apud eos contigerit ſepeliri, nec etiam in caſibus, in quibus per ejuſdem Clementis, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum ſpecialia privilegia Fratres ipſi ab hujuſmodi ſolutione Quartæ ſunt exempti, nec aliquo caſu de candelis, quæ ad msnus Fratribus dantur, Quarta aliqua quomodolibet detrahatur. Iu reliquis verò caſibus quàm in præmiſſis, in quibus Quarta ipſa ſolvenda veniret, conventiones, ſi quæ ſint inter Fratres prædictos, & locorum Ordinarios, ac Eccleſiarum Rectores initæ, lsudabiles & honeſtæ, inpoſterum obſerventur.

Ad 37. Conceſſâ ſemel Sepulturâ ſeu jure ſepeliendi, cenſentur & omnia alia cum ea connexa, vel ab ea procedentia conceſſa. Inter hæc delatio mortui proceſſionaliter ab Oldrado conſult. 225. num. 13. & 14. *Medic.* de Sepult. part. 2. quæſt. 7. *Barboſa* in cap. acceſſorium num. 3. de regul. jur. in 6. *recenſetur. Hinc etiam prius Sixtus IV. firmatâ libertate & privilegio ſepeliendi à Clemente IV. Eccleſiis FF. Minorum conceſſo, deſcendit & ad dictam delationem Cadaverum, eamque & FF. Minoribus conceſſit cum ſubnexo duplici privilegio. Primo, quod Fratres poſſent nullius petitâ licentiâ ingredi Parochias, ac levare Cadavera, ubi hoc conſuetum foret, ac Presbyteri ſeu Parochi requiſiti id facere recuſarent. Secundo, quod nec Fratres, nec Defunctorum conſanguinei ad cadavera ad Eccleſias Parochiales priùs deferenda poſſent compelli.*

Porro privilegium primum innititur duplici conditione: primò, ſi Parochias ita ingredi & cadavera levare ſit conſuetum, *& ſecundò, ſi Parochus requiſitus id agere detrectet. Privilegium tum prima conditione conſideratum, fuit per Decretum Sac. Congregationis Epiſc. & Regul. die 12. Januarii* 1604. *ita firmatum.*

Licèt in ſacro Generali Lateranenſi Concilio ſtatutum, & ordinatum fuerit, ut Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religioſi Regulares non poſſint intrare Parochias cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſias Domorum, & Locorum eorundem ſuam elegerint ſepulturam, niſi priùs præmonito, & requiſito, ac recuſante Parochiano Presbytero, & tunc ſine ejus, & Ordinarii præjudicio: Significatum tamen eſt Sacrę Congregationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, nonnullos Fratres, præſertim Ordinis Minorum de Obſervantia, cujuſdam conſuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallsri, neque obſervantia viridi inniti, neque pacifica, & non interrupta poſſeſſione firmatam eſſe conſtat, contendere ſibi licere deſnnctorum funera proprio eorum Parocho abſente, eoque irrequiſito, efferre & levare; idque haud leves controverſias, & altercationes, aliquibus in locis, non ſine populi ſcandalo, & Dei offenſione excitâſſe. Ideo volens eadem Sacra Congrega-

Digitized by Google

tio omnem ejuſmodi diſſenſionum, & ſcandalorum materiam, & occaſionem præcidere, ac in futurum providere, ut tam Parochi, quàm Fratres ipſi, unanimi inter ſe voluntate, & eâ, quâ par eſt, charitate, ultima hæc Chriſtianę pietatis officia defunctis præſtent, declarat, & hujus Decreti tenore ſtatuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, aliiſque quibuſvis Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium exiſtant, nullo modo licere, etiam ſpecialis alicujus conſuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce proceſſionaliter, aut aliàs, ad efferenda & levanda defunctorum funera intrare, vel illa levare, & efferre, niſi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præſente: ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, & permittat, vel niſi requiſitus, venire expreſsè omnino recuſet. Atque ita obſervari mandat, & diſtrictè præcipit, firmis cæteroquin, & in ſuo robore permanentibus iis omnibus, quæ ſuper Quarta funerali, & canonica portione, aliiſque juribus, ad ſepulturas pertinentibus à Sacris Canonibus, & Conciliorum Decretis, Summorumque Pontificum Conſtitutionibus hactenus ſancita, & ordinata ſunt, vel aliàs ex particulari conſuetudine, vel alio jure obſervantur.

Romæ die 12. Januarii 1604.

Privilegium econtra collatum cum caſu Parochi ad tranſlationem Cadaveris comparere renuentis, ſartum tectum conſiſtit, vallatum variis Sacræ Congregationis Concilii Decretis, quorum duo ex Theſauro reſolutionum ejuſdem S. Congregationis excerpo.

Primum editum eſt in Novarienſi Funerum, *in quo ad dubium ita conceptum* = An Cadavera deferri poſſint ad Sepulturam Majorum abſque aſſociatione Parochorum, & Cleri ſæcularis poſt eorum monitionem ad interveniendum funeri, & recuſationem? 15. *Martii* 1704. (*ut in* lib. 54. Decret. pag. 93. *legitur*) *Sac. Congregatio reſcripſit AFFIRMATIVE.*

Alterum exhibet Tuſculana Funerum, *circa quam in theſauro prædicto* tom. 5. fol. 405. *deductam, inter alia & hæc propoſita fuêre dubia* = I. An RR. PP. Reformati, in quorum Eccleſia Defunctus elegerit ſepulturam, poſſint ducere funus, & cadavera aſportare ſine conſenſu & præſentia, vel Archipresbyteri, vel Canonici Coadjutoris, actualem curam exercentibus, eorumdemque interventu? ET QUATENUS NEGATIVE'.

II. An, poſtquam dicti Patres per aliquod temporis ſpatium exſpectaverint Archi-

chipresbyterum ; vel illius Coadjutorem, poſſint abſque iiſdem aſportare cadavera ad eorum Eccleſias? *Et ad quæ Sacra Congregatio 24. Julii 1734. ita reſcripſit.*

Ad primum Negativè, ad ſecundum Affirmativè, intimato tamen priùs, & exſpectato per horam Archipresbytero, vel Canonico Coadjutore.

Circa aliud & ſecundum privilegium, quod videlicet FF. Minoritæ non obligentur ad cadavera priùs portanda ad Eccleſias Parochiales; & econtra recto tramite ea ad ſuam Eccleſiam deferre poſſint, eſt & pariter firmatum Decretis ejuſdem Sacræ Congregationis, quæ in Lucana Funerum *ad diſceptatum dubium* = An Cadavera Defunctorum ſepelienda in Eccleſia PP. Minorum de Obſervantia Terræ Sanctæ, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant priùs aſportari ad Parochialem, & eorum ibi debeat fieri expoſitio uſque ad horam ſepulturæ? *Sub 14. Martii 1722.* (juxta lib. Decret. pag. 94.) *Sac. Congregatio reſcripſit NEGATIVE.*

In Sabinenſi *autem* Funerum, *quæ in* Theſ. reſol. tom. 6. fol. 405. *amplè deducitur, ad ſecundum dubium* = An Cadavera Defunctorum ſepelienda in Eccleſia eorumdem PP. Carmelitarum debeant ad illam recto tramite deferri, vel potiùs attentâ aſſerta conſuetudine priùs aſportari, & exponi in Eccleſia Parochiali in caſu? *idem ſacer Conſeſſus 29. Januarii 1735.* (uti in tom. 7. Theſauri prædicti fol. 8. videre eſt), *reſcripſit* = Ad ſecundum affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam. *Plura hujuſmodi Decreta, qui cupit, ea tum in Theſauro enuntiato, præſertim* tomo 6. in Tolentina fol. 118. & 238. *ac* tomo 9. in Maſſanen. fol. 148. *tum in Pignatelli* tom. 3. conſult. 48. num. 7. & ſeq. fol. mihi 109. *in Lantuſc.* theat. Regul. verb. aſſociat. Cadav. *in Panimola* deciſ. 169. n. 64. & 74. *in Matthæuccio* Offic. Cur. cap. 20. num. 2. *reperiet. Pro Ordine noſtro Decreta adducta pluſquam ſufficiunt, cum ſepultura ſæcularium in noſtris Eccleſiis per Conſtitutiones noſtras coarctetur, & nonniſi cum licentia RR. PP. Miniſtri, & Procuratoris Generalium Perſonis diſtinctæ notæ concedi ſoleat.*

Ad

A præſtandâ portione de legatis piis, & à Decimarum ſolutione FF. Minores denuo eximuntur.

§.38. Et ſi fortè per Nos vel Sedem Apoſtolicam, de piè legatis, diſpoſitis & relictis, in genere vel in ſpecie, decima vel alia portio, ſeu quota alteri piæ vel non piæ cauſæ, ex quavis cauſa hactenus conceſſa foret, aut inpoſterum concedi, & ſolvi aut dari mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos, ac eis legata & relicta, aut aliàs in eorum ſavorem diſpoſita in conceſſione & mandatis hujuſmodi, decernimus, & volumus non includi, niſi de ipſis Fratribus, & præſenti Decreto, ac voluntate noſtra, non per generales clauſulas, quæ etiam ſpecialem mentionem importare viderentur, ſed vera & ſpecifica mentio fiat in eiſdem.

Indultum verò ejuſdem Clementis Prædeceſſoris de decimis non ſolvendis, ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quaſcunque decimas, etiam quas vulgus *Papales* appellat, & Apoſtolica Sedes pro Chriſtianæ Fidei defenſione, aut aliis imminentibus perſæpe neceſſitatibus indicit, & quæcunque alia onera motu & ſcientia prædictis extendimus, decernentes ipſos FF. Minores, etiamſi per quoſcunque exemptos & Mendicantes ſolvi mandarentur, cum quibuſvis derogatoriis & fortioribus clauſulis, ad illarum ſolutionem non teneri, & ab illarum ſolutione ceſſando, cenſuras & pœnas aliquas non incurrere, niſi præſentibus, non per generales, aut alias clauſulas, ſpecialem mentionem importantes, ſed aliàs ſit derogatum ſpecificè, earum de verbo ad verbum inſerto tenore.

Ad 38. Qui relegit ſuprà numeros 25. & 30. ulteriora de hoc articulo non quæret, nec de aliis ſciſcitabitur.

FF. Minorum exemptionem confirmat, ac ſine Sedis Apoſtolicæ licentia in eos, eorum Domos, & loca cenſuras promulgari prohibetur.

§.39. Et ne prætextu Conſtitutionis Innocentii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit = *Volentes* = locorum Diœceſani & alii Ordinarii, aut alii quicunque in Perſonas, & loca Fratrum prædictorum contra ejuſdem Clementis Prædeceſſoris in fine litterarum prædictarum ordinationem ſibi quamcunque juriſdictionem & ſuperioritatem vendicare præſumant, diſtrictiùs inhibemus, ne quiſquiam abſque dictæ Sedis ſpeciali commiſſione & auctoritate, in Perſonas, Domos & loca dicti Ordinis FF. Minorum, utpote prorſus exempta, aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam, ſpecialiter vel generaliter quo-

Ad 39. Stante exemptione cenſuras ab Epiſcopis extra caſus in jure, vel Conſtitutionibus Pontificiis expreſſos, in Regulares ferri non poſſe prima circa hoc privilegium laterale, & conſtans eſt Regularium Auctorum ſententia; cum enim Regulares vi exemptionis à lege Diœceſani ſint liberi, cenſura contra eos lata diceretur lata contra non Diœceſanum, & ex defectu juriſdictionis nulla. Epiſcopis facultatem à Concilio Tridentino Regulares in aliquibus caſibus coercendi ac puniendi delegatam fuiſſe hæc ſententia quidem fatetur, ſed per cenſuras id fieri poſſe negat, niſi in caſibus à prædicto Concilio expreſſis, quemadmodum ſeſs.22.in Decreto de vitand. & ob-

Digitized by Google

quomodolibet promulgare, aut in Perſonas, Domos & loca hujuſmodi aliquam præeminentiam, ſuperioritatem & juriſdictionem quomodolibet exercere præſumat, etiam ratione contractûs aut delicti, ſeu rei, de qua contra ipſos ageretur, ubicunque incatur contractus, committatur delictum, & res ipſa conſiſtat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, & quoſcunque proceſſus, quaſvis pœnas & ſententias generales vel ſpeciales continentes, quos & quas promulgari, vel haberi, & omnia, quæ contra Fratres, Domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, utpote notoria non aliter allegata, nullius roboris vel momenti eſſe, & pro infectis prorſus haberi debere.

& obſerv. in celebr. Miſs. *contra Regulares primò in Oratorio privato & horis non debitis celebrantes: ſecundò* ſeſs. 25. cap. 16. *Novitiis, qui egrediuntur, omnia non reſtituentes: & tertiò eadem* ſeſs. cap. 5. *Clauſuram Monialibus non imponentes, per cenſuras procedi expreſsè ſancivit. Hinc ubi non eſt hæc cenſurarum expreſſio, illegitima videtur illarum illatio. Nec ex eo, quod facultas coercendi confertur, tribuitur, ut ſapientiſſimè pro more Paſſerinus* tom. 3. de ſtat. hom. q. 189. a. 10. fol. 840. col. 1. *advertit, & facultas coercendi per cenſuras, cum hæ facultates ſint diverſæ. Quapropter dum Innocentius IV.* in cap. Volentes de privil. in 6. *Ordinarios contra exemptos procedere poſſe ſtatuit, eos tamen, qui ſpeciale haberent privilegium, cenſuris afficere expreſsè inhibuit. Favet & plurimùm huic ſententiæ declaratio S. Congregationis anno 1587. emanata, & à Rmo P. Bremond.* tom. 8. Bull. fol. 265. *ita relata* = Regulares adeuntes Monaſteria Monialium ſine licentia Epiſcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Epiſcopus ſuo edicto propoſuit, niſi Regulares illi habeant ex privilegio, quod non poſſint excommunicari, & tunc deberent puniri à ſuis Superioribus aliâ pœnâ. *Ex quo ab Epiſcopis contra Regulares nominatim privilegiatos cenſuris procedere non poſſe eruitur. Cumque facultatem ita procedendi ſibi attributam per Concilium Tridentinum Reverendiſſimi DD. Epiſcopi aſſerant, contrarium econtra Sac. Congregatio ad inſtantiam RR. PP. Societatis* in Angelopolitana Indiæ Occidentalis *ſenſit, dum ad dubium* = An Epiſcopus poſſit eum cenſuris procedere contra Regulares exemptos, ſi inobedientes fuerint in Confeſſionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei; & hoc, an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem? *anno* 1647. *reſpondit* = poſse procedere; non quidem in vim Concilii Tridentini, ſed in vim Conſtitutionis Gregorii XV. incip. Inſcrutabili. *Fuitque hoc Decretum à s. m. Innocentio, Conſtitutione incip.* Cum ſicut *munitum. Ex quo Regulares allegatam ab Epiſcopis univerſalem facultatem enervatam inferunt, & vi juris novi, ſeu dictæ Conſtitutionis* Inſcrutabili *limitatè quoad negligentiam excipiendi confeſſiones, prædicandi &c. ſe cenſuris impeti poſſe, libenter confitentur. Confitentur & pariter ab Epiſcopis Regulares, quos cenſuris in jure latis affectos eſſe, publicum eſt, ut tales denuntiari, non verò declarari poſſe. Variis ex Sac. Congregationis Decretis hoc quoque firmatum reperitur. Primo quidem in cauſa* Marſic. Juriſdictionis, *ita propoſita* = Ut ſubditos ſuos à commercio & communione cum iis, qui excommunicationis

titulo ſunt obſtricti, legitimè retrahere poſſit, prout Eccleſiaſtica diſciplina poſtulare videtur, ſupplex quærit Epiſcopus, an ſibi liceat Collectores D. Nuntii Apoſtolici publicos & notorios Clericorum percuſſores, quamvis abs Ordinarii juriſdictione exemptos, excommunicatos denuntiare: *ad quod Sac. Congregatio cenſuit* licere. *Secundo, hæc eadem Sac. Congregatio in Eyſtettenſi* 28. *Auguſti* 1649. *uti in* lib.18. Decret. pag.667. *videre eſt, pariter cenſuit* = Commendatorem Oppidi Ellvangani Ordinis Teutonici unà cum complicibus, incidiſse ipſo jure in cenſuras ob retentionem & carcerationem Sacerdotis N. illoſque potuiſse ab Epiſcopo necdum moneri, verùm etiam denuntiari, ut ab aliis evitentur.

Quod & idem circa Regulares omnes & indiſcriminatim teſte Fagnano ad cap.Grave *de Offic Ord.* n. 75. *ſtatutum manet, dum S.Congregatio Concilii conſulta* = An Epiſcopus poſſit excõmunicatos denuntiare Regulares, qui ob delictum notorium in excommunicationem inciderunt, cenſuit poſſe ab Epiſcopo publicè denuntiari excommunicatos, ut ab aliis evitentur.

Dixi, Regulares ab Epiſcopis denuntiari poſſe excommunicatos, non verò declarari; quamtumvis enim ab aliquibus hi duo termini confundantur, nihilominus ab aliis diverſus in iis notatur ſenſus, nam, uti Emin. Petra tom. 3. Com. fol. 134. col. 2. num. 11. *ait*, eſt actus merè extrajudicialis, qui nonniſi indirectè reſpicit excommunicatum exemptum, directè verò reſpicit populum ipſi Epiſcopn ſubjectum, eò præſertim tendens, ut populus ex tali actu denuntiationis cautus reddatur in morbida pecude vitanda, quod ſane non eſt juriſdictionem in exemptum exercere, ſed ſolùm pœnam jam incurſam indicare. *Declaratio econtra importat actum judicialem in excommunicatum exercendum, cum reus vel ad proceſſum formandum, vel ad exceptiones ſive juris, ſive facti elidendas debeat citari, quod erga exemptum privilegiatum exerceri non poſſe ſuprà ſuppoſitum eſt.*

Hiſce euſque ad favorem Regularium adductis opponitur è diametro ſententia ſecunda, quæ ex eadem facultate, quam à Tridentino DD. *Epiſcopis quoad exercendos Regulares collatam eſſe prior ſententia aſtruit, largè deducit facultatem illam uſque ad cenſuras incluſivè extendi, cum modus hic exercendi Regulares ſit opportunior, & quaſi unicus, qui poſſit operari; punire enim illos pœnis pecuniariis, privare officiis, mancipare carceribus &c. non niſi difficilis executionis eſt, dum econtra pœna cenſuræ paucis abſolvitur.*

Com-

Digitized by Google

Communiunt hunc rationis diſcurſum, valido ſubſidio Decretorum, per quæ vel cenſuris contra Regulares agi à Sac. Congregatione Concilii fuit dictatum, vel per quæ cenſuræ ab Epiſcopis latæ ab hac fuerunt approbatæ. In Hoſtienſi *Regulares ad ſervandos dies feſtos ab Epiſcopo præſcriptos* per cenſuras compelli poſſe, *Sac. Congregatio* 31. *Junii* 1627. *cenſuit: contra Regulares publicis proceſſionibus intereſſe renuentes ab Epiſcopo cenſuras adhiberi mandavit in* Ferrarienſi 27. Julii 1609. *& in* Toletana 4. Junii 1625.: in Barenſi Cenſurarum, *ubi de non ſepeliendo publici Concubinarii cadavere agebatur, ad dubium* = An cenſuræ latæ ab Archiepiſcopo contra exemptos ſuſtineantur, *Sac. Congregatio* 15. *Decemb.* 1696. *reſpondit* Affirmativè: In Mechlinienſi *edictum Epiſcopi, quo Regularibus ſub cenſurarum pœna Eucharistiam ad infirmos deferre inhibuit*, 22. *Auguſti* 1643. *Eadem cum cenſuris confirmavit*: In Meſſanenſi privilegii *ad propoſita dubia* = *Primò*, an Regularis Theatinus potuerit licitè erigere Altare portatile, ſacrum peragere, & Sanctiſſimum Viaticum miniſtrare alteri Regulari infirmo in domo privata illius Conſanguineorum abſque licentia Ordinarii, aut Parochi? *Secundò*, an poſſit Ordinarius in hoc, & ſimilibus caſibus procedere contra Regulares, etiam ad Cenſuras? *Sac. Congregatio* juxta lib. 48. Decret. pag. 471. *ſub* 20. *Septembris* 1698. *reſcripſit*, ad primum Negativè: ad ſecundum Affirmativè, ſed in præſenti non moleſtandum. *Aliis & plurimis Decretis enumerandis ſuperſedeo, cum adducta mentem S. Congregationis Concilii non obſcurè pandant.*

Hiſce autem ſi & praxin Epiſcoporum vix non communem adjungamus, ſententiam hanc Romæ non parum involuiſſe deprehendimus.

Tertia ſententia ex utraque antecedente coaleſcit, & attentâ vix non communi Regularium doctrinâ, etiam Decretis Sacræ Congregationis Concilii, ac ſolidis rationum monumentis munitâ, & libero typo Romano vulgatâ, ſimulque attento notorio, & ſpeciali illorum privilegio, cui derogatum eſſe tam facilè præſumi non debet, ex una — & ex altera partibus attentâ & ſuppoſitâ facultate Regulares coercendi Epiſcopis à Concilio Tridentino delegatâ, hanc ab iis per cenſuras non niſi moderatè, in puncto urgente, & quaſi unicè in ſubſidium exerceri debere concludit, præſertim, cum cenſuras ab Epiſcopis contra Regulares exemptos fulminatas non rarò à Sac. Congregatione nullitatis notâ ſignatas fuiſſe, nova & vetera doceant exempla. Hinc & Em. Petra, non obſtante, quod ad favorem Epiſcoporum tom. 3. Com. in Conſtitut. XI. Ale-

Alexandri IV. fol.132. *quæſtionem hanc per integram ſectionem aeduxiſſet, cam ita abſolvit* = tamen propoſita facultas in Epiſcopis ita eſt recipienda, ut parcè eâ utantur, &, quatenus fieri poteſt in ſubſidium, quatenus alio modo facilè occurri non poſſit, & quatenus agatur de re id exigente. *Tres has ſententias mihi narráſſe ſuffiCiat, judicium deſuper Lectoris eſto.*

Rectoribus Eccleſiarum adminiſtrare Sacramenta iis, qui Minoribus confeſſi ſunt, denegantibus, hæc à Fratribus adminiſtrari indulget.

§.40. Præterea, quia Parochialium Eccleſiarum Rectores præfati, erga illos, qui dictis Fratribus Ordinis Minorum eorum peccata confitentur, perſæpe ſe reddunt in exhibitione Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis difficiles, concedimus ipſis Fratribus Ordinis Minorum, ut eiſdem perſonis eis confeſſis, quibus Rectores præfati ſine rationabili cauſa denegaverint, ſeu malitiosè diſtulerint Euchariſtiæ ſeu extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare, ſuper quo eorumdem Confeſſorum aſſertione ſtari debeat, illa petentibus poſſint impunè exhibere.

Ad 40. Privilegium hoc limitavit Leo X. per Conſtitutionem ſuam Dum intrà *infrà ponendam præcipiendo, ut Parochialis* denegatio *adminiſtrandi Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis*, ſine legitima cauſa, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram publico Notario facta doceretur.

Notari quoque debet, quod hoc Privilegio Minoritæ uti non poſſint, niſi circa Perſonas, quibus à Parochis unicè adminiſtratio Sacramentorum ob factam Regularibus confeſſionem denegatur, tum privilegium hanc reſtrictionem expreſsè involvat. Liberiùs autem privilegium hoc exercent erga hujuſmodi Perſonas in articulo mortis, tum quod accedat conſenſus Eccleſiæ præſumptus, tum quod mala Parochi voluntas, *juxta Lezanam* in Mare Mag. Prædicat. fol.36. num.151. *citantem Henriquez, Fagundez &c. in hoc caſu* pro ipſius abſentia meritò eſſet reputanda.

Bona Monaſteriorum à Monialibus deſtitutorum ad propinquiorem Fratrum Conventum devolvuntur.

§.41. Et cum aliquando contingat Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ, & Minoriſſarum, ſeu Sancti Damiani nuncupatarum Monialibus deſtitui, adeo ut de eorum reformatione ſpes nulla ſuperſit, convenientiùſque ſit, quod illorum ſic deſtitutorum bona ad ipſos Fratres deveniant, quorum erant curæ commiſſa, quàm ad alios, illa, quæ ſic deſtituta exiſtunt, & deſtitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus perpetuis uſibus Fratrum Domui dicti Ordinis Minorum eiſdem deſtitutis Monaſteriis propinquiori applicamus, ita ut Fratres ipſi poſſint de illis, & eorumdem Monaſteriorum ſtructuris, & ædificiis pro eorum voluntate diſponere. Proviſo, quod illorum Eccleſiæ & Oratoria, ad prophanos uſus non redigantur, ſed in illis quandoque Divina celebrentur officia.

Ad 41. Secluſo hoc privilegio, & ſtando in jure communi bona Monaſteriorum hujuſmodi ad ea Monaſteria, ad quæ Moniales transferuntur, pertinent, tum quia ſubrogatum ſapit naturam illius, in cujus locum ſubrogatur, tum, quia juxta regulam juris in 6. n.55. qui ſentit onus, ſentire debet & commodum. Ita præter alios tenent Rodriquez tom.3. quæſt. reg. quæſt. 5. art. 4. & 6. ſol. mihi 12. *Tamburin.* de jure Abb. tom.3. diſp.5. quæſt.7. num.7. *Emin. Petra* tom. 2. Coment. ſol. 204. num. 8.

Sepeliendi cum Habitu Ordinis apud Fratres ſepeliri debent, & electâ alibi ſepultura nonniſi de horum licentia cum Habitu ita ſepeliri poſſunt.

§.42. Inſuper, cum nonnulli ad Ordinem prædictum FF. Minorum ſpecialem gerentes devotionis affectum, ordinent eorum cadavera cum Habitu Fratrum Minorum, aut Sororum dicti Ordinis de Pœnitentia ſepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini & Fratribus prædictis injuria irrogetur, decernimus tales apud Fratres ipſos eſſe ſepeliendos, etiamſi alibi ſuam elegiſſent ſepulturam, nec poſſe etiam in loco per eos electo cum Habitu quomodolibet ſepeliri, aut ad ſepeliendum portari, abſque Fratrum Domûs loci, in quo tales deceſſerunt, expreſsâ licentiâ & aſſenſu.

Ad 42. Revocavit hoc privilegium Leo X. ſub Conſtitutione incip. Dum intra &c. *indulgendo, ut ſepeliri volentes cum Habitu Mendicantium in quacunque Eccleſia cum eo ſepeliri poſſent. Quod de illis, qui in propriis ædibus degunt, non verò de aliis, qui intra clauſtra cum Mendicantibus habitant, intelligi oportere, Lezana* in Mare Mag. Min. fol. 78. *aſſerit, cum hos ultimos in Eccleſiis Regularium ſepeliri, etiam ex praxi ſit compertum.*

Parochiales ſeu Curatæ Eccleſiæ Ordinis à jure Ordinariorum eximuntur.

§. 43. Cæterùm, ne ſi ratione Parochialium Eccleſiarum, apud quas Domus eorumdem Fratrum conſtructæ fuêre, aut conſtruentur inpoſterum, locorum Ordinarii in eoſdem Fratres aliquam ſuperioritatem vendicare tentarent, Fratrum eorumdem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eiſdem Fratribus, ut in ſic conceſſis, & quas eis concedi contigerit, curatis Eccleſiis, poſſint pet Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum & amovendum, curam hujuſmodi exercere, qui, quamdiu Capellanatûs hujuſmodi fungetur officio, ac ſi dicti Ordinis Minorum Profeſſor exiſtat, dictorum FF. Minorum libertate & exemptione fruatur, Eccleſiæ verò prædictæ, & illarum bona, illâ, qua Domus Fratrum dicti Ordinis, prærogativâ lætentur.

Ad 43. Revocatum à Sac. Concilio Tridentino ſeſs. 25. cap. XI. *ita ſtatuente* = In Monaſteriis, ſeu Domibus Virorum ſeu Mulierum, quibus imminet animarum cura Perſonarum Sæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum ſeu locorum familia, Perſonæ tam Regulares, quàm Sæculares hujuſmodi curam exercentes ſubſunt immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, niſi de ejus conſenſu &c.

Facultatem Superiorum diſpenſandi cum Fratribus ſuper irregularitate ampliat.

§ 44. Et, ut dicti Ordinis Profeſſoribus omnis vagandi tollatur occaſio, & ad Apoſtolicam Sedem recurrendi ſubtrahatur pro poſſe neceſſitas, Generali, & Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis, diſpenſandi cum dicti Ordinis Minorum Profeſſoribus, defectum natalium ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario & illicito coitu provenientem patientibus, necnon cum his, qui ex quovis cauſa (præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares forent, poſtquam Ordinem ipſum profeſſi fuerint,

Ad 44. Omnia, quæ hanc fatultatem concernunt, congerentur infrà ad Conſtitutionem Leonis X. incip. Exponi &c.

Ad

Digitized by Google

rint, ut defectu & irregularitate hujuſmodi non obſtante, irregulares ipſi ad quoſcunque etiam ſacros Ordines promoveri, & in illis etiam Altaris miniſterio miniſtrare, & tam ipſi Regulares, quàm defectum natalium patientes prædicti, ad quaſcunque adminiſtrationes & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & aſſumi, illaque gerere & exercere liberè & licitè valeant, motu, ſcientia, & auctoritate prædictis concedimus per præſentes.

Damnationem opinionis, quod confeſſi FF. Minoribus, Parochis denuo confiteri debeant, confirmat, & contra ita opinantes etiam ab Inquiſitoribus procedi mandat.

§. 45. Rurſus intelleximus, quod, etſi bon. mem. Joannes Papa XXII. Prædeceſſor noſter illorum opinionem, qui aſſerebant, quod confeſſi Fratribus prædicti Ordinis, & aliorum Ordinum Mendicantium, ad audiendas confeſſiones juxta juris diſpoſitionem deputatorum pro tempore, tenebantur eadem peccata Rectori eorum Parochialis Eccleſiæ iterum confiteri, reprobaverit, & deinde præfatus Eugenius Prædeceſſor reprobationem hujuſmodi approbaverit, contra talia aſſerentes tanquam de hæreſi ſuſpectos, per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandaverit, ac ſucceſſivè piæ mem. Nicolaus Papa V. ſimiliter Prædeceſſor noſter, geſta in præmiſſis ab eiſdem Joanne & Eugenio Prædeceſſoribus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreverit; nihilominus adhuc nonnulli eorum inhærentes proterviæ, opinionem prædictam, & deſuper factos, damnatos & malè ſonantes, ac reprobos articulos, veros eſſe affirmare non verentur, ut talium præſumptuoſa temeritas tantò minus invaleſcat, quantò plurium erit Superiorum correctioni ſubjecta, conceſſam contra tales, per ejuſdem Eugenii Prædeceſſoris litteras locorum Ordinariis facultatem, ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis extendimus: ac volumus, quod Inquiſitores ipſi quicunque fuerint, eâdem, quâ Ordinarii, contra tales auctoritate fungantur.

Ad 45. Conſtitutiones, quibus in hoc articulo vocatis, opinio de confeſſione reiteranda Apoſtolica cenſura fuit perſtricta, videſis in foliis anterioribus, illam quidem Joannis XXII. fol. 96. *aliam Eugenii IV.* fol. 142. *& illam Nicolai V.* fol. 144. *Ubi quidem & in illa Eugenii IV. notabis, datam fuiſſe Ordinariis locorum facultatem contumaces pœnâ cenſurarum coercendi, quam Sixtus IV. ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis in hoc ſuæ Conſtitutionis articulo ex ratione ibi annexa extendit, & Julius II. infrà per Conſtitutionem ſuam incip.* Admonet *renovavit. Articuli damnati dicuntur malè ſonantes, & reprobi, id eſt, articuli, qui juxta Lezanam* in Marc Mag. Min. fol. 80. col. 2. n. 150. *licet nudè ſumpti videantur catholici, juncti tamen circumſtantiis loci, temporis, & Perſonarum malè ſonant, & ſenſum à pietate catholica alienum continent, vel qui ſecundùm Reiffenſtuel.* Theol. mor. fol. x. *abutuntur vocabulis contra ſenſum communem Fidelium, vel preſſiùs, qui, juxta noſtrum P. Bernardum à Bononia* tom. 1. Theol. fol. mihi 62. col. 2. *etiamſi abſolutè errorem vel hæreſim non contineant, tamen ob reſpectum aliquem ſunt audientibus mali ſeu nocivi.*

Communicatio privilegiorum inter Ordines S. Dominici, & S. P. Franciſci firmatur.

§. 46. Poſtremò, cum Prædicatorum, ſicut & prædicti Minorum Ordinum Profeſſores, pro fidei Catholicę dilatatione continuè indefeſsè laborent, fructuſque afferant in Dei Eccleſia ſalutares, & propterea ſue-

Ad 46. Privilegiorum communicatio, quæ hic utrique Ordini FF. Prædicatorum & Minorum conceditur, juxta ea, quæ Suarez de Leg. lib. 8. cap. 16. num. 15. *genericè de privilegiorum communicatione tradit, eſt* con-

fuerint variis per Sedem prædictam privilegiis decorati, ut, quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia & favores, concedimus eiſdem Ordinis Minorum Fratribus, ut conceſſis Fratribus Prædicatoribus, & eiſdem Prædicatorum Ordinis Fratribus, ut præmiſſis, & aliis conceſſis prædictis Fratribus Minoribus privilegiis, indulgentiis & gratiis, favoribus & indultis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus à prædictis & aliis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia ac ſi nominatim exprimerentur, haberi hîc volumus pro expreſſis, & noſtræ approbationis munimine ſolidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, & gaudere poſſint & debeant, perpetuis futuris temporibus, in omnibus & per omnia, prorſus & ſine ulla differentia, proinde, ac ſi quæ uoi ex Ordinibus prædictis ſuot conceſsa, utrique ſimul nominatim conceſsa fuiſsent, aut concederentur inpoſterum. Et quæ de Magiſtro Generali, & Provincialibus Prioribus dicti Ordinis Prædicatorum, ac Monaſteriis Monialium ſub eorumdem FF. Prædicatorum cura, & ſecundùm ipſius Ordinis Prædicatorum inſtituta viventium ſunt ſtatuta, in Generali, & Provincialibus Miniſtris, & Vicariis dicti Ordinis FF. Minorum, & Monaſteriis Monialium dicti Ordinis S. Claræ, & Minoriſſarum, & S. Damiani nuncupatarum, & econtra cenſeaotur eſſe ſtatuta.

In uſu privilegiorum FF. Minores directè, vel indirectè turbare probibetur.

§.47. Diſtrictiùs inhibentes eiſdem locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſsûs Eccleſiæ, & ſoſpenſionis à regimioe & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac Parochialium Eccleſiarum, ac Rectoribus, & aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis earumdem Parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia inpoſterum obtinenda, pœois eoipſo per eos, qui contrafecerint, incurrendis, oc Ordines prædictos FF. Prædicatorum & Minorum, & illorum Domos & Profeſſores, præter, aut contra prædictarum Clementis & Eugenii prædictorum, & aliorum quorumcunque Prædeceſſorum ooſtrorum, & præſentium noſtrarum litterarum tenorem, inquietare ſen moleſtare, & eos, aut teſtamentorum ultimarumque voluntatum Executores & Hæredes prædictos, ſeu quoſcunque alios directè vel indirectè, ad ſolutionem

conceſſio novi privilegii, ſeu multiplicatio numerica ejuſdem privilegii, eam conceſſum uni Religioni, maneat privilegium alterius, ac ſi nominatim & expreſſè illi fuiſſet conceſſum.

Fundatur autem hæc inter utrumque Ordinem communicatio tum in communi, quo præſertim in ſua origine per orbem Spiritûs Evangelici ſemina effudit, & uberes fructus horreo Eccleſiæ intulit, labore, tum in ſpeciali, quo DD. Dominicus & Franciſcus in carne adhuc ambulantes inter ſe jungebantur, ſpiritualis amoris fœdere: ex quo & communicationem privilegiorum FF. Minorum cum FF. Prædicatoribus, & viciſſim, ſpecialiorem, quàm cum quibuſcunque aliis Regularibus, oriri noſcimus. Plura de ea cum hîc dicere non liceat, illa ad Conſtitutionem Julii II. infrà dandam, & incipientem Aliàs ad ſupplicationem &c. *reſervo. Potiora interim privilegia, quæ utrique Ordini Sixtus IV. voluit communia, in ſubſequa Conſtitutione, Bulla aurea nuncupata, leges.*

Ad 47. Si FF. Minores jus reverentiale, quo erga Ordinarios locorum ſtringuntur, pro debito obſervent, moleſtias ab his timere non debent, gratias & favores econtra ab iis cumulatè exſpectent. Nec unquam eos in uſu ſuorum privilegiorum, quæ revocata non ſunt, turbabunt, ſed econtra ſe erga illos ad verba Leonis X. in Conſtit. Dum intra &c. faciles, mites, propitios, piâque munificeotiâ liberales exhibebunt, ac in omnibus tanquam in agro Dominico Cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipient, eorumque jura omoi cum charitate cuſtodient, & defendent.

nem Quartæ Parochialis, ſeu canonicæ, vel alterius portionis ſeu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Eccleſiis, vel alibi, dum apud ipſos Fratres decedentium cadavera tumulantur, ante vel poſt eorum ſepulturam cogere, nec confeſſis dictis FF. Prædicatoribus & Minoribus pro tempore, Euchariſtiæ ſeu Extremæ Unctionis Sacramenta, ſine rationabili cauſa denegare, vel illorum exhibitionem malitioſè deferre, aut eorum parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur prohibere vel perſuadere, nec etiam ad præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum auxilium, conſilium, ſeu favorem dare, directè vel indirectè quoquo modo præſumant.

Executores Bullæ conſtituit.

§. 48. Et nihilominus cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicis per univerſum Orbem, qui deſuper per dictorum Ordinum Priores, aut Guardianos & Fratres, ac illorum, ſeu ad commodum eorum Romanæ Eccleſiæ Syndicos deſuper requiſitus fuerit, per Apoſtolica ſcripta in ſolidum mandamus, quatenus per ſe, vel per alium ſeu alios præmiſſa, ubi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, & eiſdem FF. Prædicatorum & Minorum Ordinibus, & illorum Domibus & Profeſſoribus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos pacifica poſſeſſione, vel quaſi privilegiorum, & conceſſionum hujuſmodi gaudere. Non permittentes eos, ſeu teſtamentorum Executores & Hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoſcunque alios indebitè moleſtari, aut eis gravamina, injurias, atque damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari. Ac etiam ſummariè, & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, contra quoſcunque cujuſcunque qualitatis, vel conditionis exiſtant, aut quacunque Eccleſiaſtica, etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, vel mundana forent dignitate & exemptione muniti: in quibuſcunque cauſis per eos movendis, quacunque ratione vel cauſa, quæ excogitari poſſit, eis miniſtrent juſtitiæ complementum, exequendo, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe conſtiterit, illos irretitos eſſe declarent, ac faciant & mandent interdictos, ſuſpenſos, & excommunicatos publicè nuntiari, & ab omnibus arctiùs evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent.

Ad 48. Quinam, & qualiter poſſint conſtitui Conſervatores, & quale ſit horum munus, Conſtitutio ſub Gregorio XV. edita explicabit; Videatur & infrà Conſtitutio Innocentii VIII. incip. Ordinis veſtri &c.

rent: Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Derogatur aliis Pontificiis Conſtitutionibus.

§. 49. Non obſtantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam, à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu, ne Judices à Sede Apoſtolica deputati, extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali: nec non, quæ incipiunt *Super Cathedram* Bonifacii, & *Dudum* Viennenſis Concilii, ac rec. mem. Calliſti Papæ III. etiam Prædeceſſoris noſtri litteris, aliiſque Apoſtolicis, & Provinialibus, ac Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus vel generalibus, necnon Ottonis, & Octoboni olim in regno Angliæ Apoſtolicæ Sedis Legatorum Conſtitutionibus, Eccleſiarum quoque ac locorum quorumlibet ſtatutis & conſuetudinibus, & inter quoſcunque dictorum Ordinum FF. Prædicatorum & Minorum Profeſſores, ac locorum Ordinarios, ſeu Rectores prædictos initis & concluſis hactenus obſervatis, pactis & conventionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis, quæ Clemens & Eugenius præfati, in prædictis eorum litteris voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcunque. Quibus omnibus illa, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, & derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continerent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſsè derogamus. Aut ſi Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Rectoribus præfatis, ſeu quibuſvis aliis, communiter vel diviſim à Sede præfata indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca, ad judicium evocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam, effectus earum, & conceſſa in eis juriſdictionis executio impediri poſſet quomodolibet, vel differri, & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nos enim

ex

ex nunc, illa & quæcunque alia, quæ in futurum per Nos vel Sedem Apoſtolicam quomodolibet concedi, & ſtatui, decerni, vel ordinari contigerit, contra Clementis, Eugenii, aliorumque Prædeceſſorum prædictorum, & præſentium litterarum hujuſmodi tenorem, necnon ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita & inania, nullumque roboris vel momenti eſſe decernimus.

Et quia difficile foret &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto, pridie Kalendas Septembris Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Bull. Rom. tom. 3. par. 3. fol. 139. Waddingus tom. 14. Annal. fol. 105.

Bullâ, *aurea* nuncupatâ, privilegia FF. Prædicatorum, & Minorum contra aſſerentes litteras antepoſitas non eſſe approbatas, latiùs confirmat, ac explanat: Eccleſias dictorum Fratrum viſitantibus indulgentias largitur: cuilibet dictorum Ordinum Profeſſori, ut ſemel in vita ac in mortis articulo per Confeſſarium, à ſe cum ſui Superioris licentia eligendum, ab omnibus exceſſibus & peccatis abſolvi poſſit, indulget: gratias Ordinum eorumdem Monialibus, & Tertiariis communicat: & pleniſſimam ac ſpecialem privilegiorum Ordinibus Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, ac Servorum B. V. Mariæ conceſſorum communicationem utrique Prædicatorum, & Minorum Ordini impartitur.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcri Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines, inſtar duorum primorum fluminum à cœleſtium voluptatum, & amœnitatum paradiſo egredientium Sacroſanctæ Eccleſiæ univerſalis terram, ne mundanarum cupiditatum & vitiorum calore areſcat, præclaræ doctrinæ, virtuoſorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis atque magis illam in dies fructuoſam efficiunt. Hi ſunt duo Seraphim, qui in ſublimi contemplationis & Seraphici amoris alas elevati, à terreniſque rebus abſtracti, aſſiduo divinarum laudum clamore & immenſorum beneficiorum humano generi à ſummo opifice Deo exhibitorum declaratione, ferventiſſimis prædicationibus populos inſtruendo, & ad cœleſte iter dirigendo inſiſtentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo mundæ ſegetis animarum ſcilicet Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti pretioſi ſanguinis effuſione redemptarum, copioſos in horrea Sanctæ Eccleſiæ manipulos referunt. Hi ſunt duæ tubæ, per quas Dominus præcipit ad pabulum S. Evangelii populum univerſum aſſiduis prædicationibus advocare; ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & redderet ſibi populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum & Minorum FF. Ordines, quos pro eorum ampliſſimis meritis & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſia continuè afferunt, præ cæteris paternâ charitate diligimus, noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, illa eis libenter concedimus, quæ in eis optatæ quietis fru-

ctum

ctum inducant, & ſtatum eorum faciant pacificum & tranquillum.

Dudum ſiquidem, ut Ordinum eorumdem Profeſſorum ſtatui & quieti conſuleremus, motu proprio nonnullas litteras diverſorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum ooſtrorum dictis Ordinibus conceſſas, & in illis contenta approbavimus: & quoad aliqua declaravimus, ampliavimus & extendimus, ac nonnullas eis de novo conceſſimus, prout io diverſis noſtris litteris deſuper confectis pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut poſtmodum accepimus, per hujuſmodi ampliationes, declarationes, extenſiones & conceſſiones adhuc totali eorumdem Ordinum & illorum Profeſſorum quieti plenè (ut expedit) non conſulatur, aſſeraturque à nonnullis, per eaſdem litteras, omnes gratias ſpirituales, & temporales, dictis Ordinibus & eorum Domibus & Fratribus à Prædeceſſoribus noſtris conceſſas, approbatas non ſore. Nos attentâ meditatiooe penſantes, quaotum utilitatis ad exaltationem Fidei Chriſtianæ, & Evangelicæ veritatis Ordinum prædictorum Profeſſores hactenus attulereruot & afferre valeant adjuvante Domino io futurum, & propterea volentes, ut tenemur, eorum tranquillitati uberiùs providere: motu ſimili, non ad ipſorum Fratrum & Sororum, aut alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, quaſcumque litteras & gratias ſpirituales & temporales, conceſſiones & indulgentias, ac peccatorum remiſſiooes in genere, vel in ſpecie Fratribus & Sororibus Prædicatorum & Minorum Ordinum, & Domorum eorumdem; necnon viſitantibus eorum Eccleſias & Capellas, & Oratoria conceſſas, quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro expreſſo, præſentium tenore approbamus & robur firmitatis perpetuæ obtinere decernimus: proque cautiori cautela Apoſtolicâ auctoritate de novo, juxta litterarum deſuper conceſſarum contineotiam & tenorem concedimus & largimur.

Et, ut Eccleſiæ, Domus, & Oratoria Prædicatorum & Minorum Ordinum prædictorum per univerſum Orbem conſtructæ & ædificatæ, & quæ conſtrui & ædificari contigerit in ſuturum congrua devotione à Chriſtifidelibus viſitentur, ac, quæ imperfectæ ſunt, perficiaotur, & ad complementum deducantur, ac complетè cooſerventur ac manuteneantur: necnon paramentis & aliis ad divinum cultum inibi neceſſariis debitè ornentur: ipſique Chriſtifideles ad dictas Eccleſias eò libentiùs coofluant, & ad præmiſſa, manus promptiùs porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ coospexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confiſi, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexûs verè pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſias & Oratoria domorum Fratrum prædictorum in ſingulis Sancti Dominici, & S. Franciſci, ceotum annos, & totidem quadragenas, & in Sanctorum Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Vincentii, & Sanctæ Catharinæ de Senis, & Sanctorum Antonii de Padua, & Ludovici Epiſcopi, Bernardioi, & Sanctæ Claræ, & Beatæ Eliſabeth feſtivitatum diebus, à primis Veſperis, & per totum diem ipſarum feſtivitatum quioquaginta annos, & totidem quadragenas, devotè viſitaverint annuatim, & manus ad præmiſſa, aut eorum aliqua porrexerint adjutrices, de injunctis eis pœoitentiis miſericorditer in Domioo relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Et, ut prædictorum Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres tantò ferventiùs divinis beneplacitis inſiſtant, quantò majoribus ſpiritualibus ſe viderint gratiis fore munitos, omnibus & ſingulis Prædicatorum & Minorum Ordinum prædictorum Profeſsoribus, qui nunc ſunt & pro tempore perpetuo erunt, ut Confeſſor idoneus eorumdem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorumdem confeſſione diligenter auditâ pro commiſſis per eos exceſſibus & peccatis ſemel in vita in forma confeſſionalis per Nos edita, & in mortis articulo plenariam abſolutionem, & peccatorum hujuſmodi remiſſionem impendere valeat, etiamſi ante factam eorumdem Ordinum Profeſſionem eos decedere contingeret, ſimilibus motu, ſcientia & auctoritate indulgemus.

Facultatem verò à Prædeceſſoribus noſtris conceſſam Magiſtro Generali, & Prioribus, Provincialibus & Conventualibus, ac eorum Vicariis Prædicatorum: & Generali ac Proviocialibus Miniſtris ac eorum Vicariis, necnoo Cuſtodibus Mioorum Ordinum prædictorum ſuper abſolutione Fratrum eorumdem Ordinum ſuorum, & diſpenſatione cum eiſdem in quibuſcumque caſibus (præterquam in illis, pro quibus eſſent ad Sedem Apoſtolicam mittendi) & per Nos approbatam, cum declaratione caſuum, pro quibus mittendi ſunt, perſtringentes, volumus, quod Magiſter & Miniſter Generales præfati, & eorum Vicarii, & illi, quibus ii Magiſter, & Miniſter Generales pro tempore id duxerint committendum, duntaxat, & non alii facultate prædictâ de

cæ-

cætero uti poſſint, illam omnibus aliis penitus adimentes.

Et ne propter Monaſteria Monialium, ſeu Sororum ſub cura, & inſtitutis Ordinis prædicti Fratrum Prædicatorum, & Sanctæ Claræ, ſeu Sancti Damiani Ordinum, ſub ejuſdem Fratrum Minorum Ordinis curâ degentia, & S. Dominici, & Franciſci de Pœnitentia nuncupatorum Ordinum utriuſque ſexûs Perſonas, contingat eorumdem Fratrum quietem turbari, motu, ſcientia & auctoritate prædictis, ſtatuimus, quod hujuſmodi Monaſteria, & loca, eorumque Abbatiſſæ & Prioriſſæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & utriuſque Tertii Ordinis prædicti de Pœnitentia nuncupatæ Perſonæ prædictæ eiſdem privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus, conceſſionibus, facultatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus prædictis, Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus, ac illorum Profeſſoribus, domibus & locis, ac Procuratoribus, Syndicis, Oblatis & Converſis, ſeu aliàs quomodolibet per Prædeceſſores noſtros, aut Nos hactenus conceſſis, & inpoſterum concedendis, quâvis auctoritate, quatenus earum ſexui & ſtatui non contradicant, liberè & licitè uti poſſint & debeant, in omnibus & per omnia, prorſus & ſine ulla differentia, ac ſi eiſdem Monaſteriis, locis, & Perſonis, Abbatiſſis, Syndicis, Procuratoribus, Oblatis & Converſis Sororum & Monialium earumdem, ac Perſonis utriuſque ſexûs de Pœnitentia hujuſmodi, nominatim conceſſæ forent, & concederentur expreſsè.

Præterea, quia, ut intelleximus, exortis nonnunquam controverſiis inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, ſeu Officiales, Curatos, & Fratres prædictorum Ordinum, variis occaſionibus locorum Ordinarii, eorumque Vicarii ſeu Officiales, & Curati prædicti, ne Chriſtifideles Fratribus ipſis pias eleemoſynas erogare præſumant, ſuadere, & etiã ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prædicare, ſeu prædicari facere, ſeu pronunciare præſumunt, locorum Ordinariis, eorumque Vicariis ſeu Officialibus, & Curatis prædictis, ac etiam aliis quibuſcunque dicta auctoritate mandamus, ut ab hujuſmodi perſuaſionibus, inhibitionibus & mandatis de cætero prorſus & omninò abſtineant, decernentes inhibitiones ipſas, & mandata nullius exiſtere firmitatis, & illis contravenientes cenſuris hujuſmodi minimè ligari, ac eoſdem perſuadentes & inhibentes, mandatoque Noſtro hujuſmodi obtemperare non curantes (niſi pœnituerint, & perſuaſiones ac inhibitiones, & prædicta revocaverint infra triduum, poſtquam deſuper requiſiti fuerint) eoipſo Ordinarios interdicti ingreſsûs Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, alios verò inferiores ab eis excommunicationis ſententiam incurrere.

Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum & Minorum, ſpecialem gerentes devotionis affectum, eorum cadavera cum Habitu Fratrum Prædicatorum vel Minorum, ſeu Fratrum vel Sororum de Pœnitentia utriuſque Ordinis prædictorum, ſepeliri mandent, & perſæpè, antequam moriantur, Habitũ hujuſmodi eis poſtulant exhiberi, decernimus Habitum hujuſmodi per Priorem Domûs Ord. Prædicatorum, aut Guardianum Domûs Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere contingeret, vel per Superiorem Prælatum ipſorum Ordinum & Domorum, ſeu Prioratûs, & Guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum duntaxat, & non per alium, quavis auctoritate vel prælatione fungentem exhiberi debere: qui prædictum Habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum Ordinum Eccleſias debere ſepeliri in eorum obitu, quorum Habitum ſuſcipiant, & illorum ſic indutorum cadavera ſic diſcooperta, nullo pallio, vel tegumento ſuperimpoſito, cum Habitu hujuſmodi ad ſepulturam deferri poſſe, Ordinariorum etiam ſub cenſuris prohibitione & ordinatione locorum qualibet in contrarium edita non obſtante, quas quoad hoc modificamus.

Et ne ex habilitationis ad unum, vel plura beneficia Eccleſiaſtica in titulum, vel commendam obtinenda, cum facultate, ut interim, donec illa aſſequantur, pro Cappellanis aliorum in beneficiis Eccleſiaſticis deſervire, & quod etiam, poſtquam beneficia hujuſmodi aſſecuti fuerint, in domibus dicti Ordinis reſidere, cameras habere, in illis, ac in Generalibus atque Provincialibus Capitulis Fratrum eorumdem Prædicatorum & Minorum Ordinum, vocem activam & paſſivam habere, ac privilegiis, favoribus & gratiis, & indultis conceſſis ipſorum Ordinum Profeſſoribus gaudere poſſint, præfatis Ordinibus, & illorum Profeſſoribus gravamen inferatur, eiſdem motu & auctoritate decernimus, hujuſmodi conceſſas, & quas eis concedi contigerit, habilitationis literas intelligi, & interpretari debere, ut Fratres ipſi, quibus litteræ hujuſmodi conceſſæ ſunt, & concedentur inpoſterum, quandocumque per Sedem prædictam, poſtquam aliquod beneficium adepti fuerint, pacificè, aut pro Cappellanis in aliquibus Eccleſiis cæperint deſervire, conceſſionibus prædictis (prout vocem activam & paſſivam, reſidentiam in Domibus dictorum Ordinum, ac

ac retentionem dictarumDomorum,camerarum, & alia commoda Ordinum præſatorum concernunt) de dictorum Prælatorum conſenſu dumtaxat gaudere poſſint,& non aliàs, nec alio modo. Idem ſtatuentes de promotis ad Cathedrales, etiam Titulares appellatas, Eccleſias, & alias Eccleſiaſtieas dignitates.

Cæterùm, ut dictorum Ordinum Profeſſores, qui Inquiſitores hæreticæ pravitatis pro tempore in diverſis Mundi partibus deputantur, tantò diligentiùs eorum officia ſtudeant exercere, ac ab illicitis & eis prohibitis abſtinere, quantò cognoverint poſſe eorum errores faciliùs corrigi & puniri, quod Magiſter Prædicatorum, & Miniſter Minorum Ordinum prædictorum Generales præfati, nunc & pro tempore exiſtentes, geſta pro tempore per ipſos Inquiſitores ſuorum Ordinum reſpectivè examinare, & quærelas contra illos præpoſitas audire, ac ſuper illis, quantùm eis juſtum & æquum videbitur, ſtatuere & ordinare: Et ſi in aliquo eos deliquiſſe invenerint, illos, juxta exceſsûs exigentiam, etiam per eorum ab officio amotionem, ac aliàs corrigere, & punire, dictoſque Inquiſitores ſecundùm quod æquum & juſtum, aut neceſſarium videbitur (non tamen in una eâdemque Diœceſi) multiplicare, liberè & licitè valeant. Et Prædicatorum in Minorum, & econtra Minorum Ordinum prædictorum Inquiſitores in Prædicatorum Ordinum hujuſmodi Profeſſores quoſcumque, officio inquiſitionis hujuſmodi ſungi, illudque exercere nullatenus poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, de præſentibus litteris ſpecificam, & expreſſam faciente mentionem.

Poſtremò, quia Prædicatorum & Minorum Fratrum prædictorum Ordinum Profeſſores, pro Fidei Catholicæ dilatatione, incremento & defenſione, continuè, indefeſsè laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia Confeſſionum, ſanâ doctrinâ, aſſidua ſacrarum litterarum inſtructione, & devota DivinorumOfficiorum celebratione, Hæreticorum extirpatione, aliiſque innumeris piis operationibus præ cæteris Ordinum Mendicantium Profeſſoribus, fructus in Eccleſia Dei ſalutares copioſiùs attulerunt hactenus, & continuè afferre non ceſſant, atque allaturos in futurum, Deo propitio, ſpe firmâ tenemus, & propterea convenit, ut ipſi præ cæteris ampliores favores, & gratiarum prærogativas à præfata Sede recipiant & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis & privilegiis apud Sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores eſſe videantur; omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias & peccatorum remiſſiones, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, & indulta ſpiritualia & temporalia, qualiacunque ſint, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, ac Servorum Beatæ Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, & Domibus, Prioribus, Fratribus & Sororibus, Converſis & Oblatis, ac utriuſque ſexûs Perſonis de Pœnitentia nuncupatis, à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prædictis, & à Nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac ſi nominatim exprimerentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, conjunctim vel diviſim, in genere vel in communi conceſſa, eiſdem & eorum cuilibet Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordinibus, Domibus, Eccleſiis, Oratoriis, Generali Magiſtro, & Miniſtro, Prioribus & Miniſtris Provincialibus, Conventualibus, Guardianis, Sororibus, Oblatis, Converſis, & utriuſque ſexûs Tertii Ordinis ſeu de Pœnitentia nuncupatis, & aliis eorumdem Ordinum Perſonis, de novo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac ſi eiſdem nominatim, directè & expreſsè conceſſa fuiſſent. Mandantes etiam motu, ſcientia & auctoritate prædictis, ut dum privilegiorum, indulgentiarum, prærogativarum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum & indultorum, dictorum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum & Servorum Sanctæ Mariæ originales litteræ, ſeu tranſumpta authentica, ex illis, pro= & in favorem Eccleſiarum, Domorum & Fratrum prædictorum Prædieatorum & Minorum Ordinum adducerentur vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur tam in judicio, quàm extra judicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac ſi pro=& in favorem dictorum Ordinum, Eccleſiarum, Domorum, & FF. Prædicatorum, & Minorum à Sede Apoſtolica emanâſſent, ac eis, & cuilibet ipſorũ fuiſſent immediatè conceſſæ.

Inhibentes diſtrictiùs ipſis locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſsûs Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis earumdem Eccleſiarum Parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia impoſterum obtinenda pœnis, eoipſo, qui contra fecerint, incurrendis, ne Perſonis quibuslibet Eccleſiaſticis vel Sæcularibus in genere, vel in ſpecie, directè, vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent vel ſtatuant, quò minùs Ordines prædicti, illorum Domus & Profeſſores, prædictis gratiis eis conceſſis

ceſſis

ceſſis liberè uti poſſint: Non obſtantibus quibuſcumq; Apoſtolicis ſuſpenſionibus, revocationibus & reſtrictionibus,ac inProvincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, necnon Pariſienſis, & aliorum locorum Generalium ſtudiorum Univerſitatibus, & Curiæ Vicegerentiæ Avinionenſis, & quibuſvis ordinariis Prælatis, ac Perſonis conceſſis, & concedendis litteris & privilegiis, ac per illos deputatis in eis Conſervatoribus privilegiorum hujuſmodi facultatibus & juriſdictione, cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & inſolitis, quibus omnibus illa etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus & datis, non per hujuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quævis alia mentio habenda eſſet, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa, ſpecificè & nominatim derogamus, & ea nemini in præjudicium præmiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere, ac irritum & inane quicquid ſecus contigerit attentari, decernimus, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris noſtris præfatis Ordinibus conceſſis volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque &c. Verum &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Octavo.

Bullarium Roman. tom.3. part.3. fol.173. Specul. Min. tract.2. fol.67. Wadding. tom.14. Annal. fol. 224.

FF. Minores ad nulla ſtatuta, conſuetudines, ac declarationes, etiam Apoſtolica auctoritate firmatas, ſub cenſura, ſeu peccato mortali ligari poſſe decernit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumſpecta Apoſtolicæ Sedis benignitas ſalutis operibus ſemper intenta, ad ea præcipuè ſuæ ſollicitudinis ſtudium convertit, per quæ Chriſtifideles ſinguli, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantes, ſemotis ſcrupulis univerſis in pacis tranquillitate, & conſcientiæ puritate, illi, cui ſe ſponte devoverunt, vota ſua exſolvere valeant, cenſuras & pœnas aliquando revocando, interdum verò limitando, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Sanè pro parte dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis, & univerſorum FF. Ordinis FF. Minorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licèt multis Fratribus ejuſdem Ordinis ſatis durum, & difficile ſit, Regulam B. Franciſci tenere, ac ad ſuarum ſalutem animarum ſufficere videatur Regulam ipſam laudabiliter obſervare: nihilominus, quia nonnulli Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, & alii, ac etiam Generalis, & Fratres ipſius Ordinis fervore devotionis accenſi, ultra dictam Regulam, nonnulla ſtatuta & ordinationes, ſive Conſtitutiones fecerint, per quæ aliqua eiſdem Fratribus prohibentur, ut puta, comedere carnes in Nativitatis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Penteceſtes, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, cæteriſque aliis feſtivitatibus, & diebus, quædam verò alia ipſis præcipiuntur fieri ſub excommunicationis pœnâ, vel aliis cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu aliis pœnis, quas contrafacientes ipſo facto incurrunt, multi propterea dicti Ordinis Fratres contrafaciendo cenſuris & pœnis taliter latis ſæpe numero involvuntur, & illaqueantur: unde ſtatuta & ordinationes prædictæ potiùs ad animarum ſuarum diſpendium, quàm ſalutem ædificare videntur: verùm ſi cenſuræ & pœnæ prædictæ in contrafacientes, ut præfertur, ipſo facto latæ, in comminatorias & infligendas, & temporales pœnas mutarentur, profectò ſaluti plurimorum opportunè conſuleretur. Quare pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui fidelium animarum diſpendiis libenter obviamus, eorumque ſalutem ſinceris deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium ſtatuimus atque decernimus, quod Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & Fratres dicti Ordinis præſentes, & qui pro tempore fuerint, ex ſtatutis, ſeu conſuetudinibus, vel declarationibus dicti Ordinis, præter Regulam, quomodolibet, & à quibuſcumque editis, etiam confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis, illis contra faciendo, nullâ Eccleſiaſtica cenſura, nulloque mortalis peccati vinculo ligari valeant, nec cen-

cenſuras, nec pœnas ſeu mòrtale peccatum hujuſmodi incurrant, niſi tales eſſent caſus vel exceſſus, qui divinâ lege, ſeu præcepto Romanæ Eccleſiæ meritò inducerent ad mortale, cenſuras & pœnas taliter latas, harum ſerie revocantes & annullantes, illaſque ad vim commutationis pœnarum comminatoriarum & ferendarum, ſeu corporales & temporales pœnas prædictas per Generalem Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos & alios Prælatos ipſius Ordinis ferendas, & infligendas reducentes: quodque Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & alii ipſius Ordinis Prælati prædicti, temporales, ſeu alias pœnas pro non obſervatione dictorum ſtatutorum, ſecundùm qualitatem perſonarum, locorum & temporum, & aliàs, prout videbitur, ſaluti animarum Fratrum eorundem in Domino expedire, ferre & promulgare, ac delinquentes ab illis abſolvere valeant. Non obſtantibus ſtatutis, ordinationibus, & declarationibus præmiſſis, quibus, quoad hoc expreſsè derogamus, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis: necnon aliis ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis alia firmitate roboratis, contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, Kalendis Decembris Pontificatûa noſtri Anno Decimo.

Specul. Min. tract. 2. fol. 29. Rodriq. in Collect. fol. 169. Wadding. tom. 14. Annal. fol. 255.

Beatum Bonaventuram Sanctorum & Doctorum Catalogo adſeribit, feſtum ejus inter feſta Sacri Palatii annumerat, idque ab omnibus celebrari jubet, ac indulgentias concedit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUperna cœleſtis patria, Civitas Jeruſalem, *cujus participatio ejus in idipſum*, ita omnium electorum ſalvatione lætatur, ut, quorum præſtantiora ſunt merita, copioſiora etiam ſumant gaudia præmiorum: quod in exceſſu mentis ſuæ poſitus Iſaias Propheta, ſenſiſſe videtur cum diceret: *Exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui ſanctus*. Exultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum ſedium habitatione ſolliciti, conantur *de virtute in virtutem*, ad beatas illas manſiones, unde ſuperbi ruerunt ſpiritus, humilitate perducere. Exultent quoque omnes animæ juſtorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, atque omnes tam veteris, quàm novi teſtamenti fideles, amici Dei, qui contemptis hujus ſeculi vanitatibus, concivium numeroſitate congaudent. Exultet cœlum laudibus, reſultet terra gaudiis, quoniam *Sanctorum editio lætitiam habet plurimorum*. Valde enim pietas fidei exigit, ut, quod pro ſalute multorum geritur, communibus ubique gaudiis celebretur. Præcipuè verò exultet Pontificum cœtus Beatorum, & ſacra Doctorum concio, qui *fulgent in cœlo tamquam ſtellæ in perpetuas æternitates*: quos interdum ſanctus Bonaventura tamquam novum ſidus, ex hac lachrymarum valle ad cœleſtem, quæ *ſurſum eſt Jeruſalem*, vocante eum Domino migraret, emicuit. Nos autem, qui diſponente Altiſſimo, ad culmen Apoſtolatûs evecti, Chriſtiani gregis curam gerimus, quem pro debito paſtoralis officii, jucundo Sanctorum collegio conformare, ut debemus, intenſis deſideriis affectamus; Eccleſiæ militanti (pro cujus ædificatione & incremento ipſum Bonaventuram in catalogo Sanctorum referendum duximus) haud incongruè dicere poſſumus: *Exulta hodie & lauda habitatio Syon*, ideſt, Chriſtiana Religio, in qua tamquam in Monte Syon, per veram fidem habitat verus Deus, *quoniam magnus in medio tui ſanctus*. Quippe, *in medio Eccleſiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectûs, & ſtolam gloriæ induit eum, & coronavit ad portas paradiſi*, in qua unà cum Angelis gloriâ & felicitate lætatur. Lætemur itaque & exultemus, quia cœleſtis illa Curia ex nobis habet, cui ſit cura de nobis, qui ſuis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, illuminavit doctrinis, & miraculis confirmavit; quem Deus dedit cunctis populis in gloriam & honorem, cujus memoria in benedictione eſt. Ea namque de Divinis rebus ſcripſit, ut in eo Spiritus Sanctus locutus videatur; ita piè, religioſè & ſanctè vixit, ut ſcriptis vita congrueret, & quod ſcribebat, doceret exemplo: in quo morum virtus, & ſignorum claritas ita comperta eſt, ut congruentibus maximis meritis & miraculis, veræ ſanctitatis teſtimonium à militante Eccleſia debeatur eidem. Nam eum in flore virente juventutis, humanis abjectis illecebris, Divino ſe addi-

addixiſſet ſervitio, Religionem beati Franciſci, quæ per ardua tendit, ingreſſus, tantum ſedula lectione & aſſidua oratione profecit, ut cum ſapiente meritò dicere poſſet: *optavi, & datus eſt mihi ſenſus*. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem ſenſum, qui *lux, via, veritas eſt, & vita*, paucorum annorum ſpatio, incredibilem eſt ſcientiam conſecutus. Nec talentū ſibi à Domino concreditum ſudario inligavit, & terræ inſodit, ſed ut ſapientiſſimus diſpenſator, in communem utilitatem convertit. In celebri enim Pariſienſi Gymnaſio Cathedram rexit: ubi abſcondita ſcripturarum enucleans, non ſolùm viva voce profuit multis, ſed etiam plurima librorum optimorum tum in ſacris litteris, tum in majoribus ſcientiis monumenta reliquit, quæ eſſent omni tempore poſteris profutura. Magnus doctrinâ, non minor humilitate & vitæ meritis, quem Alexander de Ales, Doctor clariſſimus, cui ſe in diſciplinam ſanctus Bonaventura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ ſimplicitatis expertus eſt eſſe, ut dicere ſolitus fuerit, ſibi videri, quod in eo Adam nunquam peccâſſet. Magnus etiam in Ordine Fratrum Minorum, cui unus omnium poſt beatum Franciſcum plurimùm profuit: ad ejus enim gubernacula vocatus, & Generalis Miniſter, Domino inſpirante, creatus, talem ſe ſuis præbuit ſubditis, ut in illo Dominicum illud verbum videretur impletum: *Qui major eſt veſtrûm, ſit Miniſter veſter*. Nam ſapientia & morum integritate major, prælationis officium cum tanta exercuit charitate, ut ſponte humilis, nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali ſervitio ſatagebat, ut bonus Chriſti miles, inferioribus miniſtrare. Nec ſolùm, quæ ab ipſo beato Franciſco piè & ſanctè fuerant inſtituta, diligentiſſimè cuſtodivit, ſed multa etiam adinventa, quæ, creſcente Fratrum numero, neceſſaria videbantur, adjecit; Ordinem quoque ipſum in Provincias, Cuſtodiaſque diviſit. Magnus etiam dignitate in Romana Eccleſia fuit. Increbreſcente enim fama innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ ejus, à fel. record. Gregorio Papa X. prædeceſſore noſtro, ad Cardinalatûs vocatus eſt honorem, ut ejus operâ, in maximis difficillimiſque rebus, quæ temporibus illis inciderant, uteretur. In quem Gregorius ipſe ob ingentia Viri merita, novo eſt uſus exemplo. Statim enim illi Albanenſem commiſit Eccleſiam, quæ nonniſi vetuſtioribus Cardinalibus ſolet committi. Non feſellit expectationem ſummi Pontificis ac ſacri Senatûs optimus Deoque amiciſſimus Vir: ſed in Concilio Lugdunenſi præſidens, omniaque ad Dei laudem dirigens, ſedatis diſcordiis, difficultatibuſque ſublatis, ipſi Eccleſiæ maximo uſui fuit & ornamento: quibus rebus apertè cognoſcitur, quod *Statuit illi Dominus teſtamentum pacis, & Principem fecit eum; ut ſit illi ſacerdotii dignitas in æternum*. Quem inanis gloria non inflavit, non divitiæ ſiniſtrorſum egerunt, ſed in fide lenitateque perſeverans, pius in Deum, in pauperes miſericors, juſtus in omnes, ita hoc corruptibile corpus exuit, ut cum Apoſtolo dicere poſſet: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. Qui etſi ex ſola perſeverantia poterat Sanctus credi, juxta illud: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, ſubſecuta ſunt tamen poſt vitam multa maximaque miracula, quæ certum ſanctitatis ejus præbent indicium, & Nos ad ipſius venerationem inducunt, quem Deus, meritis præcedentibus, venerandum oſtendit. Ipſe enim Deus Omnipotens, ut ſuæ virtutis potentiam manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam pandat, fideles electos ſuos, quos coronat in cœlis, ſæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memorias ſigna faciens & prodigia, quo hæretica pravitas confundatur, & fides orthodoxa ſervetur. Agimus igitur ipſi Deo, quantas poſſumus, gratias, quod Nos dignos duxerit, per quos hæc canonizatio celebraretur: quæ licèt, Divinis litterarum monimentis exſtantibus, coruſcantibuſque miraculis, jam pridem potuerit rite fieri, numquam tamen ante hac vel à Principibus, vel ab aliis tantâ diligentiâ fuit petita. Noſtro tempore cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ludovicus Francorum Chriſtianiſſimus, Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Hungariæ Reges Illuſtres, dilecti quoque filii, nobiles Viri Alphonſus Calabriæ, Joannes Monzenico Venetiarum, Joannes Haleam Mediolani, & Joannes Borbon, Duces inſignes; præterea Civitates Florentinorum, Senenſium, Lugdunenſium, Peruſium, &, quæ tale jubar tulit, Balneoregium, tanto ſtudio tantaque perſeverantia petierunt à Nobis, ut durum & impium putaremus, eis in re tam pia reſiſtere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Acceſſerunt aſſiduæ venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Juliani Sabinenſis, ipſius Ordinis Protectoris, dilectorum quoque filiorum Franciſci Samſonis Generalis Miniſtri, & Petri de Rodulphis Procuratoris dicti Ordinis, ſacræ Theologiæ Profeſſoris preces: qui nomine Generalis eorum Capituli, id tamquam juſtum & debitum repoſcebant. Legeramus ſtudioſiſſimè Sancti hujus Divina ſcripta,

qui-

quibus, poſtquam per ætatem aliquid ſapere licuit, ſemper fuimus delectati. Audiveramus quoque ab antiquioribus præfatæ Religionis Fratribus,& gravibus quidem Viris, qui & ipſi à majoribus natu acceperant, de ſanctimonia vitæ ejus; conſtantem famam eſſe ſciebamus, de multis maximiſque miraculis: nec erat præterea apud Nos dubium, quin in trinmphante Eccleſia triumpharet in cœlo, & venerationem mereretur in terris. Sed memores, Nos eumdem Minorum Ordinem ex voto ingreſſos, in quo, Divina aſſiſtente gratia, in ſacris litteris & religioſis moribus utcumque profecimus, eademque Miniſteriatûs officia exercuimus, atque inde ad Cardinalatûs dignitatem, ita ut per conſimiles gradus ad Pontificatûs culmen ſublevatos Nos fuiſſe, diſponente Domino, cognoſcamus, per quos ipſe Bonaventura ſanctus ad triumphantis Eccleſiæ immarceſcibilem gloriam evectus eſt; ne ad id videremur potiùs adfectione propria, quàm debita devotione moveri, eam adhibuimus diligentiam ac gravitatem, quam rei magnitudo poſcebat. Commiſimus enim tribus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E.Cardinalibus, ut de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque unus ex eis, incboato proceſſu, ut Deo placuit, ab hac luce migrâſſet, alium in locum defuncti ſubrogavimus Cardinalem; quo etiam decedente, alium ſubſtituimus. Nec his contenti, cum jam proceſſus ipſe pene perſectus eſſet, & hi, qui delegati erant, fideliſſimè retuliſſent; tamen, quia non videbatur in procedendo tanta quanta requiritur obſervata ſolemnitas, illum reiterari juſſimus. Demum enm ex uberiori relatione & fide dignorum teſtium ſuper hoc receptione compertum fuiſſet, multa & magna à Deo per ipſum Sanctum miracula fieri, quæ in conſpectu multitudinis cernebantur: Nos ne Spiritui Sancto reſiſtere videremur, qui per os Prophetæ *Laudare Deum in Sanctis ſuis jubet*; in Conſiſtorio noſtro ſecreto, hujus rei cauſa habito, eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium vota ſuper hujuſmodi canonizatione ſumus ſcrutati; cumque omnium una eademque fuiſſet ſententia, ut in Sanctorum numerum referri deberet, Conſiſtorium publicum deinde habuimus, in quo, magna multitudine adſtante, in triduum orationes jejuniaque indiximus, ut Deus Omnipotens Nobis, quod factu optimum in hac re eſſet, oſtendere dignaretur; nec pateretur Eccleſiam ſuam militantem errare, quæ ſe triumphanti conformare ſtuderet. Triduo deinde elapſo, omnes, qui in Romana Curia erant, Prælatos juſſimus convenire, qui ad unum interrogati, quid faciendum videretur, in eamdem ſententiam convenerunt, beatumque Bonaventuram canonizandum cenſuerunt. Nos ergo Dei nutum & voluntatem ſequentes, attendenteſque juſtum ac debitum eſſe, ut, quos Deus honorat in cœlis, Nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, cum ipſe potiùs laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſæcula; hunc diem canonizationis ipſius ſancti Bonaventuræ, in medio Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, quo maxima omnis generis ordiniſque multitudo confluxerat, celebrandum ſtatuimus. Ibi reliquis omnibus legitime peractis, prædicti Ordinis Minorum Procurator in medio ſtans, dictum illud beati Joannis Apoſtoli clara voce proponens, videlicet: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; probavit etiam, habito ſuper præmiſſis proceſſu, ipſas beatiſſimæ Trinitatis Perſonas teſtimonium, quod beatus Bonaventura in cœlo ſit, præſtitiſſe: Patrem ſcilicet, in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ ſapientia, & Spiritum Sanctum in vitæ ipſius bonitate. Et propterea non ſolùm nominibus omnium, qui hanc ipſam canonizationem fieri ſupplicârunt, ſed etiam ex parte individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ipſum beatum Bonaventuram ſanctum pronunciare dignaremur, inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè requiſivit. Confidentes igitur, quod in hac canonizatione non permittet Nos Deus errare, qui omnia in ea quomodolibet requiſita, etiam ſuperabundanter obſervari fecimus & obſervavimus, de eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romana Curia exiſtentium, unanimi conſenſu & maturo conſilio, de Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, beatæ memoriæ Bonaventuram Balneoregienſem, ſacræ Theologiæ profeſſorem, ex gremio ſacri Ordinis Minorum, & ex officio Generalatûs in Epiſcopum Cardinalem aſſumptum, Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei cathalogo adſcribendum, adjiciendum & aggregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere decernimus, ipſumque ſanctorum Confeſſorum Pontificûm & Doctorum, quos ſancta Dei veneratur Eccleſia, conſortio ſolemniter inpræſentiarum adſcribimus, aggregamuſque per præſentes: ſtatuentes etiam & mandantes Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis dictorum, ac Patriarcharum, Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, & quorumvis Ordinum tam Mendican-

cantium, quàm non Mendicaotium Profeſſoribus, oeccon quibuſcumque Eccleſiaſticis perſoois, ut feſtum ipſius ſancti Bonaventuræ, ſecuoda Domioica menſis Julii, ſingulis annis ſolemniter & devotè celebrent, Divinum officium veluti pro uno Confeſſore Pontifice & Doctore tam publicè, quàm privatim, prout cootigerit, perſolventes: dilectis verò filiis Fratribus prædictis Mioorum Ordinis, quatenus hujuſmodi officium ſub feſto duplici & octava, eo modo, quo aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare feſta & octavas conſueverunt, celebraodi concedimus facultatem. Ioſuper eadem auctoritate, omnibus verè pœniteotibus & coofeſſis, qui eâdem Domioica Eccleſiam, io qua ſanctum ejus corpus requieſcit, devotè viſitaverint, aonuatim ſeptem annos & totidem quadragenas; his verò, qui aliis temporibus in ſiogulis diebus Domioicis, ceotum dies; illis autem, qui Eccleſias Fratrum Minorum ubilibet conſtitutas tam in ipſa die feſti, quàm in octava, Divinis Officiis ioterfuerint, conſimiles indulgentias & peccatorum remiſſiones, quæ io ſingulis aliorum ejuſdem Ordinis Sanctorum feſtis, ex iodultis Apoſtolicis generaliter promulgatis Romani Pontifices conceſſerunt, de injunctis pœnitentiis miſericorditer io Domino relaxamus & elargimur. Conſiderantes prçterea, quanta ab hoc ipſo S. Bonaveotura, ratione ſcieotiæ & ſaoctitatis vitæ, Epiſcopaliſque & Cardioeæ dignitatis, S. R. Eccleſia ſuſceperit incrementa, quantamque idem Sanctus cum beato Thoma de Aquino, coætaneo, condiſcipulo, & commagiſtro ſuo, familiaritatem & ſpiritualem conjuoctionem in hac vita ſervaverit; ut, quos io boc ſæculo fraieroa junxit charitas, & eadẽ io cœlo prçmia conſecutos credimus, præſeos Eccleſia pari veoeretur honore: prædictum feſtum inter ſacri Palatii Apoſtolici adſumentes, adoumeranteſque, eamdem indulgeotiam in feſto prædicto, in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum de Urbe, quæ in feſto Sancti Thomæ de Aquino, io Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis de Urbe, *Minerva* vulgariter ouncupata, habetur, concedimus: pariterque decernimus, Fratres Minores in alma Univerſitate Pariſienſi, eiſdem privilegiis poſſe ac debere uti & gaudere, ob ipſius Sancti Bonaventuræ merita, quibus ex Apoſtolicis indultis Fratres Prædicatores in eadem Univerſitate, intuitu & gratia ejuſdem Sancti Thomæ, potiri & gaudere conſueverunt, & gaudent, aut potiri & gaudere quomodolibet poteruot io futurum. Quocirca omnes & ſingulos in dignitate conſtitutos requirimus & monemus, quatenus univerſis Clericis & populis ſuarum Civitatum, Dioeceſûm & Parochiarum, præſentes noſtras litteras ſolemniter publicaotes, eoſdem hortentur, ut Deum ipſum, à quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, ut ipſius Sancti Doctoris & Confeſſoris Bonaveoturæ meritis & precibus exoratus, militantem Eccleſiam, Apoſtolicam Sedem, & cuoctos Chriſtifideles, à paganorum & aliorum infidelium & hæreticorum tueatur incurſibus, & à periculis cunctis ſemper protegat ac defendat, & illam, quam Nobis Mundus dare non poteſt, pacem, hoſtium omnium ſublata formidioe, firma cum tranquillitate concedat; utque poſt hujus vitæ militiam, depoſitumque paſtoralis officii miniſterium, unà cum grege Nobis credito ad ſempiterna tandem gaudia pervenire mereamur. Demum, quia difficile foret, litteras origioales præſentes ad uoiuſcujuſq; notitiam deferri, volumus ac decernimus, quod earum tranſumpto, ſub ſigillo Generalis Miniſtri Ordinis aoredicti, & manibus duorum Notariorum publicorum debitè ſubſcriptis, fides adhibeatur iodubia in omnibus & per omnia, & illis ubique ſtetur, ac ſi originales litteræ hujuſmodi eſſeot exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino homioum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutioois, adſcriptionis, aggregatioois, ſtatuti, mandati, cooceſſionis, relaxationis, largitionis, aſſumptioois, adoumeratioois, monitionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis aotem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Saoctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo, decimo octavo Kalendas Maji, Pootificatûs noſtri Aono Undecimo.

Bullar. Rom. tom. 3. par. 3. fol. 182. Wadding. tom. 14. Annal. fol 296.

Pontificias gratias, FF. Minoribus iis abutentibus, ſuſpendi mandat.

Dilecto Filio Vicario Geoerali &c.

SIXTUS PAPA IV.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſt. Bened.

NUper Nobis humiliter ſupplicari feciſti, quod, cum plerique Fratres tuæ curæ

curæ ſubjecti, gratiis & facultatibus per Nos eis conceſſis abuti, aut in ſcandalum Ordinis uti ſoleant; dignaremur paternâ providentia huic rei occurrere. Nos igitur, qui in effectum boni operis gratias & indulta concedere ſolemus, quique pacem, & tranquillitatem in dicto Ordine nutrire intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, harum ſerie tibi concedimus facultatem, ut, quandocunque proſpexeris Fratres tuæ curæ ſubjectos, vel ipſorum aliquem hujuſmodi gratiis vel facultatibus abuti (ſuper quo tuam conſcientiam oneramus) gratias & facultates ipſas ſuſpendere poſſis, & ſuſpenſas tenere, donec quamprimum Nos certiores reddideris, & à Nobis reſponſum habueris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ultima Novembris milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio Pontificatûs noſtri Anno Decimo tertio.

Monumenta Ordin. fol. 52. Specul. Minor. fol. 35. Wadding. tom. 14. Annal. fol. 361.

INNOCENTIUS VIII.

Antea Joannes Baptiſta Cybo, Genuenſis, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Cæciliæ 29. Auguſti 1484. Pontifex creatus eſt, ſedit annos 7. menſes 10. dies 27. Vinculis mortalitatis ſolutus 25. Julii 1492. & ſepultus eſt in Baſilica Vaticana, in cujus navi ad lævam ingreſſûs æreum illius monumentum cum ſuperpoſito itidem æreo ejus in Pontificali throno ſedentis, & Lanceam in memoriam Sacræ Lanceæ ipſi à Bajazete Turcarum Imperatore tranſmiſſæ dexterâ tenentis ſimulachro adhuc hodie cernitur.

Paramenta, ornamenta &c. Eccleſiaſtica non ſolùm ad Eccleſiaa Ordinis, ſed & ad alias extraneas ſpectantia benedicendi facultatem, Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis concedit, vel jam conceſſam confirmat, & ampliat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio, Joanni, Abbati Monaſterii Ciſtercii, Cabilonenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Expoſcit tuæ devotionis ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, ut tam Te, quem ſpeciali dilectione proſequimur, quàm tuum, & alia quatuor principalia tui Ciſtercienſis Ordinis Monaſteria, poſt, & per dictum Monaſterium tuum immediatè fundata, primas quatuor illius filias nuncupata, condignis honoribus attollamus, ac ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, ex privilegiis & indultis Apoſtolicis Tibi, & aliorum quatuor Monaſteriorum prædictorum Abbatibus pro tempore exiſtentibus, ut omnes Ordines minores Perſonis Ordinis ejuſdem intra Monaſteria prædicta conferre, ac Pallas Altaris, & omnia ornamenta Eccleſiaſtica benedicere, ac Mitrâ & Annulo, & aliis Pontificalibus inſigniis uti: necnon in ipſis & aliis Monaſteriis, & Prioratibus illis ſubjectis, ac Parochialibus & aliis Eccleſiis ad eos communiter vel diviſim pertinentibus, quamvis eis pleno jure non ſubeſſent, benedictionem ſolemnem poſt Miſſarum, Veſperarum & Matitutinarum ſolemnia (dummodo in benedictione hujuſmodi aliquis Antiſtes, vel Apoſtolicæ Sedis Legatus præſens non foret) elargiri. Ac Eccleſias & Monaſteria dicti Ordinis, quoties foret opportunum, dummodo & ex homicidio illa polluta non forent, reconciliare, aquâ priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedictâ obtentâ, valerent, diverſis vicibus ac partibus, quandoque ſingillatim, quandoque ſimul, prout ipſa privilegia edoceot, conceſſum fuerit. Et ab aliquibus hæſitetur, an Tu, & dicti Abbates Pallas & alia ornamenta hujuſmodi, extra ipſius Ordinis Monaſteria, & etiam illa, quæ ad Monaſteria & loca dicti Ordinis non ſpectarent: & an poſſint in quibuslibet aliis Monaſteriis & lo-

& locis dicti Ordinis utriuſque ſexûs benedicere, licèt Abbates Prædeceſſores à tanto tempore citra, cujus contrarii hominum memoria non extitit, præmiſſa omnia, ſeu majorem partem facere conſueverint. Nos, qui Ordinem ipſum præ cæteris in viſceribus gerimus charitatis, & illum intendimus non minoribus gratiis & privilegiis, quàm Prædeceſſores noſtri fecerint, decorare, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Tibi & Succeſſoribus tuis, ac dictis Abbatibus aliorum quatuor Monaſteriorum prædictorum, nunc & pro tempore exiſtentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcunque alia veſtimenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica, corporalibus, vaſculiſque ad reponendam Sacram Euchariſtiam, ac imaginibus quibuslibet comprehenſis, in locis & Domibus dicti Ordinis benedicere, & calices conſecrare, tam de dicto Ordine, quàm ſi ad Vos aliunde nonnunquam deferantur: ac Altaria de novo conſtructa ſeu translata, reſtaurata aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, cbriſmate ſacro priùs ab aliquo Catholico Antiſtite recepto, conſecrare, & etiam benedictionem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinarum ſolemnia, in quibuslibet Monaſteriis, Domibus & locis dicti Ordinis utriuſque ſexûs, ſervatis gradibus ſuperioritatis, inter vos elargiri. Ac, ne Monachi dicti Ordinis, pro ſuſcipiendis Subdiaconatûs & Diaconatûs Ordinibus, extra Clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur, Tibi, & Succeſſoribur tuis, ut quibuſcunque dicti Ordinis Monachis, aliis verò quatuor Abbatibus præſatis, ac eorum ſucceſſoribus, ut ſuorum Monaſteriorum prædictorum Religioſis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatûs & Diaconatûs Ordines hujuſmodi aliàs ritè conferre: Ac cum negotiorum qualitas pro tempore ingruentium id exegerit, antequam eluceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, ita quod id nec Vobis, nec Sacerdoti taliter in præſentia veſtra celebranti ad culpam valeat imputari, Miſſam in veſtra & cujuslibet veſtrûm, ac familiarium veſtrorum Vobis cum præſentia per voſmetipſos Miſſam celebrare, & per alium Sacerdotem idoneum facere celebrare. Et quia interdum propter munus benedictionis, quod per Epiſcopos Abbatibus & Abbatiſſis dicti Ordinis impenditur, contentiones ac privilegiorum Ordinis veſtri læſiones oriuntur, ſub eo prætextu, quod Epiſcopi præſati ex impreſſione muneris hujuſmodi prætendunt, aliquam poſtmodum in eos, & eorum Monaſteria juriſdictionem & ſuperioritatem contra dicti Ordinis veſtri privilegia habere, Tibi, & Succeſſoribus tuis prædictis duntaxat, ut munus benedictionis hujuſmodi quibuſcunque dicti Ordinis Abbatibus & Abbatiſſis impendere, ac Abbatibus & Abbatiſſis prædictis, ut dictum munus à Te & Succeſſoribus tuis præfatis recipere liberè ac licitè poſſitis & poſſint, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris privilegiorum & indultorum hujuſmodi conceſſum eſt, non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Proviſo, quod hujuſmodi conceſſione ante diem celebrandi, ſeu celebrari faciendi parcè utamini, quia, cum in Altaris officio immoletur Dominus Noſter Dei Filius Jeſus Chriſtus, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, ſed in luce. Verùm, quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, & præſata auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo tuo, aut alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono, quinto Idus Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Rodriquez tom. 3. privileg. fol. 245.

N O T A

Motivum ponendi hic privilegium inclito Ordini Ciſtercienſi primariò conceſſum deteget Lector infrà legendo Annotationem ſubjunctam Conſtitutioni Leonis X. incip. *Religionis ſuadet honeſtas*, & de facultate benedicendi veſtes ſacras agenti.

Privilegium, quo cuilibet in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto & Metropolitanæ vel Cathedralis Eccleſiæ Canonico indulta FF. Minorum in Mari magno contenta, ſolemnizare, & publicare, Fratreſque dictos in illorum poſſeſſione manutenere à Sixto IV. conceſſum eſt, confirmat, & inhibitiones, ac citationes abſque inſertione totius Bullæ Sixtinæ fieri poſſe concedit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis, Vicario Provinciali, & Fratribus Provinciæ Colonien. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

ORdinis veſtri Sacra Religio, in quo devotum Deo exhibetis obſequium, promeretur, ut petitionibus veſtris, præſertim, quæ divini cultûs incrementum reſpiciunt, quantùm cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sanè pro parte veſtra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter univerſis Ordinis Fratrum Minorum Profeſſoribus, ubilibet per orbem conſtitutis, nonnullas gratias, privilegia & indulta per ejuſdem prædeceſſoris litteras, quas *Mare magnum privilegiorum* dicti Ordinis Vos, & alii illius Profeſſores nuncupatis, gratioſè conceſſit, & voluit, quod quilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, & Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, qui per Domorum dicti Ordinis Guardianos, aut Fratres, ſeu ad eorum commodum conceſſos Romanæ Eccleſiæ Syndicos requireretur, per ſe vel alium ſeu alios contenta in litteris prædictis, ubi & quando expedierit, ſolemnizare, publicare, ac eidem Ordini, ac illius Domibus & Profeſſoribus, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere, & adversùs impedientes, In pacifica poſſeſſione, vel quaſi, privilegiorum, gratiarum & conceſſionum hujuſmodi manutenere & defendere deberent, prout in eiſdem litteris dicitur plenìus contineri; quodque vobis grave & diſpendioſum exiſtit, quoties expedit aliquod mandatum, vel aliquam inbibitionem ſeu citationem, præmiſſorum occaſione decerni, in litteris ſuper mandato, iobibitione & citatione hujuſmodi conficiendis, ſeriem litterarum Sixti prædeceſſoris prædictarum, de verbo ad verbum inſerere. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, attentâ arctiſſimâ, quam profeſſi eſtis, pauperie, vobis, quod de cætero mandata, inbibitiones & citationes, ſi quæ fieri contigerit, vigore dictarum litterarum, etiam illarum non inſerto tenore, ſed ſolùm effectu clauſulæ prædictæ, per quam conceditur Perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Canonicis præfatis facultas prædicta faciendi, perinde eos, quos concernent, arctent inpoſterum, & proceſſus in vim mandatorum, inhibitionum & citationum hujuſmodi poſtea habiti, valeant, & plenam roboris firmitatem obtineant, & de invaliditate, eo prætextu, quod non inſerto tenore delegationis & poteſtatis eorum fiant, impugnari nequeant, concedere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui votis, per quæ perſonarum Eccleſiaſticarum ſub Regulari Habitu aſſiduè vacantium ſtudio piæ vitæ, commoditatibus conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſuplicationibus inclinati, quod de cætero perpetuis futuris temporibus mandata, inhibitiones & citationes hujuſmodi, ſi quæ fieri continget, ad veſtram, ſeu alicujus veſtrûm, ſeu Syndicorum præfatæ Eccleſiæ ad veſtrum commodum ordinatorum inſtantiam, vigore dictarum litterarum, etiam illarum non inſerto tenore, ſed ſolùm effectu clauſulæ prædictæ, per quam conceditur eiſdem Perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Canonicis facultas præmiſſa faciendi, perinde eos, quos concernent, arctent inpoſterum, & proceſſus in vim mandatorum, iohibitionum & citatioonum hujuſmodi poſtea habiti valeant, & plenam roboris firmitatem obtineant, & de invaliditate eo prætextu, quod non inſerto tenore delegationis & poteſtatis eorum, per quos fient, notari & redargui nequeant; dummodo in primo actu, antequam ad ulteriora procedatur, coram ipſo mandante, inbibente vel citante, litteræ exhibeantur, aut aliàs fiat de eis legitima fides; quodque præſentium litterarum tranſumpto, ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici, & Notarii inde rogati ſubſcriptione munito, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis litteris originalibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ, Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, ſicque fieri & obſervari debere, eadem auctoritate decernimos. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcunqne. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Da-

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, nono Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri Anno octavo.
Wading. tom. 15. *Annal. fol.* 483.

ALEXANDER VI.

Priùs Rodericus Borgia, Valentinus, Caliſti III. Nepos, S. R. E. Vice-Cancellarius & Epiſcopus Portuenſis, 11. Auguſti 1492. Vicariatum Chriſti in terris ſuſcepit, illumque per annos 11. & dies 8. geſſit. Cineres defuncti, priùs in Baſilica Lateranenſi, vel juxta alios in Vaticano humati, anno 1610. cum oſſibus Caliſti III. Avunculi ad Ædes S. Mariæ de Monte Serrato fuerunt tranſlati.

PIUS III.

Priùs Franciſcus Piccolomineus, Senenſis, Pii II. Nepos, Cardinalis S. Euſtachii 22. Sept. 1503. Summus Eccleſiæ Pontifex renuntiatus eſt. Dum de reſtituenda Chriſtianæ Reipublicæ majeſtate per 26. dies egit, publico luctu 18. Octob. deceſſit; ſepultus in Vaticano, tranſlatus fuit ad Eccleſiam S. Andreæ de Valle dictam, ubi ſupra portas utriuſque lateralis ingreſſûs, & quidem ad dexteram Avunculi Pii II. & ad lævam Nepotis Pii III. monumenta adhuc videntur.

JULIUS II.

Antea Julianus à Ruvere, Savonenſis, Sixti IV. ex Fratre Nepos; Presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, Ordinis Minoritani per 26. annos Protector, 1. Novembris Pii III. Succeſſor proclamatus eſt. Rexit Eccleſiam Dei per annos 9. menſes 3. & dies 21., & quieſcit in prædicta S. Petri ad Vincula Eccleſia, mortuus 21. Februarii 1513.

Ad inſtantias Regis & Reginæ Hiſpaniarum privilegium tempore interdicti Eccleſiis Ordinis Minoritani conceſſum, modo, quo illud pro feſto S. Patris conceſſum eſt, ad feſtum S. Bonaventuræ extendit.

JULIUS PP. II.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ferdinando Regi, & chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Eliſabeth Reginæ Hiſpaniarum Catholicis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper feciſtis, quod ex magno devotionis fervore, quem ad B. Bonaventuram & Ordinem FF. Minorum, cujus idem Bonaventura Profeſſor fuit, ac ejuſdem Ordinis Domos geritis, tam Vos, quàm Fratres dicti Ordinis deſideratis magnopere, quod, quemadmodum juxta privilegia Apoſtolica Fratribus dicti Ordinis, & eorum Domibus conceſſa, ſi tempore, quo dies, in qua Feſtum B. Franciſci, qui ejuſdem Ordinis primus Inſtitutor fuit, interdictum etiam Apoſtolica auctoritate appoſitum fuerit, Fratres ipſi, excommunicatis & interdictis excluſis, à primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei incluſivè, in eorum Domibus Miſſas, & alia Divina officia, ac ſi interdictum appoſitum non eſſet, celebrare poſſint, id ad Feſtum D. Bonaventuræ extendi poſſit. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut huic pio deſiderio veſtro Paterna benignitate annuere dignaremur.

Nos igitur, qui Fratres ipſos, præſertim illos, qui poſt curſum hujus vitæ de manu Dei coronam palmæ habere meruerunt, & eorum Domos ſingulari prærogativâ præ cæteris in viſceribus charitatis gerimus: quod de cætero perpetuis futuris temporibus in die S. Bonaventuræ, ſi eâdem die interdictum, etiam dicta auctoritate appoſitum fuerit, omnes & ſinguli Fratres dicti Ordinis in eorum Domibus à primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei incluſivè, quemadmodum in die S. Franciſci Fratres ipſi facere poſſunt, Miſſas & alia Divina officia in dictis eorum Domibus, excommunicatis & interdictis excluſis, celebrari facere liberè & licitè poſſint, auctoritate Apoſtolica præfata, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, ac Fratribus prædictis ſimiliter indulgemus. Non obſtantibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. Maii MDIV. Pontificatûs noſtri anno primo.

Wadding. tom. 15. Annal. fol. 613.

Tempore interdicti corpora Fratrum Minorum pulſatis campanis, ac ſolitis cœremoniis ſepeliri indulget.

Dilectis Filiis Miniſtro, & Vicariis Generalibus Ordinis Fratrum Minorum.

JULIUS PP. II.

Dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper feciſtis, quod, cum aliquis Frater Ordinis Minorum defunctus eſt, omnes alii Fratres, ſecundùm ordinem & morem dicti Ordinis, ad faciendum pro hujuſmodi Defuncto exequiarum officium in Eccleſiâ congregantur, & tam ordinatè, ceremonioſèque, & devotè in exequiarum officio prædicto procedunt, quod ultra Dei ſervitium & Fratrum debitam exhibitionem populus maximam recipit ædificationem, ſeu exemplum, quod, quamvis liceat vobis, ac Guardianis, & Fratribus Domorum dicti Ordinis tempore interdicti, & Apoſtolicâ authoritate appoſiti corpora Fratrum ipſius Ordinis pro tempore decedentium in Eccleſiis Domorum veſtrarum Eccleſiaſticæ, tradere ſepulturæ dubitatis tamen has ceremonias in ſepeliendis corporibus decedentium Fratrum tempore dicti interdicti obſervari non poſſe. Pro parte veſtrâ fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos, qui dictum Ordinem ſingulari devotione proſequimur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, quod etiã tempore interdicti ordinariâ authoritate appoſiti, corpora dictorum FF. decedentium cum ceremoniis prædictis, & pulſatis campanis, ac Miſſæ, & aliorum Divinorum officiorum in ſimilibus celebrari ſolitorum celebratione in Eccleſiis veſtris liberè & licitè, abſque alicujus cenſuræ incurſu, ſepelire poſſitis, in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi interdictum hujuſmodi appoſitum non eſſet, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutioni-

tionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIII. Februarii MDIX. Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Rodriquez in collect. fol. 263. col. 2. Wadding. tom. 15. Annal. fol. 648.

Communicationem privilegiorum inter Ordines RR. PP. Prædicatorum, & FF. Minorum declarat, & conceſſa R. P. Magiſtro Generali Ord. Præd. etiam P. Miniſtro Generali ſeu Vicario Ordinis Minorum conceſſa, & ita reſpectivè de locis & feſtis intelligi debere ſancit.

JULIUS PP. II.

Venerabilibus Fratribus Salmantino, Pacen. & Corduben. Epiſcopis, & eorum cuilibet.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs ad ſupplicationem chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ferdinandi Regis &c. &c. quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum, & indultorum præfatorum communicatione, tam univerſaliter, per prædeceſsores noſtros toti Ordini Minorum, quàm etiam per Nos particulariter prædictorum Regnorum Fratribus facta, eaque, quoad abſolutionem, diſpenſationem vel aliàs ad Priorem Generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis Prædicatorum ſpectant, ad Miniſtrum, vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad Priores conventuales, ideſt, Prælatos ſingularum Domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios ſimiliter ſpectant, ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea, quæ ad Priores, ſeu Vicarios, vel Subpriores Provinciales, id eſt Prælatos, qui medii ſunt, quocumque nomine cenſeantur, & vocentur, inter dictum Generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis, & Priores Conventuales, eorumque Vicarios ſimili modo ſpectant, ad Miniſtros, & Vicarios Provinciales, ac Cuſtodes, qui etiam medii ſunt inter Miniſtrum, & Vicarium Generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios ſimiliter pertineant: & ſicut de poteſtate Prælatorum, ſcilicet de Prælatis ad Prælatos dictum eſt, ita de congregationibus unius ad congregationes alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, id eſt ſine Prælatura, ad Fratres privatos, & de feſtivitatibus ad feſtivitates in his caſibus, in quibus congregationibus, vel Fratribus privatis, aut feſtivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur, congregationibus, Fratribus privatis, ac feſtivitatibus alterius Ordinis, nunc, & pro tempore reſpectivè conceſſum intelligatur. Ita quod ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catbarinæ de Senis, Fratribus vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis, in feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marrochium Martyrii coronam adepti ſunt, & Sanctæ Claræ, & in aliis feſtivitatibus dicti Ordinis Minorum, licèt ſint in minori numero, quàm feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum, intelligantur conceſſa, ad tollendam quamcunque hæſitationem, & inde forte ortum ſcrupulum auctoritate, & tenore præſatis declaramus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die I. Junii MDIX. Pontificatûs noſtri Anno ſexto.

Confett. in coll. fol. 126. Rodriquez in coll. priv. fol. 273. Bull. Ord. Præd. tom. 4. fol. 258.

NOTA:

SPecialem privilegiorum communicationem Dominicanam inter & Franciſcanam Familias vigentem, tum in pari utriuſque Ordinis pro Eccleſia Dei labore, tum in Sancta utriuſque Fundatoris ſocietate & familiaritate fundatam eſſe ſupra fol. 195. § 46. memini; perperam actum non crediderim, ſi & eadem in pari utriuſque Ordinis conſtituam obſervantiâ, inter diſparem vivendi modum eouſque perfectâ, ut Clemens IV. Militi, mundi & belli pertæſo, & an potiùs ſub S. Patriarchæ Dominici, aut S. Patris Franciſci vexillo per reliquum vitæ ſuæ ſpatium ſibi militandum foret? hærenti, de ea ita reſcripſerit.

Dile-

Dilecto Filio N. militi ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quæris à Nobis conſilium, quod apud te rectiùs poteris invenire. Si enim Dominus inſpiravit, relicto ſæculo, vitæ frugem appetere melioris, Dei ſpiritum ſicut nec poſſumus, ſic nec volumus prohibere, præſertim cum filium habeas benè diſciplinatum, ut credimus, qui tuæ Domui ſcies providere. Quod ſi propoſito non mutato ſciſcitaris ulteriùs, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus præeligendum credimus, id præcipuè conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris utriuſque Ordinis obſervantias, quæ non ſunt pares in omnibus, ſed in diverſis articulis excedentes & exceſſæ. Alterius quidem iſtorum Ordinum lectus eſt durior, nuditas gravior, & (ut nonnulli judicant) paupertas profundior; & alterius cibus parcior, longiora jejunia, & (ut quamplures autumant) ſanctior diſciplina. Neutrum ergo neutri præficimus, ſed in una & arctiſſima paupertate fundatos, ad unam tendere credimus, ſalutem ſcilicet animarum; & ideo ſive hunc, ſive illum elegeris, arctam vitam aggredieris, & per portam intrabis anguſtam ad terram melliſluam, & præ cæteris ſpatioſam. Unde apud te hoc pondera, hoc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quemque ſperes meliùs portaturum: & ſic uni converſatione adhæreas, ut amore ab altero non diſcedas. Frater enim Prædicator, qui Minores non diligit, eſt execrabilis. Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit, eſt execrabilis & damnandus.

Datum Perufii decimo tertio Kalendas Maji Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Rodulph. hiſtor. Seraph. Relig. lib. 2. fol. mihi 215. à terg. Wadding. tom. 4. Annal. fol. 258. Bull. Ord. Præd. tom. 8. fol. 17. col. 1.

Quam eandem utriuſque Ordinis neceſſitudinem, & ſolidæ charitatis concordiam etiam ex fine utrique Ordini præſtituto celebrem, idem Pontifex Clemens IV. Archiepiſcopo Aquenſi ſubjunctis, & ſub 11. Junii 1266. datis commendavit litteris:

Paupertatis altiſſimæ Profeſſoribus, & divinæ præconibus voluntatis, eò parat ſubtiliores inſidias humani generis inimicus, quò eoſdem conſpicit cæteris animoſiùs ſpiritualis ingredi campum certaminis, ac rerum temporalium ſarcinis expeditos, ſcuto protectos fidei, & Evangelicæ gladio prædicationis accinctos, & non ſuæ tantummodo proſequentes ſalutis negotium, quin etiam molas iniqui conterere, & de faucibus ejus prædam eripere, ſatagentes. Hoc autem ſtudium ſibi elegiſſe noſcuntur dilecti Filii Minorum & Prædicatorum Ordinum Fratres, quos licèt ab invicem diſcernant Habitus, & diſtinguat profeſſio regularis, voto tamen conſimili, pari curſu, finem ipſum ſibi præſtituunt, ut tam Clerum, quàm Populum verbis ædificent & exemplis, & evulſis in agro Domini hæreticæ ſentibus pravitatis, pro tam piæ ſervitutis obſequio grande fœnus in præmium præſtolantes, carnis demum ſolutis vinculis, onereque depoſito, juſtum & æquum Judicem, & propitium ſibi ſentiant, & inveniant liberalem. Quantam ſanè concordiam, quantam pacem, quàm fundatæ, quàm ſolidæ vinculum charitatis eſſe deceat inter ipſos, & perfectio ſtatûs indicat, & ſalubris propoſiti ſancta conceptio, ejus denique ſedula proſecutio, labor inſuper, & finis operis manifeſtant, quo fit, ut inter eos ſeminante diſcordiam hoſte publico, colubro tortuoſo, miſerabili ſe committant diſcrimini, qui proculdubio, Dæmonum adjutores, accenſum ignem eorum ſtudio, tanquam lignis nutrientes injectis, inter eos exorta ſcandala verbo vel facto conſolidant. Illi verò præcipuè, qui ex altera dictorum Ordinum, vel utroque, quod extinguere deberent incendium, fovere temerè non verentur.

Bull. Ord. Præd. tom. & fol. prædictis.

Opinio.

Opinionem eorum, qui confitentes peccata ſua Regularibus Mendicantibus, hæc Parochiali Rectori de novo confiteri debere aſſerebant, à Joanne XXII. Eugenio IV. Nicolao V. & Sixto IV. jam proſcriptam noviter condemnat, ac talia aſſerere ſub pœnis & cenſuris vetat.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei Memoriam.

ADmonet Nos ſuſcepti cura regiminis, ut ea, quæ pro ſingulorum Chriſtifidelium animarum ſalute multâ cum deliberatione, & diſcuſſione à Sede Apoſtolica emanâſſe comperiuntur, ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur, etiam noſtræ protectionis munimine roboremus, ut eò firmiùs perſiſtant, quò Sedis ejuſdem fuerint auctoritate ſæpius ſtabilita, ac exinde omnis inter Religioſos quoslibet diſſenſionis & contentionis fomes, & occaſio de medio ſubmoveatur. Sanè, licèt per fel. rec. Joannem PP. XXII. Prædeceſſorem noſtrum, opinio illorum, qui aſſerebant, eos, qui Fratribus Ordinum Prædicatorum, vel aliorum Mendicantium juxta juris diſpoſitionem deputatis pro tempore ſua peccata confitebantur, teneri de novo confiteri hujuſmodi ſua peccata ſuo Parochiali Rectori, reprobata fuerit, & piæ memoriæ Eugenius Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, per ſuas litteras mandaverit Ordinariis locorum, ut contra talia aſſerentes providerent. Et poſtmodum præmiſſa per recolendæ memoriæ Nicolaum PP. V. ſimiliter Prædeceſſorem noſtrum approbata & confirmata fuerint, ac ſanctæ memoriæ Sixtus PP. IV. etiam Prædeceſſor noſter, hujuſmodi commiſſionem ſeu mandatum ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis extenderit, ac Fratribus dicti Ordinis conceſſerit, ut perſonis eis confeſſis, quibus Rectores Parochialium Eccleſiarum ſine rationabili cauſa denegarent, ſive malitioſè differrent Euchariſtiæ, ſeu extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare, ſuper quo eorumdem Confeſſorum aſſertioni ſtari deberet, illa petentibus poſſent impunè exhibere. Tamen nonnulli opinionem præfatam, & conceſſionem hujuſmodi in dubium de novo vertere nituntur in præjudicium Apoſtolicæ auctoritatis, & privilegiorum, ac Ordinis prædictorum. Nos igitur, qui Chriſtifidelium animarum ſaluti, & Religioſorum quorumlibet paci & tranquillitati, ut poſſint quietiùs & devotiùs Domino famulari, libenter, quantùm cum Deo poſſumus, conſuli, ſinceris deſideramus affectibus, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc Nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, præmiſſa omnia per Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros præfatos, ſtatuta, ordinata, & conceſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautela, eadem auctoritate, etiam præſentium tenore ſtatuimus & ordinamus, ac decernimus & declaramus, quod Chriſtifideles confeſſi à Mendicantibus ritè præſentatis ſecundùm formam Conſtitutionis rec. mem. Clementis PP. V. etiam Prædeceſſoris noſtri ſuper hoc in Concilio Viennen editæ, quæ incipit: *Dudum*: & ab eiſdem abſoluti, de quo aſſertioni ipſius confeſſi ſtetur, etiam in die Paſchæ non teneantur iterum confiteri de eiſdemmet peccatis ſuo Rectori Parochiali ſeu Curato, ſed quod ſint æquè verè confeſſi & abſoluti, ac ſi propriis Curatis Parochialibus confeſſi, & ab eis abſoluti fuiſſent. Quodque, ſi Curatus Parochialis ob hanc cauſam, quia Parochianus ſuus confeſſos eſt eiſdem Fratribus, & non vult iterum ſua peccata eidem Rectori confiteri, denegaverit ſibi exhibere Euchariſtiæ Sacramentum, etiam in die Paſchæ, aut extremam Unctionem, ſeu Viaticum, in tali caſu liceat Fratribus ipſis, qui talium confeſſiones audiverint, hujuſmodi Sacramenta denegata, videlicet Euchariſtiam, etiam in dicta die Paſchæ, & Viaticum, ac etiam extremam Unctionem tali confeſſo exhibere, & præbere juxta tenorem prædictarum litterarum Sixti Prædeceſſoris præfati, ita quod nec miniſtrans hujuſmodi Sacramenta, nec illa ſuſcipiens, in hoc aliquam cenſuram Eccleſiaſticam incurrat, diſtrictiùs inhibentes quibuſcunque Curatis, ſeu Rectoribus Parochialibus, & ſpecialiter dilectis Filiis, Univerſitati ſtudii Generalis Pariſien. Magiſtris, Doctoribus, & Baccalaureis, ne præmiſſa contra tenorem privilegiorum prædictorum affirmare, aſſerere, aut de eis diſputare, niſi gratia exercitii, quoquomodo præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis beneficiorum Magiſterii, & licentiæ docendi, & prædicandi, necnon inhabilitatis ad illa, pœnis, quas contrafacientes eoipſo incurrant. Quocirca Venerabilibus Fratribus no-

noſtris, univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac aliis locorum Ordinariis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes litteras, & in illis contenta quæcunque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, ac pro parte dictorum Fratrum, ſeu alicujus eorum deſuper requiſiti fuerint, publicantes, ac eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos auctoritate noſtra, pacifica poſſeſſione, vel quaſi approbationis, confirmationis, decreti, ſtatuti, ordinationis, declarationis, & inhibitionis prædictorum, ac aliorum præmiſſorum gaudere, non permittentes eos per Rectores Parochialium Eccleſiarum, ſeu quoſcunque alios, contra earundem præſentium, & aliarum litterarum tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus ejuſdem Clementis, quæ incipit: *Religioſi*: ac etiam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, quâ inter alia cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietàm à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices â Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, ac aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus contrariis quibuſcunque, aut ſi eiſdem Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim à dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Cæterùm, quia difficile foret præſentes litteras ad quæque loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus, & eâdem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumpto præſentium litterarum, ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munito, & manu alicujus Notarii publici ſubſcripto, eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis hoc attentare præſumat, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexto, undecimo Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Bull. Ord. Prædicat. tom. 4. fol. 241.

L E O X.

Priùs Joannes de Medicis, Florentinus, S. R. E. Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Domnica 11. Martii 1513. ad Apoſtolatûs culmen evectus, & die 19. ejuſdem menſis in Sabbatum Sanctum incidente, Pontificia Thiara redimitus eſt. Commutavit illam Stolâ gloriæ cœleſtis 1. Decembris 1521. quam de Sepulchro Vaticani ad Ædes Sanctæ Mariæ ſupra Minervam translatus, etiam in corpore exſpectat.

Privi-

Privilegium paramenta Eccleſiæ, Corporalia, & alia, in quibus Chriſma non intervenit, pro uſu Fratrum Minorum benedicendi, necnon privilegium Eccleſias, & Cæmeteria, Ordinariis locorum eas vel ea conſecrare nolentibus, vel negligentibus, pariter benedicendi, & Eccleſias pollutas reconciliandi ad FF. Minores, videlicet Provinciales, Vicarios, ac Guardianos expreſsè extendit, aquâ etiam ab ipſis Fratribus in locis remotis, ubi Epiſcopus benedicens per duas dietas adiri non poteſt, benedictâ.

Dilectis Filiis Ciſmontanis, & Ultramontanis Generalibus, & Provincialibus, Vicariis, necnon Guardianis, & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatis.

LEO PAPA X.

Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis ſuadet honeſtas, & devotionis veſtræ promeretur affectus, ut vos Apoſtolici ſavoris ſuffragio proſequentes, precibus veſtris, præſertim commodum, & decorem Ordinis veſtri concernentibus, (prout poſſumus) ſavorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, dudum fel. rec. Sixtus PP. IV. Prædeceſſor noſter, vobis, ut paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, ac corporalia, & alia, in quibus Chriſma non intervenit, benedicere poſſitis, gratioſè conceſſerit, & ab illo tempore in poſſeſſione benedicendi paramenta, & Corporalia hujuſmodi, ſecundùm limitationem inter vos in Capitulis veſtris factam, fueritis, ac in diverſis etiam remotis partibus, & Inſulis de novo ab Infidelibus recuperatis, diverſæ Domus Ordinis veſtri conſtructæ exiſtant, & in dies conſtruantur, & Ordinarii locorum non ſemper in ſuis Civitatibus & Diœceſibus reſideant, & interdum in remotis agant, & ſæpius contingat loca, & cœmeteria earundem Domorum ſanguinis effuſione, ſeu aliàs pollui, ac illarum Fratres non ſemper Ordinarios locorum pro illis reconciliandis adire poſſint: imò quandoque illis grave, ſeu diſpendioſum exiſtat, ad illos quandoque per tres dietas ab eorum domibus diſtantes accedere, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut, cum piæ mem. Julius PP. II. etiam Prædeceſſor noſter dilectis Filiis FF. Ord. Minimorum indultum Eccleſias, & Cœmeteria ſua benedicendi, & reconciliandi conceſſerit; ac interdum Epiſcopi, præſertim in remotis agentes, quandoque per duas dietas adiri nequeant, vobis ſuper his opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſarum perſonarum vota, per quæ earum diſpendiis obviatur, ac commodis, & profectibus provideretur, ſtudio charitatis libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Generalibus, Provincialibus, ac Guardianis, & Fratribus veſtrorum Ordinum & Obſervantiæ, ut Eccleſias, Oratoria, & loca quæcunque recepta, & recipienda nondum conſecratas, ſeu conſecrata, factâ priùs requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſque recuſantibus, vel negligentibus per quemlibet alium Catholicum Epiſcopum, gratiam & communionem dictæ Sedis habentem, conſecrari facere. Ac veſtri Ordinis Generalibus, & Provincialibus, Vicariis, & Cuſtodibus, & Guardianis pro tempore exiſtentibus præfatis, ut omnia & ſingula ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria ubicunque exiſtentia receptas, & recepta, recipiendas, ſeu recipienda: ac paramenta, & ornamenta, ac alia quæcunque ad Divinum cultum, & uſum veſtrum neceſſaria, in quibus Chriſma non intervenit, pro veſtro uſu tantùm ſolemni benedictione, ac etiam per Vicarium, ſeu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in veſtris Capitulis Generalibus providè deputandos benedicere. Ac illos, ſeu illa, & eorum quodlibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aquâ per vos, præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis, benedictâ, reconciliare liberè & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Febr. MDXV. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bullar. Ord. Prædic. tom.4. fol.299. Confett. in Coll. fol.140. Wadding. tom.15. Annal. fol.666. & alii paſſim.

N O T A.

VEſtes, quæ ad Sacrum Miſſæ Sacrificium pertinent, aut aliàs Sacris Eccleſiæ functionibus ſervire debent, ſacrari, eut de uſu prophano ad Sacrum transferri, & benediei debere, à Canone *de conſecrat. diſt.* 1. *c.* 42. docemur = *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, ſacrata debent eſſe* = piumque hunc ritum Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 3. à veteri teſtamento contra Hoſpinianum hæreticum, ſæculo duntaxat IX. eum inductum eſſe aſſerentem, cum aliis deducit per verba = *quem ritum è veteri teſtamento ad novum praſluxiſſe reor* = datque conſuetudinis hujus rationem S. Thomas *p.* 3. *q.* 83. *art.* 3. *in corp.* ita differens = *conſecrationes* (ſeu benedictiones) *adhibentur his rebus, quæ veniunt in uſum hujus Sacramenti* (Euchariſtiæ) *tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repræſentandum effectum Sacramenti, qui ex Paſſione Chriſti provenit, ſecundùm illud Hebr.* ult. *Jeſus ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum &c.*

Dividunt Scriptores cum Cajetano 2. 2. *q.* 7 *art.* 11. benedictionem in invocativam & conſtitutivam: prima cadit ſuper fructus, & alia in Rituali Romano notata, de qua hìc non quæritur, & quâ Dei benignitas invocatur, ut iis bonum tribuat, & à malo eximat, ſtatu eorum non mutato. Secundâ verò Perſonæ, ſeu *aliæ* res ad divinum cultum deſtinantur, & de hac hìc procedit ſermo.

Porro benedictionem Altarium, vaſorum, aliorumque, quæ ſacram unctionem requirunt, juris Epiſcopalis eſſe communis tenet doctrina; & quamvis Cardinalis Petra *tom.* 3. *coment. in Conſtit. Apoſtolicas fol. mihi* 190. *c.* 1. benedictionem conſtitutivam veſtium Altaris &c. nec Canone, nec canonica doctrina Epiſcopalis ditionis eſſe, probari non poſſe aſſerat, nihilominus eam in = & pro eorum Diœceſi ad illos pertinere privativè, ſecluſo aliorum privilegio, contendit, ita diſcurrens = *quia laudabilis conſuetudo ab Eccleſia approbata id obtinuit, utpote qui* (Epiſcopus) *eminentiore jure hæc ſibi officia* (*ſeu benedictiones*) *vendicare potuit*, citatque Sauſay *in Panopl. Sacerdot. p.* 1. *l.* 8. *c.* 10. *art.* 1. *& par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *art.* 2 a. §. *forma hujus &c.*

Dixi, privilegio aliorum ſecluſo. Hoc autem (præter Abbates, alioſque Prælatos Regulares) expreſsè FF. Minoribus per Conſtitutionem præpoſitam conceſſum fuiſſe, ipſa hujus verba patenter demonſtrant = *Vobis, ac veſtri Ordinis Generalibus & Provincialibus, Vicariis & Cuſtodibus, & Guardianis pro tempore exiſtentibus .... ut paramenta, ornamenta, & alia quæcunque ad divinum cultum & uſum veſtrum neceſſaria, in quibus chriſma non intervenit, pro veſtra uſu tantùm ſolemni benedictione. ac etiam per Vicarium, ſeu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in veſtris Capitulis Generalibus providè deputandos benedicere poſſitis .... auctoritate Apoſtolica concedimus*. Nec fuit nova hæc conceſſio, ſed potiùs confirmatio privilegii, à Sixto IV. id jam priùs Ordini dati, & uſu quoque firmati, cum Pontifex in Conſtitutione dicat = *Cum .... Sixtus Papa IV. Prædeceſſor noſter Vobis, ut paramenta & ornamenta Eccleſiaſtica, ac corporalia & alia, in quibus chriſma non intervenit, benedicere poſſitis, gratiosè conceſſerit, & ab illo tempore in poſſeſſione benedicendi paramenta & corporalia hujuſmodi, ſecundùm limitationem inter vos in capitulis veſtris factam, fueritis*.

Ex iiſdem quoque Conſtitutionis verbis privilegium univerſale eſſe, & ad Miſſalia, indumenta, ſeu veſtes Sacerdotales, corporalia, pallas, purificatoria, albas, cingulum, ſtolam, manipulum, caſulas, & omnia alia ad divinum cultum, & Eccleſiæ miniſterium deſervientia, in quorum benedictione chriſma non adhibetur, extendi, tutò concluditur. Pixidem quoque tabernaculi, in qua Sacræ Hoſtiæ conſervari debent, inter eas comprehendi cum Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *cap.* 3. *num.* 12. Paſſerin. *t.* 3. *de Hom. ſtat. & off. q.* 189. *art.* 10. *fol.* 89. *num.* 939. Bremond. *t.* 8. *Bull. tit.* 1. *q.* 5. *fol.* 45. eò tutiùs tenetur, quò certiùs illam ungi non debere conſtat.

Eadem univerſalitate afficit ſacram ſupellectilem totius Ordinis FF. Minorum, uti innuunt verba Conſtitutionis præpoſitæ = *omnia & ſingula ejuſdem Ordinis ... ornamenta*. Ex quo Reiffenſtuel *in lib.* 3. *Dec. tit.* 4. *de Conſecrat. fol.* 589. *col.* 2. ſine hæſitatione infert, à Superioribus Minoritani Ordinis benedici pariter poſſe & paramenta pro uſu Monialium, Tertiariorum &c. citans Rodriquez, Pellizarium, Lezana, Miranda &c. cum Moniales & Tertiarii verè Ordinis eſſe ſupponantur.

Eſt & privilegium univerſale quoad Prælatos Ordinis, Provinciarum, Cuſtodiarum, & eorum Vicarios, per quos vi Conſtitutionis Leoninæ intelligi debere Vicarios Provinciales, cum Soto 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. teneo, cum inter Provinciales & Cuſtodes ac Guardianos nominentur, & Cuſtodes ac Guardianos præcedant, poſſuntque hujuſmodi Vicarii, vel Provincialatu vacante, vel Provinciale è Provincia abſente, juxta Paſſerinum *tom.* 3. *de ſtat. & offic. fol.* 887. *col.* 2. liberè benedicendi facultatem exercere.

Quam Vicariis quoque localibus competere non quidem indeſinitè, & vi Conſtitutionis Leoninæ, ſed limitatè & vacante Guardianatu aſſerit Paſſerinus *loc. cit fol.* 886. *num.* 927. = cum in vacantia Guardiani ſint tanquam Prælati ordinarii, & Principales Conventûs, habeantque Prælatorum localium auctoritatem = extenditque eam ad Superiores parvorum locorum, inter quos dum ille recenſet Vicarios Monaſteriorum Monialium, ego Superiores noſtrorum Hoſpitiorum adjungo, cum æquè hi ac illi ſint verè Prælati.

An autem abſente duntaxat per breve tempus Guardiano, Vicarii hac facultate gaudeant, major eſt controverſia: Paſſerinus *loc. & fol. cit. c.* 1. eâ gaudere non poſſe autumat, cum hi nec Prælati ſint, nec habeant niſi delegatam auctoritatem & ſubordinatam Prælato locali, cujus ſunt Vicarii, econtra cum Rodriquez *p.* 1. *q.* 19. *art.* 2. *& Portell.* verb. *Benedicere num.* 3. *&c.* noſter à Sorbo, vi privilegii Congregationi S. Juſtinæ ab Innocentio VIII. conceſſi Vicariis, parùm duntaxat abſente Guardiano; competere *in comp. privileg. v. Benedicere pag.* 135. contendit, cum autem in Bullario

dictæ

dictæ Congregationis nullam hujus privilegii mentionem fieri, nec etiam, an id vivæ vocis oraculo conceſſum fuerit, ſciri poſſe, Paſſerinus *loc. cit. fol.* 887. *col.* 1. aſſerat, & nec ex verbo Leoninæ Bullæ, nec ex ullo certo documento facultas ad Vicariorum in modica abſentia Guardiani, favorem eruatur, id propugnare non debeo, præſertim ſi abſentia Guardiani per diem, aut 24. horas non protraheretur.

Fortiùs contra Roſellam & Silveſtrum v. *Benedictio num.* 4. deducitur, non competere hujuſmodi facultatem FF. Minoribus ſimplicibus Sacerdotibus; Favere quidem his videntur verba Conſtitutionis Leoninæ = *per Vicarium, ſeu Guardianos aut alios ad hoc à Vobis in veſtris Capitulis Generalibus providè deputandos benedicere poſſitis* = Cum autem hæc deputatio apud nos Capucinos nec in uſu nec neceſſaria ſit, & aliàs in Religione Minoritana de Obſervantia in Capitulo Mechlinienſi à Portello *v. Benedicere in addit. n.* 2. prohibita dicatur, ampliationem privilegii ad Sacerdotes ſimplices *nec decere, nec expedire*, cum ſapientiſſimo P. Bremond *tom.* 8. *Bull. Ord. Præd. fol. mihi* 45. *col.* 2. aſtruo.

An verò Prælati Regulares hujuſmodi Sacerdotibus talem facultatem poſſint delegare, diſcors eſt Doctorum opinio. Qui delegare poſſe inſiſtunt, id probant, tum ex praxi Epiſcoporum paſſim eam Sacerdotibus ſimplicibus delegantium, & ideo & illis Regulares Prælatos eoipſo, quod juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, æquiparari debere inferunt, tum, quod Conſtitutione Leonina Capitulo generali facultas delegandi expreſsè concedatur, tum, quod facultas per modum privilegii perpetui dignitati vel officio conceſſa, cenſeatur ordinaria, & conſectariò delegari poſſit. Corruunt autem hæ rationes omnes: prima quidem, quod, cum facultas benedicendi non ſit poteſtas juriſdictionis, ſed, uti ſupra dictum eſt, Ordinis Epiſcopalis, & Epiſcopi ea, quæ hujus Ordinis ſunt, delegare non poſſint, niſi id ipſis à Sede Apoſtolica ſit indultum, etiam facultatem benedicendi delegare nequeunt abſque dicta licentia: quod feliciter clavum Petri moderans Benedictus XIV. *lib. inſtitutionum inſtit.* 21. *fol. mihi* 93. *col.* 1. iam recurſum Epiſcoporum pro hujuſmodi licentia in Sac. Congregatione auditum adducens, quàm illius neceſſitatem proprio ſuo exemplo firmans, per hæc verba teſtatur = *ut omnem dubitationem exuamus, & cum ampliùs* 20. *annis Sac. Rituum Congregationi interfuerimus, ac ſupplices Epiſcoporum libellos audiverimus, ut ſimplices Sacerdotes pro hujuſmodi veſtium benedictione deligere ſibi fas eſſet, die* 17. *Januarii hujus anni Nos quoque* (tunc S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Bononienſis) *ad ipſam confugimus, ac facultatem delegandi ſatis amplam obtinuimus* = Quæ ſola auctoritas omnem aliam ab aliis Scriptoribus congeſtam ſupplet, ac ſuperat, & ab Epiſcopis abſque Sedis Apoſtolicæ indulto benedicendi facultatem delegari non poſſe probat. Enervatur ratio ſecunda ex iis, quæ de privilegio Leonis X. ſimplicibus Sacerdotibus conceſſo, ſupra allata ſunt: & tertia ruit ex reſponſione ad primam data, videlicet, quod poteſtas ordinis non poſſit delegari. Hinc, ubi fundamenta, quibus prima opinio innititur, collabuntur, ſuperpoſitam quoque quæſtionis molem perire neceſſum eſt. Si tamen Sacerdos ſimplex hujuſmodi facultate abuteretur, peccaret quidem juxta Cardinalem Petra *dicto tomo* 3. *fol.* 190. *col.* 2. *num.* 21., non tamen id, quod fecit, irritum foret, imò foret & verè ſacratum, quod benedixerit, cum in conſecratione ad id poteſtatem (utut ligatam) receperit per verba = *conſecrare & ſanctificare. Domine manus iſtas per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem Amen, ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque conſecraverint, conſecrentur in nomine Domini Jeſu Chriſti Amen* =

An autem Prælati ſeu Superiores FF. Minorum non ſolùm paramenta Eccleſiaſtica pro uſu Fratrum, ſed etiam pro extraneis benedicere poſſint, eò dignius quæritur, quò acrior eſt deſuper inter Doctores diſſenſio. Affirmativam opinionem tenent Rodriquez *p.* 1. *q.* 19. *art.* 2. *fol. mihi* 105. Peyrinus *tom.* 1. *in Bull. Julii II. fol* 67. *col.* 1. *num* 44. Suarez *tom.* 4. *de Religione tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 29. *num. fin.* Antonius à Spiritu Sancto *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *n.* 133. *fol. mihi* 27. *col.* 1., quos, & alios ſequitur Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 40. *de conſecrat. pag. mihi* 590. *col.* 1.

Porro, cum, quid Nobis Capucinis vi privilegiorum, quæ habemus per communicationem, competat, juxta dicta in præfatione hujus tomi non adeo ſcruter, & potiſſimùm in ſimplice ac patente duntaxat Bullarum verbo ſiſtam, ad quæſitum: (ſecluſo alio adminiculo, vel conſuetudine legitimâ) negativè reſpondere inducor, cum clariora eſſe non poſſint Leonis verba = *pro veſtro uſu tantùm* =

Quod idem Sac. Rit. Congregatio ad prætenſa aliorum privilegia pluries poſitivis Decretis reſtrinxit, præſertim in Cremen. 24 Aug. 1609. 30. Sept. 1628. 17. Aug. 1629 & preſſiùs id firmavit 13. Martii 1632. Decreto univerſali ſequenti = *Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate, habentes privilegia benedicendi veſtes ſacras, cæmeteria, & ſimilia, dicto privilegio uti non poſſunt, niſi in iis rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio duntaxat Monaſteriorum Eccleſiarum propriarum* =

Egerunt tum contra hoc Decretum, tum contra aliud 27. Sept. 1659. emanatum, & in *tom.* 3. *com. Cardinalis* Petra *fol.* 195. *col.* 1. legendum, ceu aperti ſui privilegii læſivum, Monachi Congregationis Caſſinenſis, & ſumpto ad Summum Pontificem Alexandrum VII. recurſu ſupplicarunt, ut, quæ ipſis particulari Apoſtolicæ Sedis indulto competerent, declararetur, remiſſoque ad Sac. Congregationem Rit. libello ſupplici, hæc 20. Julii 1660. ita reſpondit = *ad paragraphum decimum nonum, quo vetita eſt Abbatibus Benedictis Sacræ ſuppellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum, aſſerentibus Monachis, etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico indulto eis licitum eſſe, Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, Sac. Congregatio mandavit exhiberi indultum authenticum ex Archivo Apoſtolico deſumptum, & interim abſtineri* = Cui ſanctioni à ſe relatæ *tom. inſtitutionum inſt.* 21. *pag.* 90. Emin. Lambertinus addit = *ignoramus, an tale indultum in lucem unquam productum fuerit, ſi id conſtaret, huic noſtræ declarationi jungeretur* =

Quæ quidem dum privilegio quæſtionis patenter præjudicare creduntur, mihi illud majore robore munire videntur. Ab exacto enim authentico privilegii documento ut exordiamur, ex eo haud obſcurè eruitur, quod, ſi à Monachis Caſſinenſibus Sacræ Rit. Congregationi illud cum expreſſione benedicendi extranea paramenta fuiſſet exhibitum, privilegium eorum manſiſſet intactum:

Digitized by Google

ſi enim S. Congregatio tale claris terminis expreſſum abſolutè annullare cogitâſſet, illius exhibitionem non petiviſſet. Jam verò, cum hujuſmodi indultum ab Innocentio VIII. præclariſſimo Ordini Ciſtercienſi conceſſum, in ſat authentico loco, & libro, videlicet, in collectione privilegiorum &c. Emanuelis Rodriquezii reperiatur, ſupra fol. 208. conſultò extenſum, & aliunde quoque certum ſit, quod FF. Minores communicatione privilegiorum tum Ordinibus Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, & conſequenter etiam Ordini Ciſtercienſi conceſſorum gaudeant, conſectarium eſt, quod & vigore hujus, Innocentiana facultate = *perpetuis futuris temporibus* = *quæcunque veſtimenta ac ornamenta Eccleſiaſtica corporalibus vaſculiſque ad reponendam Sacram Eucbariſtiam ac imaginibus quibuslibet comprebenſis in locis & Domibus dicti Ordinis benedicendi* = *tum de dicto Ordine, quàm ſi aliunde ad eos nonnunquam deferantur*, potiantur.

Nec vim hujus illationis enervant præfacta Sacræ Rit. Congregationis Decreta, cum hæc Regularibus habentibus privilegium benedicendi paramenta propriarum Eccleſiarum limitatum, illius extenſionem ad paramenta extranearum Eccleſiarum duntaxat inhibeant, non verò extenſionem privilegii in Pontificiis Bullis clarè expreſſam reſtringant, nam (uti Reiffenſtuel *lib.3. Decret. lib.40. de conſecr. fol. mihi* 590. in hac materia & quæſtione advertit) Declarationes DD. Cardinalium non faciunt novam Legem, aut jus novum, ſed tantùm ambiguum aut obſcurum magis declarant, hinc & allegata Decreta præfatum clarum & apertum Ciſterclenſe privilegium benedicendi paramenta non tantùm Monaſteriorum propriorum, ſed & alia, quæ *aliunde deferuntur*, nec afficiunt, nec immutant. Patetque evidenter ab exemplo ſimili; nam, cum & aliàs Sacra Congregatio univerſaliter, ac in genere declaràſſet, quod Abbates, etiam uſum Mitræ & baculi habentes, ea, in quibus unctio interveniret, benedicere non poſſent, interrogata à Procuratore Generali Congregationis Caſſinenſis, an per hoc Decretum ſpeciali & expreſsè conceſſo benedicendi calices privilegio foret derogatum? Naldo *verb. Abb. num.* 4. Pelliz. *tom. 2. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 103. *&c.* teſtibus reſpondit *negativè*. Inde & ex pari ratione inferri debet, quod, ubi Sacra Congregatio coarctat privilegium benedicendi paramenta propriarum Eccleſiarum, non feriat privilegium benedicendi paramenta etiam aliarum Eccleſiarum expreſsè conceſſum.

Fimbrias tamen ne violenta forſan interpretatione dilatare videar, diſcursûs hujus vim conſuetudine, quæ *juxta c.8. de conſuet.* optima eſt Legum interpretatio, & qua plures Regulares paramenta etiam alienarum Eccleſiarum benedicunt, coadjuvo. Porro, ſicut juxta Emin. Petra *loc. cit. pag. mihi* 190. Epiſcopi hujuſmodi benedictiones paramentorum ex laudabili tantùm conſuetudine ab Eccleſia approbata ſibi vendicàrunt, ita & Regulares titulo conſuetudinis ſeu præſcriptionis hac eadem facultate benedicendi utenſilia ſacra pro aliarum Eccleſiarum uti poſſe affirmat Tamburinus; cui & accedit Paſſerinus *loc. cit. fol.* 888. *col.* 1. ex ſuppoſito, quod conſuetudo ſit centenaria aut immemorialis. Ubi & ad Decretum, quo Sacra Congregatio 18. Auguſti 1629. omnem contrariam conſuetudinem abrogâſſe dicitur, reſpondet dubitando, an illud decretum fuerit univerſale, vel pro cauſa particulari duntaxat editum, vel etiam datum per modum Legis, & juxta ſtylum Curiæ publicatum, vel an conſuetudinem centenariam, quâ ea, quæ ex Eccleſiæ ſtatuto ad Epiſcopos ſpectant, juxta Silveſtrum *v. conſecratio num.* 5. præſcribuntur, abrogaverit: quod eoipſo non factum præſumitur, cum Decretum de centenaria abſtrahat, & ſimpliciter ita ſonet = *Abbates & alii Superiores Regularium non poſſunt benedicere paramenta Eccleſiarum ſibi non ſubditarum, abrogatâ contrariâ conſuetudine*.

Eapropter attentâ exhibitione authentici indulti à Sacra Congregatione à Monachis Caſſinenſibus petitâ, viſo hujuſmodi indulto expreſsè Ordini Ciſtercienſi conceſſo, ſuppoſitâ communicatione privilegiorum hunc Ordinem inter — & FF. Minores ſubſiſtente, ponderato Decretorum Sac. Congregationis ſenſu, & adſcitâ in ſubſidium conſuetudine per legitimam præſcriptionem firmatâ, moleſta nemini accidet concluſio, quod Minoritæ ſalvo ſemper S.Congregationis judicio, uſum benedicendi etiam paramenta *aliena* ſufficienti jure per communicationem privilegiorum, & conſuetudinem muniti proſequantur.

Præter veſtes &c. ex eodem privilegio Leonino poſſunt Prælati ſeu Superiores Fratrum Minorum Eccleſias proprias, Altaria, Oratoria ad Divinum cultum deputata, Cœmeteria &c. benedicere, ita, ut, uſquedum conſecrantur, Miſſæ & alia Divina Officia in iis celebrari poſſint. Clara ſunt circa hoc privilegium Leonis verba = *ut omnia & ſingula ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ Eccleſias, Cœmeteria, & Capitula, & Oratoria ubicunque exiſtentia, receptas & recepta, recipiendas, ſeu recipienda . . . . . ſolemni benedictione benedicere valeatis* = firmantque illud ſuo aſſenſu & doctrina Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 27. *num.* 44. Pelizarius *tom.* 2. *tit.* 8. *cap.* 5. *num.*77. Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 19. *art.* 2. *fol.* 105. Ant. à Spiritu Sancto *tom.* 1. *tract* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 3. *fol.* 27. *col.* 1. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. noſtar à Sorbo *verb. Benedicere fol.* 134. Reinffenſtuel *in lib.* 3. *Decret. tit.* 40. *de conſecratione fol.* 584. cum, uti advertit Bremond *tom.* 8. *fol.* 47. *col.* 2. §. 6. hujuſmodi benedictio non ſit actus juriſdictionis.

Poſſunt & iidem benedicere ſeu reconciliare hujuſmodi Eccleſias ſeu Cœmeteria polluta, tum ante pollutionem conſecrata, tum duntaxat benedicta. Circa primam partem notandum eſt primò, Eccleſiam, quam jam conſecratam fuiſſe conſtat, re-conſecrari non poſſe, uti varii docent Canones, cum conſecratio templi materialis figuretur in conſecratione templi ſpiritualis per Baptiſmum, hinc (uti Clariſſimus Joſephus Catalanus *tom.* 2. *Pontif. Rom. tit.* 6. *de reconciliatione Cœmeterii pag.* 225. *col.* 1. diſcurrit = *ſicut templum ſpirituale, quod eſt Chriſtianus, per crimen profanatum, non poteſt quidem per Baptiſmum conſecrari, ſed tantùm reconciliari debet per aquas pœnitentiæ, uti loquuntur Auctores, ita & templum materiale profanatum ſeu violatum, non quidem ſolemni rita re-conſecrandum eſt, ſed tamen reconciliandum, idque reconciliationis ritibus, qui cæremoniis reconciliationis templi ſpiritualis per pœnitentiam reſpondeant* = Fuit autem hujuſmodi reconciliatio, ut idem Catalanus *loc. cit.* ex Durando *lib.* 1. *Rationalis cap.* 2. *num.*34. inducta ad exemplum & terrorem, ut videlicet fideles videndo Eccleſiam, quæ in nullo peccavit, propter

pec-

Digitized by Google

peccatum altarius lavari ac purificari, agnoſcant, quid & quantùm pro delictorum ſuorum expiatione ſit agendum.

Notandum ſecundò, Pollutionem ſeu profanationem Ecclaſiæ juxta Navarrum *in Man. cap.26. num.* 256. & ex ao noſtrum à Sorbo *loc. cit. fol.*136. ſex modis obtingere poſſe. Primò quidem per homicidium, ſeu notabilem, voluntariam, & injurioſam ſanguinis affuſionem; nec requiritur, ut ſanguis intra Ecclaſiam effundatur, ſed ſufficit, ut vulnus intra aam ſit inflictum. Sacundò per humani feminis affuſionem pariter voluntariam, peccaminoſam, & ad hoc ſufficit, ut fiat à viro vel femina, vel clerico vel laico, fideli ſau infideli, & effundatur juxta contra, aut axtra curſum naturalem. Tertiò per ſepulturam excommunicato in ea concaſſam. Quartò per ſepulturam infidelis, quo in caſu & parietes Eccleſiæ radendos eſſe nonnulli arbitrantur. Quintò, quando Ecclaſia conſecratur aut benedicitur per Epiſcopum publicè excommunicatum: & Sextò, quando Eccleſia ita renovator, ut omnea, aut major pariatum pars inſimul dejiciatur.

Uno horum caſuum dato, in Ecclaſia ante reconciliationam Divina Officia, præſertim Miſſarum ſolemnia celebrari non poſſe, conſtat tum ex *cap. altimo de conſecrationa*, & *cap. xt. de privilegiir*, ubi Innoc. III. Archiepiſcopo Lugdunenſi ſcribens, damnat eos, qui in Eccleſia ſanguinis effuſione pollutâ Divina Officia celebrârunt, monetque, ut id anta reconciliationam fieri non permittat: hinc & juxta textum *in cap.* 18. *de ſententia axcommunicationir in* 6. Bonifacius VIII. talem ſcienter celebrantem, temetariè agere reſpondet, quin tamen efficiatur irregularia, *cum id*, uti ait, *non ſit expreſſum in jura*.

Jam verò, ubi Eccleſiam violatam raconciliari debere conſtiterit, de illo, qui reconciliandi facultatem habeat, inquiri convanit. Epiſcopos eam habare de jure, non eſt qui dubitet, ſtante moderna Eccleſiæ diſciplina: ex privilegio tamen aandem competere & Prælatis Ragularibus, aſſeverant Auctores amplo numero ralati à Paſſerino *lib.* 3. *de Stat. quæſt.* 189 *art.* 10. *fol.* 889. & ad favorem Minorum verba Conſtitutionis Leoninæ id clarè memorant = *ac illas* (Eccleſias) *ſeu illa* (Cœmeteria) *& earum qualibet ſanguinis vel ſeminis effuſiona, ſeu aliàs quomodolibet pollutas, ſeu pollata, quoties opus fuerit, aquâ per vos, præſertim in locis præteritis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adira non poteritis, benedictâ, raconciliara liberè & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica* . . . . . *concedimus* = Ex quo aquam ab Epiſcopo Diœceſano benedictam adhiberi debere clatè deducitur, & benedictam ab alio, juxta verba Bullæ Minoritis non ſufficere concluditur.

Si tamen Diœceſanum per duas dietas abſens foret, aquam ab ipſis Minoritis benedici Leonina Conſtitutio permittit. Dieta autem cum ſit duplex, vulgaris videlicet, & ea, quæ ſecundùm conſuetudinem regionis attenditur; ac legalis, ſau ea, quæ 20. milliaribus Italiæ conſtat, Conſtitutionem prædictam de hac ultima loqui cum potiore Doctorum parte, contra Dianam, Baſſæum, alioſque paucos teneri debet, cum legem nonniſi terminis legalibus uti præſumi debeat. Abſentiæ autam Epiſcopi Diœceſani æquipollet, imò fortiùs ſtringit vacatio Sedis Epiſcopalis, vel morte val renuntiatione, val depoſitione Epiſcopi ſubſecutâ: hinc Paſſerinus *loc. cit. fol* 889. *col.*2. cum aliis ab eo relatis infert, Epiſcopum non ſolùm eſſe abſantem, ſeu diſtare per duas dietas, quando aſt in Diœceſi & loco, duabus dietis diſſito ab Eccleſia reconcilianda; ſad multò magis, *ſi Sedes vacet vel morte, vel renunciationa, vel depoſitiona*.

Quoad alteram partem de Eccleſia reconcilianda, quæ priùs non fuit conſacrata, ſed benedicta tantùm, à quocumque ſimplici Sacerdote jure communi eam reconciliari poſſe colligitur, tum ex *cap. ſi Eccleſia de conſacrationa*, *& Gloſſa v. lavetur*, tum ex communiore Auctorum doctrina: inter quos tamen Lezana cum aliis advertit & monet decere benedictionem hujuſmodi per Prælatum fieri. Dum verò Pax Jordanus *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 160. aquam cum vino & cinere ab Epiſcopo benedictam raquirit, Paſſerinus *loc. cit.* à communi ſententia non recedi monet, aquamque luſtralem communem, exorcizatam & benedictam ſufficere aſſerit.

In Bulla Leonina, reflexione quoque dignum eſt, & ipſum Benedictionis actum concernit, dum permittit Fratrum Minorum Superioribus benedicere ſupellectilem Eccleſiæ *ſolemni benedictiona*. Circa quod quæritur, quænam hæc ſit? Macrus in ſuo Hierolexico Eccleſiaſtico *Verbo Benedictio pag. mihi* 75. *col.* 1. *ex Gloſſa in Clemeat. de privil. & axceſſ. privil. cap.* 2. *verb. benedicant*, dicit eſſe illam, quando dicitur ſit nomen Domini benedictum &c. cui & accedit noſter à Sorbo *in comp. verb. benedicere pag. mihi* 136. præponendo verſui *ſit nomen Domini*, aliud *adjutorium noſtrum &c.*

Et tandem finio in principio, ſeu in privilegio, in Bullæ Leoninæ principio quaſi expreſſo, & concedente, quod raquiſito, ſad recuſante vel negligente loci Epiſcopo, poſſint Generales, Provinciales, & Guardiani curare, ut eorum Eccleſiæ, Oratoria &c. per alium Catholicum Epiſcopum conſecrentur. Vocationem autam hujuſmodi, eoipſo prohibitam eſſe infertur, quod nullus Epiſcopus in alterius Diœceſi juxta Tridentinum *Seſ.* 6. *cap.* 5. *de Reformat.* Pontificalia exercere valeat = *Nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia*.

FF. Mi.

FF. Minores, gravia crimina, & enormia delicta per eos in ſæculo commiſſa, tempore profeſſionis reticentes, ex Ordine expelli indulget.

Dilectis Filiis, Vicariis Generalibus, & Provincialibus, ac Fratribus univerſis Familiæ Fratrum Minorum de Obſervantia ubilibet conſtitutis.

LEO PAPA X.

Dilecti Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut Nobis exponi feciſtis, vos ab illis, qui Ordinem veſtrum Minorum de Obſervantia ſuſcipere, & ad illum ingredi cupiunt, inquirere, antequam à vobis recipiantur, ſoleatis, videlicet, ſi ſint fideles, & Catholici, de nullo errore ſuſpecti, matrimonio non ligati, corpore ſani, animo prompti, debitis expediti, conditione liberi, ætatis ſaltem ſexdecim annorum, nullâ infamiâ vulgari maculati, competenter literati, vel ad labores Fratribus honeſtos, & utiles apti, aut talis conditionis exiſtant, quod eorum receptio Clero, & populo non modicam ædificationem afferat. Et, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, contingat ſæpius, quod aliqui eorum ad hujuſmodi Ordinem ſuſceptionem, & quòd majus eſt, profeſſionem doloſè, & fraudulenter recipiant, ſeſe criminoſos, vel ſcandaloſos fore, licèt in rei veritate aliter exiſtant, & eorum receptio, & profeſſionis emiſſio, propter gravia, & vulgaria, quibus maculati exiſtunt, delicta, de quibus vos recognitionem, & notitiam tunc habere non poteſtis, grave ſcandalum, & perturbationem Religioni veſtræ hujuſmodi nonnunquam affert. Quare, cum ex taciturnitate delictorum, & gravium exceſſuum hujuſmodi, vitæ veſtræ exemplaris normæ gravia nonnunquam, etiam in Chriſtifidelibus populis de receptione talium virorum facinoroſorum, de quibus vos (ut præmittitur) tunc nullam notitiam habebatis, ſcandala, & murmurationes, & bonorum operum ſubtractiones ſubſequantur. Nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſſis, ad obviandum tot, & tantis ſcandalis, pro Religionis veſtræ, & animarum veſtrarum puritatis conſervatione providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, ut veſtra Religio, quæ Domino concedente, inter alios, uberrimos bonorum operum fructus exhibere conſuevit, in ſua puritate maneat, ac tot murmurationibus & ſcandalis obviare volentes, vobis, quod omnes, & ſingulos ad veſtram Religionem confugientes, etiam Profeſſos, qui graviſſimis, & ſcandaloſis delictis notati, & diffamati fuerunt, quæ fraudulenter, & doloſè in eorum receptione, ſeu profeſſionis emiſſione (monitione ſuper his per vos præmiſſa) tacuerunt, non obſtante, quod jam per vos recepti, & profeſſiones per eos emiſſæ fuerunt, ne morbida, & infecta pecus ovile Domini corrumpat, aliiſque cadat in exemplum, à Domibus, & Conventibus veſtris, prout conſcientiæ veſtræ (quam ſuper hoc oneramus) viſum fuerit, & juſtum, & honeſtum fore decreveritis, expellere, & removere liberè & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, pariterque indulgemus. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Ordinis veſtri hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Martii MDXVI. Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Rodriq. in Coll. fol. 299. Confett. in Coll. fol. 148.

Privilegia Ordinibus Mendicantium aliàs conceſſa moderatur.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SACRO APPROBANTE CONCILIO.

DUm intra mentis noſtræ arcana revolvimus, & diligenti cõſideratione penſamus operoſa ſolicitudinis ſtudia, continuoſq; labores pro Divini nominis gloriâ, exaltatione Catholicę fidei, Eccleſię unitate ſervanda, & inſtitutione, ac ſalute fidelium animarum, per Coepiſcopos, eorumque ſuperiores, in diverſis Orbis partibus ad regimen ſuarum Eccleſiarum à Sede Apoſtolica conſtitutos, necnon Fratres diverſorum Ordinum, præſertim Mendicantium, indeſeſsè, & indeſinenter impenſos, tanta ex eorum in Vinea Domini fructuoſis operibus & opportunè, ac laudabiliter geſtis, cordi noſtro provenit

ſa-

ſatisfactio, ut iis, quæ ad pacem, & quietem inter eos conſervandam conducere cognoſcimus, omni ſtudio intendamus. Novimus enim Epiſcopos ipſos in partem ſollicitudinis noſtræ aſſumptos fuiſſe, quorum honor & ſublimitas (teſtante Ambroſio) nullis poteſt comparationibus adæquari. Religioſos etiam in agro Dominico pro Chriſtianæ Religionis defenſione, & ampliatione complura feciſſe, ac uberes fructus protuliſſe, & in dies ſingulos proferre, ita ut eorumdem Epiſcoporum, ac Religioſorum bonis operibus, orthodoxam fidem incrementa ſumpſiſſe, & per Orbem terrarum undique dilatatam fuiſſe, fidelium nullus ignoret: & ſicut ipſi ſæpenumero vigilantiſſimâ, & ſolerti cura ſchiſmata in Dei Eccleſiâ extinguere, & Eccleſiæ unitatem reddere, & ut eidem Eccleſiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores ſubire non dubitârunt, ita quoque par eſt eos inter ſe noſtris proviſionibus, pacis vinculo, ac fraterna charitate conjungi, ut eorum concordi doctrina, & mutuis operibus, uberiores in Eccleſia Dei fructus proveniant.

Sanè cupientes, ut jura ſpiritualia, quæ ad Dei laudem, & Chriſtifidelium animarum ſalutem pertinent, & quorum exercitium præfatis Epiſcopis, & eorum ſuperioribus in ſuis Diœceſibus (eum ipſi in partem ſolicitudinis, ut præfertur, aſſumpti, ac Diœceſes diſtinctæ, & cuilibet eorundem Epiſcoporum aſſignatæ fuerunt) commiſſum extitit, per ipſos Epiſcopos exerceantur, & jus illa liberè exercendi, quantùm fieri poteſt, eis illæſum præſervetur, & ſi aliqua dictis Fratribus Mendicantibus, in eorundem Epiſcoporum læſionem per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedē Apoſtolicā conceſſa fuerint, conceſſiones hujuſmodi eiſdem Religioſis factas, in ſubſequentibus duximus moderandas, ut ipſi FF. potiùs ab eiſdem Epiſcopis omni cum charitate foveantur, quàm aliquo modo moleſtentur, & inquietentur; Una enim eſt Regularium, Sæcularium, Prælatorum, & Subditorum, & exemptorum, & non exemptorum, univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis, & ſicut Fratres nexu invicem charitatis aſtricti ſunt, ſic non convenit alterum, in alterius injuriam, ſeu jacturam proſilire, dicente Salvatore. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.*

Ad conſervandam igitur inter Epiſcopos, & eorum Superiores, ac Prælatos, & Fratres hujuſmodi mutuam charitatem, & benevolentiam, divinique cultûs augmentum, pacemque, & tranquillitatem univerſalis Eccleſiæ ſtatûs, quod ita demum fieri poſſe cognoſcimus, ſi unicuique (quantùm fieri poteſt) ſua juriſdictio conſervetur, Sacro approbante Concilio ſtatuimus, & ordinamus, quod Epiſcopi, & eorum Superiores, & alii Prælati præfati, Parochiales Eccleſias ad eoſdem Fratres ratione locorum ſuorum legitimè ſpectantes, quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conſervationem, adminiſtrationemque pertinent (ſine tamen Viſitatorum inſolito gravamine vel impoſita) viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes (ſi Religioſi fuerint) juxta ipſius Ordinis Regularia inſtituta intra ſepta Regularis loci, Sæculares verò Presbyteros & Fratres hujuſmodi beneficia obtinentes, liberè tanquam ſuæ juriſdictioni ſubjectos punire. Ac tam Prælati, quàm Presbyteri ſæculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Miſſas in Eccleſiis Domorum eorundem devotionis causâ celebrare volentes, celebrare poſſint, ipſique Fratres tales celebrare volentes libenter recipere debent. Ac ab eiſdem Prælatis ad proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodo eorum loca ſuburbana ultra unum miliare à Civitatibus reſpectivè non ſint remota, accedere. Necnon Superiores eorundem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorumdem Prælatorum pro tempore elegerint, eiſdem Prælatis perſonaliter exhibere, ac præſentare (ſi eos ſibi exhiberi, & præſentari petierint) alioquin eorum Vicariis (Dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur) omninò teneantur, poſſintque illi per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti literatura, & aliqua (ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia duntaxat) examinari, talibuſque præſentatis, & admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexûs* (quoad confeſſiones duntaxat) ſatisfeciſſe cenſeantur, ipſique Fratres etiam forenſium confeſſiones audire valeant. Laicos tamen, & Clericos ſæculares à ſententiis ab homine latis nullatenus abſolvere poſſint. Euchariſtiæ verò & extremæ Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta, illis, quorum etiam infirmorum ac decedentium confeſſiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa ſibi dari denegâſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta doceretur. Et eorundem Fratrum obſequio inſi-

ſten-

ſtentibus Sacramenta hujuſmodi nullatenus miniſtrare valeant niſi illorum durante obſequio. Pacta autem, & conventiones inter eoſdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant, niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale vel Provinciale refutata, & per eos refutatio hujuſmodi intimata debito tempore fuerit. Parochias autem cum Cruce ad levandum funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorundem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi priùs præmonito, & requiſito, ac recuſante Parochiano Presbytero, & tunc ſine ejus ac Ordinarii præjudicio, niſi eiſdem Fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſervantia, & cum pacifica poſſeſſione ſuffragetur. Volentes quoque ſepeliri in Habitu eorumdem Fratrum, in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi liberè eligere poſſint: quodque Fratres ipſi ad Ordines promovendi, & per Ordinarios de grammaticâ, & ſufficientiâ examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eoſdem Ordinarios liberè admitti. Ac nullatenus in eorum Eccleſiis, ſeu Domibus, aut aliis eorum locis ab alio, quàm à Diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario ſuper hoc cum debitâ inſtantia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel eo â Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant. Nec ab alio Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ vel Altaris aut Cœmiterii benedictionem petere, ſeu in Eccleſiis per eos pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi ubi Ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia & inſtantia requiſitus, ſine legitimâ cauſâ id recuſaverit. Et abſque Curatorum conſenſu ſponſum, vel ſponſam benedicere nequeant. Et ut debitus honor matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi Fratres, quàm alii Clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverit, campanas in Eccleſiis ſuis pulſare minimè poſſint; Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant, cenſuras autem per eoſdem Ordinarios latas & promulgatas, ac in Matrici Eccleſiâ Civitatum, necnon in Collegiatis, & Parrochialibus Eccleſiis caſtrorum, & oppidorum reſpectivè ſolemniter publicatas, quando ſuper hoc ab eiſdem Ordinariis requiſiti fuerint, in Eccleſiis Domorum ſuarum publicare, ac ſervare:

Et, ut animarum utriuſque ſexûs Chriſtifidelium ſaluti uberiùs conſultatur, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, cujuſcumque ſtatûs, & conditionis fuerint ad ſolvendum decimas, ſive aliam bonorum, ſive fructuum, quo tam in locis, in quibus decimæ ipſæ aut ſimilia ſolvi conſueverunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum monere, & hortari, ipſiſque etiam illas ſolvere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publicè prædicare, & perſuadere teneantur. Conſervatores autem eiſdem Fratribus pro tempore â Sede Apoſtolica deputandi, doctrinâ & probitate præſtantes, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & coram eis per eoſdem Fratres quibus dati fuerint, ultra duas dietas â loco ſuæ ſolitæ habitationis nullus trahi poſſit. Privilegiis ſuper hoc aliàs eis conceſſis nullatenus ſuffragantibus. Excommunicati quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, uti de intereſſe tertii agetur, abſolvi non poſſint, niſi præviâ ſatisfactione; Procuratores quoque, & negotiorum geſtores, ac operarii eorundem Fratrum ſervitiis inſiſtentes, ſententiis excommunicationis promulgatis illeaqueati ſint, & eſſe cenſeantur, ſi illis cauſam dederint, aut dantibus, conſilium, auxilium, vel favorem præſtiterint. Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizocheræ, Chordellati, & alii quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes ſepulturam, ubi voluerint, eligere valeant, ſed die Paſchatis tantùm Eucbariſtiam, necnon extremam Unctionem, cæteraque Eccleſiaſtica Sacramenta, Pœnitentiæ Sacramento duntaxat excepto, â proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda, teneantur, ac in foro ſæculari coram Judice Sæculari conveniri poſſint. Et nè cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris authoritatis interdicti ſententia reputetur, iidem dicti Tertii Ordinis ad Divina audienda in Eccleſiis ſuorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant, ſeu ſovant, aut dantibus, auxilium, conſilium vel favorem quoquomodo præſtiterint; Collegialiter autem viventes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, aut mulieres virginalem ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto Habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ Habitum geſtant, gaudere debeant. Omnia etiam ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam ſervari debere volumus, atque

decer-

decernimus: ſalvis tamen in reliquis deſuper non expreſſis tam Epiſcoporum, quàm Fratrum, & aliorum Religioſorum prædictorum juribus, quibus per præmiſſa in aliquo præjudicare, ſeu quicquam innovare non intendimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac literis Apoſtolicis contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum ejuſdem Ordinis conceſſis, etiam in Mari magno contentis, quibus etiamſi ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes mentio, ſeu quævis expreſſio alia habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Eoſdem inſuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debitâ, & noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & convenienti obſervantia venerentur. Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes, charitativè tractent, ac benignè foveant, ſeque illis minimè difficiles, aut duros, vel moroſos, ſed potiùs faciles, mites, propitios, piaque munificentiâ liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, promptâ benignitate recipiant, eorumque jura cum omni charitate cuſtodiant, atque defendant, ut tam Epiſcopi, quàm Fratres præfati, quorum opera, velut lucernæ ardentes, ſupra montem poſita omnibus Chriſtifidelibus lumen præbere debent, ad Dei laudem, fidei catholicæ exaltationem, populorumque ſalutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde â largiſſimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium conſequi mereantur. Nulli ergo &c. Datum Romæ in publicâ ſeſſione in Lateranen. Sacroſancta Synodo ſolemniter celebratâ, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, decima nona Decembris Pontificatûs noſtri Anno quarto.

De Peyrinis de privileg. fol. 191. *Wadd. tom.* 16. *fol.* 2. *Bull. Roman. tom.* 3. *p.* 3. *f.* 447.

Generalibus Ordinum Mendicantium, eorum Vicariis pro tempore, ac aliis ab iis deputatis, Fratres ſuos ab omnibus exceſſibus ac cenſuris abſolvendi facultatem largitur.

Dilectis Filiis, ſingulis Generalibus ſingulorum Ordinum Mendicantium.

LEO PP. X.

Dilecti Filii &c., ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EXponi Nobis feciſtis, nonnullos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ad conſervandam diſciplinæ Regularis integritatem, quæ ex Fratrum diſcurſibus plurimùm labefactari ſolet, vobis indulſiſſe, ut Fratres veſtros â quibuſcunque criminibus, exceſſibus & cenſuris, niſi in certis expreſſis caſibus, in quibus Sedem Apoſtolicam conſulendam eſſe voluerunt, abſolvere poſſetis. Et dum nuper, ſacro Lateranenſi approbante Concilio, aliquos caſus de novo Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervandos duximus; dubitatis, ne forſan conceſſa vobis facultas diminuta ſit, & perinde Fratrum diſcurſibus, qui crebrò in periculum animarum ſuarum vergunt, non ſit obviatum; utque ſuper hoc de benignitate Apoſtolica providere dignaremur, humiliter ſupplicâſtis.

Nos igitur cupientes Fratres in ſuis clauſtris potiùs Deo contritos Sacrificium pro ſuis peccatis offerre, quàm ſuarum animarum periculo, & ſcandalo populorum, per longinqua itinera diſcurrere, veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium vobis concedimus, ut vos, & quandocumque contingat officium Generalatûs per obitum, aut amotionem Generalium pro tempore, ſive alio quovis modo vacare, ut veſtri Vicarii item pro tempore, ac etiam illi, quibus vos ſpecialiter id duxeritis committendum, ſubditos veſtros reſpectivè ab omnibus & ſingulis caſibus & cenſuris, ſecundùm conceſſionem & declarationem fel. rec. Sixti IV. & Julii II. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, abſolvere poſſitis. Non obſtantibus revocationibus, reſervationibus, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nuper in dicto Latera-

teranen. Concilio, vel aliàs quomodolibet factis, vel ſi inpoſterùm fierent; quibus omnibus, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, qnoad præmiſſa, ex certa ſcientia expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Maii MDXVII. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Wadding. tom. 16. Annal. fol. 492. Bull. Ord. Præd. tom. 8. fol. 736.

N O T A

VAria hucuſqua pet hunc tomum de facultate Fratres Otdinis Minoritani abſolvendi diſperſa jacent fragmenta, quæ hic ad calcem hujus Leoninæ & Generalis Conſtirutionis colligi eò opportuniùs ductum eſt, quò ampliorem hæc exhibet dictam facultatem, communicatam) ut Reverendiſſimus P. Bremond *tom.* VIII. *Bull. ſui Ordinis fol.* 236. *num.* 191. advertit) omnibus Ordinum Mendicantium Generalibus, ut ſcrupulis, qui ex nonnullis in Sacro Concilio Lateranenſi modificatis privilegiis inter Regulares naſcebantur, providè conſuleretur. Quemadmodum proin Pontifex Leo X. qui enuntiaro præfuit Concilio, per Conſtitutionem ſuam, incip. *Superioribus diebus*, in Annal. Waddinghi *tom.* 16. *fol.* 495. videndam *omnia & ſingula privilegia Religioſorum Mendicantium à quibuſcunque Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus ſuis*, vel etiam à ſemetipſo, *aut aliis auctoritatem habentibus, in genere, vel in ſpecie, conjunctim vel diviſim conceſſa, ſalvis* dicti Concilii *moderationibus, in ſuo robore perſiſtere declaravit*, ita per antepoſitas litteras ſua ſenſa de abſolutione ab exceſſibus & cenſuris patefecit, & privilegia deſuper Ordinibus Mendicantibus jam aliàs conceſſa confirmavit, ita ut ex communi Doctorum calculo reſpectivè quoad utrumque ſubſiſtant forum. Ordinatè & clarè ut in illorum explicatione incedamus, totam materiam ad tria reduco puncta: Primò ad eos, qui abſolvunt: Secundò ad eos, quos abſolvunt: Et tertiò ad id, à quo abſolvunt.

Punctum 1. Ii, qui abſolvunt, ſunt *Miniſter Generalis, & Provinciales*; patetque hoc tum ex Conſtitutione *Licèt ad hoc &c.* ſuprà fol. 18. Conſtitut. *In Jure Canonico* fol. 19. Conſtit. *Cæleſtis amor* fol. 25. & Mare Magn. §. 12. *fol.* 197.

Item *illorum Vicarii, & Cuſtodes* illi, qui ex Provinciarum uſu ordinariam, vel hypotheticam habent in Fratres juriſdictionem, cum eos Mare Magnum *ſupra fol.* 167. §. 12. & 13. ſpecificè exprimat.

Omnes illi Fratres, quibus Miniſter Generalis, Provinciales, ac eorum Vicarii facultatem abſolvendi duxerint committendam, uti Bulla aurea *fol.* 200. & Leonina præpoſita loquuntur. Quod verò deſacto Superiores noſtri Capucini Ordinis facultatem ejuſmodi in Ordine ad uſum Sacramentorum, & pro foro conſcientiæ quibuſcunque Fratrum Confeſſariis commiſerint, atteſtantur ex noſtratibus P. Barthol. de Vecchiis *in praxi Novit. diſp.* 9. *dub.* 7. *num.* 3. P. Eligius *verb. Abbas* §. 4. P. Bonagratia *in Sum. v. Abſolutio quoad Fratres fol.* 33. P. Gervaſius Briſac. *tom.* 6. *Theol: tract.* 5. *de pænit. fol.* 290. ita loquentes: *Mos apud nos Capucinos viget ex Generalis Capituli indulgentia anno* 1613. *ut omnes Superiores locales, necnon & Confeſſarii deputati valeant in foro conſcientiæ tantùm abſolvere, diſpenſare, habilitareque in omnibus, in quibus poteſt ipſe Generalis, juxta pænitentium indigentiam, propter uſum ſolummodo Sacramentorum, & non ultra, & cum obligatione pænitentium ſe præſentandi coram Superioribus pro caſibus reſervatis &c.*

Nec ſolùm ex privilegio Sixtino & Leonino hæc facultatis delegatio legitimatur, ſed & ex ipſa ratione privilegii, quod officio vel dignitati perpetuò à Principe collatum juxta communem ſententiam poteſt delegari, quod maximè in ſimplici miniſterio abſolvendi locum habere, & ideo à delegato Ordinarii, & à Subdelegato Delegati Papæ delegari poſſe Bonagratia *loc. cit. fol.* 33. aſſerit, citans Navarrum *in Man. cap.* 72. *num.* 45. &c.

Abſolvunt & *Confeſſarii*, licèt non approbati, in utroque foro Prælatos, videlicet Generalem, Provinciales, eorum Vicarios, ac Cuſtodes, à quibus ſunt electi, juxta Conſtitutionem *Ordinis veſtri ſuprà fol.* 36. & Mare Magn. *fol.* 167. §. 13. *& notam ad latus junctam*: Necnon & Superiores locales, ſeu apud nos Guardianos, juxta deciſionem Capituli Generalis 1691. etiamſi hujuſmodi Confeſſarii ſint ſimplices Sacerdotes, ſeu Advenæ.

Tandem abſolvit *quilibet Frater* Confratrem vi privilegii Minoritani in Bulla aureâ *ſuprà fol.* 200. expreſſi ſemel in vita, & in mortis articulo, de licentia ſui Superioris electus.

A' noſtro Capucino Ordine hoc privilegium non fuiſſe acceptatum, memorat Briſacenſis *loco cit. fol.* 300. *num.* 464. ex eo, quod hoc & ſimilia privilegia laxitatem inducere videantur, & Regula noſtros Fratres in ejuſmodi caſibus ad ſuos Superiores remittat, imò P. Bernardus à Bononia *in ſuo Manuali Confeſſ. fol.* 47. illud in Capitulo Generali 1633. celebrato reprobatum fuiſſe aſſerit.

Præter hos, abſolvendi facultate fruuntur, juxta Doctores, *Superiores locales*, non quidem vi privilegii, cum in nulla Conſtitutione exprimantur, ſed vi juris communis, quo Prælatis, quales Superiores locales eſſe nemo inficiatur, hujuſmodi facultas ex ipſa electione competit, & conſequenter hi quoque non ſolùm in foro interno abſolvunt, ſed etiam externo. Non deſunt quidem, qui etiam vi privilegii Guardianis, imò & Vicariis hanc facultatem competere cum Collectore apud noſtrum à Sorbo *fol.* 8. affirmant, vi inquam privilegii, in Mari Magno Ord. Prædicatorum ad Priores Conventuales, & eorum Vices-gerentes *expreſsè* ampliati, & proin etiam per communicationem Superioribus localibus proprii. Sit vel privilegium, vel jus commune, uni & alteri obſtat in noſtra Capucina Religione reſtrictio in Capitulo Generali 1613. celebrato (uti ſupra relatum eſt) facta, ita ut illâ ſtante Superiores noſtri locales nonniſi in foro conſcientiæ, ſicut & alii quicunque Confeſſarii abſolvant &c.

Pun-

Digitized by Google

Punctum 2. Recipientes abſolutionem ſunt *Fratres quicunque Profeſſi*, cujuſcunque ſint characteris, gradûs vel ſtatûs, cum in Conſtitutionibus in puncto primo memoratis nominatim exprimantur, & horum intuitu privilegia conceſſa eſſe, Litterarum Pontificiarum complexus probet.

Novitii, non ſolùm, qui Habitum Ordinis jam ſuſceperunt, verùm etiam ii, qui Ordinem ingredi volunt. Clara ſunt verba Conſtitutionum *Licèt ad hoc* fol. 18. *In jura Canonica ſuprà* fol. 19. *Cæleſtis amor ſuprà* fol. 25. Mare Magnum §. 14. *ſuprà fol.* 168. Ubi & conditiones, ſub quarum onere privilegio hoc Novitii potiuntur, ad latus paragraphi poſitas reperire eſt. Hic quoque meminiſſe juvat, quod præter hoc privilegium commune in noſtra Religione pleraque Provinciæ Germaniæ, & Galliæ &c. ſpeciali facultate, quæ quolibet ſeptennio ab Officio Sac. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis iis conceditur, & quæ in *tomo* IV. *fol.* 3. & 4 extenſa jacet, & in *tom.* V. *fol.* 21. citatur, Novitios & Sæculares ad Ordinem venientes in foro interno ab omnibus caſibus, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, ſemel abſolvendi fruantur.

Fratres Hoſpites ſeu Peregrini Ordinis juxta Mare Magn. *fol.* 167. §. 12. = *Necnon Fratribus aliis ejuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus undecunque abſolutione & diſpenſatione indigentibus*, cum ſine animarum periculo aliquoties hujuſmodi abſolutio differri nequeat.

Familiares Conventuum, ſimul & Commenſales, de quibus Mare Magnum *ſupra fol* 165. §. 10. ita loquitur = *His verò, qui veſtris immorantur obſequiis, cuncta liberè miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta* = Ubi & ad latus tum conditiones in hujuſmodi Famulis, ſeu Familiaribus requiſitas, tum privilegii confirmationem reperies.

Prælati ſeu *Superiores Ordinis*, ac etiam *Locorum*, ſeu Guardiani recipiunt idem beneficium à Confeſſariis Fratribus, ab ipſis & pro ipſis electis. Primi id recipiunt tum vi privilegii, uti dictum eſt, tum ex favore juris *cap. fin. de pœnit. & remiſ. peccat.* ita diſponentis = *Quod Epiſcopi, & alii Superiores, necnon minores Prælati exempti abſque ſui Superioris licentia providum, & diſcretum Virum poſſint ſibi in Confeſſarium eligere*. Recipiunt autem ex privilegio dictum beneficium inhærendo verbis Bullæ Pontificiæ ſuprà *fol.* 167. §. 13. poſitæ, *juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione & diſpenſatione Fratrum ejuſdem Ordinis, ſuperiùs vobis factæ*, id eſt, Prælati ab hujuſmodi Confeſſariis poſſunt abſolvi & reſpectivè diſpenſari in omnibus illis exceſſibus, in quibus ipſimet Prælati ſuos ſubditos abſolvere &c. poſſunt. Secundi, ſeu apud nos Guardiani, abſolvuntur vi juris communis ab eiſdem Confeſſariis aliàs non approbatis, & pro ſe electis pariter juxta deciſiones Ordinis variis ab omnibus exceſſibus, non tamen reſervatis.

Moniales Regularibus ſubjectas, ſive ſint ejuſdem, vel alterius Regulæ, ſi prædictis jungas, habes punctum hoc ſecundum completum. Ubi autem Moniales hujuſmodi privilegium proprium non habent, illo juxta communem per communicationem gaudent.

Punctum 3. tangit materiam, à qua FF. Minores vel à Prælatis in utroque foro, vel à Confeſſariis in foro interno tantùm abſolvuntur, & quam Conſtitutiones Pontificiæ, præſertim Leonina præpoſita, exprimit per verba = *ab omnibus & ſingulis caſibus* = ſicut & *à cenſuris &c.* & quidem *ſecundùm conceſſionem & declarationem fel. rec. Sixti IV. & Julii II.* Porro, cum Clemens IV. (uti ſuprà *fol.* 167. §. 12. videre eſt) Prælatis Ordinis Minoritani Fratres à caſibus & cenſuris ampliſſimam abſolvendi facultatem conceſſiſſet, caſuſque *gravis & enormis exceſſûs* duntaxat excepiſſet, præcipiendo, quod propter hos ad Sanctam Sedem Fratres rei meritò eſſent deſtinandi, Sixtus IV. quinam hujuſmodi caſus forent, in Mari Magno ſupra *fol.* 185. ita ſpecificavit = *declaramus hæreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, duntaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandos: reliquis verò omnibus, etiam Simoniæ pravitate qualitercunque irretitis, poſſe per illos* (Prælatos Minoritas) *abſolutionis beneficium, & diſpenſationis gratiam, juxta caſuum exigentiam impertiri*. Caſibus hiſce à Sixto exceptis, à Julio II. quintus de conſpiratione in Summum Pontificem fuit adjunctus. Ex quo, & reſervato quoad Provincias Germaniæ &c. ſuo hæreticos (non tamen relapſos) & ſchiſmaticos abſolvendi privilegio, à Minoritis Prælatis & Confeſſariis Fratres pœnitentes ab omnibus aliis caſibus & cenſuris, qui cum privilegiorum revocatione non ſint reſervati, abſolvi poſſe deducunt.

Dicitur primò ab omnibus caſibus, quantumque enormes illi ſint, & graves, ſive notorii, ſive occulti, & quidem, ut communiter Auctores Regulares loquuntur, etiam Sanctæ Sedi reſervatis, & in Bullà Cœnæ Domini, de qua infrà, non contentis. Porro ex hac generalitate verborum plures à Doctoribus deducuntur quæſtiones, ſeu dubia, in Libris tum Theologicis tum Canonicis facilè videnda, quibus me non immiſceo, partim quod reſolutiones deſuper conceptæ ſibi contradicant, partim quod Sacra Decreta, quæ ſtatum quæſtionum firment, non adſint.

Dicitur ſecundò à cenſuris, & quidem (ut verba Clementis IV. *fol.* 167. §. 12. ſonant) à jure, vel à Judice generaliter promulgatis. Fuit quidem olim Regularibus à cenſuris abſolvere per *Clementinam cap. Religioſi de privil. & exceſſ.* inhibitum, teſte tamen Emin. Petra *tom.* 3. *com. fol.* 204. *n.* 3. fuit hæc facultas per varios juris textus iis reſtituta. Quoad cenſuras tamen in jure latas monet Paſſerinus, ligatum remittendum eſſe ad Judicem, ſi caſus vel appellatione, vel recurſu legitimo ad forum contentioſum eſſet deductus. Quod idem faciendum aſſerit, quoad cenſuram latam ab homine, ſi hæc per ſententiam particularem foret lata, ſuadetque generaliter, ne Superiores, Superiore excommunicato majores, manum, niſi ex notitia publica, & ex proceſſu reſultante, in hujuſmodi caſibus apponant.

Ex quo & Prælatos Minoritas à cenſura, vel excommunicatione Canonis = *ſi quis ſuadente Diabolo* = Subditos ſuos abſolvere poſſe fluit, non obſtante, quod percuſſio ſit enormis & etiam levem mutilationem includat. Nec hoc eis duntaxat vi privilegii Innocentii IV. ſupra *fol.* 19. relati competit, ſed etiam inter alia ex *cap. Monachi*, ubi ita diſponitur = *Monachi verò, & Canonici Regulares, quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, ſed ſecundùm providentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur*.

Minor circa prædicta cum vigeat controverſia, major econtra agitatur inter diſſidentes Au-

ctores circa caſus in Bulla Cœna Domini legi ſolita contentos. Univerſaliter hoc inhibitum eſſe contendunt alii innixi clauſulæ, quâ hæc Bulla privilegia revocat, & quæ hæc eſt = *Ceterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtitâ, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuſcumque Perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majore dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus & locis piis; necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali & alia mundanâ excellentia fulgentibus per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii Decreta, verbo, litteris aut alia quacunque Scriptura in genere vel in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum. Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententiâ innodamus, graviùs contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.*

Ex qua univerſali & negativa clauſula omnia privilegia tum in genere, tum in ſpecie conceſſa annuatim revocante, duo, tum ex officiis, quæ geſſerunt, tum ex libris, quæ vulgârunt, clariſſimi Viri, videlicet P. Petrus Maria Paſſerinus de Sextula, Magiſter, & Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, ac in Romana Sapientia S. Theologiæ Profeſſor &c. *tom.2. de Stat. fol* 102. ac P. Auguſtinus Matthæucci Lucenſis Ord. Min. Regularis Obſervantiæ S. P. Franciſci, S. Theologiæ Lector Jubilatus, ac in Romana Curia Secretarius in ſuo Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ, *verbo Prælatus Regul. fol.* 311. conſtanter contendunt, nullum à caſibus hujus Bullæ, etiam occultis, niſi ſpeciale habeat indultum, exprimens in individuo facultatem abſolvendi *etiam à caſibus Bullæ Cœnæ*, abſolvere poſſe. Donatus econtra de rerum Regularium praxi *tom.* 1. *par.* 1. *tract.* 13. *quæſt.* 17. quoad caſus occultos contrarium docet, & ad quæſitum, an per Bullam Cœnæ Domini quotannis publicari ſolitam, Mendicantium privilegia revocentur? ita reſpondet = *Si loquamur quoad occulta Religioſorum peccata, eorumque conſcientiæ forum, reſolvo negativè: ſecus verò dicendum cenſeo quoad forum contentioſum, &, ubi delicta ſunt publica*. Communitus ſententia Donati potiſſimùm privilegio, quo S. Pius V. per Conſtitutionem *Romani Pontificis*, Prælatis Regularibus in ſuos ſubditos eam ipſam facultatem, quæ à S. Tridentina Synodo *Seſſ* 24. *cap.*6. *de Reformat.* Epiſcopis in ſuos fuit collata, competere ſancivit. Jam verò, quod Epiſcopi vi dictæ conciliaris diſpoſitionis à crimine hæreſeos, quod eſt caſus in Bulla Cœnæ contentus, in foro conſcientiæ abſolvant, liquet ex Concilii verbis = *item in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis* (Epiſcopis) *tantùm, non eorum Vicariis, ſit permiſſum* abſolvere. At privilegio Epiſcoporum abſolvendi ab hæreſi per annualem Bullæ Cœnæ Domini publicationem derogari Piaſeccius *prax. p.*2. *c.*1. *a.*3. *n.*6 cum aliis aſſerit Decreto S. Congregationis, quæ ad dubium = *An Epiſcopus, & Inquiſitores poſſint hodie* ex cap.6. Seſſ. 24. *abſolvere lapſos in hæreſim, non obſtante Bullæ Cœnæ Domini, cenſuit eam Bullam derogare Decreto cap* 6. Cumque hæc Sac. Congregationis declaratio ad caſum hæreſeos ſpecificè limitetur, idem Piaſeccius aliam univerſaliorem *ibi num.*18. ſubjungit, datam ad ſequens dubium & quæſtionem = *Quæritur pro parte Epiſcopi Cameneten. per Eminentias Veſtras declarari, an facultas competens Epiſcopis vigore Concilii Tridentini* ſeſſ. 24. de Reform. *transferatur in Vicarium Capitularem Sede Epiſcopali vacante? die* 4. *Decembr.* 1632. *Sac. Congregatio inhærendo declarationibus aliàs factis reſpondit = Epiſcopos vigore cap.*6 *non poſſe abſolvere, nec diſpenſare in caſibus hæreſis, atque in aliis novâ lege poſt Concilium Sedi Apoſtolicæ reſervatis &c.* Teſtatur & Fagnanus *in* 1. *ad cap. quoniam de conſtitut. fol. mihi* 80. *n.*29. à S. Congregatione declaratum & aliàs fuiſſe = *ex Bulla Cœnæ ſublatam eſſe facultatem Epiſcopis Decreto Concilii cap.*6. *ſeſſ.* 24. *tributam*; quod idem & diſcurſu & Decretis Emin. Petra *tom* 3. *com. fol.* 105. confirmat. Ex quo dum per Bullam Cœnæ privilegio Epiſcopali & quidem non in ſolo hæreſeos articulo, *ſed & in aliis novâ lege poſt Concilium Sedi Apoſtolicæ reſervatis*, derogatum fuiſſe inferunt, aliud Superiorum Regularium quoque infirmatum contendunt.

Contra hos pugnat integer torrens Auctorum, qui ſuis tum in Italia paſſim, tum in Alma Urbe noviſſimè cuſis, recuſis, ac etiam ſeveriore cenſurâ correctis & probatis libris à Prælatis ſuperioribus ſubditos ſuos à caſibus Bullæ Cœnæ tum occultis, tum præſtitâ ſatisfactione publicis præſertim concurrente impedimento abſolvi poſſe tradunt, potiſſimùm nixi Conſtitutione Julii II. ad favorem Ordinis Prædicatorum emanata, aliis Ordinibus communi, & ita ſonante.

JULIUS PAPA II.

EXponi Nobis feciſti, quod, licèt fel. rec. Sixtus Papa IV. Prædeceſſor noſter, ſecundùm carnem Patruus, extendendo declaraverit, in quibus caſibus ad Sedem Apoſtolicam recurrendum eſſet pro abſolutione & diſpenſatione cenſurarum & irregularitatum à Perſonis Ordinis Prædicatorum, nihilominus propter cauſas derogatorias poſitas in Bulla, quæ ſingulis annis in Cœna Domini publicatur, dubitas, facultatem illam Ordini prædicto ademptam. Super conceſſione quoque, quam nuper fecimus Sororibus de Pœnitentia B. Dominici nuncupatis collegialiter viventibus, quod poſſint tria vota Religionis emittere, nonnulla declarari deſiderat. Et proinde ſupplicâſti humiliter ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſorum quieti, quantùm cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, volentes occaſiones tollere vagandi, attendenteſque, quod multa in prædicta declaratione conceſſa

ſunt,

ſunt, quæ in Bulla prædicta continentur, ejuſdem Sanctæ Sedis auctoritate decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione conceſſa eſt poteſtas abſolvendi & diſpenſandi, licitè poſſint perpetuis futuris temporibus abſolvere, & diſpenſare ab omnibus & ſingulis, ac ſi prædicta Bulla in Cœna Domini non eſſet facta, nec fieret; præterquam in conſpiratione in Romanum Pontificem, & ab illis, propter quæ prædictus Prædeceſſor noſter, declarando, voluit ad eandem Sedem eſſe recurrendum; Sorores quoque de Pœnitentia &c. tanquam dictæ Religionis membra, gaudeant omnibus privilegiis activè & paſſivè, quibus Fratres Ordinis ſupradicti gaudent, modò privilegia illa ſexui non repugnent. Non obſtantibus quibuſcunque Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. Quibus omnibus, etiamſi de eis, & ſupradictis omnibus &c. derogamus, & nemini in præjudicium præmiſſorum ſuffragari poſſe aut debere, ac irritum & inane, quidquid ſecus contigerit attentari, decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. *Februarii* MDX. *Pontificatûs noſtri Anno Septimo.*

Hinc & in eorum libris privilegio Prælatorum Regularium *per Bullam Cœnæ, vel per Declarationes Cardinalium juſſu Clementis VIII. & Urbani VIII. editas*, non quoad illorum ſubditos, ſed ſolùm quoad ſæculares derogatum eſſe concludunt. Rationibus cujuſque partis indifferenter à me productis, Lectori datur denuo optio eam, quæ ipſi tum æquior, tum ſalubrior videtur, amplexandi, dum ego tranſeo ad facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, Prælatis Ordinis Minoritani vi privilegiorum competentem. Antepoſita Conſtitutio Leonina quidem de hiſce non loquitur, cum tamen materia cenſuratum, & irregulatitatum à Theologicis plerumque connectatur, de his & hic agi conſultò ſtatui.

Si redeamus ad folium hujus tomi 18. Prælati Minoritani diſpenſant cum ſubditis in irregularitate ante—vel poſt ingreſſum Religionis contracta = *prædictis Fratribus conſtitutis abſolutione ac diſpenſatione indigentibus, ſive antequam Ordinem intraverint, ſive poſtea in caſibus exceſſerint memoratis . . . . . impartiri valeant abſolutionis beneficium, & diſpenſare cum eis* = quod repetitur à Clemente IV. *in Mari Mag. ſuprà fol.* 168. §.14. uti & à Sixto IV. *fol.* 194. §.44. ubi defectus Natalium exprimitur per verba = *diſpenſandi cum dictis Ordinis Profeſſoribus, defectum Natalium ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario & illicito coitu provenientem patientibus*. Hæc facultas quidem à Sixto V. per Bullam incip. *Cum de omnibus Eccleſiaſticis &c* fuit revocata, at denuo ad jus commune à Gregorio XIV. reducta & modificata ordinando, ut hujuſmodi diſpenſatio nonniſi in Capitulo Generali vel Provinciali daretur.

Eodem folio & paragrapho memorantur ſpecies triplicis irregularitatis, in qua Prælati Minoritæ diſpenſare inhibentur, ſunque primò homicidium voluntarium, ſub quo & procuratio abortûs animati *juxta can. ſi aliquis de homicidio &c.* continetur; Secundò bigamia; & tertiò mutilatio membrorum.

Ex quibus privilegiis certò datis contra incertas, & prætenſas forſitan reſolutiones, infertur primò, Prælatos Minoritas, Generalem ſcilicet, Provincialem, eorum Vicarios, & (in noſtra Religione Capucina) in caſu urgente Cuſtodes, in foro tam externo quàm interno, cum ſubditis, & non ſubditis, ejuſdem tamen Ordinis, ad eos declinantibus, in omni irregularitate, non proveniente ex prædicta triplici cauſa, à qua non niſi in foro Pœnitentiæ diſpenſant, poſſe diſpenſare, ita ut irregulares Fratres ita diſpenſati, ad quoſcunque ſacros Ordines promoveri, & in illis, & in Altaris miniſterio miniſtrare, & ad quæcunque Ordinis officia eligi, aſſumi, illaque gerere, & liberè ac licitè exercere valeant.

Infertur ſecundò, quod Superiores locales (ſaltem apud Nos Capucinos) in hujuſmodi irregularitatibus non diſpenſare queant, niſi in foro interno. Confeſſarii econtra à Prælatis Ordinis juxta privilegium ſuprà dictum pro iis electi, hoſce diſpenſant eo modo, foro, formâ & extenſione, quâ ipſi Prælati ſuos diſpenſant ſubditos.

Scitu vel notatu quoque dignum eſt, quod triplici irregularitati ſuprà exceptæ à pluribus Auctoribus adjungantur enorme corporis, vel animi vitium, infamia juris, orta vel ante—vel poſt ingreſſum Religionis, ſicut & alii defectus, ex quibus generari poſſet ſcandalum: hinc & monent Prælatos, ut ab irregularitate hujuſmodi, in quibus ipſe Papa rarò diſpenſat, diſpenſare abſtineant, & ad ſervandam debitam reverentiam ad Curiam Romanam recurrant.

Concludit Notam quæſtio, quid abſolutio à cenſuris, & diſpenſatio in irregularitate, quæ communiter à Prælato Regulari congregatis in Capitulo ſubditis, terminatâ Viſitatione, ſeu in quibuſdam Feſtivitatibus dari ſolent, operentur? Sicut Doctorum opinio, per eas reſervationem à peccatis non tolli communiter tradit, ita & illas non ſolùm pro cenſuris & irregularitatibus dubiis, oblitis, & ignoranter incurſis, ſed etiam pro certis & ſibi manifeſtis, occultis tamen, pro foro conſcientiæ tantùm prodeſſe, conſtanter tradit, ita, ut ſi Frater ſe cenſurâ, & irregularitate innodatum fuiſſe poſtmodum recordetur, juxta Briſacenſem *tom.* 6. *de irreg. fol.* 626. & alios, iis verè & pro ſemper extet abſolutus, ad differentiam abſolutionis, quam Præſes electionis in hujus principio Electoribus impertitur; cum enim hæc præmittatur duntaxat ad cautelam, ne ex titulo cenſuræ electio aliàs valida poſtea impugnari queat, electione completâ cenſura, uti Mathæucci *in offic. cur. quoad elect. Prælac. fol.* 130. & Rev. P. Bremond *tom.* 8. *Bull. fol.* 239 *col* 1. *n.* 39. cum aliis advertunt, reviviſcit, & Capitulares, qui priùs ad eligi & eligere propter cenſuras inhabiles erant, in has reincidunt, hinc & talis abſolutio *ad reincidentiam* nuncupatur.

Ordinem Minorum dividit, ac titulum Miniſtri Generalis cum Sigillo in Minores Reformatos, & Obſervantes transfert.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotens Deus, cujus perfecta ſunt opera, qui cuncta ſapientiſſimè condidit in numero, pondere, & menſura, & cujus nutu omnia reguntur, Romanum Pontificem, ſic Catholicæ præfecit Eccleſiæ, ut, quæ Divino honori, ſalutique fidelium cognoverit accommoda, non ſolùm faciat, ſed, quantùm in ipſo fuerit, aſpirante cœleſti gratiâ, ad debitæ perfectionis perducat effectum.

Sanè diebus noviſſimis, cum Generaliſſimum Capitulum totius Ordinis B. Franciſci convocari feciſſemus, illudque in Domo de Araceli de Urbe dicti Ordinis celebrari debere ordinaviſſemus, pro unione univerſali Fratrum prædictorum ſub uno capite Reformato, inter alia facienda pro votiva hujuſmodi unione, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, necnon ad Regum, & Principum Chriſtianorum humiles, & inſtantiſſimas preces, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinavimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Miniſter Generalis totius Ordinis S. Franciſci, à ſolis, & de ſolis Reformatis Fratribus dicti Ordinis, viventibus abſque privilegiis bona temporalia concernentibus eligi deberet, cui omnes, & ſinguli Fratres ſecundùm Regulam ejuſdem B. Franciſci ſubjici & obedire tenerentur. Et deinde Fratres Conventuales, cum privilegiis eis à Sede Apoſtolica conceſſis viventes, ac redditus, & poſſeſſiones, aliave bona temporalia ſecundùm hujuſmodi privilegia retinere volentes, per alias noſtras litteras, etiam ſtatuimus, & ordinavimus, quod unum ex eiſdem Fratribus Conventualibus, vitâ & moribus idoneum, ſibi eligere poſſent, qui eorum Magiſter Generalis appellaretur, & eorundem Fratrum Conventualium, ſub dictis privilegiis viventium curam gerere, & electionis de ſe factæ confirmationem à dicto Miniſtro Generali totius Ordinis petere deberet, prout in litteris prædictis pleniùs continetur.

Cumque in Capitulo Generaliſſimo in dicta Domo de Aracœli hujuſmodi nuper per Fratres Reformatos celebrato, ibidem præſentibus auctoritate noſtrâ Protectore ipſius Ordinis, & aliis duobus ex S. R. E. Cardinalibus, ad id à Nobis ſpecialiter deputatis, die, ad hoc per Nos aſſignatâ, Fratres ipſi vocem in electione Miniſtri Generalis hujuſmodi habentes, dilectum Filium Chriſtophorum de Forolivio, qui Vicarius Generalis Fratrum Minorum de familia tunc fuerat, in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Sancti Franciſci, ritè & rectè: Fratres verò Conventuales, cum privilegiis, ut præfertur, viventes, in Domo Sanctorum Apoſtolorum etiam de Urbe dicti Ordinis, ad id etiam legitimè congregati, dilectum Filium, Antonium Marcellum, vitâ & moribus idoneum, in Magiſtrum Generalem Fratrum Conventualium hujuſmodi etiam elegiſſent; Nos, cum audiviſſemus electiones de Miniſtro & Magiſtro præfatis per eoſdem Fratres juxta ordinationes noſtras prædictas, Spiritu Sancto id operante, ſummâ cum charitate, ac pace, & unione factas fuiſſe, dictum Antonium in Magiſtrum Fratrum Conventualium electum, coram Nobis præſentem in Domino benediximus, ac Benedictionem noſtram hujuſmodi pro confirmatione, quam à præfato Miniſtro Generali petere tenebatur, pro hâc vice duntaxat ſufficere voluimus; ac deſiderantes per eoſdem Chriſtophorum Miniſtrum, & Antonium Magiſtrum ſic electos, & eorum ſucceſſores, Fratres ſibi commiſſos ſub proſpero, & fœlici regimine gubernari, ac in pacifico, & tranquillo ſtatu conſervari poſſe, cogitavimus tali modo providere, quod de cætero odor bonæ famæ eorumdem Fratrum apud omnes Chriſtifideles, etiam Reges & Principes Religionis Chriſtianæ, perpetuis futuris temporibus redoleat, & pax & unio plurimùm ab omnibus deſiderata conſervetur, omniſque deſidii occaſio, quæ humani generis procurante inimico, exoriri poſſet, extinguatur & penitus tollatur, aliqua per eoſdem Miniſtrum & Magiſtrum, alioſque ipſius Ordinis Profeſſores firmiter, & inviolabiliter ſervanda, motu proprio, & ex certâ noſtrâ ſcientiâ, ac matura cum eiſdem Cardinalibus præſidentibus deliberatione præhabitâ, duximus ſtatuenda: videlicet, quod præfati Antonii Magiſtri Generalis Fratrum Conventualium ſucceſſores, ab eiſdem Fratribus Conventualibus pro tempore electi, confirmationem ab eodem Miniſtro Generali, & ſucceſſoribus ſuis Miniſtris Generalibus totius Ordinis, quemadmodum Vicarii Generales, tunc de familiâ nuncupati, petere teneantur: ac quod Magiſter nunc, & pro tempore electus ad regimen Fratrum Conven-

ven-

ventualium S. Franciſci, juxta dictam noſtram ordinationem, Magiſter Generalis Fratrum Conventualium in perpetuum appellari debeat. Quodque in ſingulis Provinciis deputsti ad regimen Fratrum Conventualium de cætero Magiſtri Provinciales Fratrum Conventualium, cum ſuis ſigillis vocari, & à Miniſtris Provincialibus Regularis Obſervantiæ in Provinciis juxta morem dicti Ordinis reſpectivè pro tempore exiſtentibus, confirmationem electionum de eis pro tempore factarum, eo modo, quo Vicarii Provinciales olim de familia nuncupati, à tunc Miniſtris Provinciarum Fratrum Conventualium petere tenebantur, etiam petere teneantur. Quodque tam Generalis, quàm Provinciales Miniſtri præfati, tam ante, quàm poſt Generalis & aliorum Magiſtrorum confirmationem hujuſmodi, tam de Generali & Provincialibus, quàm aliis Fratribus Conventualibus hujuſmodi, & eorum, ac aliorum Tertii Ordinis Fratrum & Sororum nuncupatorum, qui eatenus ſub Miniſtro Generali Conventualium fuerant regimine, nullatenus ſe intromittere, aut eos per ſe, vel ſuos Commiſſarios viſitare, ſeu corrigere poſſint, nec aliquam juriſdictionem, ſeu ſuperioritatem in ipſos exercere valeant, præterquam, cum ipſum Miniſtrum Generalem pro tempore exiſtentem ad ipſorum Fratrum Conventualium domos, & loca declinare contigerit; quo caſu, ipſe Miniſter eoſdem Fratres Conventuales paternè viſitare, ipſique Fratres Conventuales eundem Miniſtrum Generalem, tamquam totius prædicti Ordinis Superiorem, omni cum charitate ac dilectione recipere debeant, dummodo idem Miniſter Generalis nunc & pro tempore exiſtens nihil judicialiter contra ipſos Fratres Conventuales, ac Domos eorum, ac loca & etiam Monaſteria Monialium, ſub eorum cura degentium exerceat, niſi eo modo, quo Miniſter Generalis tunc Fratrum Conventualium ſuper Fratres de familiâ, & eorum Domos & loca, & Monaſteria Monialium, tempore convocationis dicti Capituli Generaliſſimi exercebat, exercere poſſit.

Inſuper Generali, & Provincialibus Miniſtris pro tempore exiſtentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ præcipimus & mandamus, ne directè vel indirectè, etiam favore Dominorum temporalium, Civitatum, & Univerſitatum, Oppidorum, Terrarum, & Villarum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, etiam Prælatorum quorumcunque, ſeu Cardinalium, ſive alio quæſito colore, vel ingenio, malitioſè, quod Domus, & loca Fratrum Conventualium, ſeu Monaſteria Monialium curæ Magiſtri Generalis Conventualium hujuſmodi ſubjecta, quæ hactenus ſub dicto Miniſtro Generali Fratrum Conventualium fuerant, eis quoquomodo auferantur, procurare præſumant: & nihilominus quicquid in contrarium attentatum fuerit, ſit eoipſo irritum, & inane: Domus autem, & loca, ac Monaſteria Monialium Magiſtro Generali Fratrum Conventualium ea ſubjecta eſſe intelligi volumus, quæ Apoſtolicâ, vel alia auctoritate Miniſtro Generali, ante celebrationem dicti Capituli generaliſſimi, proximè in dicta Domo Aracœli celebrati ſubjecta erant, & in quorum poſſeſſione ipſe tunc Miniſter Generalis Conventualium exiſtebat, præſertim Domus, ſeu Conventus Aſſiſii, & Sancti Salvatoris de Urbe, aliæque quamplures Domus, ac multa Monaſteria Monialium, quæ eidem Miniſtro Generali, tunc immediatè ſubjecta erant, quæ omnia ex nunc Magiſtro Generali Conventualium immediatè ſubjecta perpetuò ſint, & eſſe cenſeantur, exceptis Domibus & locis, ac Monaſteriis Monialium dictorum Fratrum Reformatorum, per priores literas noſtras hujuſmodi nuper unitis, quæ Generali, & Provincialibus Miniſtris in ſuis Provinciis reſpectivè in omnibus ſubjecta remanere volumus.

Statuimus etiam, quod, ſi Fratres Conventuales quandoque ſe reformare voluerint, reformatio ipſa juxta privilegia Apoſtolica eis conceſſa, per ſuos Generalem, & Provinciales Magiſtros duntaxat fieri debeat, niſi, ubi Fratres alicujus Domûs, ſeu Conventûs ad veram & regularem Obſervantiam, & omnimodam Generalis & Provincialium Miniſtrorum obedientiam venire, & Generali ac aliis Miniſtris præfatis ſe ſubjicere vellent: Quo caſu, ſi Fratres illarum Domorum, in quibus à decem, uſque ad viginti tres, in aliis verò Domibus, in quibus numerus à viginti uſque ad quemcumque numerum Fratrum eorundem Conventualium fuerit, duæ tantùm partes ſubjectioni, & ſubmiſſioni hujuſmodi conſenſerint, tunc Generalis, & alii Provinciales Miniſtri pro tempore exiſtentes, Domos Fratrum ſubjectioni & ſubmiſſioni hujuſmodi, modo præmiſſo conſentientium, quacumque contradictione non obſtante, Domos Fratrum Conventualium, & illarum Fratres hujuſmodi liberè & licitè recipere poſſint: Domos verò Fratrum Conventualium, in quibus minor numerus, quàm denarius fuerit, etiam de omnium Fratrum Conventualium earundem Domorum conſenſu, nullatenus recipere valeant, ſed illæ Generalis, & aliorum Provincialium Ma-

gi-

Digitized by Google

giſtrorum reformationi liberè dimittantur: ſingulis verò Fratribus Conventualibus ad Generalem, & Provinciales Miniſtros tranſire volentibus, ab eorum Superiore priùs petitâ, licèt non obtentâ, licentiâ, liberam tranſeundi licentiam & facultatem concedimus.

Præterea volumus, quod illi ex Fratribus Conventualibus, qui de cætero vitam reformatam ſub Generalis, ſeu Provincialium Magiſtrorum cura ducere voluerint, ſub eorum regimine permanere poſſint, dummodo aliquo ſigno notabili diſtinctivo diſtinguantur, & diſcernantur ab illis, qui vitam regularem ſub Generali, ſeu Provincialibus Miniſtris ducunt, prout Generalis Miniſter, & Magiſter inter ſe convenerint; bonis præfatarum Domorum reformandarum immobilibus, & omnibus, quorum Fratres Reformati non ſunt, nec capaces eſſe volunt, Generali & aliis Provincialibus Magiſtris ad eorum liberam diſpoſitionem liberè remanentibus.

Et ne inter Reformatos, & Conventuales Fratres præfatos ſuper præcedentia diſſenſio, & contentio oriri poſſit, volumus, & etiam ſtatuimus, quod inter eos talis ordo ſervetur: videlicet, quod in proceſſionibus, & funeralibus, ac exequiis, necnon in omnibus aliis actibus publicis, Fratres Conventuales Fratribus Regularis Obſervantiæ locum digniorem relinquere teneantur: Si aliqui tamen graduati, ſeu antiqui Patres, aut Guardiani Domorum Conventualium remanere vellent cum quibuſdam Fratribus antiquioribus ſub Generali & Provincialibus Miniſtris viventibus, tunc, & in hoc caſu, ut evitetur diſſenſio hujuſmodi, & perfecta unio conſervetur, ſimul incedere, ipſique Conventuales ſemper eorum Crucem & vexillum, per eos deferri ſolitum, deferre liberè & licitè valeant.

Poſtremo, omnia & ſingula privilegia & indulta dicto Ordini, tam per Nos, quàm alios quoſcumque Romanos Pontifices hactenus conceſſa, eiſdem Fratribus Regularis Obſervantiæ, ac Conventualibus, in quantum præmiſſis non ſint contraria, authoritate, & tenore præſentium invicem perpetuò communicamus, & ſuffragari volumus, eaque omnia, etiam illis de novo concedimus. Quocirca Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis Perſonis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Miniſtrorum, & Magiſtrorum, aut alicujus ipſorum ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præſentibus literis, ac omnibus, & ſingulis in eis contentis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper inter ſe, ac etiam per quoſcumque alios, quavis authoritate & poteſtate fungentes, quomodolibet indebitè moleſtari aut perturbari: Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: non obſtantibus, quibuſcumque literis Apoſtolicis & indultis, etiam Sacri Concilii Conſtantienſis, dictæ Religionis Fratribus, Familiis, Congregationibus, denominationibus, aut alicui eorum, ſive illarum authoribus, & inſtitutoribus, ſub quibuſvis verborum formis, ſolemnitatibus & clauſulis fortioribus & inſolitis conceſſis, ſeu forſan in futurum concedendis: quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet: illorum omnium tenores præſentibus, pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque: Aut ſi Miniſtris & Magiſtris aut Fratribus præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem; Cæterùm, quia difficile foret, præſentes literas, ad quælibet loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus & authoritate Apoſtolicâ decernimus, quod tranſumptis &c. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, pridie idus Junii Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Wadding. tom. 16. Annal. fol. 51. ex autographo. Rodriq. in collect. fol.

Audien-

Audientes in Eccleſiis Mendicantium Miſſas præcepto ſatisfacere declarat.

LEO PP. X.

Univerſis eſt ſingulis, præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelleximus quoſdam in dubium revocare, & perinde timoratis conſcientiis ſcrupulum injicere, ſi Chriſtifideles, qui Dominicis & feſtivis diebus, extra Eccleſias ſuas Parochiales, Miſſas audiunt in Eccleſiis Ordinum Fratrum Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda ſatiſfaciant. Nos enim ambiguitatem hujuſmodi penitus tollere volentes, ut cum ſinceriori conſcientia fideles quique Creatori ſuo ſerviant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſtifideles utriuſque ſexûs, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis & feſtis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis pœnamque propterea incurrere in contrarium facientes. Non obſtantibus quibuſcunque &c.

Et quia difficile foret præſentes litteras noſtras originaliter ad loca omnia, ubi &c. earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea fides, ubi opus fuerit, detur, quæ originalibus ipſis daretur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Novembris MDXVII. Pontificatûs noſtri Anno V.

Bullarium Romanum tom. 3. p. 3. fol. 462. Wadding. tom. 16. Annal. fol. 492.

Exemptionem FF. Minorum ab interdicto, jam aliàs ad feſta S. P. Franciſci, S. Antonii, S. Claræ, & octavas, necnon SS. Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, & quinque BB. Martyrum conceſſam, ad Feſtum S. Eliſabeth, Hungariæ Reginam, & ejus octavam, extendit.

LEO PAPA X.

Univerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, ac Sanctæ Claræ, & Tertiæ Regulæ ſub cura eorundem Fratrum degentibus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm aliàs nonnulli Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri vobis, ut feſta Sanctorum Franciſci, & Antonii, ac S. Claræ in Eccleſiis, & Domibus veſtris, etiam tempore interdicti Eccleſiaſtici, Apoſtolicâ authoritate appoſiti, publicè (excommunicatis, & interdictis excluſis) Miſſas, & alia Divina Officia celebrare & celebrari facere poſſitis, indulſerint, ac per fel. record. Alexandrum VI., & Julium II. etiam Prædeceſſores noſtros indultum hujuſmodi ad Sanctorum Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, & quinque Martyrum feſta extenſum fuerit, deſiderstis indultum ipſum etiam ad feſtum Sanctæ Eliſabeth, olim Hungariæ Reginæ, quæ poſt Tertii Ordinis dicti Seraphici Franciſci inſtitutionem, illius jugo inter primos humiliter ſe ſubmiſit, etiam extendi, ut tempore interdicti hujuſmodi feſtum ejus Sanctæ celebrari poſſit.

Quare pro parte veſtrâ Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi pio veſtro deſiderio annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui ad dictum Ordinem ſingularem gerimus devotionem, veſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum adhærentes, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ut in die iſtius glorioſæ Sanctæ Eliſabeth, olim Reginæ Hungariæ, & per ejus octavam, ſi tunc interdictum hujuſmodi appoſitum fuerit, in veſtris Domibus, quemadmodum in diebus Sanctorum Franciſci, Claræ, & Antonii &c., & per octavas poteſtis, Miſſas & alia Divina Officia (excommunicatis, & interdictis excluſis) celebrare ſeu celebrari facere, liberè & licitè poſſitis, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinatio-

nationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Maii MDXVIII. Pontificatûs noſtri Anno ſexto.

Rodriq. collect. fol. 313. Wadding. tom. 16. Annal. fol. 499. cum data 7. Auguſti.

VIVÆ VOCIS ORACULO.

Laurentio, Cardinali Sanctorum Quatuor Coronatorum facta.

A Summo Pontifice Leone FF. Minoribus quinque *Pater noſter* cum tot *Ave Maria*, ac in fine cujuſlibet *Gloria Patri* quacunque diei vel noctis hora, & quocunque loco recitantibus, ac pro Papa aliud *Pater noſter* cum *Ave Maria* & *Gloria Patri* addentibus, indulgentiæ Stationum Urbis, Portiunculæ, Jeruſalem, & S. Jacobi Compoſtellæ conceduntur: ad eoſdem Fratres infirmos, coronam Chriſti ac Matris ſuæ recitare non valentes, & in hujus vicem pſalmum vel hymnum Virginis, aut Domini noſtri recitantes., indulgentiæ, aliàs conceſſæ Fratribus dictam coronam dicentibus, extenduntur: iiſdem Fratribus occupatis, Divinum Officium ante—vel poſtponere, indulgetur: ac Sæcularibus Perſonis in S. P. Franciſci Habitu mori volentibus, pro indulgentiarum lucro, Habitum prædictum ſuper—vel penes ſe retinere, ac cum eo poſtmodum ſepeliri ſufficere, declaratur.

Laurentius, miſeratione Divina Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis, univerſis & ſingulis venerabilibus Patribus, Miniſtris Generali, & Provincialibus, & aliis devotis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, necnon Monialibus Sanctæ Claræ, ac Tertiariis præſentes litteras inſpecturis, lecturis & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

RAtio exigit, & æquitas perſuadet veritati teſtimonium perhibere; hinc eſt, quod nos Univerſitati veſtræ tenore præſentium notum facimus & atteſtamur, quod nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Leo Divina providentia Papa X. nobis inſtantibus, & procurantibus, infraſcriptas gratias & indulta, quæ ſequuntur, vobis modo, quo ſequitur, vivæ vocis oraculo nobis facto, conceſſit. Beatiſſime Pater, aliàs S. V. conceſſit omnibus Fratribus, ac Monialibus Sanctæ Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noſter cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, & pro Sanctitate Veſtra, unum Pater cum Ave Maria ſimiliter cum Gloria Patri, lucrentur Stationes Urbis; à nonnullis dubitatur, utrum intelligatur de aliis indulgentiis &c. Dignetur declarare, de mente ſua fuiſſe, quod lucrentur Stationes, indulgentias, & remiſſiones tam Urbis, quàm etiam Portiunculæ, ſive Hieruſalem, & Sancti Jacobi in Compoſtella. Et quod quacunque hora diei vel noctis, & quocunque loco dicant, ſcilicet, Choro, Eccleſia, Clauſtro, Oratorio, ac Cella, lucrentur illas. Item S. V. conceſſit certas indulgentias dicentibus Coronam Chriſti Domini noſtri, & Matris ſuæ: infirmi tamen & ſenes in decrepita ætate conſtituti ſive conſtitutæ, non valent illas lucrari, quia non ſemper tot poſſunt dicere. Dignetur eis concedere, quod tales dicendo unum Pſalmum vel Hymnum Virginis, vel Domini noſtri lucrentur illas, prout in dicta conceſſione continetur.

Et quoniam P. Sanct. Scrupuloſi ante—vel poſtponendo Officium Divinum ſemper timent, dignetur S. V. præfatis concedere, quod, quando habent aliquas occupationes, poſſint ſine conſcientiæ ſcrupulo, anteponere ſive poſtponere Officium, puta Matutinum dicendo ante mediam noctem, quacunque hora voluerint, & alias horas de mane uſque ad veſperas excluſivè, etiamſi occupatio non ſit multum acerrima, ſed ſatis eſt, quod cogitent tunc devotiùs ac quietiùs dicere. Et quoniam S. V. & alii Prædeceſſores conceſſerunt certas indulgentias ſæcularibus morientibus in Habitu Sancti Franciſci, & quia vix poteſt fieri, quod quis in Habitu moriatur, tum propter infirmitatis gravedinem, tum etiam, quia tractando eum, ſic mors acceleratur: Dignetur declarare, ſufficere Habitum prædictum petere, & ſuper ſe uſque ad mortem habere, ac in eo ſepeliri, etiamſi ante mortem

tem

tem non induatur. Et quia omnia præinſerta modo præfato, ut præfertur, fuerunt petita à præfato Sanctiſſimo Domino Noſtro Leone Papa X., nobis fuerunt conceſſa. Ideo in omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras patentes litteras exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrique majoris ſigilli juſſimus & feclmus appenſione communiri.

Datum & actum Romæ in Sacro Palatio Apoſtolico in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno à Nativitate Domini 1518. indictione VI. die verò prima menſis Septembris, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Leonis Divina Providentia Papæ X. Anno Sexto.

Rodriquez in coll. fol. 334. *Wadding. tom.* 16. *Annal. fol.* 655.

NOTA.

INter quatuor gratias, quas præmiſſum Documentum complectitur, ob contradictiones, quibus ſubeſt, notatu digniſſima eſt prima, & illa, quâ Leo X. FF Minoribus, Monialibus, ac Tertiariis ſexies Pater noſter, & Ave Maria recitantibus, non ſolùm Indulgentias Stationum Eccleſiarum Romæ, ſed etiam alias Domui Portiunculæ, locis ſacris Hieroſolymitanis, & Sanctuario S. Jacobi Compoſtellæ conceſſas impertitus eſt. Vocant haſce indulgentias ex abuſu Indulgentias *Stationis & quidem Sacramentalis*; neutrum tamen horum nominum ei competit: Non *Stationis*, cum non ſint Indulgentiæ, populo in præſcripta Eccleſia ſtatutis diebus ad orationem congregato conceſſæ, eoipſo, quod cuilibet Religioſo & Moniali, non ſolùm in Eccleſia, & in choro, clauſtro, Oratorio, cella, ac quocunque alio loco, ſed etiam quâcunque diei vel noctis horâ eas lucrari concedatur: nec *Sacramentalis*, cum preces non coram Auguſtiſſimo Sacramento perſolvi neceſſum, ſed tantùm eas in locis prædictis perſolvere præſcriptum ſit. Diſcrepant & inſuper ab Indulgentiis Stationum Miſſalis, cum hæ ad certos dies & ferias ſint reſtrictæ, nec Indulgentias Portiunculæ, Hieruſalem & Compoſtellæ contineant, & Indulgentiæ Leonis econtra quâcunque diei vel noctis horâ obtineri queant, & communicationem harum indulgentiarum includant.

Porro indulgentias Leonis in generali revocatione ſub Paulo V. per Conſtitutionem *Romanus Pontifex* comprehenſas non eſſe cum pluribus, qui poſt hunc Pontificem ſcripſerunt, authoribus, contendit Lantuſca ex ratiocinio *in Theat. Regul.* verb. *Indulgentia* ſic deducto: *quia talis conceſſio non eſt novum indultum Stationum factum à Leone X. & Paulo III.: hoc ſiquidem non eſt indulgentiæ conceſſio, ſed privilegium ad indulgentiam comparandam. Quia in Indulgentiis Stationum duo ſunt, unum Indulgentia; & hæc nullo modo eſt à Paulo V. revocata, poſſuntque eam tam Sæculares quàm Regulares comparare. Aliud eſt modus comparandi Indulgentiam, id eſt viſitare Eccleſias, quibus conceſſa eſt Indulgentia Stationum. Recitationem itaque injungere ſexies Pater noſter &c. directè & principaliter non eſt Indulgentiæ conceſſio, ſed privilegium, & quaſi diſpenſatio, quod Fratribus Minoribus opus non ſit ea pia loca viſitare, ut præfatam Indulgentiam lucrentur, ſed alia loca pro eis lucrandis ſubſtitui: ideoque à Paulo V. revocata non eſt.*

Portellus, Hieronymus Rodriquez, & cum illis Quintanadvenas *in appendice tract.* 4. *dub.* 2. *num.* 60., necnon Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. Regul. tract.* 2. *de privil. diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 22. *pag.* 82. revocatas quidem ſupponunt, at ab ipſo Paulo V. & Urbano VIII. renovatas fuiſſe aſſerunt: additque ultimus ibi: *nec ego inveni aliud* (indultum) *amplius & facilius*.

Pater Theodorus à Spiritu S. Ord. Carmel. ex—Calceatorum econtra in ſuo tractatu Dogmatico Morali noviſſimè edito, eas & revocatas, & non renovatas, poſitivè fol. 111. ita aſſerit: *Dicendum eſt, Indulgentiam, quam vocant Stationis Sanctiſſimi Sacramenti, olim à Sede Apoſtolica conceſſam, nunc in ſuo robore non permanere.*

Stante hac opinionum contrarietate, prædictorum Auctorum rationes exactiùs ponderari convenit. Porro illam Lantuſcæ labilem autumant: Primò, dum dat pro reſponſo, quod eſt in quæſtione: quæritur enim hic, an Indulgentiæ prædictæ per Paulum V. ſint revocatæ, vel non? & ille eas abſque alio non revocatas pronuntiat, dum haſce Stationum Indulgentias Eccleſiis datas, & duntaxat loco Eccleſiarum, pro Fratrum commodo oratoria, cellas &c. ſubſtituta eſſe ſupponit, nullo prorſus adducto Eccleſiarum, quibus indultum prius conceſſum eſt, documento. Secundò, dum inter Indulgentiam & modum Lantuſca diſtinguit, & indulgentias ut indulgentias non revocatas, & modum dumtaxat diſpenſatum eſſe ait, uno ictu totam Conſtitutionem Pauli V. revocatoriam dejicit, anſamque præbet concludendi nullam prorſus indulgentiam Regularibus eſſe revocatam, & modum ſolùm iis eſſe diſpenſatum; anſam, inquam, præbere videtur contra communem concludendi, nec indulgentias Domûs & Eccleſiæ S. Mariæ de Populo conceſſas, & ab eodem Papa Leone X. omnibus Regularibus per Conſtitutionem *Dudum per Nos accepta* communicatas, eſſe revocatas, ac modum eas non in Eccleſia S. Mariæ prædictæ, ſed in ſuis Eccleſiis lucrandi eſſe diſpenſatum. Quod, quantùm à ſenſu communi degeneret, & quàm exoſam contradicendi materiam præbeat, quilibet videt. Dumque tertiò aſſerit, indulgentiam prætenſam nullo modo eſſe à Paulo V. revocatam, dum tamen univerſalitas verborum, quâ Paulus V. in ſua Conſtitutione utitur, contrarium innuit = *Cæterùm omnes indulgentias quibuſcunque Ordinibus, & Inſtitutis Regularibus etiam Mendicantibus, & quibuslibet Perſonis Regularibus tam vigore privilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, aut aliàs quovis modo per quoſcunque Romanos Ponti-*

Digitized by Google

fices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Apoſtolicam Sedem hactenus conceſſas, confirmatas, approbatas & innovatas, auctoritate & tenore prædictis perpetuò revocamus, caſſamus, & annullamus, & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum litterarum præſcriptum reducimus, & moderamur.

Auctores ſecundæ ſententiæ nituntur novo vivæ vocis oraculo ab ipſo Paulo V. poſt generalem revocationem edito, & ab Urbano VIII. confirmato, quo & RR. Patres Societatis Jeſu forſan ſe fundarunt, dum compendio privilegiorum, illorum operâ anno 1625. Antuerpiæ impreſſo, *verb. Indulgentia* §. 5. hæc inſeruerunt = *Quicunque noſtrûm quinquies Pater noſter & Ave Maria pro intentione &c. dixerit, quâcunque hora diei, vel noctis, & quocunque loco &c. conſequetur Indulgentias tam Urbis, quàm Hieruſalem, & S. Jacobi in Campoſtella, ac eam, quam conſequuntur viſitantes ſecunda die Auguſti Eccleſiam S. Mariæ de Portiuncula*. Allidit hoc oraculum ad varias difficultates, & primò quidem, quod hoc hactenus viſum non ſit, nec ſciatur, quo tempore & qua occaſione illud emanaverit: Antonius à Spiritu Sancto quidem, uti Theodorus *loc. cit. fol.* 110. ait, allegat Quintadvenam, iſte Hieronymum Rodriquez idipſum ex gravibus Auctoribus referentem &c. Quinam autem ſint hi graves Auctores, de hoc oraculo plenam fidem facientes, poſt diligens examen à ſe repertos non eſſe, idem Theodorus ibidem addit, ita ut meritò de eo edito dubitetur, nec etiam facilè capi poſſit, quod Paulus V. aliàs in Indulgentiarum largitione tenax & parcus, poſt generalem revocationem, tam effusâ manu Indulgentias, & quidem contra ſtylum ab eo ſervatum, quo plenarias Indulgentias fors nunquam niſi mediâ confeſſione & Communione acquirendas largitus eſt, in caſu noſtro conceſſerit. Cumque hoc oraculum ſit gratia Principis, & conſequenter privilegium, illud nudè alleganti credi non debere, niſi illud in forma authentica exhibeat, in jure ſancitum ſit, hæc ſecunda ſententia, uſque dum Canonicum allegati Oraculi Documentum in apricum prodeat, non parum nutat.

Tertia & abſolutè negativa ſententia eſt illa, ex P. Theodori nomine veneranda, tum, quod digniſſimus ſit Sac. Congregationis materias Indulgentiarum diſcutientis Conſultor, tum, quod de his expreſsè, ſeu ex profeſſo ſcripſerit, librumque Romanæ cenſuræ ſubjectum, Romano typo impreſſum vulgaverit, ab ipſo Summo Pontifice promotione P. Theodori ad Conſultoratum Sac. Congregationis Rituum præmiatum. Negativo tamen argumento dum duntaxat incedit, non adeo convincit.

Triplici huic opinioni jungo & mea ſenſa, ſegregando certa ab incertis. Et quidem primò certum eſt, quod Decretum particulare, quo hæ Leoninæ Indulgentiæ revocatæ declarentur, non reperiatur. Certum eſt ſecundò, quod Sacræ Congregationi Indulgentiarum non ſemel dubium, quid poſt Conſtitutionem Pauli V. de hiſce Indulgentiis Leoninis ſentiri deberet, fuerit expoſitum, à memetipſo etiam & viſum, & lectum, quin tamen hæc ad id reſponſum dederit. Ex quo malè non præſumitur, eam eſſe Sac. Congregationis mentem, ut ſolitum ſervetur, prout apertè circa Indulgentias Portiunculæ eodem die replicandas reſcripſit.

Cumque P. Theodorus (utut invitus) plurimùm ponderis ex doctrinæ ſuæ famâ, contrariæ opinioni adjiciat, ejuſdem libro & judicio alium hoc anno Jubilæo Romæ pariter impreſſum, à duobus Sacræ Congregationis Indulgentiarum Conſultoribus, videlicet Domno Romano Juſtiniani, Monachorum Silveſtrinorum Abbate, ac Fr. Iſidoro Mancini, Ordinis Minimorum ex Provinciale, S. Rom. & Univerſ. Inquiſitionis Qualificatore approbatum, ac cum titulo *Dilucidatio privilegiorum* à R. P. Didaco ab Aragonia Ord. Min. Strict. Obſervantiæ, ex Provinciale &c. editum, in quo *tract.* 7. *cap.* 8. *fol.* 296. *num.* 7. hæc leguntur = *Per præfatam (Paulinam) Indulgentiarum revocationem minimè cenſetur revocata Indulgentia illa, ſeu Indulgentiarum cumulus, quem Leo X. anno ſexto ſui Pontificatûs, vivæ vocis oraculo, manu tamen Laurentii, Cardinalis Paccy Papæ Officialis & Commenſalis die* 1. *Septembris* 1518. *formato, omnibus Fratribus Ord. S. P. Franciſci Obſervantibus & Reformatis necnon Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis conceſſit .... & ratio eſt: Primò, quia hujuſmodi Indulgentiæ non ſunt Perſonales, ſed Locales, quas revera dictus Pontifex non revocavit: Secundò, quia hæc non fuit conceſſio Indulgentiarum, ſed privilegium conceſſum ad effectum lucrandi Indulgentias dictis ſacris locis jam conceſſas &c.* Ubi & amplè ea, quæ contra hanc gratiam, ceu vivæ vocis oraculo duntaxat innixam objici conſueſcunt, refutat. Ex quo cum ſententia prima Leoninas Indulgentias non revocatas abſolutè aſſerat, ſecunda quidem revocatas, ſed renovatas contendat, & tertiæ in auctoritate fundata, auctoritas vel par vel major obviet, cuilibet Minoritæ ut fidem ſuæ devotionis uſque ad certum Sacræ Sedis oraculum retineat, ſuadendum reor.

Sine contradictione autem firma perſiſtit gratia pro Tertiariis in propriis ædibus habitantibus, cum enim Regulares non ſint, ſub odioſa revocatione eos non comprehendi, communis docet ſententia, fundata in Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum ita emanato = *Dubio per virum Religioſum Sac. Congregationi propoſito, & in ea examinato, utrum in generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi* Romanus Pontifex *Pauli V. habetur data* 23. *Maji* 1606. *comprehendantur Perſonæ, quæ ſubſtantialia Religionis vota non emittunt, intra—vel extra clauſtra degentes: eadem Sacra Congregatio reſpondit, eas minimè comprehendi. A. Card. Homodeus &c.* quod Sac. Congregationis Decretum à Ven. Servo Dei Innocentio XI. Apoſtolico Brevi, ad inſtantias Fr. Franciſci Diaz fuit confirmatum.

Per-

Perſonas, ad quarum inſtantias Eccleſiæ Domorum Ordinis Minoritani Interdicto ſupponuntur, Fratribus de victu, aliiſque rebus neceſſariis providere debere ſancit.

Dilectis Filiis, Generali, & univerſis & ſingulis Provincialibus Miniſtris & Fratribus Ordinis Minorum Fratrum de Obſervantia

LEO PAPA X.

Dilectis Filiis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſancta Regula veſtra ſit Dñi noſtri Jeſu Chriſti ſacroſanctum Evangelium in humilitate & paupertate obſervare, dignum, quin potiùs debitum reputamus, veſtris neceſſitatibus, quantùm cum Deo poſſumus, ſubvenire, præſertim, dum id Regum Catholicorum expoſcit devotio. Nuper ſiquidem relatione chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli Romanorum ac Hiſpaniarum Regis Catholici intelleximus, ſæpe numero contingere nonnullas Eccleſiaſticas Perſonas in Romana Curia, vel extra eam litigantes, ac definitivas ſententias, & executoriales litteras deſuper obtinentes, aut alias gratias proſequentes, Eccleſias Domorum veſtri Ordinis Eccleſiaſtico ſupponi facere interdicto, etiamſi Civitas ſeu Oppidum, in quo Domus ipſa conſiſtit, minimè interdicatur; ex quo, Vos, qui ſolùm ex Fidelium eleemoſynis victum quæritis, non parum ſuſcipitis detrimentum, cum Fideles ipſi ad dictas Eccleſias, pro Divinis audiendis officiis accedere non valentes, ab eorum conſuetis devotionibus, & vobis fieri ſolitis eleemoſynis retrahantur. Quare præfatus Carolus Rex, qui ob exemplarem veſtrum vivendi modum, ad Ordinem prædictum, ſingularem gerit devotionis affectum, Nobis ſupplicari fecit, ut neceſſitati veſtræ providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi honeſtis ſupplicationibus inclinati, Vobis, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Eccleſiæ Domorum veſtri Ordinis ad cujuſcunque Perſonæ, etiam Cardinalatûs honore, vel aliâ fulgentis dignitate inſtantiam, per Auditores cauſarum Sacri Palatii, ſeu eorum loca=tenentes, aut quoſcunque alios Judices, ſeu ordinaria, ac etiam, niſi tota Civitas vel Oppidum, ubi Domus hujuſmodi conſiſtit, Apoſtolicis auctoritatibus, aut ex ſpeciali commiſſione, manu propria Pontificis ſignatâ, & in publica ſignatura poſita, Eccleſiaſtico ſupponatur interdicto, interdici non poſſint, ac quod in eis degentes Fratres ad ipſius interdicti obſervationem minimè teneantur: nec propterea irregularitatis maculam aut aliquas ſententias, cenſuras & pœnas incurrere debeant; quodque vobis (dummodo cauſam non dederitis interdicto hujuſmodi) ut januis apertis, & campanis pulſatis, Miſſas & alia Divina officia celebrare valeatis, niſi Perſona, ad cujus inſtantiam interdictum fuerit appoſitum, in eiſdem Domibus degentibus Fratribus de alimentis & aliis victui neceſſariis rebus competenter provideri fecerit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ac præſentes per quaſcunque alias concedendas litteras Apoſtolicas nullatenus ſuſpenſas, revocatas, ſeu alteratas cenſeri. Ac, quia difficile foret, præſentes ad unaquæque loca deſerri poſſe, quod eorum tranſumptis, ſigillo alicujus Perſonæ &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcat. die XXIII. Julii MDXIX. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

Rodriquez in Collect. privileg. fol. 314. Wadding. tom. 16. Annal. fol. 527. Confett. in coll. fol. 155.

Indulgentias Ordinibus Mendicantium, videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum B. V. Mariæ, ac Minimorum vel conjunctim, vel diviſim conceſſas confirmat: illarum inter dictos Ordines communicationem concedit: ac Fratres, Moniales &c. Indulgentias Eccleſiæ ſeu Domui B. V. Mariæ de Urbe ſeu de populo conceſſas in eorum Eccleſiis lucrari poſſe declarat, ſæcularibus ab hujuſmodi privilegii extenſione excluſis.

LEO PAPA X.

Ad perpetuam rei Memoriam.

DUdum per Nos accepto, quod Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, aliqui ad Minorum, alii verò ad Eremitarum S. Auguſtini, alii ad B. Mariæ de Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum Fratres & Domos, juxta ipſorum vota de-

vo-

votionis affectum gerentes, illorum ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona, tam ſpiritualia, quàm corporalia per diverſas ipſorum litteras reſpectivè conceſſerunt.

§. 1. Nos ad ſingulos Ordines prædictos, ſingulaſque ipſorum Ordinum Domos, ubi religioſè vivitur, indifferenter, abſque acceptione perſonarum, devotionis affectum æqua lance gerentes, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam ſpiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum Beatæ Mariæ, ac Minimorum Fratrum in Domibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, ac Eccleſias ipſas & Oratoria pro tempore viſitantibus, cujuſcunque ſtatûs, aut ſexûs exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon Domibus, & Præſidentibus, non ſolùm Generalibus, ſed & Provincialibus, Fratribuſque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Converſis, Oblatis, atque utriuſque ſexûs perſonis de Pœnitentia, ſeu Tertii Habitûs nuncupatis, à dictis Prædeceſſoribus, aut à Nobis, ipſiſque Succeſſoribus, aut aliàs auctoritatem habentibus, conjunctim vel diviſim, in genere vel in ſpecie conceſſa fuerunt, aut inpoſterum concedentur, illa omnia & ſingula, ac ſi nominatim exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes, ſingulis Ordinibus prædictis, illorumque ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, & Eccleſias & Oratoria viſitantibus, cujuſcumque ſtatûs aut ſexûs exiſterent, ſeu pro eorum manutentione & ornatu contribuentibus, necnon Domibus & Conventualibus Fratribus, & etiam Sororibus, vel Monialibus, Converſis quoque & Oblatis, atque utriuſque ſexûs perſonis de Pœnitentia nuncupatis, & aliis ſingulorum Ordinum Prædictorum motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia & liberalitate, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine communicamus: Illaque omnia, & ſingula inter dictorum Ordinum perſonas pariformiter communia eſſe, fuiſſe, & eſſe voluimus, prout in ſingulis prædictis litteris pleniùs continetur.

§. 2. Et deinde, ſicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum volentes ſapere pluſquam oportet, atque ad ipſorum nutum verba ipſa interpretantes, diverſis, tam ſæcularibus, quàm etiam aliis perſonis, publicè, & privatè ſuggeſſerunt, quòd ipſi ſæculares viſitando unam dictorumOrdinum domum, omnes & ſingulas indulgentias, & remiſſiones peccatorum, tam per dictos Prædeceſſores noſtros, quàm per nos Domui B. Mariæ de Populo de Urbe conceſſas, conſequi poterant perinde, ac ſi dictam Domum S. Mariæ de Populo viſitarent; quod præter ipſorum Prædeceſſorum & noſtram mentem fuiſſe, & eſſe dignoſcitur. Attendentes igitur, quòd Indulgentia intuitu Religionis conceſſa, ad ſæculares extendi non debet, volentes mentem dictorum Prædeceſſorum, & noſtram declarare, & omnem ambiguitatem, & occaſionem tollere, motu proprio & ex certa ſcientia, volumus, & auctoritate Apoſtolica declaramus, quòd univerſi, & ſinguli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales Tertii Ordinis utriuſque ſexûs, & familiares dumtaxat, omnibus & ſingulis indulgentiis & gratiis per eoſdem Prædeceſſores, & Nos domui B.M. de Populo de Urbe, ut præfertur conceſſis & concedendis, utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere poſſint quomodolibet in futurum, perinde ac ſi ipſi dictam Domum B. Mariæ de Populo his diebus, & Feſtivitatibus, quibus Indulgentiæ hujuſmodi conceſſæ fore dignoſcuntur, perſonaliter viſitarent; quodque vigore prædictarum litterarum ſæculares gratiis & Indulgentiis hujuſmodi uti & gaudere non poſſint.

§. 3. Inhibentes nihilominus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ eoipſo per contrafacientes incurrendâ, omnibus & ſingulis Fratribus cujuſcunque Ordinis exiſtentibus, & quibuslibet aliis perſonis, ne deinceps Indulgentias & gratias hujuſmodi S. Mariæ de Populo de Urbe, ad ſæculares extendi prædicent, aut publicè, vel privatè publicent. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die x. Decembris MDXIX. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

Bull. Rom. tom. 3. part. 3. fol. 469. Confeſſ. fol. 160. Wadding. tom. 16. Annal. fol. 530.

NOTA

N O T A

AD hanc Conſtitutionem exſcribo ea duntaxat, quæ P. Theodorus in ſuo *tract. de Indulgent. par. 2. fol.* 114. *col.* 2. Eidem ab ipſo ibi extenſæ ſubnectit, & hæc ſunt = *Quæ generalis à Leone X. facta communicatio, quanquam olim locum habuerit in omnibus Localibus, atque Perſonalibus Indulgentiis, tamen poſt Conſtitutionem Pauli V. vigorem obtinet in antiquis localibus, & in Indulgentiis, quæ Regularibus fuerant conceſſæ, ut ſolis Defunctis applicari poſſent . . . . . . & poſt Paulum V. in conceſſis & concedendis tam Localibus, quàm Perſonalibus.* Ex quo, cum Indulgentiæ S. Mariæ de Populo, quæ in hac Conſtitutione memorantur, ante Paulum V. fuerint Regularibus communicatæ, & ſint Perſonales, robore ſuo deſtitutas eſſe cum Lantuſca & aliis ritè deducitur.

A D R I A N U S VI.

Patriâ Ultrajectenſis in Belgio, ex Dertuſenſi in Hiſpania Epiſcopo Presbyter Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli, abſens 9. Januarii 1522. Vicarius Chriſti in terris proclamatus eſt, retento Adriani nomine, & confecto per mare itinere, Romæ 31. Auguſti ejuſdem anni coronatus. De Sede anni 1. menſium 8. dierum 6. ad æterna 14. Septemb. 1523. tranſiit. Sepulti priùs in Vaticano oſſa, fuerunt ad ædes Teutonicas S. Mariæ de Anima translata, ibique marmoreo ſepulchro ſignata.

C L E M E N S VII.

Ex Civitate Florentiæ, Julius Cardinalis Medices, Archiepiſcopus Florentinus, & S. Rom. Eccleſiæ Vice-Cancellarius ſupremum Eccleſiæ clavum 19. Novemb. 1523. ſuſcepit. Reformationem noſtri Capucini Ordinis approbavit, eandemque gratiis cumulavit diverſis. Poſt gubernium annorum 10. menſium pariter 10. & dierum 7. recepit Diadema Regni cæleſtis 25. Septembris 1534. defunctus, in Vaticana Baſilica ſepultus, & ad Sanctam Mariam ſupra Minervam poſtmodum translatus.

A N I M A D V E R S I O.

Jam quidem in primo Bullarii tomo Series quædam Summorum Pontificum à Clemente VII. cœpta reperitur; cum autem in illa Summi Pontifices, à quibus Religio noſtra Monumenta Apoſtolica non habuit, fuerint omiſſi, in hoc tomo repetitur, quatenus tota & integra Pontificum Series ab Ordinis Minoritani principio in uno eodemque tomo habeatur.

Privi-

Privilegia FF. Minorum, S. Claræ, & Tertio S. P. Franciſci Ordinibus conceſſa, præſertim de non ſolvenda Quarta funerali, confirmat: & iiſdem omnia privilegia tum Ordinum Mendicantium, tum non Mendicantium communicat.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUm uberes fructus, quos Ordo ſacer dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ in agro Militantis Eccleſiæ cum propagatione Religionis, ac defenſione & augmento Fidei Catholicæ, ac ſalute Chriſtifidelium produxit hactenus, & in dies producit, diligenter attendimus, dignum, quin potiùs debitum, reputamus, ut ejus ſtatum proſperum & tranquillum omni diligentia procuremus, illiuſque Religioſas Perſonas ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, motu proprio, & ex certa ſcientia tenore præſentium, omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, præſertim non ſolvendi Clericis ſæcularibus Quartam Funeralium, quoad Fratres in poſſeſſione non ſolvendi Quartam hujuſmodi exiſtentes, & omnia, & ſingula indulta, indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias dicto Minornm, & S. Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, Sororibus, & utriuſque ſexûs Perſonis, ac Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcunque, etiam per modum extenſionis, ſeu communicationis, & aliis quomodolibet per quoſcunque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam conceſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere, ipſoſque Fratres, Moniales, Sorores, Perſonas, Monaſteria, Domos, Eccleſias, & alia loca huiuſmodi, omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, & gratiis, quibuſvis Congregationibus dictorum Ordinum, aliorumque Ordinum Mendicantium, quomodolibet conceſſis, & concedendis, necnon etiam quibuſvis facultatibus, & gratiis, ſuæ profeſſioni Regularis Obſervantiæ non contrariis, aliis Ordinibus quibuſcunque non Mendicantibus, quomodolibet conceſſis, & concedendis, uti, frui, & gaudere poſſe atque debere in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent, & Conſtitutiones in ultimo Generali Capitulo dicti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in Provincia Burgen. Regni Caſtellæ factas, plenam roboris firmitatem obtinere, & ab omnibus, quandiu per aliud Capitulum Generale dicti Ordinis mutatæ non fuerint, inviolabiliter obſervari debere: necnon Regulam ipſam per S. Franciſcum pro Fratribus Ordinis Minorum inſtitutam, obſervabilem, meritoriam, fundatam ſuper Sacrum Evangelium exiſtere, & quoſcunque, cujuſcunque ſtatûs, dignitatis, aut conditionis, ſcribentes, aut aſſerentes, Regulam ipſam non meritoriam, vel inobſervabilem, ſeu Sacro Evangelio repugnantem, & in hoc eorum aſſertionem hujuſmodi non eſſe tenendam, nec admittendam, auctoritate, & tenore præmiſſis decernimus, ac volumus, & mandamus, ipſoſque Fratres ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis eximimus, & ſub noſtra, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus, ipſiſque Inquiſitoribus, ſub excommunicationis ſententia, & officiorum ſuorum privatione inhibemus, ne de dictis Fratribus, etiam ratione criminis hæreſis quomodolibet intromittere ſe præſumant; ſicque per quoſcunque, tam ordinaria, quàm delegata, & mixta auctoritate fungentes judices, & perſonas ubique judicari, cognoſci, atque decidi debere, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, enguoſcendi, & decidendi facultate: necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus. Et nihilominus Venerabili Fratri Archiepiſcopo Florentino, ac dilecto Filio Vicario noſtro in Urbe, nunc & pro tempore exiſtentibus committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra, faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque plenum effectum ſortiri, illiſque Monaſteria, Domos, Fratres, Moniales, & Sorores, ac Perſonas Minorum, & S. Claræ, ac Tertii Ordinis prædictorum, & alios quoſcunque, quos quomodolibet concernunt, pacificè frui, & gaudere, nec permittant quemquam, contra tenorem præſentium modo aliquo impediri, moleſtari, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per privationem quorumcunque beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, & inhabilitatis ad illa, & alia inpoſterum

rum

rem obtinenda, ac quaſcunque, de quibus eis videbitur, cenſuras & pœnas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali de duabus dietis editâ, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, necnon privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis per quoſcũque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & de certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, reſtrictivis, declarativis, atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium, necnon quarumcunque, etiam in forma Brevis, litterarum Apoſtolicarum, occaſione præmiſſorum quomodolibet confectarum, & quorumcunque in eis contentorum, tenore præſentium pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandos, pro individuo ſervatis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis, quibus in dictis conceſſum eſt, non obſtantibus quibuſcunque contrariis, aut, ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Maji MDXXV. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Waddingus ex authographo tom. 16. Annal. fol. 215. Bullar. Ordin. Prædic. tom. 7. fol. 127. ſub data XIII. Junii, Noſter à Sorbo in fine pag. 1. ubi & illam bene notandam advertit.

In toto Minoritano Ordine feſtum Nominis Jeſu celebrari mandat, Fidelibus decantationi Officii præſentibus, ac ipſis cantantibus Indulgentias, aliàs Officio Corporis Chriſti conceſſas largitur, ac tum ad feſtum, tum ad octavam extendit.

CLEMENS PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Dei Patris Unigeniti, qui de ſummis cœlorum ad infirma pro generis humani redemptione deſcendere, & humanam carnem aſſumere non abnuit, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, ejus Sanctiſſimum Nomen, in quo omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum flectitur, & preces noſtras effundi, ac nos ſalvos fieri oportet, & per quod ſæculum eſt converſum, ac Apoſtoli, aliique Sancti miraculis claruerunt, celebriter venerari cupientes, ſacræ Religioni deditos, qui ſingulis mundi vanitatibus ſpretis, ad ipſi Chriſto deſerviendum ſe dicârunt, & alios Chriſtifideles ad id quibuſdam allectativis muneribus, Indulgentiis videlicet & remiſſionibus invitamus, ut inde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Sanè, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Bonaventuræ Dubien. Ordinis Fratrum Minorum Profeſſoris, petitio continebat, quod licèt fel. rec. Sixtus Papa IV. Prædeceſſor noſter officium de ipſo Sacratiſſimo Nomine Jeſu, per quondam Bernardinum de Buſtis Fratrem dicti Ordinis, dum in humanis ageret, compoſitum, auctoritate Apoſtolica confirmaverit, & approbaverit, tamen illud, aut aliquod feſtum de ipſo benedicto Nomine in Eccleſia militante non celebratur. Quare pro parte ipſius Bonaventuræ, de Generalis ſui Ordinis licentia, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod ipſum Officium in toto Ordine Fratrum Minorum & Sororum S. Claræ celebra-

lebrari poſſit & debeat, decernere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Sanctiſſimi Nominis venerationem, prout par eſt, ſinceris deſideriis affectantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cætero in toto Ordine Fratrum Minorum & Sororum S. Claræ hujuſmodi, ſingulis annis die quartadecima menſis Januarii, feſtum & Officium prædictum duplex majus, & ſolemne de ipſo Sacratiſſimo Nomine celebrari debeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus & ordinamus. Et ut Chriſtifideles eò libentiùs ad dicti Officii celebrationem accedant, quò ex hoc ſe majora dona ſpiritualia adipiſci poſſe cognoverint, de ipſius D. N. J. Chriſti, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tam Officium ipſum celebrantes, quàm, qui illius recitationi & decantationi interfuerint, ac quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, pro felici ſtatu Romani Pontificis, & S. R. E. adverſus Mahometicam & Lutheranam perfidiam, ac univerſali Principum, & aliorum fidelium pace, devotè recitaverint, ſimiles indulgentias & peccatorum remiſſiones, quæ præfatis Chriſtifidelibus in Officio Corporis Chriſti, in ipſo feſto Corporis Chriſti, & per illius octavas in Eccleſiis, in quibus celebratur, intereſſentibus conceſſæ ſunt, concedimus & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus &c.: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula loca dicti Ordinis deferre, volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod præſentium tranſumptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ubi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris die XXV. Februarii MDXXX. Pontificatûs noſtri anno VII.

Wadding. ex regeſto Ultram. tom. 16. Annal. fol. 289, ubi litteras haſce perperam Clementi VIII. ab aliis adſcribi monet.

PAULUS III.

Antea Alexander Farneſius, Romanus, Sacri Cardinalium Collegii Decanus, & Epiſcopus Oſtienſis 12. Octobris 1534. Cathedram D. Petri occupavit, inque eaque ſedit per annos XV. dies 29. Creatis 71. Cardinalibus, fatis ceſſit 10. Novembr. 1549. in Baſilica Vaticana ſepultur.

Verbum Dei tum in Eccleſiis, tum ubique locorum prædicandi, &, tum poenitentes utriuſque ſexûs à quibuſvis exceſſibus, & delictis quantumque gravibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis (exceptis caſibus Bullæ Cœnæ,) ac vota &c. commutandi, RR. Patribus Societatis Jeſu facultatem largitur.

Dilectis Filiis, Moderno, & pro tempore exiſtenti Præpoſito, & Sociis Societatis Jeſu in alma Urbe noſtra canonicè inſtitutis

PAULUS PAPA III.

Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm inter cunctas ſolicitudines noſtras, quibus Nos premit Paſtorale officium, illa ſit præcipua, ut gregi Dominico Nobis supernâ diſpoſitione commiſſo, animarum cura non deſit, ne illum antiquus ſerpens humani generis inimicus indeſenſum, & impræparatum invadat. Attendentes igitur ad fructus uberes, quos in Domo Domini hactenus produxiſtis, & producere non deſinitis, veſtræ Religionis integritate, ſcientia, doctrina, moribus, & experientia plurimùm in Domino confidentes, vobis, quos aliàs Societatem veſtram Dei Jeſu approbando, confirmando, & benedicendo, atque perpetuæ firmitatis munimine roborando, ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepimus, & cuilibet veſtrûm, qui ad hoc onus idoneus repertus, & per veſtrum Societatis Præpoſitum pro tempore exiſtentem deputatus fuerit, in quibuſvis Eccleſiis, & locis, atque plateis communibus, ſeu publicis, & aliàs ubique locorum Clero, & populo verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad benè, beatèque vivendum, ita ut in vobis verbo pariter, & exemplo ædificentur

Digitized by Google

tur, in Domino hortandi, & monendi. Necnon illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcunque utriuſque ſexûs Chriſtifidelium ad vos undique accedentium confeſſionibus diligenter auditis, ipſos & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, atque eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, necnon vota quæcunque per eos pro tempore emiſſa (Ultramarinis, viſitantionis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Urbe, ac Sancti Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & Caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi &c. Miſſas ante diem, circa tamen diurnam lucem, & etiam infra horam poſt meridiem . . . celebrandi &c. plenam & liberam facultatem auctoritate Apoſtolicâ concedimus &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Julii MDXLV. Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.

Rodriquez in coll. fol. 370. Confert. in Coll. fol. 184. Noſter à Sorbo in fine pag. 14. cum annotatione præpoſita, quod ampliſſima hac conceſſione gaudeant Mendicantes omnes.

JULIUS III.

Priùs Joannes Maria de Monte, Aretinus in Hetruria, Archiepiſcopus Sipontinus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis S. Vitalis 8. Februarii 1550. Pontifex Eccleſiæ renunciatus eſt. Sedem ad annos 5. menſem 1. dies 16. protraxit, vitâ functus 23. Martii 1555. in Vaticano ſepultus.

MARCELLUS II.

Ex Gente Cervina, de Monte Politiano, Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Hieruſalem 9. Aprilis 1555. retento baptiſmali Marcelli nomine Summus Dominici Gregis Paſtor electus eſt, & ſubſequo 1. Maji debitum humanæ conditionis Vaticano tumulo exſolvit.

PAULUS IV.

Neapolitanus, Joannes Petrus Caraffa, Cardinalis Theatinus antea dictus 23. Maji 1555. viduam Petri Sedem conſcendit, & in ea per annos 4. menſes 4. dies 27. jura dictavit. Obiit 17. Auguſti 1559. ad Sanctam Mariam ſupra Minervam humatus.

Regulares quocunque prætextu à ſuæ profeſſionis Ordine turpiter recedentes, beneficiis, titulis, & quocunque Miniſterio Eccleſiaſtico privat, ad illos, vel illa inhabiles declarat, ac aliis Ordinum Superioribus (Carthuſianis, & Camaldulenſibus exceptis) eos recipere inhibet.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

POſtquam Divina bonitas Nos, licèt immeritos, ad ſummi Apoſtolatûs faſtigium aſſumere dignatus eſt, nunquam ceſſavimus, abuſus, qui in Eccleſia Dei, ſeu nimiâ Sedis Apoſtolicæ indulgentiâ, ſeu hominum malitia irrepſiſſe cernuntur, pro viribus tollere, & Eccleſiam ipſam in priſtinum candorem reſtituere, diverſas ad hoc ſaluberrimas Conſtitutiones edendo, & inviolabiliter obſervari mandando. Verùm, cum non omnia uno & eodem tempore excogitari, nedum perfici potuerint, quinimmò circa ea ſit Nobis ſingulis fermè diebus aliquid enitendum, abuſui Apoſtaſiæ, quæ per Regulares Perſonas ſub diverſis falſis prętextibus quotidie incurritur, ulteriùs parcendum non eſſe cenſuimus. Nam licèt diverſi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri per eorum Conſtitutiones complura contra Apoſtaſiam hujuſmodi ediderint ſtatuta & ordinationes, nondum tamen eſt plenum contra eam adinventum remedium, quinimo diverſi diverſorum etiam Mendicantium Ordinum Religioſi, propriæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ſub prætextu, alii videlicet, quòd Religioni & Ordini in genere ob varias confictas cauſas aſtricti non ſint, & ſuperinde ſententiam declaratoriam obtinuerint; alii, quod beneficium Eccleſiaſticum curatum aſſecuti ſint, alii, quod extra Regularia ſui Ordinis loca ſtandi, & alicui beneficio Eccleſiaſtico deſerviendi à ſuis Superioribus licentiam habeant, & alii diverſis aliis confictis coloribus, alii verò nullo ſuffulti prætextu, ſed temeritate propria contra proprium juramentum per eos in eorum profeſſione præſtitum, & regularia ſui Ordinis instituta extra clauſtra ſuorum regularium locorum degent, & in ſæculo aliqui Habitu ſui Ordinis retento, aliqui illo abjecto, in habitu Presbyterorum ſæcularium, & complures in babitu laicali temerè vagantur: & poſtquam Deo fidem fallere non ſunt veriti, cætera omnia, quantumvis graviſſima, & deteſtanda, levia & licita reputantes, alii Parochianos eorum curæ commiſſos falſam doctrinam docere, & pravis opinionibus, ac hæreſibus replere, alii uxores ducere, alii, ſive paupertate eos cogente, ſive diabolico inſtinctu, ſæcularibus & mechanicis negotiis ſe dare, alii ſeditionibus popularibus, & conjurationibus contra Principes & alios, ac quibuſvis aliis ſævis actibus ſe implicare, & cætera omnia nequiſſima facere præſumunt, in graviſſimam divinæ Majeſtatis offenſam, & Religionis opprobrium, ac animarum ſuarum perniciem, & aliorum Chriſtifidelinm ſcandalum. Quamobrem conſiderantes Apoſtatas bujuſmodi infinitis erroribus in eadem Dei Eccleſia cauſam præſtare: & propterea volentes contra Apoſtaſiam ipſam pleniùs providere, & eam, quantùm Nobis ex alto conceditur, de medio tollere: Motu proprio & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos, qui poſt profeſſionem per eos in ætate legitima conſtitutos in aliquo approbato, etiam militari Ordine, purè & liberè emiſſam, vel, ſi ante ætatem legitimam profeſſi fuerint, poſt illam per eos in ipſa ætate legitima conſtitutos purè & liberè ratam & gratam habitam, temeritate propria, ant quovis prætextu, vel cauſa, etiamſi ſe Religioni & Ordini non aſtrictos eſſe declarari obtinuerint, aut beneficinm Eccleſiaſticum etiam curatum poſſideant, vel alicui beneficio Eccleſiaſtico etiam curato alterius nomine deſerviant, extra clauſtra ſuorum regularium locorum degunt, aut inpoſterum degent, omnibus & ſingulis beneficiis Eccleſiaſticis cum cura & ſine cura, ſæcularibus, aut ſui, vel cujuſvis alterius Ordinis Regularibus per eos quomodolibet obtentis, cujuſeunque qualitatis fuerint, ac fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis eis quomodolibet reſervatis, ſeu aſſignatis, necnon Baccalaureatûs, Licentiaturæ, Doctoratûs, & Magiſterii, ac quibuſvis aliis in jure Canonico vel Civili, aut Theologia, ſeu Medicina vel Artibus, aut quavis alia facultate gradibus per eos etiam, antequam Religionem ingrederentur, obtentis, ſeu aſſecutis, necnon quocunque miniſterio Eccleſiaſtico, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium penitus & omnino privamus, ac ad illa & alia quæcunque & qualiacunque inpoſterum obtinenda, ſeu fructus, redditus, & proventus Eccleſiaſticos percipiendos, aut gradus aſſequendos perpetuò inhabilitamus, ab executione quorumcunque Eccleſiaſti-

co-

eorum, etiam ſacrorum, & præſertim Presbyteratûs Ordinum, necnon omni miniſterio Eccleſiaſtico prædicto perpetuò ſuſpenmus, privatoſque & inbabiles, ac ſuſpendiſos eſſe; necnon beneficia ipſa de jure, & de facto vacare, & de eis ſolùm per Nos & Sedem prædictam diſponi poſſe, ac reſervatinnes fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi extingui & expirare decernimus; ita ut de cætero ipſi Apoſtatæ quamdiu vixerint, aliqua beneficia Eccleſiaſtica obtinere, vel aliquod officium, ſeu miniſterium Eccleſiaſticum exequi, aut fructus, redditus, & proventus Eccleſiaſticos, ſeu ſuper illis penſiones annuas percipere, vel exigere, ſeu curam animarum exercere, aut Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ſeu Miſſam celebrare, aut prætextu Ordinum, in quibus conſtituti erunt, aliquid facere, vel exequi nequeant, & proviſiones, ſeu commendæ, & reſervationes fructuum, reddituum & proventuum Eccleſiaſticorum, necnon aſſignationes penſinnum annuarum eis etiam dicta auctoritate, etiam cum præſentium toto earum tennre inſerto plenaria derogatione pro tempore factæ, nullæ ſint & irritæ, ac viribus omnino careant, nec aliquod eis jus, aut titulum beneficia poſſidendi, aut fructus, redditus, & proventus, ſeu penſiones hujuſmodi exigeudi, vel percipiendi tribuant; ipſique ſic privati, inbabiles, & ſuſpenſi fructus ſuos non faciant, ſed ad illorum reſtitutionem teneantur. Et nihilominus ſi curam animarum exercere, vel Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ſeu Miſſam celebrare, aut prætextu Ordinum ſuorum prædictorum aliquid facere, aut aliquod officium, ſeu miniſterium Eccleſiaſticum exequi præſumpſerint, tanquam ſuſpenſi ab executione Ordinum ſuorum, & in illis contra ſuſpenſionem ipſam, & in contemptum Clavium miniſtrantes, condignis pœnis omnino puniantur. Et ut omnis vagandi occaſio Apoſtatis hujuſmodi tollatur, volumus & ſancimus, quod quævis tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæculares Perſonæ cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, aut alia majori Eccleſiaſtica dignitate, etiam Cardinalatûs honore, ſeu mundana, etiam Marchionali, Ducali, aut alia majori auctoritate ſeu excellentia præfulgeant, aliquem Apoſtatarum eorundem receptare, ſeu nutrire, vel illis, quominus ad eorum Monaſterium, ſeu Domum, vel alium locum Regularem redeant, favorem, aut auxilium, ſeu conſilium præſtare non præſumant. Et ſi eos receptaverint, ſeu nutriverint, vel illis, ut præſertur, faverint, aut auxilium ſeu conſilium præſtiterint, & per Ordinarium loci, ſub quo moram trabent, commoniti, à præmiſſis non deſtiterint, ſententiam excommunicationis eoipſo incurrant. Et ſi Patroni alicujus beneficii Eccleſiaſtici, ſive ſint laici, ſive Clerici aliquem ex eiſdem Apoſtatis ad beneficium de eorum jurepatronatûs exiſtens tunc vacans pręſentaverint, pręſentationes hujuſmodi ſint eoipſo nullæ, irritæ, & inanes, ac viribus careant, & ipſi Patroni, alios ad eadem beneficia jure præſentandi pro ea vice tantùm privati exiſtant. Quodque Superiores Ordinum, quos ipſi Profeſſi fuerint, eoſdem Apoſtatas, ut ad eorum Monaſteria redeant, ſi eis expedire videbitur, charitativè requirere, & ſi ad dicta Monaſteria redire ceſſaverint, diſtulerint, vel recuſaverint, eos ſecundùm Ordinis diſciplinam, monitione prævia, per cenſuras Eccleſiaſticas & alias pœnas, etiam corporis afflictivas, ad redeundum cogere & compellere poſſint, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quod ſi Regularis Ordo hoc non patiatur, auctoritate noſtra providere valeant, ut talibus apud eadem Monaſteria in locis competentibus, ſi abſque gravi ſcandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religioſis Domibus ejuſdem Ordinis ad agendam inibi pœnitentiam vitæ neceſſaria miniſtrentur. Si verò Apoſtatæ hujuſmodi ſe in his inobedientes præſtiterint, ſint etiam auctoritate noſtra majoris excommunicationis ſententia eoipſo innodati, & Superiores ſui eos excommunicatos eſſe declarent & nuncient, ac ut tales ab omnibus ſuis ſubditis nunciari, & publicari faciant. Teneanturque ipſi Apoſtatæ, cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & Habitûs fuerint, Biretum nigrum duabus lineis albis ex tela confectis, & digito humano latis ab una extremitate ad aliam extremitatem circumductis diſtinctum, & per totam ejus circumferentiam ſimili linea alba ſuffultum, ita ut omnes lineæ prædictæ oculis intuentium manifeſtè appareant, continuè geſtare. Et, ſi ſine bireto hujuſmodi deprehenſi fuerint, poſſint pro hujuſmodi inobedientia non ſolùm per ſuos Superiores, verùm etiam per quoſcunque tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares Judices & Magiſtratus, condignis pœnis puniri. Et nihilominus bona quæcunque mobilia ſeu immobilia, ac cenſus, redditus, & proventus, jura & actiones per ipſos Profeſſos extra clauſtra ſuorum Regularium locorum, etiam de licentia ſuorum Superiorum pro tempore degentes, tempore, quo extra clauſtra hujuſmodi ſteterint, acquiſita, etiamſi acquiſitiones hujuſmodi ab ipſis Profeſſis ex redditibus beneficiorum Eccle-

ſia-

ſiaſticorum cum cura, vel ſine cura ab ipſis obtentorum, ſeu detentorum, aut ex propria induſtria, ſeu artificio, mercatura, vel ex teſtamento, ſeu ſucceſſione ab inteſtato quorumvis conſanguineorum, affinium, vel amicorum ſuorum, aut quorumconque aliorum ſactæ ſint, non Fiſco noſtro, aut Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ſed Religioni, aut Monaſteriis, in qua, ſeu quibus primò Profeſſi fuerint, eoipſo applicata eſſe, & cenſeri debere decernimus & declaramus; ita ut juxta regularia Religionis, ſeu Monaſteriorum hujuſmodi inſtituta omnino diſtribui & diſpenſari debeant, nec ſuper illis per Protectores, aut Superiores Religionis, & Monaſteriorum prædictorum, aut quoſvis alios,quacunque auctoritate fungengentes, aliqua compoſitio, ſeu concordia, aut remiſſio fieri poſſit. Sicque & non aliàs aliter, nec alio modo in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis etiam dicta Apoſtolica auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, in quavis cauſa & inſtantia, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi anctoritate & facultate, judicari & definiri debere, ac, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Et quoniam experientia rerum magiſtra docente,cognovimus privilegia cunctis fere Ordinibus conceſſa recipiendi Profeſſos aliorum Ordinum in eorum Monaſteriis, Domibus,& Regularibus locis materiam præſlare Apoſtatis hujuſmodi per ſæculum evagandi, præſertim cum diverſi Ordinum bujuſmodi Superiores & Prælati Apoſtatas hujuſmodi recipiant,& poſtquam illis eorum Habitum Regularem exhibuerint,eis ſtandi extra Monaſterium licentiam concedant. Nos abuſui bujuſmodi occurrere volentes, omnia & ſingula privilegia & indulta Apoſtolica quibuſvis Ordinibus, Monaſteriis & Domibus, ſeu aliis Regularibus locis (Cartbuſienſis, & Eremitis Camaldulenſibus in Eremo realiter degentibus dumtaxat exceptis) ſuper recipiendis Canonicis Regularibus, ſeu Monacbis, vel Fratribus aliorum Ordinum per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſub quibuſvis verborum formis & tenoribus, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſa; etiam Mare Magnum nuncupata, quoad facultatem recipiendi eoſdem Canonicos Regulares, ſeu Monachos, & Fratres, penitus & omnino revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, & viribus penitus & omnino vacuamus. Mandantes univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſque Diœceſanis, & locorum Ordinariis, ut ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando, ac quoties opus fuerit, ſolemniter publicantes, faciant dicta auctoritate noſtra eaſdem præſentes litteras plenariè & totali executioni demandari; eos, qui illis contravenerint, juxta ipſarum litterarum continentiam & tenorem, condignis pœnis plectendo, & puniendo, ac contradictores quoslibet & rebelles, eiſque in præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac certis aliis noſtris litteris, quas quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, aut contrariantur, penitus & omnino revocamus, caſſamus & irritamus: necnon Monaſteriorum & aliorum Regularium locorum, ac Ordinum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus,privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs quomodolibet nuncupatis, ſeu per officium Sacræ Pœnitentiariæ expeditis, eiſdem Apoſtatis, ſeu translatis, ac noſtro Sancti Spiritûs in Saxia de Urbe Ordinis Sancti Auguſtini, & quibuſvis aliis Hoſpitalibus, necnon Beatæ Mariæ Redemptionis Captivorum, & de Mercede, ac quibuſvis aliis Monaſteriis, Regularibus locis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, aut aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nibil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervatâ inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dum-

dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcunque non obſtantibus, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Ut autem præſentes litteræ ad omnium, quorum intereſt, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, dicta auctoritate Apoſtolica ſtatuimus atque decernimus, ut ipſæmet litteræ, vel earum tranſumptum, cui manu Notarii publici ſubſcripto, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munito, eam prorſus fidem in judicio & extra adhiberi debere volumus, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi facto & realiter exhiberentur, in Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, & acie Campi Floræ per aliquos ex Curſoribus noſtris publicentur, earum exemplo in ſingulis valvis & acie prædictis affixo & dimiſſo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ privationis, inhabilitationis, ſuſpenſionis, ſanctionis, declarationis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, mandati, derogationis, ſtatuti, decretorum, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo, undecimo Kalendas Septembris, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Bullar. Roman. tom. 4. part. 1. fol. 343. Exempl. Authent. & impreſſ. in Archivo Ordinis.

Privilegia FF. Minorum, S. Claræ, ac Tertio de Pœnitentia Ordinibus per Pontifices Prædeceſſores conceſſa firmat, renovat, ac aliorum additione ampliat.

PAULUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX Clementi Sedis Apoſtolicæ proviſione; necnon Perſonarum Deo devotarum profectu, ſub Regulari caſtimonia militantium piâ devotione provenire dignoſcitur, ut Romanos Pontifices pro Religionis conſervatione, & augmento, ac Perſonarum earumdem quiete & commodo conceſſa approbet & innovet, & approbata & innovata Apoſtolica auctoritate communiat, ut eò firmiora perſiſtant, quò ſæpius fuerint Sedis Apoſtolicæ auctoritate circumfulta: Sanè pro parte dilecti Filii Clementis de Monelia Miniſtri Generalis Ord. FF. Minorum. *Hæc & reſidua leges infra in Conſtit. Pii IV. pariter incipiente EX CLEMENTI, quâ eadem privilegia fuerunt approbata, declarata, ac ampliata: Reperitur autem hæc Pauli IV. Conſtitutio emanata 1. Julii MDLV. in Bull. Rom. tom 4. par. 1. fol. 315 in coll. Confetr. fol. 185. & in Archivo generali Ordinis authenticum illius exemplar aſſervatur.*

Regulares ad Epiſcopatus promotos, & ad clauſtra ſuorum Ordinum redeuntes, ad Superioratum Ordinum reſpectivè promoveri inhibet, & eligentes jure eligendi, ac voce activa & paſſiva privat.

PAULUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſacra B. Petri Sede, meritis licèt imparibus, Divinâ diſpoſitione collocati, ad ea, per quæ ſub Religionis jugo, Domino famulantium quieti conſulitur, & ambitionis via præcluditur, diligenter intendmus, & in his noſtri Paſtoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout in Dño conſpicimus, ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, nonnulli Epiſcopi, & Archiepiſcopi diverſorum Ordinum Profeſſores, dignitates, officia, etiam ſuperioritates nuncupata, ſuorum Ordinum ambientes, ut

ut ad hæc, & ad alia aſſumi, eaque obtinere valerent, ab eorum Eccleſiis, quibus præerant, etiam munere conſecrationis per eos ſuſcepto, per Sedem Apoſtolicam abſolvi procuraverint, & ad clauſtra ſuorum Ordinum redeuntes, ſe ad dignitates, & officia, & ſuperioritates hujuſmodi, diverſis modis & viis aſſumi, eaque conſequi ſategerint, & exinde quamplures diſſenſiones, & contentiones, ac Religionis inobedientiæ exortæ fuerint, & in dies exoriantur, in animarum ſuarum periculum, & dictorum Ordinum opprobrium, & ſcandalum plurimorum: Nos, præmiſſis, prout ex debito Paſtoralis officii tenemur, providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra volumus, & auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus, quod, cujuſcunque Ordinis, ſeu Religionis Profeſſor Epiſcopus, ſeu Archiepiſcopus, poſtquam munus conſecrationis hujuſmodi ſuſceperit, etiamſi è vinculo Eccleſiæ, cui præfuerat, per Sedem eandem abſolutus, ejque, quòd in ſuo Ordine permaneret, & ad dignitates, ac officia, & ſuperioritates hujuſmodi aſſumi, eaque obtineree poſſet, per Sedem eandem, ſeu illius auctoritate conceſſum foret, ad dignitates, & officia, ſeu ſuperioritates hujuſmodi, cujuſcunque qualitatis exiſtant, & quovis nomine nuncupentur, eligi, ſeu aſſequi, aut obtinere nullatenus poſſit, & ineligibilis, atque ad ea obtinenda perpetuò inhabilis exiſtat, ac quævis indulta, conceſſiones, diſpenſationes, & facultases, & aliæ gratiæ ei, tam à Nobis, & Sede prædicta, etiam per litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, vel aliàs ab ejus Legatis, ſeu Nuntiis, aut majori Pœnitentiario noſtro, quàm à Superioribus dictorum Ordinum, ac quibuſvis aliis, etiam ad id poteſtatem, & auctoritatem habentibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſcunque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque; & aliis decretis, etiam motu, ſcientia ſimilibus, & deſuper hactenus conceſſa, & inpoſterum concedenda, nulla, & invalida, nulliuſque roboris, vel momenti ſint, & eſſe cenſeantur: & ſi quis eum de cæsero ad dignitates, ſeu officia, aut ſuperioritates hujuſmodi, ſcienter elegerit, jure eligendi perpetuò careat, ac voce activa, & paſſiva eoipſo privatus exiſtat. Revocantes, caſſantes, & annullantes omnia, & ſingula indulta, conceſſiones, diſpenſationes, facultates, & gratias hujuſmodi, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & decernentes irritum, & inane quicquid ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, Epiſcopis, & Archiepiſcopis prædictis, ac quibuſvis aliia conceſſis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium litterarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcripsis, & ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Julii MDLV. Pontificatûs noſtri Anno Qninto.

Bull. Roman. tom.4. p. 1. fol. 363. Bullar. Præd. tom. 7. fol. 156.

PIUS IV.

Mediolanenſis, antea Joannes Angelus tit. S. Priſcæ Cardinalis Medices, 26. Decembris 1559. Præſul Eccleſiæ Univerſalis eſt proclamatus, quam & per annos V. menſes XI. & dies XIV. felici vigilia gubernavit. Dimiſit clavum 9. Decemb. 1565. & de Sepultura Vaticana ad Eccleſiam S. Mariæ de Angelis in Thermis translatus, ſonum ultimæ tubæ ibi exſpectat.

Privi-

Privilegia tribus Ordinibus Minoritanis à Summis Pontificibus Prædeceſſoribus,tum quoad Syndicum Apoſtol. tum Sacramentorum adminiſtrationem, & alia quæque generaliter conceſſa confirmat, ampliat, & Conſtitutionibus contrariis derogat.

PIUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX clementi Sedis Apoſtolicæ proviſione, necnon perſonarum Deo devotarum profectu, ſub Regulari caſtimonia Domino militantium piâ devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque per Prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices, pro Religionis conſervatione & augmento, ac perſonarum earumdem quiete & commodo conceſſa, approbet, & innovet, & approbata, & innovata, Apoſtolica auctoritate communiat, ut ea firmiora perſiſtant, quæ ſæpius fuerint ejuſdem Sedis auctoritate circumſulta.

Sane, pro parte dilecti Filii Franciſci de Zamora Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Nobis nuperexhibita petitio continebat.Quod, cum inter operarios, qui ad excolendum vineam Domini Sabaoth, Dei gratiâ, Ordo ipſe magnos probitatis & doctrinæ, ac animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, & quotidie afferre conetur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cujus continuè pacem, & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, tam ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperit & accipiat, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam Regularem faciliùs, atque expeditiùs exequi & tranſigere poſſit, & cæteræ Religioſæ perſonæ, Ordineſque alii, exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur. Cumque etiam ex ipſius Sedis proviſione, ac benigna dignatione provenire dignoſcatur, ut Romanus Pontifex quandoque Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, ac innovationem, ac revocationem reſtauret, & Apoſtolica auctoritate innovata & reſtaurata muniat & fulciat, ac in priſtinum ſtatum reponat & reducat.

Et propterea nonnulli Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia & ſingula privilegia, & indulta tam ſpiritualia,quàm temporalia, etiam per ſolam ſignaturam, aut per oracula vivæ vocis, vel aliàs, etiam contra Apoſtatas, tam pro foro conſcientiæ, quàm pro foro fori, tam prædictis Fratrum Minorum, quàm Sanctæ Claræ, ac Tertio, de Pœnitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriuſque ſexûs perſonis, & Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque dictorum Ordinum, nunc & pro tempore exiſtentibus in genere, vel in ſpecie, etiam per modum communicationis, vel extenſionis privilegiorum inter ſe, ac etiam cum aliis quibuſcumque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, & fel. rec. Gregorius IX. Bonifacius VIII. Alexander IV. Nicolaus III. Clemens V. Eugenius etiam IV. Leo X. Clemens VII. Paulus ſimiliter III. ac Julius etiam III. ac alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, & Sedes Apoſtolica tam ſuper exemptionibus, etiam ab Ordinariorum locorum, & Legatorum etiam de latere, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitorum juriſdictione, viſitatione & correctione, quàm etiam ab omni impoſitione, collecta, decima, ſubſidio, quarta & quinta funeralium, & legatorum partibus, pedagiis, & gabellis, ac alio quocumque gravamine, per Sedem eamdem pro tempore impoſitis, & aliis rebus reſpectivè conceſſerint. Ac piæ memoriæ Paulus Papa IV. ſimiliter Prædeceſſor noſter, ut Fratres Minorum hujuſmodi, excluſis quibuſcumque ſollicitudinibus, liberiùs & quietiùs divinis poſſent vacare obſequiis, & animarum ſaluti peramplius proficere, ne offerentium, donantium & concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus Ordinibus Minorum hujuſmodi aliquid propter Deum, pia intentio fraudaretur, ac hæredum & executorum negligentiis obviaretur; ac ut ipſi Fratres ſecundùm modos licitos & congruos ipſi Ordini, relictis ſibi in teſtamentis mobilibus & immobilibus bonis, & aliis etiam pecuniariis, ſibi quomodolibet oblatis, conceſſis, legatis, & donatis pro tempore, etiam pro Miſſis, & aliis Divinis Officiis, eleemoſynis, & aliis rebus non fraudarentur, quod Generalis de per ſe in toto Ordine, ac ſinguli Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes univerſi pro tempore exiſtentes, ipſius Ordinis Fratrum Minorum, in ſuis Provinciis & Cuſtodiis reſpectivè, & ad hoc ab eis reſpectivè deputati Fratres pro tempore, poſſent nominare ſpeciales perſonas, quæ non eſſent de dicto Ordine Minorum, pro locorum indigentia ſingulorum, quando & quoties opus fuerit, in ſin-

gulis eorum Conventibus, quas perſonas per ipſos taliter nominatas pro tempore, iu iis adminiſtrationem legitimam, generalem ac liberam gerere, & ipſos veros & legitimos Adminiſtratores, Œconomos, Syndicos & Actores eſſe, & de plenitudine poteſtatis conſtituendo, auctoritate Apoſtolica decrevit, qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium, & prædictas eleemoſynas, nomine Romanæ Eccleſiæ, ad quam rerum omnium mobilium & immobilium, quibus Fratres hujuſmodi uti poſſunt, jus, proprietas & dominium nullo medio ſpectat, reciperent, & recipere poſſent, per eoſdem in Fratrum ipſorum utilitates, etiam pro victu & veſtitu eorum, ac aliis neceſſitatibus tunc expreſſis, pro tempore convertenda, ſicut & quando à dictis Generali in toto Ordine, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus prædictis, & eorum ſingulis pro tempore in Provincia ſeu Cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus, de aſſenſu eorum extitiſſent requiſiti, etiam dando eis, & eorum ſingulis reſpectivè facultatem revocandi perſonas eaſdem, & earum quamlibet, & alias ſubrogandi vel nominandi loco earum, per ſupradictum modum nominationis, quoties opportunum foret, quæ eamdem in prædictis, vel ſimilem haberent poteſtatem plenam & liberam, aliaſque & alia facere poſſent & deberent, eadem auctoritate Apoſtolica conceſſit. Nec propterea Fratres Minores hujuſmodi contra Regulam Sancti Franciſci, quam profeſſi ſunt, & profitebuntur in futurum, ſive contra Statuta regularia ſui Ordinis hujuſmodi in aliquo facere, ſed ſanâ conſcientiâ, ſine alicujus conſcientiæ ſcrupulo, quo ad id, ſic inpoſterum vivere, decrevit & declaravit.

Et inſuper, ut omnium quarumcumque Provinciarum, Civitatum & Diœceſum per totum Orbem, omnium utriuſque ſexûs Chriſtifidelium pro tempore dicti Ordinis Minorum Fratres, à ſuis Superioribus, ut moris eſt, deputati Confeſſores, confeſſiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, ac etiam ad eos pro tempore recurrentium audire, eoſque etiam in caſibus & cenſuris, quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ prædictæ, etiam per modum communicationis & extenſionis quorumcumque Ordinum, etiam Minimorum, hactenus conceſſum eſt, poſſe abſolvere, & ſinguli Ordines, etiam Minimorum, quorum privilegia eidem Ordini Minorum ſunt communicata & extenſa, abſolvere conſueverunt, abſolvendi, & pœnitentiam ſalutarem injungendi, ac omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, Sacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quàm aliis quibuſvis perſonis licitè miniſtrandi, dicta Apoſtolica auctoritate indulſit, ac de novo conceſſit, ac etiam decrevit & declaravit per diverſas ſuas litteras in forma Brevis expeditas: Necnon idem Leo Prædeceſſor, Sacramentum Euchariſtiæ hujuſmodi, ut præfertur, adminiſtrandum omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, dieque hujuſmodi, in quo celebratur feſtum Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, dumtaxat, ſine Rectoris Parochialis ac Diœceſani licentia, vivæ vocis ejus oraculo declaravit.

Et inſuper bo:mem: Julius II. ſimiliter Prædeceſſor noſter Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, & Carmelitarum, ac Sancti Auguſtini, & Monialibus Sanctæ Claræ, aliorumque Ordinum in paupertate fundatorum, ac omnibus Mulieribus prædictorum Ordinum, aut aliorum quorumcumque, ne aliquod Monaſterium, Eccleſiam aut Oratorium ædificare ſeu conſtruere præſumant, infra ſpatium trecentarum cannarum ab Eccleſia Fratrum Minorum menſurandarum per aerem, etiam ubi aliàs rectè menſurari loci diſpoſitio non permittit. Nulli quoque ſæculari, vel Religioſo cujuſcumque profeſſionis, voluit licere Eccleſiam, vel Monaſteria, ſeu Oratorium jam ædificatum in aliquem trasferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium prædictarum trecentarum cannarum, & quamlibet iſtarum cannarum voluit octo palmorum longitudinem continere, non obſtante varia locorum conſuetudine, ſive privilegiis & litteris quibuſcumque à Sede Apoſtolica, ſub quacumque verborum forma conceſſis, ſeu etiam concedendis, quæ de præſentibus ſpecialem & expreſſam non feciſſent mentionem, prohibuit: Statuendo etiam, ut quidquid contra hujuſmodi ordinationis & inhibitionis tenorem, ex tunc in antea ædificatum foret, dirueretur.

Necnon tam ſuper nominatione Procuratorum ſeu Syndicorum pro locorum indigentia ſingulorum Ordinis Minorum hujuſmodi, ut præfertur, facienda, quam etiam ſuper confeſſionibus pro tempore audiendis tam ſæcularium perſonarum quarumcumque, quàm etiam Fratrum Minorum hujuſmodi, necnon abſolutionis beneficio illis impendendo, ac diſpenſando reſpectivè, & Sacramento Euchariſtiæ adminiſtrando, aliaque deſuper neceſſaria faciendo, dictis Generali ac Provincialibus, & aliis Fratribus Ordinis Minorum hujuſmodi reſpectivè pro tempore exiſtentibus, tam

Digitized by Google

tam Paulus IV. ut præmittitur, quàm etiam Martinus IV. & Martinus V, ac Eugenius IV. ac Nicolaus V. & Sixtus IV. & diverſi alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, reſpectivè per diverſas eorum litteras ac conceſſiones, etiam vivæ vocis oraculo factas, reſpectivè ac diverſimodè, & diverſis temporibus, eadem auctoritate Apoſtolica facultatem conceſſerunt, prout in ſingulis conceſſionibus & litteris eorumdem Prædeceſſorum pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ea, quæ ſæpius Apoſtolica auctoritate præfatâ munita exiſtunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictus Franciſcus Miniſter cupiat privilegia, facultates, conceſſiones, indulta, diſpenſationes, ac ſingulas alias gratias hujuſmodi, etiam per Nos approbari, innovari & confirmari, pro parte ejuſdem Franciſci Miniſtri, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut iiſdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conſervatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis, pro illorum obſervantia viridiori, noſtræ approbationis robur adjicere, aliâſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui omnium votis, præſertim illis, quibus ſub ſuavi Religionis jugo, Divinis laudibus, & Chriſtianæ profeſſionis augmento incumbentium perſonarum tranquillitati, commoditatibus, & honori conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præmiſſa, ac omnia & ſingula alia privilegia, immunitates, exemptiones, etiam ab Inquiſitoribus præfatis, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia & temporalia, etiam per modum communicationis & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, eiſdem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac Sanctæ Claræ, & de Pœnitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione ſub trium votorum ſubſtantialium profeſſione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi obedientiâ degentibus, ipſorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriuſque ſexûs, etiam ſæcularibus perſonis, necnon Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque in genere & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut aliàs, tam per præfatos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes ſub quacumque forma & expreſſione verborum conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis & declarationibus, ſingulas deſuper confectas litteras, & in eis contenta, etiam prout largiùs in aliquibus earum eis conceſſum eſt, interpretando, & inde ſecuta quæcumque, illorum omnium tenores & formas, datas, effectus, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmamus & innovamus, ac perpetuam roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſervari; necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & Sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione ſub obedientia Fratrum Minorum Obſervantiæ hujuſmodi degentibus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, Perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extenſionis hujuſmodi ſuffragari, illiſque frui, uti, & gaudere, quando, & quoties opus fuerit, poſſe & debere, in judicio, & extra, ac etiam in foro conſcientiæ, in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi ſpecialiter, & expreſsè eiſdem Fratrum Minorum & Sanctæ Claræ, & Tertio de Pœnitentia nuncupato Ordinibus, conceſſa fuiſſent, decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

Et nihilominus pro potiori cautela, & ampliori dono gratiæ, illa omnia & ſingula, juxta ampliorem & favorabiliorem illorum intelligentiam & interpretationem, ut præfertur, & præſertim, ut pro tempore à ſuis Superioribus, ut moris eſt, deputatos Confeſſores Fratres Ordinis Minorum Obſervantiæ hujuſmodi, omnium quarumcumque Provinciarum, Civitatum, & Diœceſum, per totum Orbem, omnium utriuſque ſexûs Chriſtifidelium pro tempore confeſſiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, ac etiam ad eos pro tempore recurrentium audire, eoſque etiam in caſibus, & cenſuris, quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ prædictæ, etiam per modum communicationis & extenſionis, quorumcumque Ordinum, etiam Minimorum, hactenus conceſſum eſt, poſſe abſolvere, ſicut ſin-

ſinguli Ordines etiam Minimorum, quorum privilegia eidemOrdini Minorum ſunt communicata & extenſa, abſolvere conſueverunt, abſolvendi, ae pœnitentiam ſalutarem injungendi, & omni tempore, prætcrquam in die Reſurrectionis Dominicæ dumtaxat, juxta antedictam Leonis Prædeceſſoris bujuſmodi declarationem, Sacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quàm aliis quibuſvis perſonis, licitè miniſtrandi, indulgemus, ac de novo eoncedimus in omnibus & per omnia: ita quod Ordines, Superiorcs, Fratres, Moniales, Sorores, Perſonæ, Monaſteria, Domus, Eccleſiæ, & loca prædicta, illis, tam in genere, quàm in ſpecie eonceſſis, ut præſcrtur; uti, potiri & gaudere poſſint & debeant. Ac ab ipſis Inquiſitoribus, impoſitionibus, gravaminibus, oneribus, decimis, quarta & quinta etiam funeralium, & aliorum quorumcumque eis lcgatorum, oblatorum & eonceſſorum pro tempore, neenon pedagiis & gabcllis, ac omnibus & ſingulis aliis ſupradictis, libera penitus, immunia & exempta exiſtere, auctoritate & tenore prædictis, etiam eoncedimus & indnlgemus, ac ſtatnimus & ordinamus.

Et nihilominus Venerabili Fratri Archiepiſcopo Rothomagenſi, & dilectis Filiis Præceptori Monaſterii per Præceptorem gubernari ſoliti, Beatæ Mariæ de Mereede Ordinis Redemptionis Captivorum Compluten. Toletanen. Diœc. ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ſaciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæeumque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacificè ſrui & gaudere. Non permittentes quemquam deſuper per quoſcumqne quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles, etiam per quaſcumque, de qnibus eis videbitur cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, eenſuras ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad boe, ſi opus ſuerit, auxilio braebii ſæcularis.

Non oſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus: *Super Cathedram*, Bonifacii, &: *Dudum* Viennen. Concilii, ac Clementina: *Religioſi*; de privilegiis, &: *Dudum* de ſcpulturis, ac etiam: *Ex frequentibus*, de ſententia exeommunicationis, & extravagante: *Ad Conditorem* Joannes XXII. eum aliis Conſtitutionibu, eamdem materiam prædictæ extravagantis tangentibus ſeu concernentibus, ac regulis Cancellariæ Apoſtolicæ jam editis, & in futurum edendis, ae piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Coneilio Generali de duabus dietis editis; dummodo nltra tres dietas aliquis vigore præſentium, ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis, ac Provineialibus, Capitularibus, generalibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, etiam in ultimo generali Concilio Lateranenſi celebrato, & aliis Conciliis editis, necnon ſtatutis & eonſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Julium III. præſatos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtos, ac Sedem eamdem, etiam motu proprio, ac ſeientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus, ac cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, reſtrictivis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis, quibuſvis Perſonis & Ordinibus in contrarium ſorſan conceſſis, eonfirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per elauſnlas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia cxpreſſio habenda, ant aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus, aut nonniſi, ſub certis modo & forma derogari poſſit, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpeeialiter & cxpreſsè derogamns; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis qnibuſcumque.

Verùm, quia difficile foret præſentes litteras, ad ſingula quæque loca, in quibus forte opus eſſet, deferri, volumus & pariter Apoſtolica auctoritate deeernimus, quod illarum tranſumptis, manu Notarii publiei ſub-

ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Aprilis MDLXI. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Wadding. tom. 19. Annal. fol. 552.

Privilegia, etiam in Maribus Magnis contenta, & quibuſcunque Eccleſiis vel Ordinibus conceſſa, & OEcumenico Concilio Tridentino adverſantia revocat.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Principis Apoſtolorum Sede, meritis licèt imparibus, Divina diſpoſitione conſtituti, nihil, neque Univerſali Eccleſiæ curæ, & ſolicitudini noſtræ commiſſæ, ſalubriùs, neque injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio, decentiùs præſtare poſſumus, quàm quod providentiæ noſtræ miniſterio Œcumenicum Concilium Tridentinum, ſicut noſtris potiſſimùm auſpiciis, ſummaque Sanctorum Patrum concordia, per Dei miſericordiam feliciter abſolutum fuit, ita per univerſos, qui Chriſtiana pietate cenſentur, ubique ſuſcipiatur, & remotis quibuslibet obſtaculis, ab omnibus æqualiter obſervetur. Cum itaque in eodem Concilio quamplura ſalubria, & ad univerſalem morum reformationem, valde utilia decreta, atque ſtatuta, maturo præſentium ipſorum examine præcedente, ſint edita, quibus multa diverſa privilegia, exemptiones, immunitates, diſpenſationes, facultates, conſervatoriæ, indulta, &, ut vocant, confeſſionalia, & Mare Magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis, tam Cathedralibus, etiam Metropolitan., quàm Collegiatis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, & aliis Religioſis, etiam Fratrum Mendicantium, Domibus, & Ordinibus, necnon Sancti Spiritûs in Saxia, Sancti Joannis Lateranen., ac Incurabilium de Urbe, Sancti Antonii Viennen., & Sancti Bernardi Juren., aliiſque Hoſpitalibus, Militiis, eorumque Capitulis, & Conventibus, & Univerſitatibus, etiam Studiorum generalium Collegiis, tam Sæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, Confraternitatibus, Societatibus, & tam Principis Apoſtolorum de Urbe, quàm aliis fabricis, & Sanctæ Cruciatæ, aliiſque piis locis, & operibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Præpoſitis, & aliis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm diverſorum Ordinum, & Militiarum Regularibus, ac etiam laicis cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradus, & excellentiæ; ac etiam Ducali, Regia, Imperiali dignitate fulgentibus utriuſque ſexûs perſonis, necnon aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis, & Nunciis tam perpetuò, quàm ad tempus per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, ejuſque Legatos hactenus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, intuitu, etiam de Fratrum noſtrorum conſilio, diverſimodè, variiſque temporibus, in genere, vel ſpecie, & quavis etiam honeſta cauſa conceſſa, & etiam pluries confirmata, & innovata fuerunt, in pleriſque contrarïantur. Nos, quibus in primis cordi eſt, tam ſancta, & Eccleſiæ Dei ſaluberrima decreta ſuos, ut par eſt, effectus ubique conſequi, & ab omnibus obedienter obſervari; privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conſervatoriorum, indultorum, confeſſionalium, Maris Magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque Apoſtolicarum, & aliarum litterarum deſuper confectarum, Proceſſuumque, Decretorum, & aliorum inde ſequutorum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & plenè inſertis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod eadem omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, conſervatoriæ, indulta, confeſſionalia, Mare Magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus, & ſingulis, in quibus illa ſtatutis, & decretis Concilii hujuſmodi contrariantur, ipſo jure revocata, caſſata, & annullata, ac ad ipſius Concilii terminos, atque limites reducta ſint, & eſſe cenſeantur, nec quiſquam adversùs ipſa decreta, & ſtatuta, quò minùs ubique, & apud omnes obſerventur, in aliquo ſuffragari poſſe, ſed ea perinde haberi, & reputari debere, ac ſi nunquam emanâſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore

præ-

præſentium declaramus,ac etiam ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes nihilominus, omnia, & ſingula, quæ vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & diſpenſationum, facultatum, conſervatoriarum, indultorum, confeſſionalium, & aliarum quarumcunque gratiarum hujuſmodi, poſt id tempus, quo Concilium obligare cœpit, facta, & geſta quomodolibet fuerunt, & inpoſterum fient, in his, in quibus dicti Concilii decretis adverſantur, nulla, invalida, & irrita eſſe, cenſeri, & nemini, etiam quantumlibet, ut præfertur, qualificato, tam in foro (quod ajunt) fori, quàm conſcientiæ ſuffragari poſſe, & debere. Et ita per quoſcunque Locorum Ordinarios, alioſque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate; in utroque foro judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus, à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino &c. Si quis autem autem hoc attentare &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto; decimotertio Kalendas Martii Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Conſett. in Coll. fol.196. Bullar. Præd. tom.7. pag.170. Bullar. Roman. tom.4. par.2. fol.214.

S. PIUS V.

Ex Oppido Boſchi in Lombardiæ Provincia, in Sæculo Antonius, & in Ordine RR. PP. Prædicatorum Michael Ghislerius dictus, S. R. E. Cardinalis tit. S. Mariæ ſuper Minervam Romæ 7. Januarii 1566. Sacri Apoſtolatûs culmen attigit, de eo ad Cœlos 1. Maji 1572. tranſiit, poſtquam ſediſſet annos 6. menſes 3. dies 25. Sacris exuviis de Vaticano ad S. Ædem S. Mariæ Majoris ad Sacellum ad Præſepe tranſlatis.

Exemptiones ab exactionibus, datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, & ab Hoſpitatione Militum, utriuſque ſexûs Regularibus Perſonis Ordinum Mendicantium conceſſas confirmat, & quotannis Monaſteriis Mendicantium, ſub ditione Pontificia ſitis, ſufficiens pro eorum uſu ſal ab Apoſtolicæ Cameræ Miniſtris dari, ſub cenſuris & pœnis mandat.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum ad uberes, quos Sacri Mendicantium Ordines in agro Dominico quotidie faciunt fructus, attentè reſpicimus, & attentæ conſiderationis indagine perſcrutamur, ipſorum Religionis ſinceritatem, & voluntariæ paupertatis habitum, in quibus ſub humilitatis ſpiritu, devotum Altiſſimo præſtant famulatum, dignum, quin potiùs debitum, reputamus, ut illis ea libenter concedamus, per quæ, ſemotis quibuslibet gravaminibus, promptiores ejuſdem Altiſſimi inhæreant ſervitiis. Hinc eſt, quod Nos volentes eoſdem Mendicantium Ordines, & dilectos Filios eorum Fratres, & Monachos, cæteraſque perſonas, ac etiam Moniales quaslibet ejuſdem Ordinis ſub illorum cura degentes, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod ex nunc perpetuis futuris temporibus, omnes, & ſinguli Mendicantium Ordinum hujuſmodi Fratres, Monachi, & dilectæ Filiæ in Chriſto Moniales, ſeu Sorores, & aliæ utriuſque ſexûs perſonæ Regulares ubilibet per totum Chriſtianum Orbem diffuſi, & conſtituti, illorumque Monaſteria, Cœnobia, Domus, Conventus, Eccleſiæ, Capellæ, Oratoria, & alia loca, etiam unita, ac membra, & dependentia, necnon terræ cultæ, & incultæ, poſſeſſiones, prædia, agri, & alia omnia & ſingula mobilia, & immobilia, ac ſe moventia, & ubilibet, ac in quibuſcunque rebus conſiſtentia bona, necnon eorum in dictis bonis laboratores, Coloni, Arrendatarii, Locatarii, & Affictuarii, negotiorumque ſuorum geſtores univerſi quomodolibet nuncupati, nunc & pro tempore exiſtentes, in perpetuum, ab omnibus, & ſingulis exactionibus, tam Urbanis, quàm Ruſti-

ſticis, necnon datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impoſitionibus, & oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus, quàm perſonalibus meris, & mixtis, etiam ſubſidio triennali, & augmento, ac focularibus, equorum taxis, militumque hoſpitiis, ac aliàs quibuſcumque nominibus nuncupatis, quavis auctoritate, quomodolibet impoſitis, & imponendis, & quæ laicis, ac aliis quibuſvis quomodolibet imponi conſueverunt, & in futurum imponentur, ac ratione quarumcunque mercium, & rerum cujuſcumque generis, vel qualitatis exiſtant, tam per mare, & aquam dulcem, quàm per terram undecunque, & quomodocunq; pro tempore delatarum, necnon animalium quorumcunque mortuorum, & vivorum, & quæ aliàs quomodolibet, & ex quavis cauſa, ac ſuper quibuſcunque rebus, tam in Alma Urbe noſtra, quàm extra eam ubilibet locorum exiguntur, & in futurum exigentur, necnon à cootributionibus, & ſolutionibus illis faciendis, ac tam pro victu, & veſtitu, quàm quocunque alio uſu ſuo tantùm, ac tam emendo, quàm vendendo, & aliàs quomodolibet negotiando, necnon etiam à ſolutione quadrantis pro ſingulis libris carnium de animalibus, quæ nunc, & pro tempore ex armentis occidi contigerit, necnon etiam, quæ in ſuis ædibus, prædiis, & poſſeſſionibus privatis detinent, & outriunt, ac à contributione ſumptuum, & expenſarum, quæ aliquando pro pontibus, viis, aquæductibus, muris, mœnibus, aliiſve machinis ſtruendis, & reparandis, ſeu reficiendis, ac Civitatum, Terrarum, & locorum quorumcunque fortificationibus, necnon etiam aliàs in omnibus, & per omnia, ac tam in dicta Urbe, quàm extra eam, ubilibet penitus, & omnino liberi, immunes, & exempti, ac liberæ, & exemptæ, liberaque, immunia, & exempta ſint, & eſſe cenſeantur, ac pro talibus teneantur, & reputentur. Quodque terræ, agri, poſſeſſiones, & loca arativa, ut præfertur, in illis, quæ aliquando pro paſcuis animalium ad certum tempus reſervantur, nullatenus unquam comprehendantur, nec comprehendi cenſeantur: ac etiam Monaſteria, Cœnobia, aliaque omnia Regularia loca prædicta, pro quorumcumque Militum, tam equitum, quàm peditum hoſpitiis, quemadmodum magno cum noſtro dolore hucuſque in pleriſque locis factum comperimus, nequaquam aſſignentur, nec aſſignari debeant. Et inſuper, quod fructus, redditus, proventus, introitus, & alia quæcunque bona Monaſteriorum, Cœnobiorum, & aliorum locorum Regularium præfatorum, ab aliis, quàm à Syndicis, & Procuratoribus Religioſis Fratribus, Monachis, & Monialibus, aliiſque perſonis præfatis exigi, illaque dumtaxat in beneficium loci, & ſubſtentationem ipſorum Religioſorum, Fratrum, & Monialium expendi, nec per alios quoſcunque quovis nomine cenſeantur, nec in alium, quàm præmiſſum uſum converti, ſeu expendi poſſint, neque debeant, niſi de conſenſu Superiorum illius loci, cui data, vel conſignata fuerint, ſeu ad quem aliàs ſpectabunt, nec etiam ſoli Tutores, aut curatores, ſeu Protectores, & alio nomine Sancteſii, aut aliàs nuncupati, de eiſdem bonis ullo modo diſponere poſſint: Quodque idipſum etiam de eleemoſynis, oblationibus, & quibuſcunque aliis donativis intelligi, & obſervari debeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, ordinamus, volumus, & declaramus: necnon Fratres, Monachos, Moniales, ac alias Regulares perſonas, eorumque Monaſteria, Cœnobia, Conventus, Eccleſias, Capellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, poſſeſſiones, prædia, agros, & bona, necnon laboratores, Colonos, Arrendatarios, Locatarios, Affictuarios, ac Geſtores, prædicta, ut præfertur libera, immunia, & exempta eiſdem auctoritate, & tenore facimus, ac fore, & eſſe decernimus; Mandantes propterea dilectis Filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus Cameræ Apoſtolicæ Camerario, Præſidentibus, & Clericis, & Commiſſariis, Agentibus, & Officialibus quibuſcunque, ut omnibus & ſingulis, tam virorum, quàm mulierum Monaſteriis Mendicantium Ordinum hujuſmodi exiſtentibus, ſub ditione noſtra temporali mediatè, vel immediatè conſtitutia, tantum ſal, quantùm pro eorum uſu ſuffecerit, ſingulis annis omni dilatione ceſſante, & contradictione remota, contribuere, & aſſignare, ac contribui, & aſſignari facere debeant realiter, & cum effectu, diſtrictiùs, etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ac duorum millium ducatorum auri de Camera pro una—Baſilicæ S. Petri de Urbe, & pro altera—medietatibus ſingulis Monaſteriis, & locis præfatis, quæ moleſtari, ſeu perturbari contigerit, irremiſſibiliter applicandorum pœnis, eoipſo, ſi, & quoties contrafactum fuerit, incurrendis, inhibentes tam illis, quàm dilectis filiis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, Datiorum, Gabellarum, onerum, & aliorum præmiſſorum exactoribus, Conductoribus, & Appaltatoribus, nec non quibuſvis Communitatibus, & Univerſitatibus, illarumque Officialibus, & perſonis, aliiſque quibuſcunque, ad quos ſpe-

ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, quatenus præmiſſa omnia & ſingula inviolabiliter, & perpetuò obſervent, ac ab omnibus obſervari faciant, neque Fratres Monachos, Moniales, & alias Religioſas perſonas, alioſque ſupradictos, ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtent, & perturbent, neque permittant per quoſcuoque quomolibet moleſtari, ſeu perturbari; Et ſi quis contradicere, aut quovis modo contravenire præſumpſerit, per mandatum executivum contra ipſum, cujuſcumque dignitatis, ſtatûs, ordinis, vel præminentiæ fuerit, ipſo facto procedi. Et ſic per quoſcunque Judicet, & Commiſſarios quavis authoritate fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus: Quocirca Ven. Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſive eorum Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, nec non dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis quarumcunque Eccleſiarum Prælatis, & perſonis ubilibet, & in quibuſcunque regionibus, terris, & locis exiſtentibus, ac aliis, ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Monachorum, Monialium, aliarunque Religioſarum perſonarum præfatarum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra illos, & eorum ſingulos ſtatuto, ordinatione, voluntate, declaratione, conſtitutione, deputatione, mandato, inhibitione, decreto, aliiſque præmiſſis pacificè frui, & gaudere, non permittentea eos deſuper per Camerarium, Præſidentes, Clericos, & Commiſſarios Cameræ hujuſmodi, necnon Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Collectores, Gabellarios, & Exactores prædictos, aut quoſcunque alios ad aliquam ſolutionem, contributionem, vel præſtationem, præmiſſorum occaſione quomodolibet faciendam, quovis modo cogi, compelli, aut aliàs contra præſentium tenorem, quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, aliaſque opportunas ceoſuras, & pœnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarando, interdictum Eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Noo obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtris de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis authoritate præſentium non extrahatur, ac omnibus illis, quæ in contrarium per quoſcunque Officiales, & quoſvis alios, ac præſertim per Officiales Civitatis noſtræ Bononienſis, & quoſvis alios adducta ſunt hactenus, & deducentur inpoſterum, ac adduci, & allegari poſſent; necnon quibuſcunque litibus & cauſis, tam in Romana Curia, quàm extra eam, ubilibet, ac coram quibuſcunque Judicibus, etiam Palatii noſtri cauſarum Auditoribus, ac Sanctæ R. E. Cardinalibus, ſuper præmiſſis inter quoſcunque quomodolibet pendentibus, ac etiam inſtructis, & ad ſententiam deductis, vel etiam à ſententia terminatis, niſi in favorem Eccleſiæ fuerint; & præſertim quadam lite inter hujuſmodi Regulares, ac Cives, & Communitatem dictæ Civitatis Bonon. in Romana Curia pendente, quas, & quam, ac omnes proceſſus, & ſcripturas productas, & producendas, ac Regiſtra, & ſenteotias, ubivis comparentes, & latas, ac ferendas, ad Nos avocamus, & penitus extinguimus, caſſamus, annullamus, & delemus, perpetuumque deſuper ſilentium imponimus: Necnon quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, etiam contra exemptos quomodolibet editis, vel edendis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis illis, & eorum ſingulis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, & ſpecie, etiam motu ſimili, & certa ſcientia, Conciſtorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium conceſſis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs io ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede iodultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommuoicari non poſſint per literas Apoſtolicas

non

non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Julii 1566. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bullar. Rom. tom. 4. part. 2. fol. 306. Bull. Ord. Præd. tom. 5. fol. 210. confert. in coll. fol. 201.

Quadraginta præjudicia, Regularium Mendicantium privilegiis illata enumerat; illa plura Concilii Tridentini loca declarando infirmat, & hæc renovando confirmat.

PIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETſi Mendicantium Ordines, qui ſedulum in vinea Domini quotidie exhibere non ceſſant famulatum, ſummo ſemper ſtudio (etiam dum in minoribus eſſemus) amplexi ſumus, ad ſummi tamen Apoſtolatûs apicem (meritis licèt imparibus) divina favente clementia aſſumpti, dum id mente recolimus, facere non poſſumus, quin eos propenſiori charitate & paterno affectu amplectamur; ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum, ab Apoſtolica Sede (cujus continuè pacem & dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt) tam ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperint, & accipiant, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem faciliùs atque expeditiùs exequi, & tranſigere poſſint, & cæteræ Religioſæ Perſonæ, Ordineſque alii, exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur. Hinc eſt, quod Nos attendentes pleroſque ex venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui eoſdem Ordines præcipuè tamquam fructiferos in agro Domini palmites, & colere & adjuvare deberent, non ſolum id exequi negligere, verùm etiam Concilii Tridentini decretis in pravum ſenſum retortis, eos & eorum quemlibet variis afficere incommodis & perturbationibus, eorumque privilegiis non modicum afferre gravamen conantur.

§. 1. Quidam enim Epiſcopi, ut accepimus, nolunt admittere quoſdam Regulares ad prędicationem, etiam in ſuis Eccleſiis faciendam, quamvis de eorum habilitate ad hujuſmodi opus exercendum habeant bonum teſtimonium à ſuis ſuperioribus. Alii verò volunt, ut nedum ſemel, ſed etiam pluries in anno coram ipſis, vel eorum Vicariis Prædicatores præſententur, ac pro licentia prædicandi, quàm nonniſi in ſcriptis dare volunt, aliquid quandoque exigunt. Alii etiam Epiſcopi maximam Regularibus injuriam irrogare videntur, dum præter ordinem & veterem conſuetudinem, abſque ulla ratione quoſdam rejiciunt, & quoſdam pro eorum libito admittunt ad prædicationem hujuſmodi habendam in locis ſuæ Diœceſis.

§. 2. Quorundam etiam locorum Ordinarii, quoſdam Religioſos probos viros, & idoneos, etiam à ſuis Superioribus approbatos, ad confeſſiones audiendas admittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, non ſolùm ſingulis annis, ſed etiam pluries in anno, in aliquibus partibus eoſdem Confeſſores ſibi præſentari; In aliquibus verò Oppidis, tam Epiſcopi, ſeu eorum Vicarii, quàm Presbyteri Curati nolunt, ut Fratres Mendicantes vocati ad audiendas confeſſiones infirmorum, maximè ſi infirmitas eſt gravis, aut etiam ſanorum, in privatis illorum Domibus, vel alibi, præterquam in ſuis Eccleſiis, aut Monaſteriis poſſint accedere.

§. 3. Nonnulli etiam audent Cõfeſſores Monialium, quę pleno jure ſubſunt Regularibus, examinare, cum tamen id minimè per Concilium decernatur, ſicut & de Fratribus, qui ſunt audituri confeſſiones aliorum Fratrum.

§. 4 Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur aſſerere, ſeu facere, ne quiſquam infra annum poſſit Sacram Euchariſtiam in Eccleſiis Mendicantium recipere, neque etiam Moniales Tertiarias nuncupatas ſuorum Ordinum, ut aliqui aſſerunt, in aliquibus partibus fieri, cum tamen ſolùm in Paſchate, quoad ſeculares duntaxat, juxta privilegia Summorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum eiſdem Ordinibus conceſſa, id obſervari debeat.

§. 5. Alii verò Epiſcopi, ſeu eorum Vicarii audent ad eorum libitum dare licentiam quibuſcunque, quæcunque Monaſteria Monialium, etiam Sanctæ Claræ ingrediendi, etiamſi Regularium curæ ſubdita ſint.

§. 6. Quidam verò ſub prætextu exquirendi voluntates puellarum, ante profeſſionem earum volunt eas extrahere à Monaſteriis, & per longum tempus alibi detinere, ipſaſque puellas, ſeu novitias de pleriſque rebus interrogant, neque neceſſariis, neque in Decreto Concilii Tridentini deſuper contentis, ex quibus non modica poteſt oriri occaſio ſcandali.

§.7. Alii verò plerique noluerunt quoſdam Regulares aliarum Diœceſûm ſacris Ordinibus initiare: ac etiam à ſui Ordinis Prælatis approbatos admittere nolunt.

§.8. Aliqui verò ſingulis Dominicis diebus in ſuos Parochianus ad ſonum campanæ excommunicationem promulgant, ut non poſſint intereſſe Miſſis, concionibus, & Divinis Officiis, niſi in propria Parochia. Alii verò ipſis prohibent, ut omnino in aliis Eccleſiis, etiam requiſiti, non celebrent. Alii verò in aliquibus partibus in eorum Eccleſiis conciones Sacræ Scripturæ, & ſermones pro mortuis haberi nolunt: & ſi aliquid ipſis relictum fuerit, ut ab ipſis Miſſæ dicantur, vel alia officia pro mortuis celebrentur, ipſis ſibi ea uſurpant, dicentes, quod ipſi ea exequi non poſſunt, quia ipſi ſunt Paſtores. Alii verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & exilii per decennium à Diœceſi, pœnâ inhibuerunt, ne Miſſæ in eorum Eccleſiis celebrentur in diebus feſtivis, antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebraverit. Alii etiam nolunt, ut, dum prædicatio in Eccleſia Cathedrali habetur, alibi prædicetur.

§.9. Ac inſuper in quibuſdam locis omnem ordinem & quietem perturbant, dum controverſias jamdiu ſopitas & extinctas ſuper præcedentia excitârunt, & ubi nullæ erant, pepererunt, dum pro arbitrio & voluntate eorum hos illis præferre voluerunt.

§.10. Quidam etiam Epiſcopi voluntRegulares à cura animarum excludi, & illam ſolis Presbyteris ſæcularibus committi.

§.11. Quidam verò quartam funeralium extendere volunt etiam ad Miſſas, legata, & alia quæcunque, quæ Domibus Regularium relinquuntur.

§.12. Alii autem volunt quartam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & eorum etiam, quæ pro victu Fratrum relinquuntur.

§.13. Aliqui etiam in quibuſdam partibus etiam volunt, ut non ſolùm jus ſepulturæ ſolvi conſuetum, quod ſemper ſolvitur, neque denegatur, ſed etiam omne illud, quod Eccleſiis Ordinum ad eorum libitum partes dant, quando ſepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum Curatis etiam de novo ſolvatur, inſtanter conantur, impedientes, ne aliter corpora defunctorum ad Monaſteria Fratrum deferantur, unde in hoc maximè tam partes, quàm ipſos Fratres gravari contingit.

§.14. Aliqui verò etiam ex locis Mendicantium, qui curam habent animarum, volunt pro Seminario decimas exigere, ac in caſu renitentiæ etiam pignus exigunt. Alii autem præfatos Fratres, ac Moniales ſub eorum cura degentes, ſubſidium Regium perſolvere cogunt, cum multæ earumdem Monialium vix habeant pro earum victu, & veſtitu neceſſaria vitæ.

§.15. Alii etiã in quibuſdam partibus pauperes Mendicantes eleemoſynas petere prohibent pro eorum dumtaxat ſubſtentatione, & ſi invenerint eos panem, vel aliquid aliud ſimile, amore Dei ſibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur, afficientes gravi injuria, & contumelia. Nonnulli verò Epiſcopi, vel Capitula Canonicorum pauperes Mendicantes, tam Fratres, quàm Moniales ſuorum Ordinum, tam de redditibus bonorum, ſi quæ habent, quàm de poſſeſſionibus, vineis, agris, & aliis ſuis bonis quibuſcumque, non ſolùm largitione fidelium ſibi conceſſis, ſed etiam aliàs juſtis de cauſis ab eis acquiſitis, ac pecuniis emptis, ſibi decimas, ac primitias aliis reſpectivè ſolvere cogunt.

§.16. Alii autem auſi ſunt inquirere, & proceſſus facere contra aliquos Regulares, intra Clauſtra delinquentes, vel, de quorum delictis aliqua erat ſuſpicio, non expectatâ ſuorum Superiorum cenſura. Alii verò Epiſcopi Monialium Monaſteria ingredi, & illa ingrediendi licentias aliis concedere, & adverſus illas proceſſus formare ipſorum Ordinum Superioribus irrequiſitis, præſumunt. Aliqui etiam dominium temporale ſuper Moniales habere prætendunt. Nonnulli verò frequentiſſimè Regulares citant, & juriſdictioni ſuæ ſubjicere tentant, ac eorum Conventum occupant, ipſos expellendo, ac in ipſos juriſdictionem, vel poteſtatem exercent. Aliqui verò ipſos carceribus, abſque cauſæ cognitione mancipant, ac manibus pedibuſque laborant, ut Regulares Mendicantes ſuæ ditioni ſubjiciant, & uſque adeo ſe intromiſerunt in gubernatione Conventuum, & in correctionibus Fratrum, ut Provincialibus & Generalibus nullus ampliùs videatur relictus locus, aut ulla juriſdictio.

§.17. Aliqui autem Conventuum Priores, & Guardianos rationes, & computa facere cum Syndicis Conventuum hujuſmodi prohibent.

§.18. Fratres quoque, qui ad Epiſcopos hujuſmodi recurſum habent, à Prioribus, & Guardianis præfatis caſtigari, & puniri interdicunt. Inhibent quoque Superioribus Ordinum, ne faciant proceſſus contra Fratres, ac in ipſos imperium, & brachium ſæculare exerceant.

§.19. Alii verò ipſos extra clauſtra degentes ſub eorum protectione recipiunt, eoſque ſic permanere permittunt, eoſque etiam

etiam invitis ſuis Superioribus detinent.

§.20. Aliqui verò bonorum ipſorum Fratrũ tamquam ad eos, ſi extra clauſtra defuncti fuerint, ſpectantium poſſeſſionem occupare præſumant, & ad Habitum Religionis reverſis ſua bona conſignare nolunt.

§.21. Ac etiam uniones â Sede prędicta, aut alias rite factas de beneficiis Eccleſiaſticis impediunt, & ſibi relaxari debere volunt, & contradictores excommunicationis gladio feriunt.

§.22. Alii verò Regulares campanas diebus feſtivis pulſare, vel eodem tempore, quo ipſi celebrant, Miſſas celebrare nolunt.

§.23. Aliqui etiam pro licentia danda ędificandi quamdam Domum Regularem, triginta, vel quadragiota ducatos exigere non erubuerunt.

§.24. Alii verò eos mortuorum corpora aſſociare, alii autem illos cum Parocho ſimilia muoera ſubire non permittunt, niſi major Canonicorum pars interveoerit.

§.25. Alii verò mortuorũ officia in Regularium Eccleſiis peragi nolunt, niſi eum ipſorum præſentia, & ipſorum Moniales, vel alias perſooas, etiamſi in earum funere Parochus intervenire non deberet, ſepelire prohibent, oiſi ipſi Parocho priùs certum quid ſulutum fuerit; & ſi aliquem ipſi ſciveriot in Regularium Eccleſiis ſepulturam elegiſſe, eum, ut dicitur, non ante ad illas deferre ſinunt, quàm ad Parochi Eccleſiam delatum, inibique officium peractum fuerit.

§ 26. Poſtremò verò teſtamẽta ſine Presbyterorum præſentia fieri prohibent, & ſi quid ipſis Regularibus relictum fuerit, id aſſerentes contra Concilii Trideotini Caoones eſſe, revocare omnino procurant.

Ac propterea volentes præmiſſis, ac aliis ſimilibus exceſſibus, & gravaminibus, ex noſtri paſtoralis officii debito providere, attendentes etiam illos, qui onus diei, & æſtus, tam in prædicationibus, quàm in ceteris ſpiritualibus muneribus quotidie ſuſtineot, niſi etiam aliquantiſper ſubleventur, facilè fore, ut oppreſſi â ſuis officiis omnino deſiſtant, ne inpoſterum eis aliquod inferatur gravamen, Concilii Tridentioi hujuſmodi decreta, quorum falsâ, ſeu minus vera intelligentiâ præmiſſa irrepſerunt, quorumque declaratio nno niſi ad Nos ſpectat, modo, & forma infraſcriptis declaranda eeoſuimus.

Sequuntur declarationes ad præpoſita gravamina.

Ad 1. Nos igitur Motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus Canonem ſeſſioois 24. c. 4. per quem omnibus Regularibus, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, contradicente Epiſcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum Fratres hujuſmodi, quando â ſuis Generalibus, vel eorum Miniſtris Provincialibus, ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere poſſe, immo volumus, quod in ſuis Eccleſiis, quando eis placuerit, licitè, & abſque ullo impedimento, vel contradictiooe, etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicaverit, prædicare poſſint.

Ad 2. Quod verò in ſeſſione 23. c. 15. circa confeſſiones â Regularibus non audiendas ſtatuitur, hoc etiàm dictorum Ordinum Fratres, â præfatis ſuis Generalibus, vel Miniſtris Provincialibus, ad audiendas confeſſiooes utriuſque ſexûs Chriſtifidelium approbatos, ut præmittitur, minimè comprehendat, itaut â coofeſſionibus audiendis, tam intra eorum Eccleſias, ac Domos, quàm extra, minimè prohibeantur, ſuper hoc literas fel. record. Pauli Papæ IV., etiam Prædeceſſoris noſtri, cooeedeotes eiſdem Fratribus Mendicantibus Regularis Obſervantiæ poſſe confeſſiones ſæcularium perſonarum, etiam infirmarum, etiam extra Domos, & Monaſteria ſua, & ubilibet audire, approbando, & de novo concedendo. Statuimus etiam, quod ille, qui ſemel in una Diœceſi admiſſus per Epiſcopum fuerit, ſemper in eadem Diœceſi habeatur pro admiſſo, oec amplius examioari, vel præſeotari in dicta Diœceſi debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quàm quoad coofeſſiones audiendas, nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat.

Ad 3. Confeſſores verò Monialium, quę degunt ſub cura Regularium ab Ordinario examinari nolumus, quemadmodum neque etiam Fratres, ſi debeant audire confeſſiones aliorum Fratrum, examinari debent. Lectores inſuper ex eiſdem Fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia ſuorum Superiorum ad gradum admiſſi fuerint, cum de ipſorum doctrina ambigendum non ſit, tam coofeſſiones audituri, quàm prædicatioois muous ſubituri, ab Epiſcopis mioimè examioentur.

Ad 4. Ipſique Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ (Reſurrectionis Dominieæ feſtivitate dumtaxat excepta) ſumere, eiſque illud Fratres hujuſmodi adminiſtrari valeant; nec ad illud faciendum per locorum Ordinarios, aut Eccleſiarum Rectores præfatos, ſeu alios quoſcumque (illorum licentiâ minimè requiſitâ) etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis pœnis, cogi, vel compelli poſſint, ſeu debeant, etiam decernimus, & declaramus. Et licèt io ſeſſione 25. cap. 12. caveatur, quod cenſuræ, & interdicta Eccleſiaſtica, etiam à locorum

Digitized by Google

Ordinariis promulgata mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicari debeant, tamen ſi tempore celebrationis alicujus ex feſtis Sanctorum Ordinum eorumdem, ac aliis feſtivitatibus juxta eorumdem Ordinum privilegia Apoſtolica, interdictum hujuſmodi emanaverint, illud in præfatis feſtivitatibus, & earum octavis ſuſpendimus.

Ad 5. Cum inhoneſtũ ſit, quemlibet in alienam meſſem falcem injicere; cumque ne Monialium Monaſteria nonniſi de Epiſcopi, vel Superioris licentia, & in caſibus neceſſariis, aliquis ingredi præſumat, in ſeſs. 25. cap. 5. prohibetur, boc tantùm in illis Monaſteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipſis pleno jure ſubſunt, in qoibus, in caſibus neceſſariis ipſi dare licentiam poſſint, & non in aliis Monaſteriis. Ita ut in præfatis Monaſteriis, quæ Ordinariis ipſis pleno jure non ſubſunt, ipſi Ordinari illa ingredi non poſſint, prout in regulis earum, ſeu de jure ſtatuitur, & eis aliquos proceſſus adversùs Moniales ipſas, ſeu Fratres bujuſmodi propterea, ſeu aliàs ipſorum Ordinum Superioribus irrequiſitis, quoquomodo formare, aut facere poſſe omnino probibemus, ita ut aliquam juriſdictionem, ſeu aliquod quodcumque dominium in Moniales, & Fratres hujuſmodi reſpectivè habere, excrcere, aut exequi nullatenus poſſint, aut debeant, imò illas, & illos omnes ab eorum ſuperioritate, dominio, & juriſdictione, & poteſtate eximimus, & liberamus, prout eis conceſſum eſt per ſua privilegia à Sede præfata obtenta: & ita præſatæ Moniales, ac Fratres ſint excluſi à ſuperioritate, & juriſdictione Ordinariorum reſpectivè hujuſmodi, ut etiam in illarum, vel illorum Syndicis, aut procuratoribus deputandis, vel in diſponendis illorum ſacultatibus, vel alia ſibi non competentia ſicienda nullatenus ſe intromittant; nec etiam Ordinarii ipſos Regulares præfatos citare, & jnriſdictioni ſuæ ſubjicere, ac eorum Conventus occupare, ipſos ab eis expellendo, ac in ipſos juriſdictionem aliquam, & poteſtatem exercere, ut præmittitur, aut ipſos carceribus mancipare, & contra ens aliud ſacere poſſint, ut ſuæ ditioni ſubjieiantur.

Ad 6. Volumus etiam, quod puellarum Deo dicsndarum, an ſcilicet coactæ, vel ſeductæ ſuerint, examen ſaciendum, nonniſi infra quindecim dies, poſtquam juxta Concilium Tridentinum Epiſcopi, vel eorum Vicarii requiſiti fuerint, fieri poſſit; quibus elapſis amplius in hoc illis ſe intromittere non liceat, cujus occaſione, nec Epiſcopus nec ejus Vicarius intra ſepta Monaſteriorum ingrediantur, ſed ſtent ante cratem ferream, & interrogationes alias, quàm eas, quæ præſatum Concilium Tridentinum jubet, eis ficri omninn prohibemus, ac ſimiliter vnlumus, quod puellæ, ſeu novitiæ ipſæ ad alias interrogatinnes reſpondere minimè teneantur.

Ad 7. Seſſione verò 23. cap. 8. neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus, ita quod Fratres hujuſmodi præſatos, etiam ſaeros Ordines à quolibet Antiſtite gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, Ordinarii loci minimè requiſitâ licentiâ, in locis, ſeu domibus Fratrum bujuſmodi, aut alibi recipere poſſint.

Ad 8. Et inſuper ſeſſione 22. decretum, per quod populum ſæpe ad ſuas Eccleſias ſaltem Dominicis, & majoribus feſtivis diebus, eonvenire debere monct, inſequendo, volumus, quod Fratribus Mendicantibus bujuſmodi non ſolùm probiberi nnn poſſit, ne Miſſas, & alia divina Officia ſaciant in eorum Eccleſiis, verùm etiam in quibuſcumque aliis, ubi celebrari Miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis, ſen ad id requiſitis, celebrare vsleant: ac etiam, quod conciones, & lectiones Sacræ Scripturæ, & ſermones pro mortuis, etiam in Eccleſiis facere, ae eleemoſynas pro celebrandis hujuſmodi Miſſis, & aliis Divinis Officiis peragendis, ſi eis illas dnnari, ſeu relinqui contingat, recipere, necnon Miſſas, & Divina Officia hujuſmodi etiam in diebus Dominicis, vel feſtivis, etiam antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebraverit, celebrare, & facere, quando eis videbitur, etiamſi tunc in Eccleſia Cathedrali prædieetur, prædicare: ac etiam quicumque utriuſque ſexûs Chriſtifideles, totius anni tempore illas, & illa in Eccleſiis Frstrum hujuſmodi audire poſſint. Ipſi Chriſtifideles ullatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordinarios, ſeu Rectores Parocbialium Eccleſiarum, aut alios quoſcumque ullo pacto, cauſa, vel occaſione non valeant, ſeu debeant, ſed præſati Cbriſtifideles audiendo Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſia Fratrum hujuſmodi diebus Dominicis, aut ſeſtivis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur.

Ad 9. Cõtroverſias autem omnes de præcedentia, quæ eadem ſeſſione 25. cap. verò 13. per Epiſcopum terminari mandantur, non niſi dursntes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innovari poſſe ſtatuimus.

Ad 10. Cumque licèt c. 11. Seſſionis 25. ſtatuat, quod in domibus virorum, ſeu mulierum, quibus animarum perſonarum ſæcularium eura imminet, nulli etiam ad nutum amovibiles inibi deputentur, niſi de Ordinarii

narii conſenſu, ac prævio examine hujuſmodi præcedente, ad curam hujuſmodi admitti poſſe omnino volumus præfatus Regulares.

Ad 11. Quartam autem funeralium, de qua ſeſſione 25. cap. 13. nequaquam ſolvere teneantur Monaſteria, quæ à quadraginta annis citra fundata exiſtunt, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantùm de Monaſteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipſam quartam ſolvere conſueverunt, & ubi ſolvi conſuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeu legatis, vel aliis, Fratribus ipſis, ſeu Monialibus hujuſmodi relictis, aut aliàs quomodolibet donatis, ſolvi debet, ſicque intelligi Concilii decretum quoad quartam hujuſmodi ſolvendam debere decernimus. Ubi verò non eſt conſuetudo ſolvendi quartam hujuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolvi debere declaramus.

Ad 12. Nec ad quartam, ſeu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, Palliorum, Planetarum, cortinarum, panoorum, & aliorum, quæ dictis Eccleſiis relinqui, vel dari contigerit, etiamſi pro victu Fratrum, aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur.

Ad 13. Ac etiam jus ſepulturę ſolvi tantum conſuetum Curatis, & non aliquid aliud eis ſolvi debeat, quamvis partes ad earum libitum Eccleſiis Ordinum hujuſmodi, ſeu eorum Fratribus, alia quæcumque tribuant, ſeu eleemoſynas elargiantur, quando ſepeliuntur ibidem corpora mortuorum hujuſmodi, nec propterea impediri debeant, quin poſſint defunctorum corpora præfata ad eorum Eccleſias tumulanda deferri facere.

Ad 14. Inhoneſtum quoque eſſe cenſentes, Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos, illorumque loca, etiamſi curam animarum habeant, ac quæcumque beneficia illis unita, ad contributionem pro ſemioario, aut decimarum aliquarum ſolutionem, imò illos & eorum domos, monaſteria, beneficia, & loca quæcumque, & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque poſſeſſiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque, tam ad ipſos, quàm ad Moniales præfatas, etiam per largitionem fidelium, ſeu aliàs juſtis de cauſis ab eis acquiſita, ac pecuniis empta, vel aliàs quomodolibet pertinentia minimè teneri, illoſque, & illas, à quibuſcumque decimis, primitiis, quartis, mediis, & aliis fructuum partibus, necnon ſubſidiis charitativis, etiam per Nos conceſſis, ad quorumcumque, etiam Regum, Principum, & dominorum temporalium inſtantiam, quacumque etiam urgentiſſima, & de neceſſitate exprimenda cauſa, ac etiam aliis quibuſcumque oneribus, tam ordinariis, quàm extraordinariis, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum, beneficiorum, & aliarum quarumcumque rerum, tam pro victu, quam veſtitu, aut alias ſibi neceſſariarum quomodolibet, etiam auctoritate Apoſtolica, nunc, & pro tempore impoſitis, ita ut penitus, & omnino ad alicujus rei contributionem minimè teneantur, omnino eximimus, & liberamus, illoſque, & illas, ad illos, & illa, etiamſi ſæculares, & aliæ perſonæ quæcumque in eas exigendi poſſeſſione fuerint, minimè teneri debere volumus: nec ſub capite 12. Seſſionis 25. comprehendi poſſe, vel debere decernimus.

Ad 15. Quod verò de uſu quæſtorũ eleemoſynarum auferendo loquitur ſeſſ. 21. cap. 8. id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri poſſe, vel debere, etiam decernimus, quin potius, cum eleemoſynis hujuſmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino eſſe declaramus.

Ad 16. Quoniã verò ex nimia Epiſcoporum ſibi irrogata auctoritate, ipſi perſonas regulares, ſuæ juriſdictioni ſubjicere omnino ſtudent, ac decreto Concilii præfati, ſeſſ. 25. cap. 14. edito, quo cavetur, quod ſi Regularis intra clauſtra exiſtens, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandaloſus ſit, termino ab Epiſcopo præfigendo, à ſuo Superiore omnino puniatur, ſin minus, ab Ordinario delinquens puniri poſſit, confiſi, variis indebitiſque gravaminibus Regulares afficiunt, Ordinarios præfatos aliquid contra Regulares in clauſtris degentes hujuſmodi quovis prætextu, occaſione, vel cauſa innovare non poſſe, vel debere, nec aliquas proceſſus contra ipſas perſonas regulares formare, aut facere poſſe volumus, niſi propter manifeſtum ſcandalum, & ſuorum Ordinum Superioribus prius conſultis, & negligentibus, alioquin omnia & ſingula contra præmiſſa facta, & geſta, ac facienda in futurum pro nullis & infectis habeantur.

Ad 17. Neque etiam ſe intromittãt ullo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione conventuum, tam Fratrum, quàm Monialium hujuſmodi, & illorum correctionibus, ſed omnia iſta, & alia neceſſaria ad correctionem, & gubernationem Fratrum, aut Monialium hujuſmodi, eorum Generalibus, ac Miniſtris, ſeu Provincialibus, vel aliis eorum, aut earum reſpectivè Superioribus, etiam ratione computa faciendi cum Syndicis Conventuum hujuſmodi, omnino relinquantur, nec ullo modo in prædictis per ſe, vel alios ſe intromittant.

Fra-

Ad 18. Fratres quoque, ſi contigerit eos ad hujuſmodi Ordinarios recurſum habere, à præfatis Generalibus Miniſtris, ſeu Provincialibus, Prioribus, Guardianis, ac aliis Superioribus caſtigari, & puniri poſſe, & debere, neque ipſos Ordinarios præfatis Superioribus Ordinum hujuſmodi, ullatenus inhibere, quinimo præfatos Superiores proceſſus contra Fratres ſuos, & Moniales hujuſmodi, quando opus fuerit, circa delictorum inquiſitionem, vel caſtigationem facere poſſe decernimus, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Ad 19. Inhibemus etiam ipſis Ordinariis, ne Fratres extra clauſtra degentes ſub eorum protectione recipiant, eoſque invitis ſuis Superioribus detineant.

Ad 20. Prohibemus quoque eiſdem Ordinariis, ne aliquo modo ſe intromittant in bonis dictorum Fratrum extra clauſtra ſuorum Monaſteriorum pro tempore degentium, ſive decedentium: & quamvis in Habitu, ſive abſque Habitu moriantur, volumus, quod eorum bona mobilia, & immobilia, ad Ordinem, quem profeſſi ſunt, pertineant, diſponenda juxta Conſtitutiones, ſeu ordinationes præfatorum Ordinum, neque illa Ordinarii præfati occupare præſumant, imò hujuſmodi, & ad Habitum Religionis revertentium bona omnia Monaſteriis ipſis, cum ea, quæ acquirit Monachus, de jure Monaſterio acquirantur, pertinere etiam decernimus.

Ad 21. Ac ipſis Ordinariis, ne quaſcunque uniones, etiam perpetuas, à Sede prædicta, vel aliàs, ut præfertur, hactenus factas, & pro tempore faciendas, de beneficiis Eccleſiaſticis, ſeu illorum fructibus, quin ſuum ſortiantur effectum, impediant, omnino etiam prohibemus, & cenſuras Eccleſiaſticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius eſſe roboris, vel momenti, ſimiliter decernimus & declamus. Inſuper volumus, quod præfati Regulares, quibus cura animarum eſt, poſſint per ſe ipſos juxta ſuorum Superiorum ordinationem, aut alios Vicarios, ſeu Capellanos ſæculares ipſorum Regularium nutu amovibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos, præfatam curam exercere: neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicujus partis fructuum conſignatione pro præfatis Capellanis, ſeu Vicariis ſæcularibus, ſi per tales curam exerceri contigerit, Epiſcopi ullo pacto ſe intromittant.

Ad 22. Prohibemus inſuper eiſdem Ordinariis, ac aliàs quibuſcumque perſonis, ne impediant ipſos Fratres, quando eis placuerit, tam in diebus Dominicis, ſeu feſtivis, aut aliis totius anni temporibus, campanas pulſare, & etiam tempore, quo ipſi celebraverint, Miſſas celebrare, necnon mortuorum corpora aſſociare, & illa per Fratres ipſos, quando in Eccleſiis ſuis præfatis delata fuerint, abſque præſentia Rectorum Eccleſiarum hujuſmodi ſepeliri facere, ac officia mortuorum hujuſmodi peragi poſſe, neceſſariamque præſentiam Rectorum, aut aliorum Clericorum, quin infirmi liberè ſua poſſint condere teſtamenta, minimè eſſe, ac ipſos Regulares legata, aut quævis alia ſibi in teſtamentis relicta exigere, & obtinere poſſe, neque aliquod jus in contrarium eſſe decernimus, & declaramus.

Ad 23. Licentias verò pro conſtruendis Domibus Regularibus, quæ 4. cap. 25. Seſſionis, niſi de Ordinarii licentia conſtrui prohibentur, gratis omnino dari, & nonniſi legitima ſubſiſtente cauſa, Superioribus explicanda illas recuſari poſſe.

Ad 24. Necnon Fratres præfatos, etiam ſolos, mortuorum corpora aſſociare, ac mandatum in die Cœnæ Domini fieri ſolitum in Eccleſiis, ſeu Domibus Fratrum cujuslibet Ordinum prædictorum, ſolemniter facere, & prædicta die prædicare horâ, qua eis videbitur, nec per locorum Ordinarios, aut Rectores Eccleſiarum, ſeu alios quoſcumque prohiberi poſſe, etiam decernimus, & declaramus.

Ad 25. Mandantes etiam univerſis locorum Ordinariis, ne mortuorum Officia agere Rectores Parochialium in Eccleſiis ipſorum Fratrum, contra illorum voluntatem permittant. Ac Moniales dictis Fratribus ſubditas vel perſonas ſepulturam in eorum Eccleſiis eligentes, nulla ſoluta Parocho portione, ſepelire, vel, ſi Fratres ad mortuorum corpora aſſocianda vocati fuerint, illa abſque Fratrum hujuſmodi præſentia ſepeliri facere audeant, vel præſumant.

Ad 26. Cumq; maximè deceat liberam eſſe cujuſvis teſtantis voluntatem, pravum illum uſum, parvo adhuc tempore, ut præfertur, introductum, per quem teſtamenta abſque Presbyterorum præſentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus.

Poſtremò, quod cap. 13. ſeſſ. 25. cautum fuit, quod omnes ſcilicet tam Clerici, quàm Regulares quicumque ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur, id quoad Fratres præfatos de illis tantum proceſſionibus intelligi volumus, ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel, pro victoria contra infideles indicuntur, quod etiam de illis Con-

Conventibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus Fratres ſub arctiori clauſura degunt, ita ut nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, ſed tantùm ſtudiis, & lectionibus vacent.

Præterea, ſi fortè inter Epiſcopos, vel Collegia, aut Capitula, vel alias quaſvis perſonas, & præfatos Fratres, ſeu Moniales, aut eorum aliquos, ſuper præmiſſis vel aliquo eorum, coram quocumque, ſeu quibuſcumque judicibus, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, tam in Romana Curia, quàm extra eam ubilibet lis, ſeu lites reſpective pendeant, Nos litem ſeu lites, & cauſam vel cauſas hujuſmodi ad Nos advocamus, ac illam, & illas, quarum ſtatum, ac nomina, & cognomina judicum, & collitigantium, præſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, caſſamus, & extinguimus, ac partibus ipſis perpetuum ſilentium deſuper imponimus.

Ac inſuper, ut facilius præmiſſa omnia illibata perſiſtant, omnia, & ſingula privilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, diſpenſtiones, favores, & gratias, quæ decretis Concilii Tridentini, aliàs quam, ut ſuperiùs eſt dictum, conceſſum, & declaratum, non contrariantur expreſſè, eiſdem Fratribus, necnon Monialibus quibuſcunque, & Sororibus Tertii Ordinis prædictorum Ordinum reſpectivè Ordinibus, ac illorum Eccleſiis, Domibus, & perſonis, etiam vivæ vocis oraculo, in genere vel in ſpecie, tam per rec. mem. Eugenium IV., Sixtum IV., Leonem X.; Paulum III., ac dictum Paulum IV., & Pium etiam IV. quàm alios quoſcumque Romanos Pontifices etiam Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem eamdem quomodolibet conceſſa, confirmata, & innovata, necnon noſtras, & Prædeceſſorum noſtrorum, ac alias quaſcumque deſuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum nomina, & alia de neceſſitate exprimenda, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, etiam præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, eaque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere, ac Fratribus, Superioribus, & perſonis Ordinum hujuſmodi, necnon aliis quibuſcumque, quos illa concernunt, ſuffragari debere, ſeu poſſe volumus. Necnon privilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, diſpenſationes, exemptiones, favores, & gratias, tam ſpirituales quàm temporales, modo, & forma, quibus conceſſa ſunt, etiam per viam communicationis, & extenſionis, activè, & paſſivè, inter ſe, & alios quoſcumque Ordines reſpectivè, de novo concedimus, illaque omnia, & ſingula ad Domos, & loca quæcumque dictorum Mendicantium Ordinum, & Monialium, quarumcumque, ac Sororum de tertio Ordine nuncupatarum in Congregatione viventium dictorum Ordinum, ut præfertur, hactenus recepta, & in poſterum recipienda. Necnon ad eorum perſonas, & bona, etiamſi privilegiorum, & aliarum gratiarum præfatorum authentica originalia, propter temporis antiquitatem, vel varias Urbis ruinas deperdita exiſtant, dummodo de eis aliàs legitimè conſtet, extendimus, & ampliamus.

Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcumque Judices, & Perſonas, quavis auctoritate ſungentes, etiam Cardinales, & Auditores præfatos, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & deffiniri debere, necnon, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Quocirca dilectis filiis noſtris, Prædicatorum Cardinali Protectori, & S. Hieronymi Generali Ordinum, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ etiam generali Auditori, nunc & pro tempore exiſtentibus per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum, aut Monialium, vel alicujus eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſdem in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt, pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos, vel aliquem eorum deſuper, contra præſentium tenorem per quoſcumque, etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum Eccleſiaſticum apponendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Non

Non obſtantibus præmiſſis, & aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, eiſdem Epiſcopis, vel quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu ſimili, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus; necnon omnibus illis, quæ in litteris confirmationis, & innovationis privilegiorum eorumdem, aliàs per eoſdem Paulum IV. & Pium etiam IV. Prædeceſſores nonoſtros prædictos, Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi conceſſorum, conceſſum eſt non obſtare, contrariis quibuſcumque; aut, ſi locorum Ordinariis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Et quia difficile foret earumdem præſentium litterarum notitiam, ad quaſcunque perſonas pervenire, & ubique illas præſentare, etiam Motu, & ſcientia ſimilibus, volumus & decernimus, quod tranſumptis earumdem præſentium litterarum, etiam per impreſſionem factis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, aut ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis, quemadmodum adhiberetur præſentibus litteris Originalibus, ſi præſentarentur, ubique adhibeatur, tam in judicio, quàm extra illud, plena, & indubitata fides.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, prohibitionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, advocationis, caſſationis, extinctionis, impoſitionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, conceſſionis, extenſionis, ampliationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, decimo ſeptimo Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. Rom. tom. 4. part. 2. fol. 373. Bull. Ord. Præd. tom. v. fol. 157. & paſſim.

Ex Bibliothecis Fratrum Minorum libros furtivè ſubtrahentes excommunicat.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut accepimus, nonnulli conſcientiæ ſuæ prodigi, & avaritiæ morbo laborantes libros ex Bibliothecis nonnullorum Monaſteriorum, & Domorum Ordinis Sancti Franciſci furto extrahere, & penes ſe pro eorum uſu retinere non vereantur, in animarum ſuarum periculum, & ipſarum Bibliothecarum, & Fratrum ejuſdem Ordinis non modicum præjudicium. Nos ſuper his, prout noſtro incumbit officio, de opportuno remedio providere volentes, motu proprio, & ex certâ ſcientiâ noſtrâ univerſis & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali dignitate præfulgeant, tenore præſentium mandamus, ne ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua librum aliquem, aut quaternum furto ſubtrahere quoquo modo præſumant. Nos enim quoſcumque ſubtrahentes excommunicationis ſententiæ ſubjacere volumus, & decernimus ipſo facto, à qua nullus ab alio, quàm à Romano Pontifice poſſit, niſi duntaxat in mortis articulo, abſolutionis beneficium obtinere: Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Verùm, quia difficile foret præſentes

tes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens foret deſerri, volumus, quod illarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis prorſus in judicio, & extra, ac aliàs ubilibet fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV. Novembris MDLXVII. Pontificatûs noſtri Anno tertio.

Rodriq. in Coll. privil. fol. 427.

Privilegia de retinendis, aut recipiendis alterius Ordinis Fratribus annullat.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quæcunque ſacrarum Religionum ſtatum offendere noſcuntur, noſtrum Nos incitat officium de medio removere. Quamquam enim de cohibendis Regularibus ad alium Ordinem translatis Sancta Synodus Tridentina ſalubri conſilio decrevit, ut nemo cujuſcunque Ordinis Prælatus vel Superior, vigore cujuſvis facultatis, illorum quempiam ad Habitum, & Profeſſionem admittere poſſit, niſi ut de Ordine, ad quam transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat. Multi tamen Superiores & Prælati, obtentu privilegiorum quamplurimos Apoſtatas, & alios diverſorum Ordinum ad ſe ob jurgia, contentiones, levitatem, & malefacta ut maximè fugientes, eo etiam conſilio receptare non deſinunt, ut illorum opera in curandis infirmis, gerendiſque eorum locorum rebus, & negotiis utantur, ex qua re plerique ſolutiores effecti, & quaſi impunitatem aſſecuti, non perſonas tantùm eorum Ordinum, unde animadverſionis metu fortè exierant, ſed & ipſorum Ordinum ritus, moreſque maledictis inſequuntur. Quocirca, cum ejuſmodi privilegia veniant abroganda, quandocunque inſigniter comperiuntur nocere, vel etiam ſcandala generare, Nos his aliiſque rationabilibus cauſis adducti, & ut quibuslibet hujuſmodi effugia præcludamus, de Nobis attributæ poteſtatis plenitudine revocamus & abolemus omnia & quæcunque privilegia, facultates, diſpenſationes, & indulta recipiendi, vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, & alios etiam laxiorum Ordinum Profeſſores, quibuſcunque Ordinibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Militiis, & piis locis, etiam Sancti Antonii Viennen., Sancti Spiritûs in Saxia de Urbe, Sancti Joannis Hieroſolymitani, Jeſu Chriſti, Sancti Jacobi de Spatha, Sancti Lazari Hieroſolymitani, eorumque Eccleſiis, membris, Superioribus & perſonis, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam tam in ipſorum Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum inſtitutione, quàm deinceps quomodocunque, ac quotieſcunque, etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi & ſtipulati contractûs, & aliàs ſub quibuſcunque tenoribus & formis ac cum quibuſvis reſtitutionibus, præſervationibus, mentis atteſtationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque ſimili poteſtatis plenitudine, etiam pauperum infirmorum miſerabilium, & cujuſcunque alterius pii operis intuitu, ac etiam ex quibuſcunque aliis cauſis quantumvis gravibus, charitativis, & neceſſariis, etiam conſideratione, vel ad ſupplicationem Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, deque illorum conſilio, & matura liberatione priùs habita, conceſſa, confirmata, & etiam multiplicatis vicibus innovata, extenſa, vel etiam moderata. Caſſamus quoque & annullamus quoad illa omnes Apoſtolicas, & alias litteras ſuper iis confectas, ac proceſſus, & alia inde ſecuta quæcunque. Ac volumus ea omnia vires & effectum de cætero non habere, ita ut poſthac illorum ſic revocatorum prætextu Prælati, & Superiores prædicti, aut alii quicunque nullum prorſus alterius etiam laxioris Ordinis, vel Obſervantiæ Regularem, etiam ſpecialem tranſeundi ad ipſos licentiam ferentem, ad Habitum & Profeſſionem Regularem in ſuis quiſque Monaſteriis, Domibus, locis, vel Ordinibus, etiam ut in clauſtro perpetuò maneat, admittant, nec omnino quemquam recipiant, vel retineant. Eos verò, quos jam habent translatos, ad eorum Superiores & loca ejus Ordinis, unde erant profecti, quamprimum remittant. Decernentes admiſſiones, receptiones, & retentiones hujuſmodi nullâ firmitate ſubſiſtere, neminemque prorſus ulli voto, ulli ve Regulæ, vel obſervantiæ, etiam juramento, aliave ſolemnitate promiſſæ, obli-

ligare, necnon irritum & inane, quicquid ſecus per prædictorum, aut quoſcunque alios quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quicunque verò aliquem contra hujus noſtræ revocationis tenorem admiſerint, aut receperint; illos, aut quos jam habent translatos, aut receptos retinuerint, eos omnibus & ſingulis dignitatibus, adminiſtrationibus, beneficiis, officiis, fructibus, & penſionibus Eccleſiaſticis, præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles eſſe volumus eoipſo. Quocirca omnibus locorum Ordinariis, in quorum Diœceſibus loca prædicta conſiſtunt, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios de translatis prædictis auctoritate noſtra cognoſcentes, in eos, quos contra præſcriptum noſtrum degere invenerint, ac etiam recipientes, vel retinentes, rejecto quocunque exemptionis privilegio animadvertant, ipſoſque præterea translatos, vel retentos, ad priores Ordines, & diſciplinam remittere procurent. Contradictorus quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, cæteraque juris & facti remedia opportuna, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, Hoſpitalium, Militiarum, Ordinum, & locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, quodque Prælatis & Superioribus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim à prædicta ſit Sede indultum, quod litteris revocatoriis ſub quacumque formula editis nullatenus, vel niſi modis & formis in hujuſmodi indultis contentis parere, & ob non paritionem aliquas cenſuras & pœnas incurrere, aut aliàs interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, necnon Monaſteriis, Hoſpitalibus, Militiis, & Ordinibus hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis generalibus & ſpecialibus, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine conceſſis, cujuſcunque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel omnino non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, quæ omnia nolumus cuiquam contra prædicta in aliquo ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium exempla edantur, eademque etiam impreſſa, Notarii publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici, ejuſve Curiæ ſigillo obſignata, eandem illam ubique locorum fidem in judicio, & extra illud faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, abolitionis, caſſationis, annullationis, privationis, voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Pridie idus Octobris, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Bullar. Roman. tom. 4. part. 3. fol. 79.
Bullar. Ordin. Prædic. tom. 7. fol. 182.
Rodriq. in coll. fol. 418.

Novitias Ordinis Prædicatorum in articulo mortis, & in ætate legitima conſtitutas, etiam ante tempus, Profeſſionem emittere indulget, & decedentes, Indulgentias & remiſſiones peccatorum in forma Jubilæi Profeſſis conceſſas, conſequi declarat.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Summi Sacerdotii cura, meritis licèt imparibus, Nobis ex alto commiſſa requirit, ut votis illis, per quæ animarum Chriſtifidelium, præſertim Sanctimonialium, virtutum Domino, ſub ſuavi Religionis jugo, virgineaque perpetuæ caſtitatis laureolâ famulantium, ſaluti, ſpiritualique conſolationi conſulitur, libenter annuamus, illaque favoribus proſequamur opportunis. Sanè exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Novitiarum nuncupatarum ad Regulam profitendam Ordiuis S. Dominici FF. Prædicatorum præparatarum, petitio continebat, quod, quoniam aliquando accidit, ut illæ, durante tempore probationis illarum, ad emittendam Profeſſionem Regula-

rem,

rem, & ante illius emiſſionem ab hac vita migrant, & in dicto tempore probationis, obſtantibus Conſtitutionibus, ſive ſtatutis & ordinationibus, non valentes dictam profeſſionem emittere, carent cœleſti merito, quo ex dono & benignitate Sedis Apoſtolicæ, cæteræ dicti Ordinis Moniales Profeſſæ in dicta Profeſſione, & Regula decedentes gaudent. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem animarum dictarum Monialium Novitiarum, ſic ante Profeſſionis emiſſionem, & durante tempore probationis earundem decedentium, ſincero deſideramus affectu, ipſaſque Moniales Novitias, & earum ſingulas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Monialibus Novitiis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, ut quando, & quoties aliqua ex eis nondum profeſſa, de alicujus Medici conſilio ab hoc ſæculo tranſitura conſpicitur, ipſa pro conſolatione animæ ſuæ profeſſionem prædictam ante tempus requiſitum, quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit, ad illam emittendam in manibus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, vel alterius Superioris Novitiarum ipſius Monaſterii, ſeu Domûs, ita tamen, quod ipſæ Moniales Novitiæ ſic decedentes, Indulgentiam & alias gratias, quas Moniales verè profeſſæ decedentes conſequuntur, conſequi poſſint, emittere in articulo mortis, liberè & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus: necnon eiſdem Monialibus Novitiis ita tunc profeſſis decedentibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem in forma Jubilæi, miſericorditer in Domino auctoritate & tenore elargimur, ac conceſſionem, indultum, & elargitionem hujuſmodi, ac præſentes litteras ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum & gratiarum ſuſpenſionibus, revocationibus, & limitationibus, etiam in favorem quorumcunque factis, & faciendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & de novo conceſſas exiſtere, ipſiſque Monialibus ſic decedentibus, & Profeſſionem emittentibus, ſuffragari poſſe; ſicque per quoſcunque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, & S.R.E. Cardinales, ac Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores, ſublatâ eis, & eorum cuilibet &c. contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii ſeu Domûs & Ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Auguſti MDLXX. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

*Rodriq. in coll. privil. pag.*420. *Bull. Ord. Præd. tom.*5. *fol.*249.

N O T A

PRivilegium hoc non eſt ita peculiare RR. PP. Prædicatorum Ordini, quin cæteris Ordinibus, communicationem privilegiorum Ordinum Mendicantium cum illis habentibus, commune, concordi Doctorum ſenſu reputetur & ſit. Profeſſio autem hujuſmodi facta, non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro fori valida eſt, & proprietates omnes, quæ actum veræ profeſſionis conſequuntur, contrahit: nec Novitius ille, ſi convaleſcat, tenetur ad explendum probationis annum, nec vota iterare debet, & verè Religioſus erit, etiamſi poſt paucos dies ab Habitûs ſuſceptione profiteretur. Quod tamen intelligendum velim de Novitiis iis, quibus profeſſio abſolutè, ſeu nulla conditione adhibitâ, data eſt. Qua de re prudenter ſe gerant oportet Superiores, & dum Novitio, quem propediem moriturum cenſent, conſulere ſatagunt, Religioni etiam ut conſulant neceſſe eſt, ne præmatura profeſſio huic, Novitio convaleſcente, vergat in præjudicium.

An autem Indulgentia per modum Jubilæi à Sancto Pontifice Novitiis hujuſmodi conceſſa, in revocatione Pauli V., de qua infra, comprehendatur, diſceptant Authores; quos & in ſua lite relinquo, & cum eo, quod certum eſt, finio, dicens cum P. Teodoro aliàs jam laudato in *tract. Dogmatico-Mor. part.*2. *fol.*100. *col.*2. Novitios in mortis articulo exiſtentes & profeſſos lucrari indulgentiam à Paulo V. Regularibus conceſſam, cum juxta communem Doctorum ſententiam in favorabilibus nomine Regularium & Religioſorum comprehendantur.

Magiſtro Generali, Vicariis, & Provincialibus Ordinis RR.PP.Prædicatorum in qualibet Provincia unum vel plures Religioſos in Notarios creandi facultatem largitur.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum Paſtoralis officii Nobis, meritis licèt imparibus, ex alto commiſſi Nos admonet & inducit, ut circa Religionum quarumlibet, præſertim Ordinis FF. Prædicatorum S. Dominici, ad quem patrio quodam jure peculiarem gerimus paternæ charitatis affectum ſtatum proſperè dirigendum, & reſcripta Apoſtolica quæcumque publicam, ac aliàs privatam dicti Ordinis, & Fratrum, ſive Monialium ejuſdem utilitatem concernentia, per probos, & idoneos ejuſdem Ordinis Religioſos, perſonis, quibus ſuerit opus, intimanda, & inſinuanda, ac debitè eſequenda, ſtudiis invigilemus aſſiduis, ac aliàs omnibus illorum incommodis, & neceſſitatibus conſulamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut Nobis, dum in minoribus conſtituti eſſemus, ſatis comprobatum ſit, quod Fratres, Religioſi, & Moniales dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici, ſive Ordinem ipſum, vel illius Regulam profitentes, quem quidem Ordinem expreſsè profeſſi ſumus, & tam univerſaliter, quàm particulariter, quamplura damna, incommoda, & detrimenta patiuntur, & impenſas ſuſtinent, ex eo quod Notarii tam clerici, quàm laici ſæculares, etiam Apoſtolica, Imperiali, Regali, aut alia auctoritate creati, & conſtituti, in pleriſque mundi partibus, regionibus, regnis, provinciis, dominiis, & locis exiſtentes ex eis oriundi, ſive aliàs inibi commorantes mandata, conceſſiones, gratias, privilegia, & indulta, aliaque reſcripta Apoſtolica, tam ad publicam, quàm ad privatam utilitatem emanata, ſive conceſſa, & bonum, ſive commodum publicum, ſive privatum concernentia, Dominis temporalibus, ſive poteſtatibus, Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, ac aliis Dominis, & Perſonis, quibus intimanda, ſive inſinuanda veniunt, ac intimare ſeu inſinuare oportet, intimare, notificare, ſive inſinuare variis confictis reſpectibus recuſant, ſive non audent, contra eorumdem officii liberum, & publicum exercitium, debitamque Sedi Apoſtolicæ obedientiam, ac in non modicum publicæ, & privatæ utilitatis, & commodi præjudicium & detrimentum.

Nos igitur cupientes, quantùm cum Deo poſſumus, in præmiſſis Ordini, & Fratribus præſatis, ac etiam Monialibus ipſis, de opportuno remedio providere, & dictis incommodis, detrimentis, expenſis, & damnis eorum obviare, neve mandata, privilegia, gratias, conceſſiones, indulta, & reſcripta Apoſtolica in genere, vel in ſpecie dicto Ordini, Magiſtro Generali, Vicario, Procuratori Generali, Provincialibus, aliiſque Superioribus, Prioribus, & Fratribus, & eorum ſingulis, dictiſque Monialibus, ſive earumdem Abbatiſſis, Prioriſſis, & earundem etiam ſingulis ejuſdem Ordinis, ſive dictum Ordinem, & illius Regulam profitentibus, quomodolibet in genere, vel in ſpecie conceſſa, aliaque mandata, & reſcripta Apoſtolica publicam, vel privatam ipſius Ordinis utilitatem quomodolibet concernentia, & emanata, ob id debito careant effectu, & vacua remaneant, providere volentes, ipſoſque Ordinem, ac illius Magiſtrum Generalem, Vicarium, Procuratorem, & Fratres, ac Abbatiſſas, & Prioriſſas, & Moniales, eorumque ſingulos, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon nomina, & cognomina Magiſtri Generalis, Provincialium, Vicariorum, Procuratorum, & aliorum Superiorum, ac dictarum Abbatiſſarum, Prioriſſarum, & Monialium, invocationeſque, denominationes, & dependentias Monaſteriorum, Domorum, Conventuum, & aliorum Regularium locorum, tam virorum, quàm mulierum dicti Ordinis, ac etiam mandatorum, conceſſionum, indultorum, reſcriptorum, aliarumque gratiarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, modernis, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Magiſtro Generali, Vicariis, & Provincialibus, tam citra, quàm ultra montes, ac aliàs ubilibet conſtitutis, quod in unaquaque eorum Provincia, unum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis beneviſos dicti Ordinis Religioſos, ſeu Fratres, probos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, & ab ipſis approbatos, in Notarios creare, conſtituere, & deputare, qui ſic creati, con-

ſti-

ſtituti, & deputati, ſine aliquo reſpectu, & omni recuſatione ceſſante, liberè, quoties requiſiti fuerint, omnia & ſingula mandata, privilegia, conceſſiones, gratias, & indulta Apoſtolica, aliaque tam univerſalia, quàm particularia dicto Ordini, ac quibuſvis illius, quæ de obſervantia ſunt tantùm, locis, domibus, Conventibus, Monaſteriis, & Eccleſiis, tam virorum, quàm mulierum, ſeu ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali, Provincialibus, Vicariis, Prioribus, ac aliis Superioribus, Fratribus, ac Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, & aliis perſonis ſub Regula dictorum Fratrum degentibus, & quæ ſunt Obſervantiæ tantùm, in genere, vel in ſpecie, & ad univerſam, ſeu privatam utilitatem conceſſa, & emanata reſcripta Apoſtolica eiſdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus quibuſcunque, ubi, & quoties opus fuerit, ac ad id requiſiti fuerint, notificare, inſinuare, & intimare, ac eoſdem juxta mandatorum, conceſſionum, indultorum, privilegiorum, & reſcriptorum hujuſmodi, formam, continentiam & tenorem, monere, & requirere, aliaque omnia & ſingula, circa ea requiſita, & opportuna facere, gerere, exercere, & exequi, ac de eiſdem omnibus & ſingulis, publicos, & publica actus, & inſtrumenta, coram teſtibus ad hoc requiſitis conficere, & ſtipulari, ac in notam redigere, & exinde ſemel, vel pluries, prout ad id requiſiti fuerint, unum, vel plures, ac plura publica, & privata actus & inſtrumenta, quibus eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, ac ubique, ac ſi per alios quoſcunque publicos & autenticos rogatos Notarios ſtipulata, confecta, publicata, & autenticata fuiſſent, conficere, & debitis ſignis, & characteribus, ſubſcribere, publicare, & autenticare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem impartimur, concedimus & indulgemus, eiſdemque actis, notis, inſtrumentis, & ſcripturis, per dictos Religioſos, ut præfertur, Notarios deputatos ſtipulatis, confectis, &, ut præfertur, autenticatis, plenam & indubitatam fidem ubique, tam in judicio, quàm extra, adhiberi debere, ac eoſdem ſic intimatos, monitos, & requiſitos ab eis, afficere, & arctari debere, volumus, ſtatuimus, & ordinamus, mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, & indignationis noſtræ, ac ſuſpenſionis à divinis, quoad Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quoad alios verò inferiores, ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, locorum Ordinariis, & aliis quibuſvis perſonis, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ordinis, & conditionis exiſtentibus, & quacumque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, ſeu poteſtate, etiam Legati de latere, ac Cardinalatûs honore fungentibus, ne ipſos Notarios, ut præfertur, deputatos, & electos, ſive eorum aliquem in executione ſupradictorum omnium, quovis nomine impediant, ſeu impedire, aut perturbare audeant, vel præſumant, ac decernentes præſentes litteras, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, ſeu intentionis noſtræ vitio, ſeu defectu notari, ſeu impugnari, ac ſub quibuſvis revocationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, à Nobis, vel Succeſſoribus noſtris emanandis comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, etiam ſub data per eoſdem Magiſtrum Generalem, Provinciales, & alios ſupra nominatos eligenda, conceſſas, reſtitutas, & plenariè reintegratas exiſtere, & ſic per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis Filiis Jacobo tit. S. Mariæ in Coſmedin Presbytero Cardinali de Sabellis nuncupato, noſtro in Alma Urbe Vicario, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti nunc & pro tempore exiſtentibus, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magiſtri Generalis, Procuratoris, Provincialium, & aliorum prædictorum, ſeu alicujus eorum, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum ſingulos, indulto, conceſſione, voluntate, ſtatuto, ordinatione, mandato, & decreto noſtris hujuſmodi, juxta earumdem præſentium tenorem, pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per ſententias, &c. Non obſtantibus felic. record. Bonifacii Pp. VIII. Præ-

Prædeceſſoris noſtri, de una, & Concilii Generalis &c. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus &c. Volumus autem, quod tranſumptis præſentium, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique locorum adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipſis originalibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Martii MDLXXI. Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Bull. Roman. tom.4. part.3. fol.158. Bull. Ord. Prædic. tom. 5. fol. 269. Rodriq. in coll. fol.421.

N O T A

JAm quidem à Julio Papa III. P. Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum per Conſtitutionem *Cum ad Officii*, quæ in novo eorum Ordinis Bullario reperitur, facultas Notarios ſeu Tabelliones creandi fuerat conceſſa, ad S. Inquiſitionis favorem limitata, commodo autem & neceſſitati Ordinis, quem ſuâ votorum profeſſione decoravit, S. Pius V. conſulturus, eam extenſiorem dedit, dum Conſtitutione præpoſitâ non ſolùm prædicto Magiſtro Generali, ſed etiam Vicario & Provincialibus, tum citra, quàm ultra montes, ac aliàs ubilibet conſtitutis indulſit, ut in unaquaque eorum Provincia duos, tres, quatuor vel quinque, aut plures eis beneviſos Religioſos in Notarios creare, conſtituere, ac deputare poſſint. Privilegium hoc aliis Ordinibus, quos inter—& RR. PP. Dominicanos privilegiorum viget communio, eſſe commune, ex concordi patet Doctorum ſenſu, præſertim Rodriquezii *tom.* 3. *quæſt. Regul. qu.* 8. *art.* 1., Antonii à Spiritu Sancto *in Direct. Regul. de privil. tract.* 2. *diſp.* 1. *ſect.*4 *fol. mihi* 34, Peyrini *in Privileg. Regul. ad dict. Conſtitut. S. Pii V. num.*2. *fol.mihi* 285., Paſſerini *tom.* 2. *de Homin. ſtatibus quæſt.* 187. *art.* 2. *verb. Tabellio fol. mihi* 318. *col.* 2. *num.*42., Novarii *in Lucerna Regul. verb. Notarius num.* 1., Matthæucci *in Offic. Curiæ verb. quoad Prael. Regul. fol.* 314. *num.* 34. Ab Ameno *de pænit. tit.*1. *quæſt.* 16. *num.*135. *&c.*

Ex peculiari autem relatione, quæ Ordinem PP. Dominicanorum inter—& Ordinem Minoritanum intercedit, in mutua intimaque DD. Dominicum inter—& Franciſcum olim vigente ſpiritûs unione fundata, debet illius participatio teneri Ordini Minoritano ſpecialis.

De jure communi quidem Monachus à Notariatûs officio excluditur, tum, quia mundo mortuus cenſetur *L. Deo Nobis C. de Epiſc. & Cler.*, tum, quia non eſt ſui juris *Cap. non dicatis* 12. *quæſt.*2. *cap. ex parte de accuſ.* tum, quia negotiis ſæcularium ſe ſe implicare non debet, *l. repetita C. de Epiſc. & Cler.*, quod & firmat extravagans *debent circa medium verſ. quas quidem Monachos de offic. ordinar.* ac Gloſſa *in* §. *ad conſcribendas in verb. præmiſſa*, & Jo. Andreas cum plurimis aliis à Proſpero Fagnano *Comment. edit. Colon. in* 2. *part.* 3. *lib. Decret. cap. ſicut te, Ne Clerici vel Monachi num.*30. relatis tenet. Experientia tamen cum recurſum ad ſæculares pro authenticandis, & intimandis Apoſtolicis mandatis & gratiis difficilem probaſſet, Religioſos contra jus commune, privilegio muniri neceſſum fuit. Hoc ad Generales, Vicarios, & Provinciales arctatum eſſe ipſa Bullæ Pianæ verba indicant, plures tamen, Auctores extra hæc egrediuntur, & ad Priores & Guardianos illud extendi arbitrantur. Ejuſmodi autem egreſſus, & ſenſa contra clara Bullarum verba cum Curiæ Romanæ ſemper odioſa extent, iis accedere nequeo, & Superiores locales non vi Bullæ, ſed de jure communi, & in caſu neceſſitatis vel conſuetudinis duntaxat Notarios creare poſſe cum Paſſerino *loc. cit.* aſtruo; nam cum Superioribus localibus ex jure communi competat facultas tractandi intra Ordinem plura negotia, & ad interiora Religionis dignoſcenda Notarios ſæculares aſſumi non conveniat, neceſſariâ conſequentiâ ſimul & iis competit facultas conſtituendi Notarios, qui de actis authenticam præbeant fidem. Quo in caſu horum inſtrumentis plena adhiberi debet fides, haud aliter ac illam libris & Scripturis Campſorum, Mercatorum &c. adhibendam eſſe Auctores notant, imò eò fortiùs fides hæc Religioſo Notario debetur, quó ſincerior ex ipſo illius Religioſo ſtatu præſumitur. Hujuſmodi autem Notarii nonniſi impropriè tales dicuntur, cum non ſint perpetui & univerſales, ſicut illi creati à Generali vel Provincialibus.

Promiſcuè hi ſubditos ſuos ad officium hoc aſſumere nequeunt, ſed eos duntaxat ſeligere debent, quos conditionibus in Bulla Apoſtolica requiſitis inſignitos = *probatos videlicet, ac fide & doctrina idoneos* = noverint. Cum enim Notarius ſit Perſona publica, cujus ſcriptuis legitimè factis indubitata fides adhiberi debet, & ſub hoc nomine Religioſi à Superioribus Regularibus in Notarios creati juxta Lezana *tom.* 5. *in Mari Magno Servitarum num.*227. Sim. Barboſam, Everardum, Fulcum & alios à Quintanadvena *tract.*3. *ſingul.num.*6. relatos comprehendantur, nonniſi Religioſos virtute & doctrina præditos deputari oportet.

Modum illos creandi præſcribunt varii, reſtringiturque ad articulos ſequentes: Primò, debent ii adhibitis teſtibus ſufficientibus & idoneis, etiam ex Religione vocatis, præſtare juramentum fidelitatis ſub forma *in ſpecul. part.*2. *de inſtrum. edit.* §. *reſtat num.* 7. ita expreſſa = *Ego N. promitto & juro Deo Omnipotenti, & Sanctiſſimo D. N. Papæ N., & tibi Pater, quod meum fideliter exercebo officium in omnibus, & per omnia, ad hæc Sancta Dei Evangelia &c.* = Putatque Peyrinus *loc. cit.* poſt Aldret. *lib.*1. *de diſcip. cap.* 8. *num.* 8. & 9. juramentum eſſe de officii hujus eſſentia, haud aliter ac teſtes. Recepto hoc juramento, Prælatus ſeu Superior tradit Candidato calamum & atramentum dicendo: *accipe poteſtatem notificandi & intimandi in iſta Pro-*

Provincia quibuſcunque Perſonis, etiam Regibus, mandata, indulta, ac privilegia Apoſtolica, juxta Conſtitutionem S. Pii V. faciendique publicos actus & inſtrumenta, munitque novum Notarium litteris Patentibus, quæ legalitatis dicuntur, ſub hac formula conceptis. *Nos Fr. N. Provincialis N. auctoritate S. Pii Papæ V. per ſuas litteras datas Romæ die 21. Martii anno* 1571., *quæ incipiunt* = Debitum Paſtoralis = *creavimus, conſtituimus, & deputavimus in Notarium P. Fr. N. Virum moribus probum, fide & virtute idoneum, ad intimanda & notificanda quæcunque indulta Apoſtolica, & facienda quæcunque inſtrumenta &c. recepto priùs ab eo coram nobis genufiexo corporali juramento fidelitatis ad Sacra Dei Evangelia coram teſtibus infraſcriptis. Datum &c.*

Cui autem formulam hanc, retentâ tenoris ſubſtantiâ, immutare placeret, nullam juxta Peyrinum regulam lædit, imò ipſe Peyrinus, qui hanc *loco cit. de privil.* compendiatam dedit, illam *in formul. ſuo litt. N. cap. 1. fol. mihi* 475. ampliorem præbet. Officium & actus Notarii creati qui ſint, multùm non oportet ſcrutari, cum ipſa Piana Conſtitutio eos exprimat ſub verbis = *Qui ſic creati, conſtituti & deputati, ſine aliquo reſpectu, & omni ceſſante recuſatione liberè, quoties requiſiti fuerint, omnia & ſingula mandata, privilegia, conceſſiones, gratias & indulta Apoſtolica, aliaque tam univerſalia, quàm particularia dicto Ordini . . . . . conceſſa & emanata reſcripta Apoſtolica eiſdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, aliiſque Perſonis Eccleſiaſticis ac Sæcularibus quibuſcumque, ubi, & quoties opus fuerit, ac ad id requiſiti fuerint, notificare, & intimare, ac eoſdem juxta mandatorum, conceſſionum, indultorum, privilegiorum, & reſcriptorum hujuſmodi formam, continentiam, & tenorem monere & requirere, aliaque omnia & ſingula circa ea requiſita & opportuna facere, egere, exercere & exequi, ac de eiſdem omnibus & ſingulis publicos & publica, actus & inſtrumenta coram teſtibus ad hoc requiſitis conficere & ſtipulari, ac in notam redigere* = Quæ omnia ad Synopſin redacta, vi verborum Conſtitutionis Pianæ, conſtituunt Regularium Notariorum privilegium, in facultate omnibus cujuſcunque conditionis Perſonis Apoſtolica mandata, privilegia & reſcripta notificandi, ac publica deſuper inſtrumenta conficiendi.

Ex hac ipſa autem facultate Doctores communiter inferunt, poſſe & hujuſmodi Notarios Apoſtolica mandata & indulta, tam in publicam totius Ordinis, quàm in privatam cujuſcunque Religioſi, vel Religioſæ utilitatem emanata, tum tranſumptare, tum authenticare; nam, ut advertit Paſſerinus *loc. cit. fol. mihi* 320. *num.* 47. ſi hoc utrumque facere non poſſent, nec, quod iis conceſſum eſt, exequi, id eſt *Regibus, Principibus &c. intimare* valerent, cum originalia eorum, quæ intimantur, non ſemper ad manus haberi queant, nec ea iis mittere ob jacturæ periculum conveniat, ac ideo authentica inſtrumenta ad notificationem ſufficientia confici neceſſum eſt.

Inferunt pariter & eodem concordi ſenſu, poſſe eos intimare mandata, & exequi, tum ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ, tum Rotâ Romana, ac Sacris Congregationibus, tum ab aliis Judicibus Apoſtolicis in rebus Regulares afficientibus edita, cum hæc ſint verè mandata Apoſtolica, & tum ille, tum hi Perſonam Papæ, qui cauſas non per ſe, ſed per alios potiſſimùm cognoſcere ſolet, immediatè repræſentent.

Philacteria, ſeu facultatem Notariorum ultra verborum vim Peyrinus cum aliis dilatant & extendunt, Primò ad ea omnia, in quorum Apoſtolicis reſcriptis fidem adhiberi debere, ſi per manus Notarii publici ſint ſignata, mem .rantur. Secundò ad cauſas criminales Religioſorum. Tertiò ad informationes ab ingreſſuris Religionem, juxta Conſtitutionem Clementis VIII. ſumendas; nititurque hæc extenſio potiſſimùm his Pianæ Conſtitutionis verbis = *aliaque omnia & ſingula circa ea requiſita* =. Paſſerinus *loco cit.* hanc extenſionem, ceu apici verborum Bullæ diſſonam rejicit: concilio diſſidentes, & Notarios ea omnia tranſumptare, ſeu authenticare poſſe teneo, quæ cum mandatis Apoſtolicis ad favorem Religionis emanatis ſunt connexa: jam verò ſi de connexis & annexis idem judicium ferendum eſſe, certum ſit, conciliatio mea diſplicere non poterit.

Diu jam cum privilegium hoc in Provinciis diverſarum Religionum quietè exerceretur, Proſper Fagnanus ſuprà citatus, qui poſt tempora S. Pii V. ſcripſerat, quaſi ex fundo dejecit; dum in *cap. ſicut te, ne Clerici, & Monachi num.* 30. *fol. mihi* 427. Regulares ad officium Tabellionatûs promoveri à Sacra Congregatione Concilii vetitum eſſe publicavit, privilegiumque hujuſmodi Notarios creandi ad Priorem Monaſterii de Thomar Ordinis Ciſtercienſis limitavit. Cum autem poſtmodum, ut, ex eodem Fagnano *num.* 31. refert Paſſerinus *loc. cit. fol.* 319. *num.* 46., fuiſſet quæſitum, an obſtet Concilium, quominus Regulares. Apoſtolici privilegii vigore, Tabellionatûs officium exerceant eo modo, quo in litteris Apoſtolicis exprimitur? Sacra Congregatio cenſuit non obſtare, atque hujuſmodi privilegium nullo ejuſdem Concilii Decreto revocatum eſſe. Ex quo privilegium novum & tale robur accepit, ut controverti non poſſit.

Vi Bullæ Cruciatæ à Regularibus Conſeſſarium, qui eos à caſibus reſervatis abſolvat, eligi non poſſe, & ſuperioribus Ordinis &c. eandem quoad ſuos ſubditos, quæ Epiſcopis competit quoad populum ſibi ſubjectum, tum circa abſolvendi, tum diſpenſandi in irregularitatibus facultatem competere declarat.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis circumſpecta benignitas honeſtis petentium votis, quæ perſonarum ſub Religionis jugo Altiſſimo ſamulantium ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & ſavoribus proſequitur opportunis. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Prior Provincialis Provinciæ Hiſpaniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod, cum in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & aliis privilegiis, quæ ab Apoſtolicâ Sede concedi ſolent, detur ſacultas eligendi Conſeſſorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui poſſit Christifideles abſolvere à caſibus ab Ordinario reſervatis, & quibuſdam etiam, quæ prædictæ Sedi reſervata ſunt, Religioſi dicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli etiam his ſacultatibus uti præſumunt, & illarum prætextu eligunt Conſeſſorem aliquem præter eos, qui à ſuis Prælatis pro audiendis eorum conſeſſionibus deputati ſunt; quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum.

Quare prædictus Prior Nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur hujuſmodi obviare volentes, ac eundem Priorem à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem Cruciatæ Sanctæ, & aliorum indultorum particularium, quantùm ad prædictum articulum eligendi Conſeſſorem, & abſolvendi à caſibus reſervatis, cum Fratribus, & Sororibus, Monialibus totius Ordinis prædicti, tam Provinciæ Hiſpaniæ hujuſmodi, quàm extra eam ubilibet locum minimè habere, nec cenſeri, ſed noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem Fratres, & Moniales ad Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu Conſeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò declaramus, eiſdem tamen Prælatis; ut in uſu hujus poteſtatis, ſe cum ſubditis benignos, & faciles exhibeant, præcipientes & mandantes.

Et inſuper, quia ſacrum Oecumenicum Generale Tridentinum Concilium conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in ſoro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout Seſſione 24. cap. 6. habetur, ne Prior Conventualis, & ſuperiores Prælati dicti totius Ordinis tam in dictâ Provinciâ, quâm extra eam ubilibet in hac parte deterioris conditionis, quâm Clerici, aut ſæculares exiſtant, eiſdem Priori Conventuali, & ſuperioribus Prælatis, ut ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & laicos ſibi ſubjectos, tam quoad abſolvendi, & diſpenſandi hujuſmodi, quàm alias quaſcumque ſacultates, eiſdem auctoritate, & tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus. Decernentes præſentes litteras perpetuò durare, & valere, & ſub quibuſvis illarum conſimilium, vel diſſimilium, conceſſionum, indulgentiarum & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, derogationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes, aut Sedem Apoſtolicam, etiam ex quavis cauſa, aut aliàs quomodolibet canonicè, vel de ſacto, nunc & pro tempore ſactis & ſaciendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas exiſtere, & ſore, ac cenſeri, & ſuffragari debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Julii MDLXXI. Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Rodriquez in Collect. fol. 423. Confett. in Coll. fol. 226.

Regu-

Digitized by Google

Regulares cujuſcumque Ordinis, etiam Lectores, ac in Theologia graduatos, ad confeſſiones Sæcularium audiendas, ab Ordinariis approbari, aut admitti, admiſſos autem non ab eodem Epiſcopo, ſed tantùm à Succeſſore reexaminari poſſe ſancit.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam geſta per eum, rationabilibus & honeſtis ſuadentibus cauſis moderatur, & commutat in melius, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem quaſdam declarationes, & moderationes circa nonnulla Concilii Tridentini Decreta, Regulares perſonas Ordinum Mendicantium, eorumque inſtituta concernentia edidimus, & promulgavimus: Et quia, uti accepimus, illarum vigore Sacerdotes Regulares prædictorum Ordinum quandoque minùs idonei & inhabiles confeſſionibus Sæcularium audiendis ab eorum Superioribus præpoſiti, abſque aliqua Epiſcoporum, ſed ſola Magiſtri Ordinis Generalis, aut Provincialium Miniſtrorum approbatione admittuntur: Nos ſuper his pro debito Paſtoralis Officii, prout tenemur, ſalubriter providere volentes, tenore præſentium, hac noſtra Conſtitutione perpetua ſancimus, decernimus & declaramus, decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis Confeſſionibus ſæcularium præpoſitorum ab Epiſcopis facienda obſervari debere, etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam ſub Regulari diſciplina viventibus, etiamſi ſint Lectores, aut in Theologia etiam de Superiorum ſuorum licentia graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris Generalibus, vel Provincialibus Miniſtris, Sæcularium confeſſionibus audiendis expoſitis; Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in Civitate & Diœceſibus ſuis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari, ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poterunt. Inhibentes quibuſcunque Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab eiſdem Magiſtris, & Miniſtris Provincialibus, etiam quod illarum occaſione ab Ordinariis hucuſque tolerati fuerint, abſque ſpeciali inpoſterum licentia, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, Sæcularium Confeſſiones audire præſumant, decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac noſtris litteris prædictis, & aliis poſtea quibuſcunque Regularibus conceſſis, & forſan extenſis, quas, quoad ea, quæ præſentibus adverſantur & contrariantur, penitus, & omnino revocamus, caſſamus, & irritamus; necnon Monaſteriorum, & aliorum Regularium locorum, ac Ordinum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione &c. Quibus omnibus &c. Ut autem præſentes litteræ ad omnium, quorum intereſt, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, dicta auctoritate ſtatuimus & decernimus, ut ipſæmet litteræ, vel earum tranſumptum in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, Sancti Joannis Lateranenſis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ per aliquos ex Curſoribus noſtris publicentur, harum exemplo in ſingulis valvis, & acie prædictis affixo, dimiſſo. Verùm, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri; Volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earumdem litterarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, decreti, declarationis, inhibitionis, revocationis, caſſationis, irritationis, ſtatuti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, octavo Idus Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Rodriquez in Collect. fol. 419. Bull. Ord. Præd. tom. 5. fol. 285.

Privilegia Mendicantium, præſertim Ordinis RR.PP. Prædicatorum, circa conciones, Sepulturam &c. declarat, & noviter firmat.

PIUS PAPA V.

Univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Metropolitan., & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ac eorundem Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicariis in ſpiritualibus generalibus ubilibet conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

AD hoc Nos Deus prætulit in ſamilia Domûs ſuæ, ut ſingulis opportunæ proviſionis auxilia fidelis ſervitutis injuncta providentia, pro tempore diſpenſantes, Religioſorum quorumlibet, præſertim Fratrum Ordinis Prædicatorum, in humilitatis ſpiritu, ſub Religionis jugo, Deo ſervientium neceſſitatibus intendamus, ac diſpendiis & oppreſſionibus, Divina cooperante clementia, ſalubriter occurramus.

Sanè, licèt Nos, & quamplures Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, propter uberes fructus, quos dictus Ordo Fratrum Prædicatorum, multa præfulgens gloriæ meritorum, & gratia ſanctitatis, in agro militantis Eccleſiæ, in propagationem fidei Orthodoxæ eatenus produxerat, ac in futurum producturum fore, firma ſpe ſperabatur, &, ut Fratres ipſi quietiùs eorum ſanctis Officiis, vitæque Regulari, ac Verbi Dei prædicationibus libentiùs, & alacriùs ad ipſius Fidei Chriſtianæ propagationem incumbere valerent, & incumberent cum effectu, quamplurima privilegia, indulta, gratias, exemptiones & immunitates eis conceſſerint.

Et inter cætera, per quaſdam alias noſtras litteras declaraverimus, Canonem Seſſ. 24. cap. 4. Tridentini Concilii, per quem omnibus Regularibus, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, contradicente Epiſcopo, Prædicationis Officium interdicitur, Fratres hujuſmodi, quando à ſuis Generalibus, vel eorum Miniſtris Provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere, imò voluerimus, quod in eorum Eccleſiis, quando eis placeret, liberè, etiam abſque ullo impedimento, vel contradictione, etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicaret, licèt in Cathedrali Eccleſia tunc prædicaretur, prædicare poſſent.

Circa autem Quartam funeralium, de qua in Seſſione 25. cap. 13. ejuſdem Concilii, nequaquam Domos, ſeu Conventus, & Monaſteria, quæ à quadraginta annis citra tunc fundata eſiſtebant, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantùm de Monaſteriis, ſeu Domibus ante quadraginta annos fundatis, & quæ ipſam quartam ſolvere conſueverunt, & tantùm ceræ & aliorum, quæ tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeu legatis, vel aliàs Fratribus ipſis, ſeu Monialibus relictis, aut aliàs quomodolibet donatis, ſolvi deberet, ſicque decretum Concilii hujuſmodi, quoad dictam quartam funeralium ſolvendam, intelligendum eſſe decreverimus. Ubi verò non eſt conſuetudo ſolvendi Quartam funeralium hujuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolvi debere declaraverimus. Nec ad quartam, ſeu aliam partem eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Eccleſiis, ſeu Fratribus, etiam pro eorum victu, aut aliàs relinqui, vel dari contingeret, aliquid contribuere tenerentur, ac Curatis, ſeu Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, jus tantùm ſepulturæ eis ſolvi conſuetum, nec aliquid aliud, quamvis partes ad earum libitum Eccleſiis ipſorum Fratrum, ſeu eiſdemmet Fratribus, alia quæcunque tribuiſſent, ſeu elargiti fuiſſent, quando in eorum Eccleſiis corpora mortuorum ſepeliuntur, eis ſolvere, ſeu ad aliquorum onerum contributionem eiſdem Curatis faciendam teneri, nec propterea impediri poſſe Fratres ipſos, quin poſſent defunctorum corpora præfata, ad eorum Eccleſias tumulanda deferri facere. Neque dictos Fratres, illorumque loca, etiamſi curam animarum haberent, aut quæcumque beneficia eis unita, ad aliquam contributionem pro Seminario, aut decimarum aliquarum ſolutionem pariter teneri, nec cogi poſſe, imò illos, & eorum Domos, Monaſteria, beneficia, & loca ab illis quomodolibet dependentia, eorumque bona quæcumque tam ad eos, quàm ad Moniales præfatas quomodolibet pertinentia, à quibuſcumque decimis, primitiis, quartis, mediis, & aliis fructuum partibus, necnon ſubſidiis charitativis, etiam per Nos ex quacumque cauſa conceſſis, ac aliis quibuſcumque oneribus, tam ordinariis, quàm extraordinariis, necnon ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Ordinariorum locorum, ita ut Ordinarii ipſi aliquam juriſdictionem, ſive poteſtatem in eos exercere, ſive eos

eo-

eorum juriſdictioni ſubjicere, vel aliquid contra eos facere minimè poſſent, exemerimus, & liberaverimus.

Nihilominus, ſicut accepimus, nonnulli Epiſcopi, ſive alii locorum Ordinarii, aliique Eccleſiarum Prælati, necnon Canonici, ſive Capitulares perſonæ, ac Parochialium Eccleſiarum Rectores, aliæque tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæculares perſonæ, qui non ceſſant dictos Fratres, & Moniales, eorumque perſonas, ſive Œconomos, & Procuratores ſuper præmiſſis diverſimodè moleſtare, & ipſos in eorumdem qniete, & ſpiritualibus muneribus turbare. Alii enim prætendentes, quod cum Canon Concilii hujuſmodi, ſuper quo, ut præfertur, noſtra emanavit declaratio, non loquatur niſi de una quarta, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ ſolvi conſueta, nec dictum Concilium, nec Nos cogitaverimus de duabus qnartis, ſcilicet, ubi conſuevit ſolvi & Cathedrali, & Parochiali Eccleſiis, & ideo dictis in locis ceſſare diſpoſitionem dictæ declarationis noſtræ, & Canonis Concilii.

Alii verò etiam prætendentes, quod dictis noſtris declarationibus non obſtantibus, Fratres prædictos quantumcunque ab eorumdem Superioribus approbatos in eorum Eccleſiis, & locis prædicare non poſſe, niſi primò ſe coram Ordinariis ipſis, ſive eorum Vicariis, & licentiam ſuorum Superiorum muneris dictæ prædicationis præſentaverint, & ab eiſdem Ordinariis, ſeu dictis eorum Vicariis benedictionem obtinuerint.

Alii etiam locorum Ordinarii, necnon Canonici, & Capitulares perſonæ, tam Metropolitanarum, & Cathedralium, quàm Collegiatarum, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores, ſive aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, etiam prætendentes, dictos Fratres alienas Parochias cum eorum Cruce elevata ad levanda cadavera eorum, qui in Eccleſia Domorum, & locorum eorumdem Fratrum elegerint ſepulturam, intrare, & dicta cadavera ad ipſorum Fratrum Eccleſias pro eis inibi tumulandis, recuſante ipſo loci Ordinario, ſive Capitulo vel Rectore deferre, ſeu deferri facere non poſſe.

Alii autem ex conſuetudine prætendentes, quod Fratres ipſi cum eorum Cruce non poſſint levare cadavera defunctorum ex eorumdem Domibus, & eorum funus exequi, ſed Capitulis, ſeu Capitularibus perſonis, ſeu Rectoribus ipſis id tantùm licere, & primò ad ipſorum Capitulorum ſive Presbyterorum Eccleſias dicta corpora deferri debere, & in eiſdem Eccleſiis funus, ſive funeris officium peragi, poſtea verò per ipſos Presbyteros, retentis funeralibus univerſis, ſive ſolutis ſibi certis pecuniis per hæredes defuncti pro funere & exequiis, ſive Miſſis in eorum Eccleſiis celebrandis, tunc, & non aliàs licere Fratribus corpus, ſive cadaver defuncti ad eorum Eccleſiam deferre.

Alii etiam prætextu diverſarum conſuetudinum, & concordatorum, etiam eum dictis Fratribus initorum, prætendentes à dictis Fratribus, & Monialibus velle habere, & ſibi eligere licere quartam, ſeu aliam portionem, etiam quorumcumque legatorum, ſeu aliarum piarum largitionum, ipſis Fratribus & Monialibus, ſive eorumdem Domibus, Eccleſiis, & locis quoquomodo factarum.

Alii etiam prætendentes juriſdictionem, & ſuperioritatem in dictos Fratres & Moniales, eorumdemque Domos, Conventus, Monaſteria, & loca exercere poſſe, & propterea ipſos Fratres & Moniales ad ſolutionem diverſorum onerum, & impoſitionum, dictorumque ſubſidii, & decimarum cogunt, & compellunt.

Aliique in erectione, ſive inſtitutione, & acquiſitione novorum locorum, ſive Domorum, Conventuum, & Eccleſiarum dicti Ordinis, & aliàs præmiſſorum occaſione eoſdem Fratres & Moniales moleſtant & perturbant, contra noſtrarum, & dictorum Prædeceſſorum noſtrorum litterarum formam & tenorem.

Nos præmiſſis, & aliis ſimilibus gravaminibus, perturbationibus & moleſtiis Fratribus & Monialibus præfatis illatis, eorumdemque Fratrum & Monialium quieti, & tranquillitati conſulere, & ut Fratres ipſi faciliùs, & promptiùs eorumdem officia, & vitam regularem, ac munus prædicationis eis injunctum, ad ſummi Dei laudem, & Fidei Catholicæ propagationem, exequi, & adimplere, illiſque incumbere poſſint, & ad illa promptiores reddantur, opportunè providere, ac omnem ambiguitatem, etiam noſtræ amplioris declarationis miniſterio removere volentes, ipſoſque Fratres, & Moniales, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, & ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon litterarum præfatarum, ac cujusvis litis, & cauſæ deſuper inter quoſcumque, & in quavis inſtantia pendentis ſtatus & merita, nominaque, & cognomina judicum, & collitigantium, co-

eorumque jura & titulos, ac ſententiarum deſuper forſan latarum, necnon tranſactionum, ſive conventionum inter eos initarum, ac inſtrumentorum, aliarumque ſcripturarum deſuper quomodolibet confectarum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio, non ad alicujus pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtra, omnes lites, cauſas, controverſias, & quæſtionum materias, ſuper præmiſſis, & earum occaſione inter Fratres, ſeu etiam Moniales præfatas ex una, necnon Epiſcopos & locorum Ordinarios, ac Canonicos, ſive Capitulares perſonas, Parochialium Eccleſiarum Rectores, & alias quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares præfatas, partibus ex altera, coram quocumque Judice, ſeu quibuſvis Judicibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, etiam Sedis Apoſtolicæ de latere Legatis, ac Vicelegatis, ac etiam ab eadem Sede Delegatis, & Subdelegatis, ac aliis quibuſvis, etiam S.R. Eccleſiæ Cardinalibus, & Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus, quomodolibet in prima, ſeu alia quacumque, etiam forſan ulteriori inſtantia introductas, & adhuc forſan pendentes, etiam forſan ſi ſuper illis etiam contra dictos Fratres, & Moniales per unam, vel plures ſententias judicatum, & inter ipſas partes concordatum, ſive tranſactum deſuper fuerit, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ad Nos avocamus, eaque omnia & ſingula caſſamus, & extinguimus, ac pro caſſis, & penitus extinctis haberi volumus, & declaramus, eiſdemque Epiſcopis, locorum Ordinariis, Vicariis, Canonicis, Capitularibus perſonis, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & cæteris perſonis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus deſuper perpetuum ſilentium imponimus.

Necnon omnia & ſingula privilegia, indulta, conceſſiones, ſuppreſſiones, extinctiones, uniones, incorporationes, applicationes, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, communicationes, indulgentias, & alias quaſcumque gratias dicto Ordini Fratrum Prædicatorum, & ejuſdem pro tempore exiſtentibus Magiſtro Generali, Provincialibus, Superioribus, Fratribus, & Monialibus præfatis, eorumdem Domibus, Conventibus, Monaſteriis, Eccleſiis, & locis, ac membris, colonis, ſervitoribus, procuratoribus, œconomis, ac aliis perſonis quibuſcumque dicti Ordinis Regulam profitentibus, etiam oblatis, & Tertii Habitûs Monialibus nuncupatis, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem præfatam, ac dictæ Sedis Legatos, Vicelegatos, Epiſcopos, locorum Ordinarios, & quaſcumque alias perſonas, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque quibuſvis clauſulis, ſtatutis, etiam irritantibus decretis, hactenus quomodolibet conceſſa, approbata, & innovata, literaſque deſuper tam ſub plumbo, quàm in forma Brevis, & aliàs quomodolibet confectas, & expeditas, ac prout ea omnia, & ſingula per eoſdem Prædeceſſores, ac Nos, & Sedem præfatam, alioſque prædictos conceſſa, approbata, & innovata fuerunt, quorum omnium & ſingulorum tenores, formas, & datas, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, eiſdem auctoritate, & tenore approbamus, confirmamus, & innovamus, illaque omnia & ſingula efficacia exiſtere, & perpetuam roboris firmitatem obtinere, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, necnon ab omnibus & ſingulis, quavis, etiam de latere Legati, Vicelegati, necnon Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & quavis alia Eccleſiaſtica, vel ſæculari, & temporali præfulgeat dignitate, & præeminentia, etiam ſub ſententiis, cenſuris & pœnis in eiſdem contentis, perpetuò inviolabiliter obſervari debere decernimus.

Et inſuper, quod Fratres dicti Ordinis, ab eorum Superioribus tamen approbati, in eorum Eccleſiis, quando eis placuerit, etiam quod in Cathedrali Eccleſia, non tamen ab Epiſcopo, prædicetur, liberè & licitè abſque aliquo impedimento, ſive etiam ipſius Epiſcopi contradictione, & abſque eo, quod coram dicto Epiſcopo ſe non præſentaverint, nec eidem licentiam muneris prædicationis hujuſmodi exhibuerint, & ab eodem Epiſcopo benedictionem, ut præſertur, non obtinuerint, prædicare, & munus prædicationis hujuſmodi exequi:

Necnon Fratres ipſi quæcumque corpora defunctorum, qui ſe in eorum Eccleſiis ſepeliri ordinaverint, vel ſi à defunctorum hæredibus, ſive curam funeris habentibus, vocati fuerint, ipſorum Fratrum Cruce elevata, etiam ſine dictorum Canonicorum, ac Capitularium perſonarum, necnon Curatorum, vel aliorum Presbyterorum interventu, ex ipſorum defunctorum domibus levare, eaque accipere, & aſſociare, ac ad ipſorum Fratrum Eccleſias directè deferri, & in eorum Eccleſiis, non tamen tempore interdicti, ſepeliri facere, ſalvo dumtaxat jure Parochiali. Nec Fratres ipſi ad alterius cujuſvis contrariæ conſuetudinis,

nis, usûs, ſive moris obſervationem teneri, vel ſuper præmiſſis, à quoquam, quavis auctoritate moleſtari, ſeu perturbari poſſint, vel debeant.

Quartam autem funeralium quoad domos, ſive Conventus, & Monaſteria ipſius Ordinis tempore dicti Concilii Tridentini ante qnadraginta annos fundata, & erecta, & ratione illorum, ubi conſuetudo illam ſolvendi tantùm extitit, ac de ceris, & aliis, quæ deferuntur juxta cadaver, dum ad ſepulturam defertur, non autem de aliis quibuſvis eiſdem Fratribus, ſeu Monialibus, aut eorum Domibus, Conventibus, Monaſteriis, Eccleſiis, & locis, etiam pro funeris, ſive Anniverſarii, aut Miſſarum celebratione legatis, donatis, ſive aliàs quomodolibet largitis, & ubi duæ Quartæ forſan ſolvi conſueverint, una ſcilicet Parochiali Eccleſiæ, alia verò Epiſcopo, ſive Carhedrali, ant Collegiatæ Eccleſiæ, ſive Canonicis & Capitulo ejuſdem, una tantùm, ſcilicet Epiſcopo, ubi verò conſuetudo illam ſolvendi non fuit, ſive Domus, Conventus & Monaſteria dictorum Fratrum, & Monialium, poſt quadraginta annos erecta, ſive fundata fuerint, nequaquam, nec ullo modo ſolvere ſeu tradere, omnem aliam præmiſſis contrariam conſuetudinem ſive morem, harum ſerie caſſantes & extinguentes, ac omnibus & ſingulis, quorum intereſt, deſuper perpetuum ſilentium imponentes.

Minuſque Fratres, & Moniales ipſi ad aliquorum onerũ, realium, vel perſonalium, etiam ratione eorundem Domorum, ſeu Conventuum, Monaſteriorum, Eccleſiarum, & locorum, ac quorumcumque beneficiorum eiſdem unitorum, etiamſi, ut præſertur, curam animarum habeant, contributionem, ſive ſolutionem, etiam pro Seminario, & decimarnm quarumcunque, aut cujuſcunque ſubſidii, etiam charitativi, & triennalis nuncupati, nunc, & pro tempore per Nos, & quoſcunque Romanos Pontifices, aut præſatam Sedem impoſitorum, & imponendorum ex quavis cauſa, quantumcunque urgentiſſima, teneantur, vel deſuper aliter moleſtari poſſint, ſeu debeant.

Quodque Fratres, & Moniales præſati, ubique locorum novas Domos, ſive Conventus & Monaſteria, ac Eccleſias dicti Ordinis cum clauſtris, cellnlis, refectoriis, & dormitoriis, aliiſque officinis neceſſariis, Ordinarii loci, ſive cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, conſtruere, ædificare, erigere, & inſtruere, nec pariter ſuper his moleſtari poſſint, ſive debeant, eiſdem auctoritate & tenore, etiam perpetuò ſtatuimus, ordinamus, & declaramus, eiſque Fratribus & Monialibus, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, licentiam & facultatem concedimus & impartimur.

Ac etiam inter Fratres & Moniales, eorumque Domos, Monaſteria, beneficia, & ab illis quomodolibet dependentia loca, ac bona quæcunque, cujuſcunque qualitatis, & quantitatis exiſtant, dictorumque bonorum colonos, laboratores, conductores, & oblatos, & Tertii Habitûs Moniales, aliaſque perſonas præſatas à quibuſvis decimis, etiam prædialibus, & primitiis, quartis, mediis, & aliis partibus fructuum, ac ſubſidiis, etiam charitativis præfatis, ac ab omni juriſdictione, & ſuperioritate quorumcunque locorum Ordinariorum, etiam de novo, quatenus opus ſit, auctoritate & tenore ſimilibus, eximimus & liberamus, ac exemptos, liberos, & immunes penitus eſſe volumus. Necnon, quatenus opus ſit, illos, eorumque ſingulos in jus, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, ac ſub eorum ſpeciali, & immediata protectione ſuſcipimus, ac eos ſolùm & dumtaxat immediatè Sedi præfatæ & Nobis, ac pro tempore exiſtenti Romano Pontifici ſubjacere decernimus & declaramus.

Et ut Fratres, & Moniales à præmiſſis moleſtiis, & perturbationibus ſublevati quietiùs Altiſſimo famulari, & uberiores fructus quotidie in agro Domini pro Chriſtianæ Religionia defenſione & ampliatione perferre poſſint, tam Vos omnes & ſingulos ſupradictos, quàm quaſcunque alias perſonas in dignitate Eccleſiaſtica ubilibet, & quibuſvis in Mundi partibus conſtitutas, & quoſcunque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios & Officiales, necnon Canonicos Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum per eoſdem Fratres, ſeu Moniales, ac dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Superiores, & Domorum Priores, ac eorum ſingulos pro tempore eligendos in eorum, & dictorum eorumdem privilegiorum, indultorum, conceſſionum, & gratiarum, & ſingulorum aliorum conſervatores, & judices unicos, qui quandiu dictum officium exercueritis, & ipſi exercuerint, à nemine, quò minus illud exerceatis, & exerceant, ſub aliquo prætextu, ac ſub excommunicationis, ſive ſuſpenſionis à Divinis latæ ſententiæ, quam eoipſo incurrere volumus & declaramus, reſpectivè pœna, impediri, vel moleſtari poſſitis, & poſſint dicta auctoritate deputamus. Ita quod Vos, ſeu alii quicunque ſic electi, ſub excommunicationis, ſive ſuſpenſionis latæ ſententiæ pœna hujuſmodi, quam ſtatim quod munus, ſive officium conſervatoris hujuſmodi acceptare, & debitè ac plenariè exe-

Digitized by Google

exequi neglexeritis, & neglexerint, abſque alterius declarationis miniſterio incurrere volumus, nec ab aliquo, quàm à Nobis, & pro tempore exiſtente Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſe, eoſdem Priores, Superiores, & Fratres, ac Moniales, etiam Tertii Habitûs Oblatos, & alios præfatos ac eorum ſingulos, adverſus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, Agentibus, Servitoribus, & familiaribus in præmiſſis, & eorumdem aliquo moleſtias, ſive perturbationes aliquas, ſeu injurias, gravamina, vel damna in perſonis, rebus, & bonis, ſeu exigendo ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera defendere, præſentare, ac omnem eorum juriſdictionem exercere; necnon ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas contra rebelles & inobedientes cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus conſervatoribus dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, illiuſque Fratribus, & perſonis per quaſcunque litteras Apoſtolicas quomodolibet conceſſis, uti, ac privilegia Superioribus, Prioribus, & Fratribus, ac Monialibus præfatis pro tempore conceſſa eiſdem obſervari facere debeatis, & debeant.

Neque Superiores, Priores, Moniales, Oblati, & cæteræ perſonæ Ordinis hujuſmodi, & ab eis dependentes præfatæ coram aliis, quàm vobis & dictis Conſervatoribus, etiam vigore, ſeu prætextu quarumcunque Conſtitutionum, & Ordinationum aliquorum Regnorum, etiam quod non habentes Superiorem in illis Regnis, coram ſæcularibus Judicibus reſpondere debeant, ac teneantur ad judicium vocari, vel aliàs moleſtari quavis occaſione vel cauſa poſſint, vel debeant. Quodque ipſi Fratres & Moniales, Oblati, & aliæ perſonæ præfatæ, ſive auctores, ſive rei exiſtant, coram aliquo alio Judice ordinario, vel delegato, quàm prædicto ſuo Conſervatore, coram quo primò unam ſententiam definitivam, antequam ipſi ad aliud judicium evocentur, ſeu cauſa committatur, vel transferatur, obtinere debeant, & teneantur, ut præfertur, etiam quavis occaſione vel cauſa moleſtari, vel in judicium trahi, ſive ad judicium evocari, vel agere minimè poſſint, ſive debeant, eiſdem auctoritate & tenore etiam ſtatuimus, ordinamus & decernimus.

Et inſuper adverſus moleſtatores, inquietatores, & alios injuriatores hujuſmodi volentes eiſdem Ordini, Magiſtro Generali, Prioribus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, oblatis, ſervitoribus, œconomis, procuratoribus, & aliis eorum perſonis præfatis illo remedio providere, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus, & voluntas committendi ſimilia præcludatur, diſcretioni veſtræ per præſentes mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrûm, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus eſtis deputati Conſervatores, & Judices Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac illius pro tempore exiſtentibus Magiſtro Generali, Prioribus, Fratribus, Monialibus, Oblatis, præſentibus & futuris, quibuſvis aliis perſonis præfatis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos ſuper iis, ac eorum privilegiis, immunitatibus, gratiis, conceſſionibus, facultatibus, exemptionibus, indultis, & aliis quibuſvis, eiſdem conceſſis per quoſcunque Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Eccleſiarum Prælatos, necnon eorum Vicarios, Officiales, Capitula, Collegia, & Clericos, Eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quàm S. Benedicti, S. Auguſtini Ciſtercienſium, Cartuſianorum, Cluniacentium, Præmonſtratenſium, & aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, ac Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, & Jacobi de Spatha, ac Jeſu Chriſti, & quarumcunque aliarum Militiarum Religioſos, & Milites, exemptos, & non exemptos, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, & Laicos, Communitates Civitatum, Univerſitates Oppidorum, Caſtrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac alias ſingulares perſonas Civitatum, & Diœceſum, ac quarumcunque aliarum partium ſuper præmiſſis, & eorum aliquo, quovis prætextu & quæſito colore, & contra præmiſſorum ſingulorum tenorem & formam indebitè moleſtari, aut eis, vel eorum alicui moleſtias, gravamina, damna, ſeu injurias, & jacturas irrogari, facturi dictis Prioribus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, Oblatis, aliiſque perſonis prædictis, cum ab eis, aut eorum aliquo fueritis requiſiti, ſuper dictorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, libertatum, facultatum, & aliarum gratiarum præfatarum obſervatione, necnon ſuper quibuſvis moleſtiis, damnis, injuriis, atque jacturis ſibi pro tempore illatis, ſeu inferri comminatis, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſolâ facti veritate inſpecta, in aliis verò, prout qualitas eorum exegerit, juſtitiæ complementum. Moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis, & conditionis extiterint, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, auctoritate

tate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, & nihilominus legitimis ſuper his per vos habendis ſervatis proceſſibus, illos, quos cenſuras & pœnas præfatas, ac alias, per vos pro tempore latas, incurriſſe vobis conſtiterit, eas incurriſſe declaretis, ac cenſuris & pœnis prædictis, quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggravare curetis.

Cæterùm, ſi per ſummariam informationem per vos ſuper iis habendam, etiam vobis conſtiterit, quod ad loca, in quibus moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon cæteros, quos præſentes litteræ concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus, requiſitionibus, & inhibitionibus Ipſis, ac citationibus de eis faciendis tutus non pateat acceſſus, Nos vobis monitiones, requiſitiones, & citationes, ac inhibitiones quaslibet, tam contra in judicio præſentes, quàm alios quoſcunque ſua quomodolibet intereſſe putantes, & quacunque auctoritate, ſive dignitate præſulgentes, in decreto, ſeu executione dictæ citationis, ſive inhibitionis nominandos, etiam ſub eiſdem cenſuris, ac aliis arbitrio veſtro imponendis & applicandis pœnis, etiam pecuniariis, etiam per edicta publica, locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad ipſorum monitorum, requiſitorum, & citatorum notitiam pervenire valeant, faciendi, & decernendi, eoſque citandi, ac eiſdem moleſtatoribus, injuriatoribus, contradictoribus, & rebellibus, & aliis pœnis, etiam pecuniariis ſuo arbitrio moderandis, inhibendi, esſque incurriſſe modo præmiſſo declarandi, aggravandi, & auxilium brachii ſæcularis invocandi; necnon cauſas, & controverſias quaſcunque dictorum Fratrum, Monalium, & dicti Ordinis Superiorum, Oblatorum, ac aliarum perſonarum præſatarum ſuper quibuſvis rebus & negotiis, motas & movendas, activè & paſſivè, cum omnibus & ſingulis eorum incidentibus, dependentibus, & emergentibus, annexis, & connexis, modo præmiſſo, & tam conjunctim, quàm diviſim, arbitrio veſtro audiendi, cognoſcendi, decidendi, & in ſuis ſtatu & terminis reaſſumendi, & fine debito finiendi, & terminandi: necnon ſententias per vos ferendas, poſtquam tranſiverint in rem judicatam, vel aliàs de jure executioni locus fuerit, debitè exequendi, & executioni demandandi, plenam, & liberam, earumdem tenore præſentium concedimus facultatem & poteſtatem. Ac volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod monitiones, requiſitiones, citationes, inhibitiones ſic factæ hujuſmodi, ipſos monitos, requiſitos, citatos, & inhibitos arctent perinde, ac ſi eis factæ, inſinuatæ, & intimatæ perſonaliter extitiſſent. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus tam felicis recordationis Boniſacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium ad judicium non trahatur, ſeu quod de aliia, quàm manifeſtis injuriis & violentiis, ac aliis, quæ judicialem non requirant indaginem, pœnia in eos, qui ſecus egerint, & in id procurantes adjectis, Conſervatores ſe nullatenus intromittant, quàm aliis quibuſcunque conſtitutionibus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, tam de judicibus delegatis, quàm perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliàs editis, quæ veſtræ in hac parte poſſent juriſdictioni aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare: Quodque Vos, Filii Canonici, Officiales & Vicarii non ſitis de perſonis, quæ deputari poſſunt in Conſervatores. Privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, ac exemptionibus, facultatibus, & aliis conſervatoriis, per Nos, aut eoſdem Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis locis piis, necnon Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Communitatibus, & aliis Collegiis, ac Univerſitatibus etiam ſtudiorum generalium, Civitatibus, Caſtris, Terris, & locis, ac perſonis tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, cujuſcunque dignitatis, etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & alis majori dignitate, ſeu auctoritate fungentibus, ac Capitulis, Conventibus, Ducibus, & aliis Dominis temporalibus, etiam

per

Digitized by Google

per modum ſtatuti perpetui, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac quibuſvis aliis perſonis, cujuſcunque qualitatis, conditionis, gradûs, præeminentiæ, ſeu dignitatis, ac Univerſitatibus, etiam ſtudiorum generalium, ſeu Collegiis, etiam exemptis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus clauſulis, etiam de non trahendis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam Mare Magnum, ſeu Bulla aurea nuncupatis, aut aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum &c. expreſsè, pari motu derogamus, contrariis quibuſcunque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim, ab Apoſtolica Sede ſit indultum, quod interdici &c.

Cæterùm etiam volumus, & dicta Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrûm proſequi valeat articulum, etiam per alium incboatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus. Quodque à data præſentium ſit vobis, & unicuique veſtrûm in præmiſſis, & eorum ſingulis, cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris perpetua poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſitis in præmiſſis omnibus cœptis, & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrûm, in prædictis omnibus & ſingulis, per citationem, vel modum alium legitimum perpetuata extitiſſet, Conſtitutione prædicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante.

Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula, in quibus de eis fides forſan facienda fuerit, loca deferri, etiam volumus, & eadem auctoritate Apoſtol. decernimus, quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, in judicio, & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Septembris MDLXXI. Pontificatûs noſtri anno Sexto.

Bull. Rom. tom. 4. part. 2. fol. 381. Bullar. Ordin. Prædic. tom. 5. fol. 189. Confett. in Coll. fol. 205.

Regulares quoſcunque ab Hoſpitio, ſeu Hoſpitatione Militum, etiam pro bello adversùs Turcas collectorum prorſus eximit.

PIUS PAPA V.

Motu proprio &c.

Cum, ſicut non ſine gravi dolore, Nobis innotuit omnia & ſingula, ſeu quamplurima hujus Almæ Urbis, ac etiam Statûs noſtri Eccleſiaſtici Conventus, Monaſteria, ac alia Eccleſiaſtica, & pia loca, tam Sæcularia, quàm Regularia, & à perſonis religioſis quomodolibet inhabitata, & tempore, quo Equites, & Milites ejuſdem Almæ Urbis, & Statûs Eccleſiaſtici præfati, pro defenſione ipſius Urbis, & Statûs, adversùs infeſtiſſimum Turcarum tyrannum, vel ob alias, quæ pro tempore ſe ſe offerunt cauſas, expediri, & ad diverſa ejuſdem Statûs loca tranſmitti contingit, ab eiſdem Equitibus, & Militibus perturbentur, & moleſtentur, ipſique Conventus, Monaſteria, & alia Eccleſiaſtica & pia loca in eorumdem Equitum, ſeu Militum diſtributione, nonnullos eorumdem Equitum & Militum intra eorum Domos, & Monaſteria hoſpitio excipere, & recipere cogantur, in maximum eorum detrimentum, Divini cultûs perturbationem, graviſſimum Religionis dedecus, Dei Optimi Maximi offenſam, & non ſolùm præter omnem noſtram intentionem, verùm etiam intolerabilem animi noſtri amaritudinem.

Quapropter Nos in præmiſſis, quantùm cum Deo poſſumus, de opportuno remedio, celeri manu providere, ac Monaſteriorum, & aliorum Eccleſiaſticorum, & piorum locorum hujuſmodi perſonarum, Deo Altiſſimo die noctuque famulantium, quieti, integritati & decori conſulere volentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, univerſis & ſingulis tam dictæ Almæ Urbis, quàm totius Statûs præfati Gubernatoribus, Poteſtatibus, Ducibus, & Capitaneis, Communitatibuſque, & Univerſitatibus, & aliis, ad quos ſpectat, pertinet, ſpectabit & pertinebit quomodolibet in futurum, ne deinceps perpetuis futuris temporibus, in eorumdem Militum & Equitum diſtributione, tam in tranſeundo, quàm inibi commorando, Communitatibus, & Univerſitatibus, videlicet, ne dictos Equites, & Milites in eiſdem Monaſteriis, Cœnobiis, Domibus, ac aliis Eccleſiaſticis & piis locis, ſub duorum millium Ducatorum auri, Cameræ

meræ Apoſtolicæ ipſo facto applican., & aliis arbitrii noſtri pœnis, quovis quæſito colore, cauſa, ingenio, ſive prætextu, diſtribuere, ſive aſſignare, vel ad illos recipiendum, & hoſpitio excipiendum cogere: Ipſiſque verò Capitaneis, & Ducibus, ne eoſdem ſuos Equites & Milites, ſub indignationis noſtræ, ac privationis officiorum ſuorum, aliiſque etiam arbitrii noſtri pœnis, in dictis Monaſteriis, Cœnobiis, Domibus, & aliis Eccleſiaſticis, & piis locis, etſi Communitates ipſæ, & Univerſitates eadem loca eiſdem aſſignent, diſtribuant: Gubernatoribus verò, & ipſarum Civitatum, & locorum Prætoribus, & aliis Officialibus quibuſcunque, quominùs præmiſſa ab ipſis Communitatibus, & Univerſitatibus, ac Capitaneis, & Ducibus fiant, ſub ejuſdem indignationis noſtræ, & etiam privationis officiorum ſuorum præfatorum reſpectivè pœnis, auctoritate Apoſtolica ſinant, vel permittant, inhibemus, præcipimus, committimus, & mandamus. Et inſuper tam illis, quàm Equitibus, & Militibus præfatis, ne Monaſteria, Cœnobia, & loca pia hujuſmodi in perſonis, rebus, & bonis, aut aliàs deſuper moleſtare, perturbare, impedire, inquietare, ſeu moleſtari, perturbari, vel aliàs inquietari facere audeant, ſeu præſumant, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub jam dictis pœnis, eadem auctoritate inhibemus, præcipimus, committimus, & mandamus, ipſa Monaſteria, Cœnobia, Domos, & alia Eccleſiaſtica, & pia loca, ex nunc ab eiſdem Militibus, & Equitibus, ab onere illos hoſpitio excipiendi, motu, & auctoritate ſimilibus eximendo, totaliter liberando, ac libera, & immunia faciendo. Necnon dilectis Filiis noſtris Vitellotio Cardinali Vitellio nuncupato, & pro tempore exiſtenti S.R.E. Camerario, ac Præſidentibus, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, ut eiſdem Monaſteriis, & piis locis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant, illa, ſeu eorum perſonas, à prædictis Militibus, & Equitibus, illorumque hoſpitio gravari contra præſentium tenorem, ſed litteras, & exemptiones hujuſmodi eis deſuper concedant, ac favorabiliter defendant, etiam præcipimus, & mandamus. Et ſic per quoſcunque Judices, ſublatâ &c. judicari &c. debere, irritum quoque &c. decernimus. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, etiam juramento &c. roboratis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſvis, etiam prædictis, ac aliis quibuſvis perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, & concedendis. Quibus omnibus, illorum tenores &c. latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis, & cum abſolutione ad effectum &c., & de commiſſione, mandato, inhibitione, præcepto, exemptione, liberatione, decreto, derogatione, aliiſque præmiſſis extendendis perpetuò in formâ gratioſâ, &, ſi videbitur, cum opportuna executorum deputatione, qui aſſiſtant, ac ſub cenſuris, & pœnis, etiam pecuniariis &c. cum facultate gravandi &c. invocato &c. ſæculari, cum opportuna dictarum derogatione, latiſſimè extendenda, & quòd præmiſſorum omnium, & ſingulorum etiam major, & uberior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in litteris, etiam ad partem pro quolibet Monaſterio, & pio luco, ſi videbitur per Breve noſtrum expedien., ſeu, ſi videbitur, præſentis noſtri Motûs proprii ſola Signatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, extraque, Regula contraria non obſtante. Placet Motu proprio, & ita mandamus &c.

Bullar. Roman. tom. 4. part. 2. fol. 331. Rodriq. in Coll. privil. fol. 444. Bullar. Ord. Præd. tom. 7. fol. 185.

GREGORIUS XIII.

Bononienſis, Hugo Boncompagnus antea nuncupatus, S.R.E. Cardinalis tit. S. Sixti ad Apoſtolatûs culmen 13. *Maji* 1572. *aſcendit. Obiit* 10. *April.* 1585. *guberņio Eccleſiæ ad annos* 13. *&c. protracto, ſuitque in Vaticani Sacello ab ipſo conſtructo, & Gregoriano nuncupato ſepultus.*

Digitized by Google

Litteras & Conſtitutiones s. m. Pii Papæ V. pro Mendicantibus & aliis Regularibus contra locorum Ordinarios emanatas, ad terminos juris communis & Concilii Tridentini decreta reducit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN tanta rerum & negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus Mundi partibus aſſiduè premitur, vix vitari poteſt, ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis neceſſe eſt moderationis remedium adhibere. Cum itaque aliàs fel. rec. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter auditis gravaminibus, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus multis modis inferri dicebantur, ſuper concionibus, & lectionibus habendis, confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis, Fratribus ad Ordines promovendis, celebratione Miſſarum, cura animarum, ſacramentorum miniſtratione, ſepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemoſynis, collectionibus, aliiſque hujuſmodi juribus, necnon decimis, & diverſis oneribus, ac etiam ſuper ſtatu, & regimine ſanctimonialium ipſis Fratribus ſubjectarum, formatione proceſſuum, cenſurarum publicatione, proceſſionibus, præcedentia, locorum acquiſitione, cæteriſque aliis rebus tunc expreſſis, multa per quaſdam ſuas litteras pro dictis Fratribus non modò ſtatuerit, ſed & quæ jam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia, declaraverit: multaque præterea privilegia eiſdem XVII. Kalendas Junii, Pontificatûs ſui anno ſecundo, & deinde ea omnia diverſis aliis Ordinibus, & Congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis conceſſerit. Poſtea per quamdam ſuam Conſtitutionem de Vicariis perpetuis Parochialibus Eccleſiis unitis per Ordinarios locorum inſtituendis, & portione illarum Vicariis aſſignanda editam, alia ſuper Conſtitutione Fratrum eorumdem ad exercitium curæ animarum in eis Parochialibus Eccleſiis, quæ domibus, & locis ſuis unita ſunt, decreverit. Demum animadverſo, quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magniſque difficultatibus obſtructa multas magnaſque diſſenſiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipſorum Ordines, non ſine gravi divini cultûs, & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo concitaverant, contra ac ipſe ſperabat, & præter ſuam expectationem, ùt qui interdum conquereretur multa aliter alioque ſenſu à ſe prolata fuiſſe, quàm literis expreſſa eſſent: Cupiens his mederi incommodis primum illa omnia, quæ Regularibus aliorum Ordinum, quàm Mendicantium communicaverat, & ſecundùm præmiſſa conceſſerat, motu proprio reſtrinxerit: Deinde pleniùs providere volens prioribus litteris à ſe, quoad ipſos Mendicantes, magna in parte moderatis, omnes & quaſcunque alias litteras, quæ de aliis Ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium Ordines de Obſervantia nuncupatos emanaverant, omnino aboleverit, cauſas omnes jam de his etiam in Romana Curia pendentes ad ſe advocando, lites extinguendo, ac formatos ſuper illis proceſſus, lataſque ſententias annullando, quemadmodum aliis ſuis litteris in regiſtro proximè compertis, nunquam tamen publicatis, pleniùs continetur: Poſtremò circa Confeſſariorum Regularium etiam Mendicantium approbationem juxta Concilii prædicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expreſſos comprehendi debere declaraverit: Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici litterarum, & Conſtitutionum editione procedit, præſentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes, de Nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus de prædictis, & aliis omnibus litteris, & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Prædeceſſore eiſdem de rebus pro quorumcunque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanâverunt, ac omnibus & quibuſcunque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubjecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex jure veteri, ſive ex ſacris dicti Concilii decretis, ſive aliàs legitimè ante dictarum litterarum, & Conſtitutionum editionem, ac ſi ipſæ non emanâſſent, futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuumque priſtinum & integrum ſtatum ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque aliàs ipſis litteris, & Conſtitutionibus appoſita, & aliàs eorum occaſione vel cauſa facta, his noſtris ſtatuto, ordinationi, & reductioni adverſantia, quibuſcunque illa ſint concepta formulis, ac præſer-

vationibus, declarationibus, modificationibus, reſtrictionibus, mentis atteſtationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortiſſimis, efficaciſſimis, & inviolabilibus clauſulis, etiam motu proprio & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & ex certa ſcientia, etiam pro conſervatione ſtatûs Regularis, & ex quibuſcunque aliis urgentiſſimis cauſis quotieſcunque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis, & infectis haberi, omneſque ſupradictas illarum uſu, commodo, & effectu carere: Ac omnes lites & controverſias, quæ coram quibuſvis Judicibus ſive ordinariis, ſive Commiſſariis, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ac S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, prædictarum litterarum & Conſtitutionum occaſione ſuper præmiſſis jam motæ ſunt, necdum deciſæ, aut finitæ, vel etiam, quæ jam deciſæ ſunt, ſi modò tractum habeant ſucceſſivum, eaſque rurſus, & inter quoſcunque excitari inpoſterum contingat, ſecundùm prædictam diſpoſitionem, nec aliter decidendas, futura verò dubia, & difficultates, quandocunque, & ubicunque orientur, ad Nos & Sedem Apoſtolicam, ubi & cætera, quæ ad decreta dicti Concilii pertinent, quotidie declarantur, omnino referenda eſſe: necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his per quoſcunque ſcienter vel iguoranter contigerit attentari. Mandamus itaque in virtute ſanctæ obedientiæ præſentes ab omnibus ubique Epiſcopis, & locorum Ordinariis, necnon Eccleſiarum Prælatis, Rectoribus, Fratribuſque prædictis, ac cæteris, ad quos pertinet, ſemper inviolata obſervari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Domorum, locorum, & Ordinum quorumcunque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes omnibus pleniùs innoteſcant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illiſque Notarii publici manu, & Curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti, reductionis, ablationis, abrogationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Rodriq. in Coll. fol. 499. Bullar. Ordin. Prædic. tom. 5. fol. 316. & reſervatur exemplar authent. in Archivo generali noſtri Ordinis.

Fratribus Minoribus recurſum ad Tribunalia Sæcularium interdicit, & à P. Generali miſſos Commiſſarios, & horum ſtatuta ab iis recipi &c. jubet.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam noſtro Paſtorali potiſſimùm incumbit officio, ut ea, quæ auſu temerario ab Eccleſiaſticis, præſertim Regularibus perſonis plerumque attentantur, quantùm Nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compeſcamus, & removeamus, idcirco, cum referente dilecto Filio Fratre Chriſtophoro de Capite Fontium Minorum de Obſervantia Ordinis Sancti Franciſci Generali Miniſtro, non ſine animi noſtri moleſtia nuper intellexerimus, nonnunquam quoſdam Religioſos, & Religioſas ſui Ordinis hujuſmodi, Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores, ut in eorum malefactis, & inobedientia ſe diutiùs confoveant, ab iis, qnæ per Prælatos ejuſdem Ordinis, etiam Guardianos, ſive Provinciales, vel Commiſſarios ab ipſo Generali Miniſtro pro tempore deputatos acta ſunt & decreta, ad Tribunalia Sæcularia appellare, & ad ea temerè confugere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium præcipimus, & inhibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquàm in mortis articulo, abſolvi poſſint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ, quàm paſſivæ eoipſo incurrendis pœnis, ne quis Provincialis, aut alius cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, & conditionis Ordinis hujuſmodi Religioſus, aut Religioſa ad ipſa Tribunalia ſæcularia, quovis prætextu, aut quæſito colore, ut præfertur, appellare, vel illa propterea quoquo modo

do adire audeat, vel præſumat; ſed ſi à Prælatis ſuis gravari prætendent, ad Generalem Miniſtrum ipſius Ordinis, ſeu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos, ſive Romanum Pontificem ſucceſſorem noſtrum, ſupremum in Eccleſia Dei Judicem, ſicut antiquitus ſemper conſuetum fuit, recurſum habeant, unde illis brevi manu Juſtitia miniſtrabitur. Declarantes nihilominus non modò eorumdem Religioſos, & Religioſas contrafacientes in dictas pœnas incidere, ſed etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & conſultores illas quoque incurrere. Præterea ſub pœnis prædictis prohibemus, ne quis Provincialis, aut Guardianus, vel cujuſcunque alterius gradûs Religioſus, aut Religioſa ejuſdem Ordinis ab ipſo Miniſtro Generali miſſis pro viſitandis Provinciis Commiſſariis reſiſtere, nec eis ſe opponere, aut contradicere, ſeu ſe rebellem exhibere, ipſum quacunque de cauſa, vel quæſito colore non recipiendo audeat, neque debeat. Volentes eundem Miniſtrum Generalem, quotieſcunque ſibi expedire videbitur, quos voluerit, Commiſſarios ad quaſcunque ſui Ordinis utriuſque familiæ Provincias, quibuſvis conſuetudinibus, ac ſtatutis per quaslibet perſonas in contrarium factis non obſtantibus, liberè mittere poſſe. Inſuper quia, ut etiam accepimus, aliquando nonnulli Miniſtri ex viſitatis Provinciis per Commiſſarios ad hoc ab ipſo Generali Miniſtro deputatos, quæ à dictis Commiſſariis rectè, & ſalubriter ordinata, & geſta fuerunt, reſcindere, mutare, & contemnere ſolent, ſub omnibus & ſingulis pœnis ſupradictis expreſsè prohibemus, ne quiſquam ab eiſdem Commiſſariis facta & ordinata mutare, alterare, aut pervertere, ſine expreſſa licentia & permiſſione ipſius Miniſtri Generalis, qui ſolus ea mutare valeat, ullo modo præſumant. Decernentes irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Aprilis MDLXXV. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Rodriq. in Coll. Bullar. fol. 457. Confett. in Coll. Bull. fol. 235.

In Proceſſionibus inter Mendicantes, aut illos, qui in quaſi poſſeſſione præcedendi extant, aut hâc non probata eos, qui in controverſiæ loco antiquiores ſunt: ac inter Confratres Confraternitatum illos, qui priùs ſaccis uſi ſunt, præcedere debere decernit.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXpoſcit Paſtoralis officii munus, cui diſponente Domino præſidemus, ut ad ea ſollicitè intendamus, per quæ diſcordiarum & litium, ac controverſiarum quarumlibet, præſertim inter perſonas Eccleſiaſticas, materia tollatur. Sanè Nobis nuper innotuit, quod in multis Civitatibus & Diœceſibus diverſarum mundi partium nonnullæ lites, cauſæ, & controverſiæ inter Fratres Mendicantes, aliæ etiam ſimiles lites, & controverſiæ inter Confratres Confraternitatum Chriſtifidelium ſuper præcedentia, vel jure præcedendi ortæ jam ſint, & oriri facilè poſſint, Nos conſiderantes lites, cauſas, & controverſias hujuſmodi in Eccleſia, præſertim inter Religioſas perſonas, quæ relictis mundi vanitatibus famulatum, & votum ſuum in humilitatis ſpiritu Domino & Deo noſtro, qui ſe pro nobis uſque adeo humiliavit, ut formam ſervi acciperet, exhibere, & perſolvere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ eſt humilitas, labem infundere, populoque ſcandalum generare, ac propterea illas omni ratione ſubmovendas, publicæque Religionis tranquillitati, ac Miniſtrorum Eccleſiaſticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum conſulendum eſſe rati, ac ſupremam huic negotio manum apponere volentes: necnon cauſas, lites, ſeu controverſias hujuſmodi ubilibet & coram quibuſvis Judicibus motas, & in quibuſvis inſtantiis indecisas pendentes ab eiſdem Judicibus harum ſerie ad Nos advocantes, illaſque penitus extinguentes, eiſdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponentes, de Nobis attributæ poteſtatis plenitudine volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia hujuſmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites & cauſæ præmiſſorum occaſione ortæ

jam

jam ſint, ſeu oriri contigerit in ſuturum, in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ſeu juris præcedendi ſunt, ii, (quibuſcunque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in proceſſionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debeant: quando verò non probetur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ bujuſmodi, inter Fratres quidem Mendicantes ii, qui antiquiores in loco controverſiæ, inter Confratres verò inter ſe litigantes ii, qui priùs faceis uſi ſunt, in proceſſionibus tam publicis, quàm privatia præcedere debeant: ita ut ſi contigerit nova Monaſteria, aut Domos alicujus Ordinis Mendicantiũ conſtrui in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria aut Domus priùs erecta & inſtituta ſint, ille Ordo, qui priùs Monaſterium, ſeu Domum in loco habuerit, præcedat. Prætcrea, quia inter prædictos Ordines plerumque alia in Proceſſionibus, & alia in Conciltis generalibus, & aliis actibus publicis ſive privatis ratio circa modum præcedendi ſervatur, nolumus per præſentes prærogativis dictorum Ordinum quoad præcedentias hujuſmodi, quæ propriis Ordinibus præterquam in proceſſionibus prædictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in proceſſionibus publicis ſub Conventualium Sancti Franciſci, aut Minorum de Obſervantia Fratrum nuncupatorum Cruce, ut ſolent, Incedere poſſint, aliquod præjudicium generari, ſicque per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xv. Julii MDLXXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo.

Bull. Roman. tom. 4. part. 4. fol. 38. & in Archiv. Gener. Ordinis reſervatur exemplar authenticum.

N O T A

Conſtitutioni præmiſſæ, quæ modum præcedendi in proceſſionibus præſcribit, jungo & alia, de hac materia aliàs diſperſa, & ſcitu neceſſaria. Suprà fol. 176. §. 29. memoratur quidem privilegium, quo Clemens IV. univerſis Eccleſiarum Prælatis & aliis univerſaliter inhibuit, ne Minoritas cum eis extra Civitates, vel intra, proceſſionaliter exire compellere præſumant, appoſitum autem eſt moderamen tum à Leone X. per Conſtitutionem *Dum intra* ſuprà fol. 222. extenſam, tum à Concilio Tridentino, dum *Seſſ. 25. de Regul. cap. 13.* ordinavit = *exempti autem omnes tam Clerici Sæculares, quàm Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui ſtrictiori clauſura perpetua vivunt* = ex quo eos ad publicas proceſſiones teneri manifeſtum eſt, poſſuntque in caſu non comparitionis ab Epiſcopo juxta noſtrum à Sorbo *V. proceſſio fol. mihi* 332., & alios à Barboſa in cap. 13. ſeſſ. 25. Concilii relatos non ſolùm pœnis arbitrariis, ſed & cenſuris juxta declarationem Sacræ Congregationis à Sorbo allegatam puniri; nec juvat privilegium allegare, ſi illud poſt Concilium Tridentinum non ſit conceſſum, prout eſt illud, quo RR. Patres Societatis Jeſu gaudent, ipſis à Gregorio XIII. conceſſo. Fuit quidem teſte Pignatello *tom. 5. conſultat.* 122. *fol. mihi* 150. ſimilis exemptio à noſtra Capucina Religione anno 1645. petita, cohærenter autem ad aliàs jam ſancita, à Sac. Congregatione die 18. Novemb. ejuſdem anni deciſum, uti ſequitur = *Sacra Congregatio Concilii cenſuit Sanctiſſimo referendum, privilegium petitæ exemptionis à proceſſionibus, non eſſe Fratribus Capucinis concedendum, ſed ſervandas eſſe declarationes hac in re editas: Epiſcopos tamen, qui tam frequenter proceſſiones indicunt, eſſe oretenus monendos, ut abſtineant* =.

Porro, cum poſt tempus Concilii, quænam eſſent proceſſiones publicæ, ad quas Regulares accedere tenerentur, frequentiùs fuiſſet controverſum, S. Pius V. in ſua Bulla: *Etſi Mendicantium &c.* illas ita expreſſit = *ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam Locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur*. Hæc autem Piana Conſtitutio, cum nihil contrarium Tridentino diſponat, ſed econtra ab hoc diſpoſita declaret, non ſolùm à poſteriore Gregorii XIII. Conſtitutione incip. *In tantâ rerum &c.* non fuit circa hunc articulum revocata, ſed econtra à Sac. Congregatione Concilii confirmata, Decreto à Peyrino in dictam Pianam Conſtitutionem *fol. mihi* 280. relato, ut ſequitur = *Ordinarius poteſt præcipere Regularibus, ut eant ad proceſſiones publicas, ut puta in feſto Corporis Chriſti, in Litaniis & Jubilæis publicis faciendas in plebibus, in quibus ipſi habent Monaſteria, dummodo proceſſiones ſint ejus generis, quæ in Bulla Sanctiſſimi D. N. Pii V. Mendicantibus conceſſa, quæ incipit*, Etſi Mendicantium *publicata 17. Kal. Junii 1567. comprehendantur*.

Finem necdum impoſuit abuſui vel diverſitati opinionum Piana declaratio, & S. Congregationis

nis

Digitized by Google

nis Concilii confirmatio, hinc requiſita noviter eadem Sac. Congregatio in Ferrarien. 23. Septemb. 1609. (uti legitur *Lib. 1. Decret. pag. 67.*) & 28. Novembris ejuſdem anni *eodem lib. pag. 69. à tergo* decrevit = *Sac. Congregatio ſæpius declaravit, publicas proceſſiones, ad quas exempti ab Epiſcopis vocati accedere tenentur ex Decreto cap. 13. ſeſſ. 25. de Regul. ejuſdem Concilii, eas eſſe intelligendas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, vel publico honore*: & rurſus = *Sac. Congregatio cenſuit, publicas proceſſiones, de quibus idem Concilium ſeſſ. 25. cap. 13. de Regul. loquitur, intelligi ſolitas & conſuetas, necnon eas, quæ indictæ fuere pro publico bono, publicove honore.*

Necdum tamen ad hæc tam clarè ſancita deſiit opinionum diſcordia, hinc Urbanus VIII. ad regulam certam deſuper figendam anno 1628. juxta Pignatellum *loco & folio ſuprà citato* particularem Congregationem ex pluribus Cardinalibus Congregationum Epiſcop. & Regular., Sacrorum Rituum & Concilii, necnon omnibus harum Congregationum Secretariis conſtitutam inſtituit, à qua omnibus maturè perpenſis prodiit declaratio, ab eodem Sanctiſſimo expreſsè approbata, & à Pignatello *loc. cit.* ita relata = *Die 27. Julii 1628. & 22. Aug. ac 29. Sept. ejuſdem anni habita fuit Congregatio particularis de Ordine Sanctiſſimi Domini Noſtri Urbani VIII. in Palatio Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domini D. Cardinalis Mellini, cui interfuerunt idem Illuſtriſs. Mellinus, necnon Illuſtriſs. Ubaldinus & Ginettus, & alii, ac RR. PP. DD. Paulucius, & Benignus Secretarius Congregationis Rituum, & alii &c. Auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque maturè diſcuſſo, unanimiter cenſuerunt, poſſe Epiſcopos pœnis ſibi benevіſis compellere quoſcunque Regulares recuſantes, etiam Monachos, & quomodolibet exemptos, ad infraſcriptas proceſſiones accedere, atque illis intereſſe, exceptis duntaxat in ſtrictiori clauſura viventibus, & Monaſteriis ultra medium milliare à Civitate diſtantibus; nempe in die feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuſcunque aliis publicis & conſuetis, vel pro bono, cauſa, aut honore publico ab Epiſcopis indictis proceſſionibus, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus, privilegiis tantùm Apoſtolicis Sac. Concilio Tridentino poſterioribus, contrarium deſuper diſponentibus, minimè ſublatis. Regularibus autem & Confraternitatibus in Eccleſiis Regularium eſſe permiſſum intra eorum Eccleſiæ clauſtra tantùm proceſſiones facere, & non extra. Si verò Eccleſiæ clauſtro careant, eiſdem Regularibus & Confraternitatibus licere proceſſiones facere intra ambitum duntaxat earumdem Eccleſiarum, hoc eſt prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo à janua Eccleſiæ & intrando per illam, ſive per eandem januam, & ſemper prope muros Eccleſiæ, & non extra dictum ambitum, niſi de licentia & conſenſu, aut cum Cruce Parochi: privilegiis pariter, ut ſuprà, Apoſtolicis contrarium diſponentibus in ſuo robore permanentibus, quibus per hoc Decretum minimè cenſeatur derogatum. Quod idem & à S. Rituum Congregatione die 28. Februarii 1628. diſpoſitum fuiſſe*, Donatus prax. Regul. tom. 2. p. 2. tract. 13. q. 82. num. 6. *refert.*

Latiùs cum Illuſtriſs. & Reverendiſs. DD. Epiſcopi verba Decreti prædicti = *ac in quibuſcunque aliis publicis & conſuetis, vel pro bono, cauſa, aut honore publico ab Epiſcopo indictis proceſſionibus* = interpretarentur, vel Regulares illa nimiùm reſtringerent, obortæ ſunt novæ lites circa cauſas, ob quas Eccleſiarum Antiſtites proceſſiones indixère, inter quas illa ſpecialiter fuit diſcuſſa anno 1662. cum quæſtione, an in primo ingreſſu, vel Viſitatione Epiſcopi teneantur Regulares accedere ad proceſſionem cum Clero Sæculari? Quæſtionis anſam dedit D. Epiſcopus Anagninus, qui occaſione ſuæ primæ Viſitationis, primique ingreſsûs in Terram Carpineti plenariam Indulgentiam ex auctoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri publicare intendens, edicto ſuo clauſulam appoſuit ſequentem. *Ex quo ſtatuimus inſtituere proceſſionem publicam, generalem & generaliſſimam ad dictas ſacras actiones debito decore, & majore ſtimulo Fidelium ad devotionem & pietatem ſolemnizandas; hinc univerſum invitamus populum, & ad hunc effectum omnibus Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus tum Regularibus dictæ Terræ præcipimus, ut perſonaliter & proceſſionaliter, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſa tunc, quo non intervenerint, incurrendæ, aliiſque pœnis ad noſtrum arbitrium, interveniant.*

Conqueſti Fratres Ordinis S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, ſe immeritò atque injuſtè compelli ad hujuſmodi proceſſionem: & econtra conqueſtus eſt & Dominus Epiſcopus, dictos Fratres præfatum edictum non ſine populi admiratione contemnentes dictæ proceſſioni non interfuiſſe, & non obſtantibus cenſuris ob eorum contumaciam ipſo facto incurſis, à celebratione Divinorum Officiorum non abſtinuiſſe, hinc Sac. Congregatio *die 9. Decemb.* 1662. ad quæſitum, an dicti FF. ad prænarratam proceſſionem potuerint ab Epiſcopo compelli? *cenſuit, non potuiſſe.*

Non parum quidem deſudavit Pignatellus *tom. 3. conſultat.* 46. *fol. mihi* 107. *num.* 38. ex variis ibi ab eo citatis Auctoribus, & conglobatis rationibus, poſitivè Regulares ad hujuſmodi proceſſionem obligando, nihilominus in fine conſultationis ſua ſenſa revocat & ita concludit = *Standum eſt itaque huic Decreto, utpote Romæ in typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ 1663. cum ſubſcriptione Epiſcopi Sabinenſis, Cardinalis Sacchetti Præfecti, & C. de Vecchiis, Epiſcopi Cluſin. S.C.C. Secret., quod impreſſum vidi ac legi; quare & in hoc quoque parendum* =.

De quo eodem Decreto videri poterit Lanuſca in ſuo theatro Regulari verbo *proceſſio n.* 4. & Panimol. *deciſ.* 84. *annot.* 1. *num.* 48. Mathæucci in ſuo Officiali Curiæ fol. 324. n. 4. &c.

Receſſit nonnihil ab hoc generali Decreto S. Congregatio ob particulares (uti præſumendum eſt) rationes in cauſa Albinganenſi, in qua RR. PP. Ordinis Prædicatorum & Capucini proceſſioni ab Epiſcopo pro primo ſuo ingreſſu in Terram Tabiæ indictæ intereſſe detrectantibus, & Epiſcopo contra eos interdictum affigente; Sacra Congregatio hoc anno 1750. reſcripſit = *non ſuſtineri interdictum, & Patres collitigantes prævià intimatione teneri accedere hujuſmodi proceſſionem.*

Excuſantur pariter Regulares ab acceſſu ad proceſſiones, ſi illorum Monaſterium per medium milliare à Civitate vel loco diſtet. Leo X. quidem in ſua Conſtitutione *Dum intra* excepit duntaxat diſtantes ultra milliare; ad medium milliare autem poſtmodum diſtantiam reduxit Gregorius XIII. teſte Fagnano *ad cap. grave de offic. Ordin.* 68. fol. mihi 488. ita dicente =

Item

Item Gregorius XIII. excipit Regulares, quorum Monaſteria diſtant à Civitate medium milliare: quod & Sac. Congregatio Concilii in Cæſenaten. 5. Maji 1592. ſequente Decreto confirmavit. *Regulares Monaſterii ultra medium milliare à Civitate diſtantis non poſſe ab Epiſcopo compelli accedere ad proceſſiones, quæ intra Civitatem celebrantur*: Quod & in Decreto Generali ſuprà citato, & ſub Urbano VIII. edito confirmatur. Ad quæ tamen Paſſerinus *tom. 3. de Stat. quæſt. 189. artic. 10. numer. 1000.* addit = *ubi tamen ſit conſuetudo, quod Regulares non obſtante diſtantia (etiam ultra milliare) à Civitate, conveniant ad proceſſiones, convenire debent*, & ita die 12. Septemb. 1669 Sac. Rituum Congregatio *in Nucerina Paganorum* cenſuit ac reſpondit reſcribendo, quod, ubi viget conſuetudo, non obſtante diſtantia unius milliarii, Regulares ... qui convenire ſolent, convenire teneantur. Nota autem digna eſt appoſita clauſula, ad quas convenire ſolent, eum hæc interventio non afficiat omnes Regulares, nec includat omnes proceſſiones, ſed unam vel alteram duntaxat, prout & idem Paſſerinus *loc. cit.* advertit.

Poſitis jam ad ſufficientiam iis, quæ tum obligationem Regularium ad proceſsiones publicas comparendi, tum ſpeciem hujuſmodi proceſsionum concernunt, operæ pretium duxi annectere alia Decreta, quæ circumſtantias & modum, quo Regulares adeſſe debent, præſcribunt. Imprimis eos in Eccleſia Cathedrali, ſeu illa, in qua Proceſsio incipit, cum Clero & Populo convenire debere, eruitur ex Decreto ſequente.

S I R A C U S A N A.

SAc. Rit. Congregatio ad declarationem Emi D. Cardinalis Sacchetti cenſuit, quod in Solemnitate Corporis Chriſti proceſſio incipere debeat ab ipſa Eccleſia Matrice, ad quam convenire debent Archipresbyteri S. Petri cum Clero, & omnes alii intereſſe debentes enumerati in Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 33. & nullo modo per viam expectare. Die 6. Septembris 1676.

Si tamen aliquando proceſſionem ante tempus ſolitum incipere, & ideo Regulares ei non intereſſe contingeret, hos non poſſe puniri, à Sac. Congregatione Epiſc. & Regul. in una Foroliviensi 25. Junii 1591. deciſum eſſe, Pignatellus loc.cit. affirmat.

Nec etiam poſſunt ab incepta ſemel recedere proceſſione, ſed ſacræ functionis fini adeſſe debent, juxta Decretum ſequens.

P I S A U R E N S I S.

EPiſcopus Piſaurenſis Inſtitit pro declaratione, an Clerus tam Sæcularis, quàm Regularis, & Confraternitates illius Civitatis occaſione proceſſionis Sanctiſſimi Sacramenti, Rogationum & aliarum, quas publicam ob cauſam fieri contigerit, in earum fine in Eccleſiam Cathedralem omnes convenire, ibique precibus, orationibus & benedictioni aſſiſtere teneantur? & Sacra Rituum Congregatio reſpondit = Omnino teneri. *Die 7. Martii* 1648. Ubi tamen & locorum uſus attendi debet, cum & Romæ contrarium exerceri, variè viderim.

Cum Concilium Tridentinum Regulares ad proceſſiones vocari debere expreſsè mandet, & hujuſmodi vocatio ſeu invitatio duplex ſit, una, quæ fit per edictum publicè affixum, & alia, quæ fit per Perſonas, quæritur, quænam inter has requiratur? Peyrinus in Conſtitut. Sixti IV. incip. *Sedes Apoſtolica pag. 28. num. 57.* neminem hucuſque hanc quæſtionem tractantem à ſe repertum eſſe aſſerit, & perſonalem vocationem, etiam ad proceſſiones conſuetas requirit tum quia, quando Tridentinum vult, ut ſufficiat vocatio per edictum, id dicit expreſsè, ut patet Seſſ.24.cap.18. *per edictum publicum vocentur*, tum, quia edicta ut plurimùm à Regularibus non leguntur, & cum determinate horam proceſſionum ad Epiſcopum pertineat, ſi Regulares de ea informati non ſint, non poterunt horâ ſtatutâ comparere. Pignatellus econtra *tom.3. conſult. 47. pag. mihi* 107. *col.2.* edictum ſufficere, tum ex praxi totius Orbis, tum ex declarationibus Sac. Congregationis Concilii genericè allegatis contendit, ubi & de prima Peyrini ratione altè ſilet, & alteram explodit ut inanem; conſuetudini autem, quam praxi totius Orbis munitam dicit, contradicit uſus Almæ Urbis, quam rerum harum Magiſtram meritò reveremur, & ſequimur. Quod autem in cauſa Ordinis noſtri & Provinciæ Lombardiæ deſuper obſervari juſſum eſt, *tomo 2. hujus Bullarii fol.264.* videri poteſt.

SIXTUS V.

Picenus, in Religione RR. PP. Minorum Conventualium Fr. Felix Perettus, & in Collegio Apoſtolico Cardinalis Montaltus nuncupatus, 24. April. 1585. ad Eccleſiaſtici Regiminis clavum delectus eſt, quem & æternæ memoriæ laude uſque ad 27. Auguſti, 1590. tenuit. Cadaver ejus anno 1591. quarto Nonas Septembris è Vaticano ad Liberianam Baſilicam translatum, in Sacello Præſepis ſplendidè ab eo conſtructo, in monumento, ab illo vivente pariter erecto, conditum, & Epitaphio, circa illius in pario marmore exſculptam effigiem diviſo & ſequente ornatum eſt.

Sixtus V. Pont. Max. Cupri ad littus ſuperi Maris in Piceno natus, Montalti educatus, Fr. Felix Perettus, ex Ordine Minorum, Theologus & Concionator inſignis, hæreticæ pravitatis Inquiſitor, ſui Ordinis Procurator, & Vicarius Generalis, à Pio IV. Pont. Max. cum Hugone Boncompagno Card. Legato Apoſtolico in Hiſpaniam miſſus, Pio V. Pont. Max. ob ſpectatum Fidei Zelum eximiè charus, ab eoque Epiſcopus S. Agathæ, & S. R. E. Cardinalis factus, magniſque negotiis adhibitus, Summo Sacri Collegii conſenſu Pont. Maximus creatus, toto Pontificatu juſtitiæ, prudentiæ, animique magnitudinis laude floruit:

B. Didacum Hiſpan. ex Ordine Fratrum Minorum, Philippo Rege Catholico ſupplicante in Sanctorum numerum retulit, captivis redimendis, pauperibus in cuſtodia incluſis ad æs alienum ſolvendum, virginibus dotandis fructus annuos attribuit, victum per Urbem oſtiatim quærentibus Domum, in qua alerentur, ædificavit:

Hippolyto Card. Aldobrand. Legato in Poloniam, miſſo controverſias inter Auſtriacam Domum, & Sigiſmundum Poloniæ Regem compoſuit, exulum & perditorum hominum licentiam coercuit, publicam tranquillitatem reſtituit, Urbem ædificiorum magnificentia, in primiſque Vaticana teſtudine ornavit, Aquam Felicem opere ſumptuoſo adduxit &c.

Eccle-

Eccleſias Fratrum & Monialium Ordinis Minoritani in feſtis S. Patris Franciſci, SS. Antoni Patavini, Bonaventuræ, Eccleſiæ Doctoris, Ludovici Epiſcopi, Bernardini Senenſis, & Claræ indulgentiâ plenariâ in perpetuum decorat.

SIXTUS PAPA V.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm à primæva inſtitutione Regulæ Beati Franciſci, tam ob illius, & Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Divæ Claræ, aliorumque ejuſdem Ordinis ſequacium ſanctitatem & miraculorum multitudinem, quàm etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum merita, ingens ubique Chriſtifidelium multitudo ſingularem erga quemcunque dictorum Sanctorum gerat devotionis effectum; Nos, ut ipſorum fidelium devotio hujuſmodi non modò conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus etiam dilecti Filii Clementis Bontadoſii Ordinis Minorum Conventualium Magiſtri Generalis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capucinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quàm cæteris utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima Communione refecti, diebus Feſtis Sanctorum Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, ac Bernardini, prædictorum eorundem Fratrum Minorum Conventualium, Capucinorum & de Obſervantia; Necnon die Feſtivitatis S. Claræ Monialium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias, tam erectas, quàm erigendas, vel earum aliquam, à primis veſperis uſque ad occaſum Solis eorundem dierum, ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & clargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes litteræ ad ipſorum Chriſtifidelium notitiam faciliùs, citiùſque perveniant, volumus, quod earum exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Septemb. MDLXXXV. Pontificatus noſtri Anno Primo.

In Arch. generali Ord. noſtri conſervatur exempl. Authenticum impreſſum, fuit & hæc eadem Indulgentia confirmata à Ven. S.D. Innocentii XI. ut videre eſt in Bull. Rom. tom. 4. fol. 146. col. 2.

S. Bonaventuram, S.R.E. Cardinalem, Epiſcopum Albanenſem, Ordinis Minorum Profeſſorem, Eccleſiæ Doctoribus annumerat, ac illius feſtum 14. Julii celebrari cum plenariæ Indulgentiæ largitione mandat.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis Filiis aliarum Eccleſiarum Prælatis per univerſum Terrarum Orbem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

TRiumphantis Hieruſalem gloriam ſempiternam, & Sanctorum cum Chriſto feliciſſimè regnantium nunquam marceſcentes coronas cum gaudio admirans Sancta Mater Eccleſia, adhuc in terris militans, ad eandem verò juſtitiæ coronam feſtinans, Deum in Sanctis ſuis mirabilem prædicare non ceſſat. Nec verò inſignes tantùm victorias, & præclara Sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, ſed eoſdem Sanctos, quos Deus mirificè honorificat, ipſa quoque piè veneratur, ac colit; quorum nimirùm prædicatione, ſalutarique doctrina inſtituta, ſanguine fundata, illuſtribus charitatis operibus, atque exemplis educata, ferventibus illorum apud Deum precibus quotidiè adjuvatur. Quamobrem de-

debitis etiam, congruiſque honoribus unicuique Sanctorum ſingulatim tribuendis ad cœleſtis illius Hierarchiæ, ubi omnia in charitate perfecta ordinata ſunt, normam atque imaginem ſeſe conformare (quantùm quidem in hujus prætereuntis Mundi exilio licet) maximè ſtudet. Nam quemadmodum in magna illa ſummi Patrisfamilias, boniſque omnibus cumulata domo manſiones multæ ſunt, & beatæ illæ animæ mira quadam varietate, unius gloriæ beatitudine perfruuntur, ſic Catholica Eccleſia, quæ cœleſtis illius effigies eſt (ut caſtrorum acies ordinata) in veneratione Sanctis Dei adbibenda, ſacros illos ordines, Divino illuſtrata lumine agnoſcit, atque diſtinguit. Itaque dum glorioſum Apoſtolorum Chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortiſſimorum Martyrum laudat exercitum, cæteriſque Sanctis ſuo loco, & ordine ritè honores refert, in uno charitatis ſpiritu, & conſimili piæ devotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos verò beatiſſimos Sanctorum choros, quorum memoria à cunctis Fidelibus religioſo cultu meritò celebratur, inſigni ſplendore elucet, Sanctorum Doctorum ordo à Paulo Apoſtolo diſertè enumeratus, cum ait, Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, quos vineæ ſuæ ſtrenuos, fideleſque cultores, atque operarios conſtituit, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti. Hi ſunt, de quibus Divina Sapientia clamat, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt: de his Angelus apud Danielem loquitur: qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi Stellæ in perpetuas æternitates, eos denique Salvator ipſe Chriſtus Dominus inſigni illo elogio ornavit: Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum. Cum autem omnibus temporibus ſacrorum Doctorum ſtudium, & doctrina in Eccleſia Dei utilis, & ſalutaris fuit, tum maximè fructuoſam, & planè neceſſariam eſſe res ipſa demonſtravit, cum perſecutorum Chriſtiani nominis horribili furore repreſſo, in ipſa Eccleſiæ pace, teterrima hæreſum bella vehementiùs excitata ſunt; tunc enim hæreticorum doli & fallaciæ, qui Diabolo inſtigante in agro Domini zizania ſuperſeminare non intermittunt, Doctorum curâ & diligentiâ detectæ, & peſtiferi, ac deteſtabiles errores gladio ſpiritûs amputati, & Catholicæ veritatis vi, ſacris Doctoribus adminiſtris mendacium proſtratum: quare jure optimo Hyadum ſtellarum nomine Sancti Doctores in Eccleſia deſignantur, qui perfrigida hyeme, & longis infidelitatis noctibus expletis, & perſecutionis tempeſtate ſedatâ, tunc clariores Sanctæ Eccleſiæ exorti ſunt, cum veritatis Sol per corda fidelium altiùs caleſceret, & tanquam novo fidei vere lucidior annus aperiretur.

Jam verò inter eos, quos Dominus magnus ſpiritu intelligentiæ replere voluit, quique tanquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ in Eccleſia Dei emiſerunt, meritò numeratur S. Bonaventura Confeſſor, & Pontifex, & in eadem Catholica Eccleſia Doctor eximius, quem fel. record. Sixtus Papa IV. Prædeceſſor noſter, ob admirabilem vitæ ſanctitatem, & præcellentem doctrinam in Sanctorum numerum adſcripſit. Is enim Balneoregii in Hetruria natus (ut piæ Matris voto ſatisfaceret) adoleſcens Seraphicam Sancti Franciſci Religionem eſt ingreſſus, per cujus veſtigia recentia adhuc novus Chriſti miles humiliter & conſtanter incedens, ſaluberrimam Regularium inſtitutorum obſervantiam tanto animi ardore, tantaque aviditate hauſit, ut ſumma in eo ſanctitas appareret, ac vitæ innocentia, & caſtitate, ſancta humilitate, patientia, manſuetudine, terrenarum rerum deſpicientia, cœleſtium deſiderio, omnibus & exemplo & admirationi eſſet; tanta quoque ſpiritûs dulcedine, & divini amoris fervore inflammatus in Deum rapiebatur, ut jam in cellam vinariam ſponſi introductus, & vino optimo charitatis ebrius, Jeſum Chriſtum Crucifixum, & patientem ubique intueri, & in ejus vulneribus habitare videretur. Ad hanc verò eximiam vitæ Sanctitatem Vir Dei magnam præſtantis doctrinæ laudem adjunxit, ita Deo diſponente, ut ad ejus gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, non ſolùm exemplo, ſed verbo & eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in ſacrarum litterarum ſtudio, Sanctorum Patrum lectione, & Scholaſticæ Theologiæ perneceſſaria diſciplina Alexandro de Ales Magiſtro, inſigni illius ætatis Theologo, diligentiſſimè verſaretur, brevi temporis ſpatio excellentis ingenii bonitate, aſſiduo labore, & (quod caput eſt) gratiâ Spiritùs Sancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem pervenit, ut Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi Gymnaſio ſolemni more decoratus, Sacram Theologiam ibidem publicè profeſſus ſit.

Tantam verò laudem in interpretandi munere, & in univerſæ Theologiæ ſcientia eſt conſecutus, ut viri doctiſſimi ejus do-

ctri-

ctrinam & eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices ſancti Viri lucubrationes, & præclara ſcripta, quæ adhuc magnâ Eccleſiæ utilitate, & non mediocri Dei beneficio extant, quæque & noſtræ, & ſuperiorum ætatum viri eruditi multo cum fructu ſemper legerunt, & magnopere comprobârunt, quantus ille in Theologia fuerit, ſatis declarant. Ea enim divini ingenii ſui monimenta poſteris reliquit, quibus perdifficiles, & multis obſcuritatibus involutæ quæſtiones, magna optimorum argumentorum copia, via, & ordine enucleatè, ac dilucidè explicantur, fidei Catholicæ veritas illuſtratur, pernicioſi errores, & profanæ hæreſes profligantur, & piæ fidelium mentes ad Dei amorem, & cœleſtis patriæ deſiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in Sancto Bonaventura id præcipuum, & ſingulare, ut non ſolùm argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate, definiendi ſolertia præſtaret, ſed divinâ quadam animos permovendi vi excelleret: ſic enim ſcribendo cum ſumma eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, & in intimos animi receſſus illabatur, ac denique Seraphicis quibuſdam aculeis cor compungat, & mira devotionis dulcedine perfundat, quam ſanè gratiam, in ejus ore, & calamo diffuſam admirans Prædeceſſor noſter Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitavit, Spiritum Sanctum in eo locutum videri. Cum igitur ſervo fideli tam multa, & præclara à Domino talenta eſſent credita, ut illis ad Fratrum utilitatem exercendis, & negotiandis, cœleſtis gratiæ theſauros amplificaret, divino conſilio, & ſummo totius ſui Ordinis conſenſu, Romæ Miniſter Generalis ſeptimus poſt Beatum Franciſcum eſt factus, quo in officii munere non ſolùm prudentiam, vigilantiam, ſolicitudinem præſtitit, ſed tanto fraternæ charitatis ardore exarſit, tantaque Chriſtianæ humilitatis demiſſione Fratribus inſervivit, ut in eo illud Salvatoris agnoſceretur: Qui major eſt in vobis, ſit veſter Miniſter. Quin & piæ memoriæ Prædeceſſor noſter Clemens Papa IV. qui ſanctum Virum valde dilexit, & ejus doctrina mirificè eſt delectatus, ut tam excellens virtus, & prudentia ad multorum utilitatem latiori in campo excurreret, inſignem Eboracenſem Archiepiſcopatum ei obtulit. Ille verò cum ſe à Seraphicæ paupertatis complexu divelli non facilè pateretur, oblatam dignitatem modeſtè atque humiliter recuſavit. Cæterùm cum Gregorius X. Summus Pontifex ob graviſſimas Chriſtianæ Reipublicæ cauſas Concilium Generale Lugdunum indixiſſet, Viroſque ſanctitate, doctrinâ, ſapientia præſtantes perquireret, quorum forti, & fideli operâ ad rei maximæ tractationem, atque explicationem uteretur, duo in primis clariſſima illius ætatis lumina, è duobus florentiſſimis Ordinibus Prædicatorum, & Minorum delegit Sanctos Thomam & Bonaventuram, quos ad ſe ire juſſit: Sed cum alter in ipſo itinere in morbum incidiſſet, atque ad gloriæ coronam feliciter evolâſſet, S. Bonaventura Lugdunum profectus, humaniſſimè exceptus eſt à Romano Pontifice Gregorio, qui in ejus virtute & ſapientia ita acquieſcebat, ut Concilii rectè dirigendi, & adminiſtrandi partes ei præcipuè tribuendas eſſe decerneret. Quare ex publica Eccleſiæ utilitate, & neceſſitate, ut majori cum dignitate, & auctoritate Concilii rebus non ſolùm intereſſet, ſed præeſſet, ſtatuit lucernam ardentem & lucentem ſupra excelſum candelabrum ponere, ut in Domo Dei magis luceret.

Itaque Sanctum Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potiùs, ſed Chriſti Vicario obtemperantem, nulloſque pro Eccleſia labores ſubire recuſantem, tanquam in totius Orbis terræ theatro in ſacrum Cardinalium Collegium, & in Epiſcoporum ordinem ſtatim cooptavit: nam Eccleſiæ Albanenſi illum præfecit, qui honos antiquioribus Presbyteris Cardinalibus tribui ſolet. Qua ille ampliſſima dignitate auctus univerſam in Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem contulit, etenim in rebus Concilii arduis operam egregiam præſtitit, Catholicam fidem conſtantiſſimè defendit, pravas opiniones acerrimè refutavit, ejuſdemque prudentia, doctrina, ſanctitate, orationibus, Gregorii Pontificis paſtoralis ſolicitudo tantoperè adjuta eſt, ut ſublato per Dei miſericordiam ſchiſmatis diſſidio, Michael Palæologus Græcorum Imperator, Orientaleſque nationes, ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, unitatem, communionemque redierint: ac denique dignus habitus eſt, quem Græci Eutychii nomine appellarent. Meritò igitur cum paulo poſt in eodem Concilio fortiſſimus Chriſti Athleta ex hujus vitæ peregrinatione ad cœleſtem patriam emigrâſſet, omnes ejus mortem doluerunt, omnes communem jacturam deplorârunt, omnes illius funus lacrymis & laudibus ornârunt; ſed unus præter cæteros Viri ſanctiſſimi vitam integerrimè actam, mores probatiſſimos, labores permultos pro Eccleſia ſuſceptos, doctrinam in illo ipſo Concilio ſpectatam, inſigni laudatione veriſſimè celebravit. Is fuit piæ memoriæ Petrus Cardinalis à Tarantaſia vir eruditione & Chriſtiana eloquentia præſtans,

qui pnſtea ad Pontificatûs faſtigium evectus, Innocentius Papa V. eſt appellatus. Ipſe verò Summus Pontifex Gregorius ex intimi animi ſenſibus amiſſum fratrem, adjutorem, & conſiliarium fideliſſimum dolens, palam gravibus verbis teſtificatns eſt, Catholicam Eccleſiam, quæ ex tanti Viri pietate & doctrina fructus uberrimos acceperat, magnam illius morte jacturam feciſſe. Sed verè à Spiritu Sancto dictum eſt, In memoria æterna erit juſtus: nam qui in vita illuſtris fuerat, multò poſt mortem factus eſt illuſtrior Deo, qui admirabilis & glorioſus eſt in Sanctis ſuis, ſignis compluribus, ac prodigiis, & miraculis maximè inſignibus, Servi ſui ſanctitatem comprobante.

Quorum miraculorum ſama cum apud omnes percrebreſceret, idem Sixtus Prædeceſſor noſter è ſublimi Apoſtolicæ Sedis ſpecula ea aſpiciens, digitum Dei, qui facit mirabilia magna ſolus, ibi planè eſſe intellexit; itaque & ſponte ſua, & claræ memor. Federico Romanorum Imperatore, Regibus, Rebuſpublicis, Ducibus, Civitatibuſque permultis vehementer requirentibns, ac omnium ferè fidelium conſenſu efflagitante, de Viro præſtantiſſimo Bonaventura Epiſcopo Cardinali in Sanctos referendo, Pontifice Rnmano dignam cogitationem ſuſcepit. Summa igitur cura & diligentia, vitæ illius eximia ſanctitate, & miraculorum veritate examinata, atque comperta, omnibus denique, quæ ad eam rem pertinebant, ritè, rectèque ad Dei gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ exaltationem pro ſua ſumma, eique à Deo in Beato Petro Apoſtolo tradita poteſtate, eundem Beatum Bonaventuram de Fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium & Prælatorum omnium conſenſu in Sanctos retulit, & in Sanctorum Confeſſorum Pontificum Doctorum numerum adſcripſit, atque aggregavit, ejuſque feſtum anniverſarium diem, ſecunda menſis Julii Dominica die celebrari, officiumque de eo, veluti de Confeſſore Pontifice Doctore, in univerſa Eccleſia recitari juſſit; aliis item decretis adjectis, quæ in ejuſdem Sixti litteris pleniùs continentur. Et quamvis glorioſus hic Doctor S. Bonaventura, & in Eccleſia Catholica celeberrimus ſit, & in cœlo maximè reſplendeat, ubi coronâ illâ eſt coronatus, quam repromiſſit Deus diligentibus ſe, nec ulla humana re indigeat, qui bonis illis cum Chriſto perfruitur, quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt; urget Nos tamen charitas Chriſti, & ardens quidam devotionis affectus, quo erga eum ab ineunte ferè ætate perpetuò exarſimus, ut de ejus ſanctitate & doctrina magis magiſque propaganda, atque illuſtranda (quantùm cum Domino poſſumus) cogitemus. Movemur quidem, ut par eſt, ſancta cnm eo communione Seraphicæ Religionis noſtræ, in qua educati, & tot annos verſati ſumus, & cui tanquam Matri optimè meritæ omnia pietatis, & grati animi monumenta præſtare debemus; ſed multò magis movent Nos Dei gloria, paſtorale officium, quod gerimus, Viri ſanctiſſimi pro Eccleſia Dei tot ſuſcepti labores, tot illuſtria merita, tanta cum Romana Eccleſia conjunctio, in cujus ampliſſimo ordine, & ſenatu ſumma cum laude conſedit. Denique movet Nos Eccleſiæ univerſalis utilitas, quæ ex tanti Doctoris eruditione ſemper major, & uberior capi poteſt, præſertim cum hæreticorum inſidiæ, & diabolicæ machinationes, quibus ſacram Theologiam, quæ Scholaſtica appellatur, hoc luctuoſo ſæculo oppugnant, vehementiſſimè Nos magnoperè admoneant, ut eandem Theologiam, qua nihil Eccleſiæ Dei fructuoſiùs omni ſtudio retineamus, illuſtremus, propagemus: Divino enim illius munere, qui ſolus dat ſpiritum ſcientiæ, & ſapientiæ, & intellectûs, quique Eccleſiam ſuam per ſæculorum ætates, (prout opus eſt) novis beneficiis auget, novis præſidiis inſtruit, inventa eſt à majoribus noſtris ſapientiſſimis Viris Theologia Scholaſtica, quam duo potiſſimùm glorioſi Doctores Angelicus Sanctus Thomas, & Seraphicus Sanctus Bonaventura clariſſimi hujus facultatis Profeſſores, & primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati ſunt, excellenti ingenio, aſſiduo ſtudio, magnis laboribus & vigiliis excoluerunt, atque ornârunt, eamque optimè diſpoſitam, multiſque modis præclarè explicatam poſteris tradiderunt; & hujus quidem tam ſalutaris ſcientiæ cognitio, & exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum literarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum fontibus dimanat, ſemper certè maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad ſcripturas ipſas verè & ſanè intelligendas, & interpretandas, ſive ad Patres ſecuriùs & utiliùs perlegendos, & explicandos, ſive ad varios errores & hæreſes detegendas, & refellendas. His verò noviſſimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta, & homines blaſphemi, ſuperbi, ſeductores proficiunt in pejus, errantes, & alios in errorem mittentes, ſanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæreſibus confutandis pernecеſſaria eſt; & profectò rem ita ſe habere ipſimet veritatis inimici ſunt Judices, quibus Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa, qui profectò intelligunt, apta illa,

Digitized by Google

la, & inter ſe nexa rerum, & cauſarum cohærentia illo ordine & diſpoſitione, tanquam militum iu pugnando inſtructione, illis dilucidis definitionibus & diſtinctionibus, illa argumentorum firmitate, & acutiſſimis diſputationibus lucem à tenebris, verùm à falſo diſtingui, eorumque mendacia multis præſtigüs, & fallaciis involuta, tanquam veſte detracta pateficri, ac denudari; quantò igitur magis illi hanc minutiſſimam Scholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare & evertere conautur, tantò magis Nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum noſtrorum conſervare & tueri, & acerrimos veritatis defenſores meritis honoribus quantùm poſſumus decorare.

Quamobrem, nt Seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latiùs diffundatur, & ex ejus libris & operibus eruditi & ſtudinſi Viri copioſiores, ſuavioreſque iu dies fructus capiant, (quod ad ipſius Sancti, quamquam in cœlo beatiſſimi, gloriam aliquam facere non eſt dubitandum) primùm quidem in Alma Urbe noſtra in hac Baſilica SS. duodecim Apoſtolnrum, S. Bonaventuræ nomine Collegium inſtituimus, in quo ex hujus præcipuè eximii, devotique Doctoris operibus & commentariis Sacra Theologia publicè explicetur: deinde etiam opera illius omnia, quæ inveniri poterunt partim nondum edita, noſtraque auctoritate & impenſis undique conquiſita, partim jam evulgata ſimul omnia decenti forma, & quàm emendatiſſimè imprimi, & è Typographia noſtra Vaticana in lucem emitti curamus. Quod autem ab ipſo Pontificatûs noſtri initio, Deo (ut piè credimus) inſpirante conſtanter propoſuimus Sancti hujus Doctoris nomen, & merita glorioſa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere, & amplificare, ſanè ad id quoque uon mediocriter excitati ſumus exemplo ſanctæ mem. Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri de Chriſtiana Republica optimè meriti, & quem ut Parentem adhuc reveremur & colimus: Is enim religioſa pietate, & ſingulari devotione permotus, qua afficiebatur erga S. Thomam de Aquino Ordinis ſui decus, & Eccleſiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eundem Sanctum ob ejns præſtantiſſima in Catholicam Eccleſiam merita congruis honoribus exornare, præter alia hoc juſſit atque decrevit, nt illins feſtus dies quotannis Duplici Officiis ritu ad inſtar Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum perpetuò celebraretur; quod & S. Bonaventuræ Doctori eximio tribui debere æquum profectò exiſtimamus, cum tam multa inter eos virtutis, ſanctitatis, doctrinæ, meritorum conjunctio, & ſimilitudo intercedat: hi enim ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant: hi ſiogulari Dei providentia eodem tempore tanquam dnæ ſtellæ exorientes ex duabus clariſſimis Regularium Ordinum familiis prodierunt, quæ Sanctæ Eccleſiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maximè utiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxa fide ſubeunda paratæ ſemper exiſtunt, ex quibus tanqnam ex fertili, & benè culto ſolo quotidiè per Dei gratiam fœcundæ, & fructuoſæ plantæ procreantur, hoc eſt viri doctrinâ, & ſanctitate præſtantes, qui Petri naviculæ tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici, ejns clavum non ſine magna ſolicitudine tenenti, fortem, & fidelem operam navant. Hi duo Sancti cum eſſent coævi, iiſdemque ſtudiis dediti, condiſcipuli; ſimul Magiſtri, pari ratione à Gregorio X. Summo Pontifice (cum ambo ad Concilium evocarentur) honorati, & in hujus vitæ peregrinatione fraterna charitate, ſpirituali familiaritate, ſanctorum laborum ſocietate valdc conjuncti fuernnt, & deniqne pari greſſu; ad cœleſtem patriam commigrantes, pariter felices & glorioſi illa ſempiterna beatitudine perfruuntur, nbi eodem charitatis affectu, (ut piè credimus) pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, divinamque opem implorent, ut meritò idem Sixtus IV. hos dnos Sanctos perſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens, ſtatuerit S. Bonaventuram conſimili venerationis & honoris prærogativa, æque Sanctum Thomam decorandum eſſe.

Quod igitur à Nobis, & Seraphici Ordinis charitas, & Sancti Bonaventuræ meritorum magnitndo, & Catholicæ Eccleſiæ, cujus gubernacula Nobis, licèt immerentibus à Deo commiſſa ſunt, utilitas, & ædificatio requirit, habita ſuper his omnibus cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, deliberatione matura', de eorumdem conſilio, & unanimi aſſenſu, & ex certa noſtra ſcientia, ac de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, doctrinam ipſius S. Bonaventuræ à ſupradictis Prædeceſſoribus noſtris Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, graviſſimorum virorum auctoritate teſtificatam & commendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam, Nos quoque plurimùm in Domino

lau-

laudamus, & commendamus, ac litteras ejuſdem Sixti IV. quas pro expreſſis hoc loco haberi volumus, excepta ejus ordinatione de feſto S. Bonaventuræ ſecunda Dominica Julii celebrando, harum tenore approbantes, & innovantes, ipſum S. Bonaventuram jure Sanctorum Doctorum conſortio ab eodem Sixto IV. aſcriptum & connumeratum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium inter præcipuos, & primarios, qui Theologiæ facultatis Magiſterio excelluerunt, habendum, ac venerandum eſſe decernimus & declaramus; atque ob eam cauſam ſperantes in Domino hujus Seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam & devotionem, quam in Clero, Populoque Chriſtiano magnoperè lucere, & ardere cupimus, maximo adjumento fore, illius libros, commentarios, opuſcula, opera denique omnia, prout ex noſtra Typographia Vaticana, quàm emendatiſſima (ut ſuprà dictum eſt) emittuntur, ut aliorum Eccleſiæ Doctorum qui eximii ſunt, non modò privatim, ſed publicè in Gymnaſiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, diſputationibus, interpretationibus, concionibus, ſermonibus, omnibuſque aliis Eccleſiaſticis ſtudiis, Chriſtianiſque exercitationibus citari, proferri, atque (cum res poſtulaverit) adhiberi volumus, & decernimus; & nihilominus, ut ſapientiſſimi hujus Doctoris glorioſa recordatio, ſi non pro ipſius dignignitate, at ſaltem pro humana tenuitate ob ingentia illius merita ardentiori ſtudio recolatur, fel. rec. Prædeceſſorum noſtrorum Bonifacii Papæ VIII. qui de Sanctis quatuor Doctoribus, & Pii Papæ V. qui de prædicto Sancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti præcipimus, ut ejuſdem S. Bonaventuræ dies feſtus in omnibus Chriſtiani Orbis partibus ſub duplici officio à cunctis perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus tam publicè, quàm privatim pridie Idus Julii (non obſtante prædicti Sixti IV. ordinatione de ſecunda Dominica dicti menſis) celebrari atque in Kalendariis, cum Doctoris nomine, & feſti duplicis adjectione deſcribi, & imprimi debeat, etiamſi in noviſſimis Breviarii, & Miſſalis Romani reformationibus aliter diſpoſitum fuerit, neque ſecus, atque à Nobis, ut ſuprà, ordinatum fuit, per quoſcunque quavis auctoritate præditos, cenſeri, aut interpretari poſſe decernimus. Hortantes univerſos utriuſque ſexûs Chriſtifideles Civitatis Balneoregii, quæ clariſſimum hoc edidit lumen, & illius Diœceſis, ut eodem die feſto à ſervilibus, de Sanctæ Eccleſiæ more, operibus abſtineant. Ut autem Chriſtifidelium devotio ad Seraphici hujus Doctoris diem feſtum colendum, ejuſque opem piè implorandam, eò magis accendatur, quò ex hoc cœleſtis gratiæ dono ſe uberiùs conſpexerint eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus tam in dicta Civitate, & Diœceſi Balneoregii, quàm in præclara Galliæ Urbe Lugduno, ubi ille bono certamine legitimè decertato, curſu conſummato, fide ſervata ex hoc calamitoſo ſæculo ad meritorum ſuorum præmium, & coronam in cœlum feliciter migravit, in Almaque Urbe noſtra, ubi in hac Baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum Collegium à Nobis, (ut jam diximus) eſt erectum, conſtitutis, qui ejus feſtum hujuſmodi, ut cæteras de præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitas feſtivitates, devotè colentes, verè pœnitentes, & ſacramentali peccatorum ſuorum confeſſione præmiſſa, eo die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Qui verò Eccleſiam Fratrum Minorum S. Franciſci ipſo die feſto à primis veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei devotè viſitaverint, pias inibi ad Deum preces, (prout ſua cuique ſuggeret devotio) effundentes, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis per præſentes litteras perpetuò duraturas, quas ſub quibuſvis Indulgentiarum revocationibus, ſeu limitationibus nullo modo comprehendi volumus, miſericorditer in Domino relaxamus. Quocirca Fraternitati, & Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque in ſuis quilibet Provinciis, Civitatibus, Eccleſiis, & Diœceſibus ſolemniter publicari, & ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum, & gentium inviolatè perpetuò obſervari procurent. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum approbationis, innovationis, decretorum, declarationis, voluntatum, præcepti, conceſſionis, elargitionis, relaxationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem

tem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Baſilicam SS. XII. Apoſtolorum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, Pridie Idus Martii, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

✠ Ego Sixtus Epiſcopus Cathol. Eccl. ſubſcripſi.

Subjunctis Cardinalium, qui pariter ſubſcripſerunt, nominibus.

Bullarium Rom. tom. 4. part. 4. fol. 405. Wadding. tom. 14. Annal. fol. 303. Bull. Ord. Præd. tom. 5. fol. 457.

Privilegia FF. Minorum, Monialium S. Claræ, nec non Ordinis de Pœnitentia nuncupati, Decretis Concilii Tridentini non adverſantia confirmat.

SIXTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETſi Mendicantium Ordines, & præſertim Sacer Ordo Fratrum Minorum de Obſervantia, qui ſedulò ad Vineam Domini Sabaoth Dei gratiâ Ordo ipſe magnos probitatis, & doctrinæ, ac Animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, & quotidie afferre ſumma diligentia conatur, in eaque immenſum exhibere non ceſſat famulatum, ſummo ſemper ſtudio (etiam cum in minoribus eſſemus) amplexi fuimus: Ad ſummi tamen Apoſtolatûs apicem, meritis licèt imparibus, divina favente elementia aſſumpti, dum id mente recolimus, facere non poſſumus, quin eundem Ordinem propenſiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, ac pro animarum ſalute ab Apoſtolica Sede (cujus continuè pacem, & dignitatem Ordo ipſe de Obſervantia fortiter tutatus eſt) tam ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperint, & accipient, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem faciliùs, atque expeditiùs exequi, & tranſigere poſſint, & cæteræ Religioſæ perſonæ, Ordineſque alii exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum Franciſci à Tholoſa Miniſtri Generalis, & Thomæ de Maſſa Commiſſarii Generalis Ciſmontanæ familiæ prædicti Ordinis de Obſervantia Nobis nuper expoſitum fuit, quod, cum ex ipſius Sedis proviſione, ac benigna dignatione provenire dignoſcatur, ut Romanus Pontifex quandoque Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, ac Apoſtolica auctoritate innovata, & reſtaurata muniat, & fulciat, & in priſtinum ſtatum reponat, ac reducat; necnon propterea nonnulli Rom. Pontifices Prædeceſſores noſtri nonnullas gratias, conceſſiones, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia Privilegia, & Indulta tam prædictis Fratrum Minorum, quàm Sanctæ Claræ, ac Tertio de pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriuſque ſexûs perſonis, & Monaſteriis; Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcunque dictorum Ordinum nunc, & pro tempore exiſtentibus in genere, vel in ſpecie, etiam per modum communicationis, ſive extenſionis privilegiorum aliis Ordinibus, eorumque Domibus, & Eccleſiis, & utriuſque ſexûs perſonis Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium exiſten. conceſſorum conceſſerunt, aut jam conceſſa confirmârunt, & approbârunt, prout in ſingulis conceſſionibus, declarationibus, & litteris eorundem Prædeceſſorum expeditis pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, illa, quæ ſæpius Apoſtolica auctoritate prædicta munita exiſtunt, majorem obtineant roboris firmitatem, pro parte eorundem Franciſci, & Thomæ Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prædictis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conſervatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, conceſſionibus, Indulgentiis, & indultis pro illorum obſervantia, noſtræ approbationis robur adjicere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui omnium votis, præſertim illis, qui ſub ſuavi Religionis Jugo divinis laudibus, & Chriſtianæ Religionis augmento incumbentium perſonarum tranquillitati, & commoditati conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quæcunque præmiſſa, ac omnia,

nia, & ſingula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus ejuſdem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & Sanctæ Claræ, & de Pœnitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione ſub trium votorum ſubſtantialium profeſſione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi obedientia degentibus, ipſorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriuſque ſexûs, etiam ſingularibus perſonis, necnon Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcunque in genere, & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut aliàs per eoſdem Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam ſub quacumque forma, & expreſſione verborum conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon omnibus, & ſingulis in eis forſan contentis clauſulis, decretis, & declarationibus quibuſcunque, ac ſingulas deſuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, & in eis contenta, & inde ſequuta quæcunque illorum omnium tenores, & formas datas effectas, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſerentur præſentibus, & in his eſſent inſerta, pro ſufficienter expreſſis habentes, dicta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia in his omnibus, in quibus decretis Concilii Tridentini non adverſantur, approbamus, & confirmamus, ac innovamus, perpetuãque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſervari, necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & S. Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione ſub obedientia Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi degen. Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis prædictis, etiam per modum communicationis, & extenſionis hujuſmodi ſuffragari, illiſque frui, uti, & gaudere quando, & quoties opus fuerit, poſſe & debere in judicio & extra, ac etiam in foro conſcientiæ in omnibus, & per omnia, ac ſi ſpecialiter, & expreſsè, eiſdem Fratrum Minorum, ac Sanctæ Claræ, & Tertio de pœnitentia Ordinibus per Nos conceſſa fuiſſent, decernimus: Supplentes omnes, & ſingulos Juris, & facti, ac ſolemnitatum etiam de Juris neceſſitate, aut aliàs quomodolibet requiſitarum forſan omiſſarum, & alios quoſcumque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Quocirca Venerabilibus Fratribus Calaguritan. & Leodien. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori &c. Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quaſcumque, de quibus eis videbitur, cenſuras &c. Non obſtan. præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali &c. caſſativis, etiam Privilegiorum eorum revocativis, reſtrictivis, reſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, etiam quod in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, Motu, ſcientia & auctoritate ſimilibus derogamus. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Verùm, quia difficile foret præſentes litteras, ad ſingula quæque loca, in quibus fortè opus eſſet, deferri, volumus, & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu alicujus ex Secretariis cujuſvis prædictorum Prælatorum, Generalium, & ſuorum Succeſſorum, aut Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo officii alterius eorundem, aut alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die tertia Octobris, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Bull. Rom. tom. 4. p. 4. fol. 357. Bull. Ord. Prædicat. fol. 359. Rodrig. in coll. fol. 525.

NOTA.

JAm ante hanc Conſtitutionem emanârunt diverſæ aliæ Apoſtolicæ litteræ, præſertim verò Conſtitutio Gregorii XIII. incipiens *Ex benigna Sedis*, hæc eadem privilegia poſt Concilium Tridentinum confirmantes, in quibus adjecta clauſula & conditio, *ſi tamen decretis Concilii prædicti non adverſentur*, notari debet; deinceps autem hujuſmodi litteræ uſque ad Pontificatum Benedicti XIII. conſultò omittentur.

Beatum Didacum, de S. Nicolao, Hiſpanum, Ord. Minorum Profeſſorem, catalogo Sanctorum adſcribit, illius feſtum ad diem 12. Novembris figit, ac indulgentias aliàs Eccleſiis Ordinis pro feſtis Sanctorum conceſſas, ad illud extendit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

REx Regum ante omnia ſæcula Chriſtus Dominus, qui propter perditi ſalutem hominis, formâ ſervi acceptâ, in plenitudine temporis factus eſt homo, Eccleſiam ſuam unicè dilectam, ſuoque pretioſo ſanguine acquiſitam, ſupra Beatiſſimum Apoſtolorum Principem Petrum, cui petræ firmitatem dedit, in ſe ipſo ſummo angulari lapide à Chriſtianæ fidei primordiis ædificavit, & uſque ad ſæculi conſummationem per omnes temporum ætates mirabiliter ſemper ædificat. Divinum verò admirabilis hujus ædificationis artificium, nec inflata mundi ſapientia capit, nec terrena & carnalis prudentia ullo modo aſſequitur, Diaboli autem aſtutia, & ſuperbia contremiſcit; Nimirum, quemadmodum ex pauperibus, & contemptis plerumque hominibus, humili & obſcuro loco natis, nullis artibus, nullâ eloquentiâ inſtructis, nullo denique humanæ potentiæ præſidio communitis, tanquam ex abiectis & reprobatis lapidibus, tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis, tam ſtabilis in tantam demum conſurgat altitudinem, ut ipſæ infernorum portæ ejus robur ac firmamentum perhorreſcant. Sed viæ Dei non ſunt viæ hominum, nec cogitationes ejus ſicut cogitationes eorum. Itaque non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Sic omnipotens Deus per ſcandalum Crucis, & per ſtultitiam prædicationis ſalvos fecit credentes; ſic ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initiis per ſapientem Apoſtolorum inſantiam, & per fortiſſimam Martyrum infirmitatem, Græcorum ſapientiam infatuavit, & gentium potentiam dejecit atque proſtravit: ſic denique per ſuccedentes ætates brachio fortitudinis ſuæ depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles Sanctos ſuos. Hinc ſuperiori ſæculo, & patrum noſtrorum memoriæ valde propinquo, ex humili familia Fratrum Minorum Sancti Patris noſtri Franciſci humilem Beatum Didacum, in Hiſpania natum, non doctrina præcellentem, ſed quales primi illi noſtri Magiſtri, & Principes fuerunt, ſine litteris humano ſtudio comparatis, ſed idiotam, & in Sancta Religionis profeſſione laicum delegit, in quo oſtenderet abundantes divitias gratiæ ſuæ: cujus admirabili vitæ ſanctitate, & exemplo multos ad viam ſalutis perduceret, & ſeneſcentem ac penè decrepitum Mundum magis magiſque coargueret: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Itaque Pater miſericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, hunc ſervum ſuum parvulum, & demiſſum, cœleſtibus donis ſuis adeo ornavit, tantoque Spiritûs Sancti igne incendit, manumque ſuam ad ſanitates, & ſigna, & prodigia B. Didaci meritis, tum in ejus vita, tum poſt mortem efficienda, tam mirificè extendit, ut is non ſolùm apud ſuos in florentiſſimis Hiſpaniæ Regnis notus, & clarus eſſet, ſed apud exteros etiam ejus nomen magna cum gloria pervulgaretur. Juſtus enim & miſericors Dominus ſervos ſuos fideles, quos ante Mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinavit ad vitam, non ſolùm in Cœlo ſemper coronat, ſed ſæpe etiam in Terra, ubi fortiter, & legitimè certaverunt, multo gloriæ ſplendore cumulat, atque illuſtrat: Nimirum, ut præclaras illas ſuas promiſſiones perſolvat: Dabo vos (inquit) nominatos, & in gloriam, & in laudem in cunctis Populis Terræ; ut ſe ipſe in Sanctis ſuis mirabilem demonſtret, & potentiam ſuam ſignis & virtutibus declaret; ut propoſitis Sanctorum glorioſis laboribus, & meritis, qui homines fuerunt nobis ſimiles, circumdati infirmitate, ſegnitiem, & tarditatem noſtram in via virtutis excitet, & frigeſcentem charitatem accendat; ut hæreticorum pravitatem coërceat, perverſita-

tem confundat, dum ad ſacras eorum Reliquias, divina virtute, ægroti corantur, Dæmones pelluntur; ut mortuos, qui in Domino ſunt mortui, bestos eſſe, & mnltò ſeliciùs vivere omnes intelligant. Poſtremò, ut amici Dei multò maximè honorentur, & qui Sancti ſunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus habeantur; ad quorum nos opem confugientes, eoſque piè invocantes, eorum ſuffragiis adjuti cœleſtem miſericordiam faciliùs impetremus. Meritò igitur B. Didaeum laudamus, quem Deus multis & illuſtribus oſtendit miraculis prædicandum; de cujus Beati viri vita, & rebus geſtis, puriſſimæ fidei integritate, morum excellenti ſanctitate, ſignornm admirabilitate pauca quædam libenter pro noſtro Paſtorali officio Populo Dei proponimus, ut laudetur Deus in ſancto ſuo, & fidelium devotio tanquam ſalutari quodam & perjucundo cibo nutriatur, omneſque Deo gratias agant, publico noſtro, & hujus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis teſtimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur & regitur, B. Didaci ſanctitatem optimo jure declaratam eſſe, & promulgatam.

Natus eſt B. Didaeus in Hiſpania in Provincia Betbica, & in Oppido, cui nomen eſt S. Nicolaus de Portu, quod eſt in Diœceſi Hiſpalenſi. Et is quidem ut fœcundus ager cœleſtis gratiæ imbre irrigatus uberes fructus citò protulit. Nam adoleſcens ex medio Babylonis fugiens, hoc eſt, ex laqueis & periculis ſæculi, pænitentis habitu indutus in propinquam ſolitariam Ecclesiam unà cum pio quodam Sacerdote ſpiritalis vitæ duce, & ſocio ſeceſſit, ubi novus Chriſti miles in hujua ſallacis mundi contemptione, & omnium humanarum rerum deſpicientia, in cœleſtium contemplatione, in corpore edomando, & ſpiritui ſubjiciendo ſe aſſiduè exercens, magna cum ſuorum oppidanorum ædificatione præclarum tyrocinium poſuit. Poſt aliquot verò annos, ut ſe arctioribus vinculis Chriſto adſtringeret, & à mundi tempeſtatibus quàm longiſſimè diſcederet, & ſub ſuavi obedientiæ jugo Deo ſecuriùs, & fructuoſiùs ſerviret, in portum Seraphicæ Sancti Franciſci Religionis confugit, eamque prope Cordubam in Conventu de Arrizafa; ut vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obſervantia nominantur, incolunt, verbis expreſſis eſt profeſſus. Hic jam Athleta Chriſti ampliſſimum virtutum ſtadium ingreſſus, tanquam obliviſcens, quæ retro erant, & ad ea, quæ ſunt priora, ſe extendens, cœpit omni contentione corporis & ſpiritûs perſequi (divins grstia ſuffragante) bravium ſupernæ vocationis. Summâ cura & diligentia in Regulæ obſervatione verſabatur, quam in omni vita ſanctè adeo inviolatèque ſervavit, ut ipſe in cunctis Religioſis functionibus & officiis, vivens quædam & expreſſa regula eſſe videretur. In primis verò, quia ſapientiſſimus Architectus Spiritus Sanctus, ſublime Regularis perfectionis ædificium in eo extruebat, altiſſimum humilitatis fundamentum jecit, & ut prudens ille ædificator in Evangelio laudatus, fodit in altum, & ædificavit domum ſuper petram: nihil ſibi tribuens; nulli ſe anteponens; quò plura à Deo accipiebat, eò demiſſiùs ſe gerens. Itaque nullæ tentatioоum procellæ, nulli ſuperbiæ, & inanis gloriæ venti, nullæ Diaboli machinationes domum illam tam egregiè fundatam movere, aut labeſactare potuerunt. Superiorum & Prælstorum mandata & juſſs tantâ obedientiâ, tantaque alacritate exequebatnr, ac ſi Deum in eis loqnentem audiviſſet. Sanctam paupertatem Domini ſui ſponſam chariſſimam, quam diligentiſſimè cuſtodiebat, omnia arbitratus ut ſtercora, ut Chriſtum lucriſaceret. Cumque Sathanæ aſtutias non ignoraret, ſed optimè intelligeret inſenſiſſimum bumani generis adverſsrium, tanquam Leonem rapidum, & rugientem dies nocteſqne circuire, ut Chriſti oviculas dilaceret ac devoret; nunquam otio, aut torpori ſe dabat, ſed ſtabat ſuccinctus lumbos ſuos in veritate, indutus loricam juſtitiæ, galeâ ſalutis aſſumptâ, & ſcuto fidei arrepto, in quo omnia poſſet ignita nequiſſimi hoſtis tela extinguere. Corpus igitur & carnem ſuam, illecebram peccati, labore, jejuniis ſerè continuis & flagellis caſtigabat, & in ſervitutem redigebat: præcipuè verò ad excelſam illam Arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc eſt, ad ſanctæ Orationis præſidium, cujus alis in Cœlum frequenter ſublatus, terrenorum oblitus, ſuaviſſimo Dei colloquio fruebatur. In ea igitur ſchola divinitus eruditus Vir alioquin planè rudis, & litterarum minimè ſciens, admirandum in modum de rebus divinis loquebstur, ſenſuſque mirificos proferebat, ita ut viri ernditiſſimi, qui in Sacræ Theologiæ ſtudiis ætstem contriverant, ſummopere obſtupeſcerent: illudque memoriæ traditum eſt, & gravi teſtimonio comprobatum, doctos & pios viros cum abſtruſas & perdifficiles quæſtiones ad res divinas, animarumque ſalutem pertinentes com eo ſamiliariter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulatè didiciſſe, quod in celeberrimis Academiis à magnis Doctoribus addiſcere nequiverant. Ille præteres Orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedictionibus dulcedinis præventus, & calicem illum præclarom, qui cor inebriat, delibsns, ardentis charitatis

tis igne erga Deum & proximos toto pectore æſtuabat: quare bonorum omnium auctorem Deum, & Beatiſſimam Dei Genitricem ſemper Virginem humani generis Advocatam, quam ſumma devotione ſemper coluit, non pro ſe ſolo, ſed pro omnibus hominibus, & præſertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementiſſimèque orabat; pauperes verò Jeſu Chriſti tanto affectu diligebar, tantaque erga eos miſericordia commovebatur, ut omni ſtudio (quantùm ei licebat) eorum inopiam, & calamitates ſublevare ſedulò procurarer: quod, ſi interdum præſtare non poſſet, vim lacrymarum profundebat, eoſque verbis amantiſſimis conſolabatur; ægrotos Fratres omnibus charitatis officiis proſequebatur, aſſidere ad lectum, cibum miniſtrare, vigilare totas noctes, perſerrè omnes moleſtias, tanta patientia, tanta humilitate, ut quorundam purulentas plagas non ſolùm medicamentis curare, ſed lingua quoque eas lambere & abſtergere non abhorreret: quo in genere eximia Servi Dei charitas Romæ aliquando in Cœnobio Fratrum ſuorum, quod eſt ad Aram Cœli, inſigniter eluxit. Nam anno quinquageſimo ſuperioris ſæculi, cum piæ mem. Nicolaus Papa V. Prædeceſſor noſter Sacrum Jubilæum de more celebraret, Romam venit B. Didacus, ut ſalutarem Indulgentiam conſequeretur, & Beatorum Apoſtolorum ſepulchra, cæterorumque Sanctorum Martyrum illuſtres memorias religioſè veneraretur: magna erat annonæ inopia, gravibus & periculoſis morbis Urbs laborabat, cum B. Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, à Guardiano, ſeu Cœnobii Præfecto, qui jam ejus ſanctitatem deguſtaverat, eſt præpoſitus, cujus officii munus, tam fideliter, feliciterque adminiſtravit, ut in publicis anguſtiis omnia apud pauperes Chriſti abundarent, omneſque in Servo Dei, & copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem illius apud Deum gratiam agnoſcerent. Nec ſanè mirandum eſt, Virum Dei membris Chriſti Fratribus ſuis, in quibus Chriſtus ipſe ægrotabat, tanto charitatis ſtudio inſerviſſe, tam impigrè miniſtrâſſe, qui eò jam perfectionis progreſſus erat, ut charitatem illam, qua nemo majorem habet, ſponſo animæ ſuæ præſtare, & perſolvere concupiſceret, & pro Chriſti nomine & confeſſione vitam & ſanguinem profundere deſideraret. Ea nimirum eſt perfecti amoris vis & natura, ut non facilè conquieſcat, ſed majora ſemper & maxima appetat, & moliatur, ſemperque actuoſus & operoſus ſit. Itaque, cum aliquando ad inſulas Canarias miſſus eſſet, ut Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Conventu fungeretur, ſervus Chriſti, cui vivere Chriſtus erat, & mori lucrum, cœpit Martyrii deſiderio vehementer flagrare. Erat in eo non ſolùm columbæ ſimplicitas, ſed & ſerpentis prudentia; quare multa cum vigilantia, & Regularis diſciplinæ obſervantia Vir Dei in ſua cuſtodia excubabat, in omni ſanctitate & juſtitia forma factus puſilli gregis ſui, & fidelium Inſulanorum, quibus bonus odor Chriſti erat ad vitam, ita ut frequentes eum adirent, ex ejuſque ſpiritalibus colloquiis miram caperent conſolationem & voluptatem. Magnam verò exercendæ charitatis ſegetem in Inſulis illis nactus, ſimulque conſequendi Martyrii ſpe incitatus, multos ex Canarienſibus infideles, & impuris adhuc Idolorum ſuperſtitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Chriſti fidem perduxit: quo in munere dum ſtrenuè verſaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ magna appellatur, diaboli invidia conflavit; ſæpe in capitis, & vitæ diſcrimen venit, ut ſeſe jam Martyrii palmam potiturum ſperaret; ſed Deo aliter diſponente, non Martyrio animus & voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit; at certè gloria non defuit, cum præclarè à Beato Martyre Cypriano ſcriptum ſit, ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui judicaturus eſt, qui arcana renum ſcrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportavit, reſervatus à Deo, ut multos Chriſto lucifaceret. Jam enim in univerſa Hiſpania clariſſimum erat B. Didaci nomen, magnamque apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tanquam Angelum quendam in terris agentem ſic eum homines intuebantur: nihil illo leniùs, nihil manſuetiùs: lac & mel ſub lingua ejus, & cor ejus mundum, & ſimplex Chriſtiana dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere; de nemine malè judicare; nullum adverſus aliquem verbum acerbius immittere: Si quem verò contra legem Dei, & Regularem diſciplinam peccantem animadverteret, zelo Dei incenſus, liberè objurgabat, nulla tamen in re gloriam ſuam, ſed Dei honorem & fraternam utilitatem quærebat. Signis etiam & miraculis viventem Servum ſuum illuſtravit Deus, ejuſque excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter pateſecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum, ita ut undique ad eum ejus rei cauſa quamplurimi confluerent: ille verò fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem, quæ ante Sacram Beatiſſimæ Virginis imaginem

ginem collucebat, demiſiſſet, ex ejus oleo ægrotos ſigno Crucis obſignatos perungebat, multorumque varios languores & morbos ejuſdem Crucis virtute, in qua ſola gloriabatur, mirabiliter ſanabat.

Accidit aliquando, ut è Cœnobio, in qun erat, ad oppidum Sancti Lucæ de Barameda proficiſceretur, Fratre uno comite, cumque nullis cibariis acceptis jam ſumendi cibi tempus adveniſſet, & ex itinere deſeſſi eſſent, nec in proximo vico quidquam, qun es aliena miſericordia reficerentur, Deo ita diſponente, reperire potuiſſent, ad comitem ſereno vulin converſus B. Didacus, Eja, inquit, Frater in Domino confidamus, ipſe nos paſcet; cum iter ſtrenuè proſequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter berbas prope viam poſitam vident, propiuſque accedentes album panem, piſces recentes coctos, & vini vaſculum inveniunt: inſiſtunt Servi Dei, & in latiſſimo campo, unde in omnes partes liber erat proſpectus, omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt, ſi quis fortè eo in loco prandium reliquiſſet: denique id, quod erat, rati, ad menſam ſibi à Deo in deſerto paratam veri Iſraelitæ accumbunt, ac cibo & potione ſiti ſameque depulſa, quod ſuperſuit, ibidem liquerunt, Deo Patri miſericordiarum gratias agentes, qui ſervis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno.

Quid, illud quod Hiſpali geſtum eſt, quàm magnæ fidei eſt argumentum? Nam cum ſeptennis puer, qui à matre vapulare ſolitus erat, in ſurno, in quem ejus iracundiam fugiens ſe abdiderat, obdormiſſet, & ſurno ab ignara matre ſuccenſo eſpergeſactus elamaret, vir Dei exanimatam matrem, ejulatu omnia complentem, nec quò ſe verteret ſcientem, ad majorem Eccleſiam ire, ibique Matrem miſericordiarum devotè orare juſſit, ipſa te, inquit, ò mulier adjuvabit: cum illa, quaſi Dei Nuncium audiviſſet, pergeret, ipſe ad ſurnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulò poſt ad idem templum adduxit, matrique ſuæ ſalvum, & incolumem reddidit.

Cæterum cum juſtus Judex Deus Athletam ſuum tot victoriis illuſtrem, carne, mundo, diabolo per Dei gratiam devicto, corona juſtitiæ, quæ illi ab omni æternitate repoſita erat, coronare decreviſſet, ſervumque multiplicatis talentis induſtrium, & in paucis fidelem ſupra multa conſtituere, & in gaudium vellet Domini ſui introducere, B. Didacus in ſenectute bona, plenus dierum & operum bonorum in Conventu Complutenſi, in quo annos complures eſt commoratus, in ſupremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam autem nocte extra ſe raptus, ſenſu omni, & vitali motu amiſſo, ita ut à Medico, & qui adſtabant, Fratribus, mortuus planè crederetur, tandem ſoluta exſtaſi ter aut quater hæc verba locutus eſt: O quales flores babet Paradiſus! In profundæ verò bumilitatis ſtatione, uſque ad extremum vitæ ſpiritum ſervanda, ita firmus msnebat, ita nuſquam de ſuo loco decedebat, ut cum Fratres ſinguli ab en peterent, ut pro ipſis oraret, ipſe contra ſe eorum orationibus vebementer commendaret, ut ipſis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in ſanctæ Religionis obſervantia cumulaverant, ſibi quoque à Deo communicaretur, atque ita miſericordiam impetraret. Poſtremò, cum ſe jam moriturum intelligeret, comitis illius, & adjutricis fideliſſimæ, quæ illum in hujus vitæ peregrinatione nunquam deſeruerat, hoc eſt, ſanctæ paupertatis, ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in ejus intimo ſinu, quàm maximè fieri poſſet, ſpiritum emittere cupiens, enn vocatis Fratribus, eos obnixè rogavit, ut ſibi veſtem obſoletam, & laceram, habitumque omnium viliſſimum, in quo moreretur, concederent: quo impetrato, multis proſuſis lacrymis ab bis, qui adſtabant, oſſenſionum atque erratorum veniam poſtulavit, quibus copiosè collacrymantibus, ipſe Cruce lignea, quam ad caput habebat, arrepta, eamque amplexus & oſculatus, utroque brachio in altum ſortiter ſublato (cum tamen alterum gravi apoſtemste tumens, ac debillitatum antea movere non potuiſſet) oculiſque in vitale ſignum defixis, verba illa ex ſacro Hymno magno affectu, magnoque pietatis ſpiritu pronunciavit: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ſerens pondera, quæ ſola ſuiſti digna portare Regem cœlorum, & Dominum. = Quæ cum dixiſſet, in ipſo ſalutiſeræ Crucis complexu, quam unicè dilexerat, quam in corde & corpore ſemper geſtaverat, in qua Cbriſto confixus, & mundo crucifixus ſuerat, animam efflavit, & in Domino obdormivit, pridie Idus Novemb. Anno Domini. M. CCCC. LXIII.

Ad ejus corpus (B. Didaei morte auditâ) msgni undique concurſus facti, illud devotè omnes contingere, amictûs particulas præſcindere, capillos devotionis causâ evellere, demum cbriſtiann ritu corpus bonorificè humatum eſt. Hic jam ſtatim Deus mortui ſervi ſui, cui in vita cooperatus ſuerat, eximism ſanctitatem ſignis ſequentibus comprobavit. Nam corpus, quod jam quatriduo humi ſepultum fuerat, iterum non abſque miraculi interventu, effoſſum, non ſolùm integrum, incorruptumque apparuit,

ſed

ſed cum per multos menſes, ut pio ſtudio ſatisfieret, & Civium & aliorum, qui ex diverſis partibus accurrebant, inſepultum jacuiſſet, non computruit, nullum tetrum odorem emiſit: Imò verò corpus illud, quod vivens Spiritûs Sancti templum fuerat, odorem ſuaviſſimum efflabat, quo omnes mirificè recreabantur, qui quidem & in hodiernum uſque diem ex ejus ſepulchro ſuaviter & jucundè ſpirans, à pleriſque ſæpe ſentitur. Illud quoque in B. Viri mortuo corpore mirum acceſſit, quod ejus membra & artus vitali calore deſtituti non obriguerunt, nec duri aut rigidi ſunt effecti, ut cadaverum ſolent, ſed molles erant & flexibiles quocunque verterentur. Quocirca laudanda eſt pietas & magnificentia cla. mem. Henrici IV. Caſtellæ Regis, qui unà cum Filia periculosè ægrotans, & B. Didaci precibus ſanitate impetratâ, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in Arca ferreis laminis diligenter communita B. Didaci corpus decenter recondi juſſit: ad quod quidem ſacellum, ut conſtat, non ſolùm Complutenſes cives, ſed vicini & remotiores Populi, atque ex omni ferè Hiſpania fideles tanta devotione confluunt, tam multi beati illius Viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem ejus ſacello celebrantur, tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratiâ offeruntur, ut hæc de B. Didaci ſanctitate non exigui temporis tanquam rumoris aura, ſed per annos centum viginti & ampliùs conſtans & perpetua fama & opinio, tantuſque illorum fidelium omnium generum, omnium ordinum conſenſus magni profectò, & illuſtris teſtimonii loco habendus ſit ad B. Didaci ſanctimoniam comprobandam.

Verumtamen multis quoque poſt obitum miraculis Vir commemorabili ſanctitate præditus claruit. Nam in actis tranſmiſſis centum ferè & triginta leguntur, Deo, qui glorificatur in Concilio Sanctorum, ſignis & prodigiis teſtante, Servum ſuum non ſolùm morum, ſed etiam ſignorum virtute, nec operibus modò pietatis in vita, ſed etiam miraculorum luce poſt mortem clarum & Venerabilem eſſe.

Duron oppidum eſt in Hiſpania in Diœceſi Seguntina, ex eo Catherina Martini filia virgo annos xii. nata, cum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta evaſiſſet, brachiis item pedibuſque paralyſi diſſolutis incedere nequiret, ad B. Didaci ſacellum delata, cum ibi pervigilaret, ejus tacta manu, & in Crucis formam conſignata, illico & aurium ſenſum, & loquendi facultatem recepit, membrorumque uſu reſtituto, totoque corpore confirmato liberè quà libuit inceſſit, laudans & benedicens Deum.

Adoleſcens quidam erat annorum ferè viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonçales viri nobilis, qui Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, ita ut ſæpius interdum in die arreptus, & ad terram alliſus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur, hic ſe B. Didaco humiliter commendans, & in ejus ſacello aliquandiu invigilans à miſerabili vexatione omnino eſt liberatus.

Cum Catharina Bartholomæi Sanchez uxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet (Fœtus enim in utero tranſverſus alterum tantummodo pedem eduxerat) materque miſera ab aurora uſque ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & planè morti propinqua eſſet, ſocrus ejus Maria Garçia, uxor Jo: Garçiæ, Incolæ Oppidi de Ambroz B. Viri in maximis anguſtiis recordata, ad ejus opem confugit; itaque fruſtum amictûs B. Didaci, parumque pulveris è ſepulchro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubitò mortuum fœtum edidit ipſa ſalva. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed ejuſdem avia Maria jam ſemel Beati Viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentiùs orare non dubitavit: quod cum devotè feciſſet, alterum etiam beneficium impetravit, & puella ſacro Baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere à Deo donata diu poſtea ſupervixit.

Illud autem, quod in Maria della Peñuela, Petri Fernandez Complutenſis filia, Dei virtute, per merita B. Didaci mirificè effectum eſt, notum & valde pervulgatum in Hiſpania, multique, qui meminerint, ſuperſunt. Invaſerat virginem horribilis & deformiſſima paralyſis, tanta nervorum diſſolutione & membrorum laxatione, brachiis, cruribuſque diſtortis, totoque corpore convulſo, ut non jam Mulier, ſed Monſtrum eſſet, & Medici ſe nihil unquam tale vidiſſe profiterentur; accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera graviſſimè affligebatur: ea igitur ad B. Didaci corpus delata, cum in ejus interceſſione & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum diſtortione & depravatione, omnique corporis infirmitate eſt liberata; quæ tanti accepti beneficii non ingrata, Deo Virginitatem ſuam vovit, & ſacrarum Virginum collegio adjuncta in Monaſterio Sancti Joannis, quod à pœnitentia nominatur, ſanctè & religiosè vitam duxit.

Sed

Sed, quod in Principe Carolo chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio divinitus actum eſt, magnam apud omnes ſamæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adoleſcens Princeps anno humanæ ſalutis MDLXII. qui cum è ſcalis decidiſſet, graviſſimum ex eo caſu, & prolapſione in capite vulnus acceperat: omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humanâ induſtriâ præſtari poterant, ut in tanto Ptincipe par erat: ſed cum nihil humanum proficeret, morbuſque magis ſemper ingraveſceret, jamque ejus gravitati natura ſuccumberet, Medici, Principis ſalute prorſus deſperatâ, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idque Regi Patri, ne tam acerbo ſpectsculo intereſſet, denunciant. Cum igitur omnis humani adjumenti ſpes defeciſſet, ad divinum, quod unum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaque devotionis ardore ſuccenſi à Fratribus ſuis B. Didaci corpus decenter & religioſè in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos ſerè centum integrum & incorruptum: quod cum Princeps Beati Viri patrocinio ſe commendans devotè tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete B. Didacum ante lectum ſtantem, & Crucem arundineam manu gerentem, ſeque admonentem bono animo ut eſſet, & in Deo confideret, fore enim, ut ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimùm tempore, quo Medici Principem moriturum prædixerant, non ſolùm meliùs habere cœpit, ſed paulò poſt ex omni illo vitæ diſcrimine divinis, ac ſupra naturam adjumentis tam mirabiliter eſt ereptus, ut digitum Dei per merita B. Didaci ibi adſuiſſe omnes intelligerent. Sed præter cæteros Princeps ipſe, & Philippus Pater, incredibili lætitia tanquam redivivi filii affectus, id agnoſcere, & Deum glorificando palam profiteri. Itaque pius Rex cum chariſſimi & primogeniti Filii vitam, ſummæ Dei clementiæ per merita & preces Beati Didaci ferret acceptam, cuperetque, quacunque ratione poſſet, gratiam aliquam Deo in Sancto ſuo referre, anno inſequenti ad fel. rec. Pium IV. Prædeceſſorem noſtrum unà cum Principe filio, & cuncta ſerè Hiſpania litteras dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, ut pro ſua, & ſanctæ hujus Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate B. Didacum tam excellenti ſanctitate Virum, & tanta miraculorum claritate illuſtrem, in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab univerſa Catholica Eccleſia pro Sancto venerandum eſſe ſtatueret. Tam devotis, iteratiſque Catholici Regis, aliorumque poſtulationibus permotus idem Pius Prædeceſſor, de iis in Conſiſtorio ſuo ſecreto referri juſſit, & quinque Cardinales conſilio, & doctrina præſtantes delegit, qui ejuſmodi permagni momenti negotio præeſſent, inter quos unus ſuit Cardinalis Alexandrinus, cujus memoria in benedictione eſt, qui poſtea Pontiſex ſactus, Pius ejus nominis V. eſt appellatus. Res ſuo ordine agi cœpta eſt ſub Pio IV. litteris in Hiſpaniam tranſmiſſis ad teſtes ex ſormula examinandos, actaque ritè conficienda. Cumque ipſe Pius IV. è vita migrâſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedentes Pontifices ſanctæ recor. Pium V. & Gregorium XIII. itidem Prædeceſſores noſtros ſedulò inſtare: ſed Deo ita diſponente, quamvis pleraque ſuperioribus annis ſint acta, res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus, atque abſolvi non potuit. Cum primùm igitur humilitas noſtra, non noſtris meris meritis, ſed divinæ clementiæ abundantia, in excelſa Apoſtolicæ ſolicitudinis ſpecula his difficillimis temporibus eſt conſtituta, ſtatim idem Philippus Rex nulla ex parte reſtincto aut reſrigerato fidei ſuæ zelo, Nobis per dilectum filium ſuum nobilem virum Henricum de Guzman, Comitem de Olivares, ſuum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem magnopere ſupplicandum curavit, ut, poſteaquam ea fere omnia, quæ ad acta & proceſſum B. Didaci pertinebant, ex hujus Sanctæ Sedis præſcripto confecta erant, Nos, quibus univerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos ejus rei judicium pertineret, tam pio & tam ab ejus Majeſtate totaque Hiſpania exoptato operi, quod eſt de eodem B. Didaco Sanctorum catalogo adſcribendo, ſupremam manum imponere vellemus. Et Nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium, & perſeverantem hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus ejus piæ petitioni, quantùm cum Domino liceret, ſatisfacere: tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus, in re tam gravi nulla præpropera ſeſtinatione utendum, ſed omnia ex Eccleſiaſtica diſciplina, ex majorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circumſpectione diligentiſſimè agenda eſſe; itaque duobus antiquioribus cauſarum Palatii noſtri Auditoribus doctrinâ & rerum uſu præſtantibus, ipſis fere primis Pontificatûs noſtri diebus mandavimus, ut acta omnia, totumque proceſſum ſumma cum diligentia perlegerent & examinarent: quo illi in munere menſes complures ſedulò accuratèque verſati, copioſam relationem omnium, ſuamque ſententiam Nobis ſcripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio IV. huic negotio olim

Præ-

Præpoſiti viam eſſent univerſæ carnis ingreſſi, Nos primo anni ſuperioris menſe, in Conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum locum ſuffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide Nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus, ut in gravi cauſa, prudenti multorum gravium virorum judicio adhibito, cuncta exquiſitiùs exeuterentur. Hi verò fuère more majorum, ex tribus ordinibus delecti Venerabiles Fratres Epiſcopi, Alexander Oſtienſis Farneſius, Marcus Antonius Præneſtinus Columna, & dilecti filii noſtri Frater Michael Sanctæ Mariæ ſupra Minervam Alexandrinus, Julius Antonius Sancti Bartholomæi in Inſula Sanctæ Severinæ, Antonius SS. Jo. & Pauli Carafa, Frater Conſtantius Sancti Petri in Monte Aureo titulorum Presbyteri Sarnanus, Ferdinandus Sanctæ Mariæ in Via lata de Medicis, & Hieronymus Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi, Matthæjus nuncupatus S. R. E. Cardinales, quibus commiſimus, ut pro rei gravitate, proque ea, quæ Deo cordium ſcrutatori, & Nobis quòque in ejuſmodi publico munere obeundo à primariis Eccleſiæ membris fidelitas & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus, & miraculis B. Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quanta maxima fieri poſſet, diligentia inſpicerent & expenderent, atque ad Nos opportuno tempore referrent, ut divinâ Spiritûs Sancti gratia illuſtrati, de ipſorum & cæterorum Fratrum noſtrorum conſilio, quæ Dei gloriæ, qui juſtitia & veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus. Multis igitur elapſis menſibus, cum interca Cardinales ipſi frequenter congregarentur, acta, proceſſus, rerum geſtarum ſeriem, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum maturè & accuratè conſiderarent, examinarent, atque inter ſe conferrent, Viros etiam Sacræ Theologiæ & Pontificii juris ſcientia peritiſſimos in conſilium adhiberent; cum jam omnia parata eſſe intelligeremus, ſecretum Conſiſtorium de more convocari juſſimus, in quo Venerabilis Frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, ſuo & Collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, gravi & accommodata oratione de omnibus fideliter Nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit; quandoquidem B. Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optimè eſſent comprobata, ſe & Collegas ſuos unanimes in eam ſententiam veniſſe (ſi ita Nobis videretur) ulteriùs Nos progredi, & Beatum illum Virum in Sanctorum numero poſſe adſcribere: quorum cum ſententia etiam cæteri Fratres noſtri Cardinales, cum à ſingulis graves ſententiæ dictæ eſſent, ad unum omnes conſenſerunt. Quæ cum audiremus gaudens erat cor noſtrum in Domino, quod Beati Servi ſui gloriam quotidiè magis pateфaceret, omniaque ipſo benedicente tam feliciter procederent: Quare in tam ſancto, pioque opere nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtitutoque majorum decrevimus, ut ad ulteriora procederetur, ac diebus aliquot interpoſitis publicum Conſiſtorium indiximus, in quo præter Cardinales etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati omnes, ac Familiares noſtri de more interfuerunt. In eo verò dilectus filius Pompejus Arigonius Romanus Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis, & miraculis B. Didaei, & denique Catholici Regis, totiuſque Hiſpaniæ nomine, ut eundem B. Didacum tantis meritis illuſtrem Sanctorum numero aggregaremus, Nobis humiliter ſupplicavit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cujus manu cor Regis eſt, & quocumque voluerit, inclinat illud. Etenim planè videbamus, non ſine divino inſtinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum Regnorum graviſſima adminiſtratio à Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc B. Didaci negotio abſolvendo verſaretur, ut in magnis temporum difficultatibus ſe, ſuaque Regna apud Deum novi Patroni ſuffragiis & piè & prudenter communiret: quare reſpondimus Philippi Regis Catholici de B. Didaco noſtra, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adſcribendo, tam diuturnam & perſeverantem poſtulationem dignam eſſe ſingulari ejus pietate, dignam perpetuo Catholicæ Religionis propagandæ ſtudio; lætari Nos, & Deo gratias agere, quod Beatos ſervos ſuos, quos in Cœlis coronat, à noſtra quoque tenuitate in Terris honorari velit, eoſque Nobis ad auxilium & exemplum proponat: Et Nos quidem ad pium ejus deſiderium explendum propenſiores eſſe, facere tamen rei graviſſimæ magnitudinem, ut de Regia petitione adhuc cum Fratribus noſtris Cardinalibus & Epiſcopis etiam atque etiam deliberandum cenſeremus: quare eoſdem Fratres hortati ſumus, ut omnia, quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſimè conſiderarent, quodque Nos ipſi jam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, ut corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamque hanc actionem ad ſui gloriam & Eccleſiæ utilitatem diſponeret & dirigeret. Hæc cum eſſent acta, alterum item Conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas,

cbss, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romana Curia præſentes, Prothonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe juſſimus. Tum Nos ipſi de ſacroſancta hujus Apoſtolicæ Sedis, in qua Dei providentia ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritûs Sancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſſiſtentia à Deo in omnibus verbis ſuis fideli promiſſa, uſque ad conſummationem ſæculi perpetuò affutura, quibus gubernatur, ea diximus, quæ cauſæ & temporis ratio potiſſimùm requirere videbatur: Demum à Fratribus noſtris petivimus, ut, quoniam aliàs ſtatutum eſſet, ut ad ulteriora in hoc negotio procederetur, nunc præcisè & expreſsè dicerent, an ex iis actis, quæ ipſi viderant, & audiverant, Beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur à S. R. E. Cardinalibus primùm, deinde à Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis piè, graviter & eruditè ſententiis dictis, omnes unanimes idipſum ſentientes dixerunt ſibi videri ex iis, quæ maturè ipſi hac de re viderant & audiverant, B. Didacum à Nobis meritò inter Sanctos eſſe adſcribendum. Deo autem, qui in Domo ſua Fratres in unum habitare facit, gratias agentes de tanta Fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad Servum & amicum ſuum, quantùm Nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret & illuſtraret; cum per ejus gratiam hucuſque omnia ritè, atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem canonizationis præſtituimus ad Sextum Nonas Julii, quo die memoria Viſitationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis ad Sanctam Eliſabeth piè ab Eccleſia recolitur, ut ejuſdem humani generis Advocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus proſperè, & ſalutariter à Nobis abſolveretur. Fratres interea noſtros hortati ſumus, ut intermedio tempore unà nobiſcum precibus, eleemoſynis (quas Nos & libenter & piè erogavimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) jejuniis, & ſacrificiis Dei auxilium invocare non ceſſarent. Is igitur feſtus Viſitationis dies, id eſt hodiernus cum adveniſſet, Nos & Fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per Nos ipſos in noſtra Pontificia Capella Hymno, *Ave maris ſtella*, Cantorumque choro proſequente, ut ipſa, quæ Mater eſt gratiæ, Nobis præiret, & prælucerret, cæteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis, & Officialibus, Familiaribuſque noſtris, ac univerſo Regulari & Sæculari Clero longo devotoque ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in manibus geſtantes in ejus honorem, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor Sanctorum, è Palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum, in cujus medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumque Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam, totaque templi facies in communi Eccleſiæ lætitia hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaque ſpiritualibus canticis perſonabant, funalia & faces circumquaque ardebant, & vexilla appenſa, in quibus Beati Viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtrâ Crucem invictiſſimam gerit & intuetur, cujus nimirum auxilio hoſtes teterrimos carnem, mundum, & diabolum ſuperavit. Hîc Nos in maxima fidelis Populi, totiuſque adſtantis cleri frequentia, cœleſtis illius & triumphantis Hieruſalem effigiem quandam Nobis ante oculos proponentes, & quantùm in hac lachrymarum valle licet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare oravimus; mox in ſublimi Apoſtolico Throno conſidentes, Fratres noſtros S. R. E. Cardinales & Epiſcopos omnes ſacris veſtibus ornatos & paratos, Nobis obedientiam de more præſtantes excepimus: Tum dilectus filius noſter Petrus tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Deça Hiſpanus, Catholici Regis Philippi totiuſque Hiſpaniæ nomine ſemel, iterum, & tertiò ſuppliciter & inſtantiſſimè à Nobis petiit, ut B. Didacum in Sanctorum numerum adſcriberemus, Noſque ad ſingulas ejus petitiones, Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta intervalla, noſtras totiuſque Cleri & Populi orationes, litanias & ſacros hymnos interpoſuimus. Demum, cum jam nihil omnino ex his, quæ à majoribus piè, ſanctèque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, imò potiùs matura deliberatio, ſummaque diligentia abundantiùs adhibita, invocato Sancto Creatore Spiritu, cujus conſilio & ſapientia Sancta Eccleſia columna, & firmamentum veritatis regitur, ejuſque numen ſæpe à Nobis ex intimo corde multis etiam lachrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes, ad honorem ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; ad exultationem ſupernæ & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ; ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentem; auctoritate ejuſdem Sanctæ Trinitatis, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana

Cu-

Curia exiſtentium conſilio, & unanimi conſenſu B. Fratrem Didacum de Sancto Nicolao Provinciæ Bethicæ Hiſpanum, Ordinem Minorum Sancti Franciſci expreſsè Profeſſum, ſepultumque Compluti in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis, de cujus fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vita & poſt mortem claritate, Nobis pleniſſimè conſtat, in Sanctorum Confeſſorum numerum, & Catalogum adſcribendum eſſe decrevimus & adſcribimus, eumque, ut Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus: ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet die XII. Novembris feſtum ipſius & Officium, ſicuti pro uno Sancto Confeſſore tantùm, ad formam in rubricis Romani Breviarii præſcriptam devotè celebretur, quodque in ejus honorem Eccleſiæ & Altaria, in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint, eademque auctoritate omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam Oppidi Complutenſis Toletan. Diœc. ubi ipſius corpus requieſcit, necnon Altaria & Eccleſias, quæ in ejus honorem conſtructæ erunt, devotè viſitaverint, eaſdem Indulgentias, privilegia, & gratias conceſſimus & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

Quibus omnibus, quæ ad Sancti Didaci canonizationem pertinebant, abſolutis, ac laudis & gratiarum actionis, Hymno Deo decantato, ejuſque auxilio per Beati Didaci preces peculiari oratione, quam Nos clara voce pronunciavimus, implorato, tandem eodem in loco & Altari Miſſam ſolemnem de Beatiſſimæ ſemper Virginis Viſitatione, cum Beati Didaci commemoratione, Nos ipſi celebravimus, fidelibuſque, qui tam piæ & religioſæ actioni, & ſacroſancto ſacrificio devotè interfuerant, ad Dei & Sancti ſui gloriam & laudem, plenariam Indulgentiam conceſſimus.

Omnes igitur Deum cœli benedicamus, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, agnoſcamuſque non ſine magna Dei providentia factum eſſe, ut hiſce afflictis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, quibus maximè multiplici Sanctorum ſuffragio indigemus, novus hic ſuffragator & Patronus fideli Populo tribueretur. Et Nos quoque, qui in hac paſtorali ſtatione, in qua Nos Deus collocavit, de univerſi gregis Domini ſalute anxii, dies noctesque pervigilamus, Dei erga Nos ſingularem clementiam agnoſcimus, quia poſt tot annos, poſt tot Beatiſſimos Pontifices Prædeceſſores noſtros, Nobis humilibus hujus magni operis abſolutionem reſervaverit, qui cum Sancto ſuo ejuſdem Seraphicæ Religionis communione conſociati ſumus. Quamobrem eundem Patrem miſericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per merita & interceſſionem Sancti Didaci Eccleſiæ ſuæ pacem & tranquillitatem, Regibus & Principibus Chriſtianis unionem, vitam & felicitatem miſeris, & obcæcatis Hæreticis lucem Catholicæ veritatis largiatur. Cæterùm, quia nimis difficilè foret præſentes noſtras originales litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum tranſumptis etiam impreſſis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ ipſis præſentibus, fides ubique adhibeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, ſexto Nonas Julii, Pontificatûs noſtri Anno IV.

✠ Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Rodriq. in Coll. fol. 512. & in Arch. generali Ordin. exemplar Authenticum impreſſum.

URBANUS VII.

Romanus, antea Joannes Baptiſta Caſtanea, Presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli 15. Septemb. 1590. Summus Pontifex acclamatus, non tamen coronatus eſt, cum 27. ejuſdem menſis ad coronam immarceſcibilem immaturâ morte fuerit vocatus. Sepultus in Baſilica Vaticana, ad Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam Ordinis RR. PP. Prædicatorum translatus eſt.

GREGORIUS XIV.

Mediolanenſis, antea Nicolaus de Sfondratis, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ 5. Decembris 1590. Apoſtolicæ Sedis Regimini præfectus, illudque uſque ad 15. Octobris 1591. proſecutus, Denatus tumulum ad S. Petrum in Sacello Gregoriano vocitato adeptus eſt.

Conſtitutionem Sixti V. contra illegitimos Regularium moderatur.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumſpecta Romani Pontificis providentia, ea, quæ rationabilibus cauſis, auctoritate Apoſtolica ſancita fuerunt, ipſa rerum experientia ſuadente, ea aliis interdum non minus juſtis cauſis moderatur & immutat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè, licèt aliàs felicis recordationis Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter, nonnulla circa qualitates, modum & formam admittendi Religioſos ad quoſcunque Ordines ſalubriter ſtatuerit, prout in duabus deſuper, prima videlicet ſub datum ſexto Kalendis Decembris Anno Tertio, & altera ſub datum duodecimo Kalendis Novembris, Anno Quarto ſui Pontificatûs, editis Conſtitutionibus latiùs continetur. Quia tamen uſu comprobatum eſt, multa inventa fuiſſe impedimenta, propter quæ ea, quæ in præmiſſis ſtatuta fuerunt, executioni mandari minimè potuerunt. Unde quamplures litteris & pietate inſignes Viri à ſancto propoſito Regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alii diu cum maxima eorum laude in Religione verſati ab illius dignitatibus, honoribus, Prælaturis cum non modico Religionis, & Ordinum hujuſmodi detrimento repulſi, & inhabiles penitus redditi fuerint. Nos igitur ea quæ docuit experientia ſalubriter fuiſſe conſtituta confirmare: quæ verò moderatione aliqua indigent moderari volentes, ac dictarum Conſtitutionum, & inde ſequutorum quorumcumque tenores etiam veriores præſentibus, pro expreſſis habentes, habitâ cum Venerabilibus Fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negotiis & conſultationibus Regularium deputatis, maturâ deliberatione, de eorundem conſilio prædictas Conſtitutiones in ea parte, quâ cavetur, ne illegitimi ex certo inibi expreſſo damnato thoro, vel complexu ad quamcumque Religionem, neque ad habitum aut profeſſionem Regulares, ſed tantùm ad habitum Converſorum, aut famulorum in Monaſteriis, aliiſque locis Regularibus ſervientium admittantur, etſi poſt dictam Conſtitutionem, profeſſionem emitterent, voluit illam nullius eſſe momenti. Et in altera parte, in qua illegitimè genitos, etiam ante ipſas Conſtitutiones profeſſos vigore privilegiorū, aut indultorum Apoſtolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus in genere, vel in ſpecie conceſſorum, etiam ipſi per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores legitimatos, ſeu ad gradus, honores & dignitates habilitatos ſeu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuſcunque tam antiquis, quàm aliis privilegiis, lit-

litteris Apoſtolicis, indultis, aut declarationibus non obſtantibus excludi, ac diſpenſationes quaſcunque, aut legitimationes non ſuffragari, neque in futurum cum bis, niſi à Sede Apoſtolica, Privilegiis quibuſcumque non obſtantibus, diſpenſare poſſe volnit; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ad terminos juris reducimus, & moderamnr, ac omnes diſpenſationes, & habilitationes vigore privilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus in genere, vel in ſpecie, ut præfertur, conceſſorum, quæ tempore Conſtitutionum hujuſmodi uſu recepta, & non ſub ullis aliis revocationibus comprebenſa erunt, per quoſcunque eorum Superiores factas, in priſtinum ſtatum & validitatem, in quibus ante ipſas Conſtitutiones exiſtebant, reſtituimus & reintegramus. Volentes, iiſdem Conſtitutionibus non obſtantibus, eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum & profeſſionem Regulares admitti poſſe, quemadmodum admitti poterant, ſi ſupradictæ Conſtitutiones editæ non fuiſſent. Ita tamen, ut, cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis ad habitum & profeſſionem Ordinum quorumcumque agetur, ii, ad quos hujuſmodi receptio ſpectat, præter alia, de quibus ex dictarum Conſtitutionum præcepto circa quoſcunque, etiam legitimos, diſquirere debent, diligenter eorum vitam, & mores inquirant, & ita demum recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, ac tot eis merita ſuffragentur, ut Natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & utilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo ii, ad quos, ut dictum eſt, pertinet hujuſmodi receptio, matura deliberatione habita ita cenſuerint & judicaverint, dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua Pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo Patre vivente, non admittatur, quod expreſſè prohibemus.

Volumus quoque ac ſtatuimus licere Generali, aut Provinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat juxta tenorem privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ dummodo uſu recepta, nec aliàs ſub ullis revocationibus comprehenſa ſint, ut præfertur, in hac parte revalidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis aut Provincialis, cum generali, provinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs, ſuffragantibus meritis dignos judicaverint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes hujuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſequuta quæcunque, ut antea, valere, & tenere, perinde ac ſi ſupradictæ Conſtitutiones non emanâſſent.

Cæterùm, cum acceperimus, nonnullarum Religionum & Ordinum, præſertim Monachalium Monaſteria ita inſtituta eſſe, ut in eis perpetua quædam filiatio conſtituatur: Ideoque receptio Novitiorum in unoquoque Monaſterio ad ſuperiorem Prælatum, & Capitulum ejuſdem Monaſterii tantùm pertineat, quæ etiam Monaſteria, ut plurimùm inter ſe longè diſtant, nec generalia, provincialia, aut intermedia Capitula, niſi raro, celebrare ſolent. Ideo ſtatuimus, ut Superiores illorum Monaſteriorum, de conſenſu ſui Capituli, præhabita ſimul cum his, de quibus in unaquaque Religione aut Monaſterio, juxta ejus Conſtitutiones, recipiendus interrogari ſolet, aliqua informatione ſuper his, quæ in dictis Conſtitutionibus continentur, ad receptionem hujuſmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad Profeſſionem admittatur, plenaria, & eo modo, prout in dictis Conſtitutionibus habetur, inquiſitio fiat, quæ poſtea ab his, à quibus in prædictis Monaſteriis examinari ſolent, diligenter examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quod Superiores prædicti cum eorum Capitulo, aut ubi conſuetudo non fuerit celebrandi Capitula, cum tribus, aut quatuor, ad id in generali Congregatione per vota ſecreta deputatis, ſervatis eorum Regularibus inſtitutis ac ſupradictis omnibus, eandem in recipiendis Novitiis habeant auctoritatem, quæ per dictas Conſtitutiones Provincialibus Capitulis eſt attributa. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem

prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reductionis, moderationis, reſtitutionis, reintegrationis, prohibitionis, revalidationis, ſtatutorum, voluntatum, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Idus Martii, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Exemplar Authent. in Arch. gener. Ordin. Armario *Documenta authentica*.

N O T A

NE & hic Lectorem folia volvendo & revolvendo divagari oporteat, congero ad hunc locum Conſtitutiones Sixtinas ſuprà vocatas, quas Gregorius tum in ea parte, quâ cavetur, ne illegitimi ex damnato ibi thoro ad quamcunque Religionem, vel ad Habitum & profeſſionem Regulares, ſed tantùm ad Habitum Converſorum ſeu famulantium admittantur, tum in altera parte, quâ Superioribus Regularibus privilegium cum hujuſmodi illegitimis diſpenſandi adimit, præmiſſis litteris moderatur. Sonant autem Sixtinæ Conſtitutiones, ut ſequitur.

S I X T U S   E P I S C O P U S

S E R V U S   S E R V O R U M   D E I

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus in ea, qua convenit, puritate, & dignitate conſervandis, præcipuam geramus ſolicitudinem, tum verò illud præter cætera Nobis cordi eſt, ut à Regularium perſonarum Congregationibus, quas tanquam DEO dicatas maximè candor, ſanctitaſque decet, cujuſcunque criminis aut turpitudinis labes, & ſcandali occaſio quàm longiſſimè arceantur. Siquidem res ipſa Nos admonet, quàm indecorum ſit, & ab ea, quæ Divinæ Majeſtati, eique conſecratis perſonis debetur, reverentia, alienum, ſi ejuſmodi homines, qui propter ſua ſcelera, pœnas graves ſibi in ſæculo propoſitas timent, quivè propter immunditiam, & peccata, ex quibus orti ſunt, notati perpetuâ ignominiâ, ab omni mundano honore, & à paterno hæreditate repelluntur, iidem Omnipotenti DEO, tanquam hoſtiæ offerantur; atque ad habitandum in domo, quam decet honor & ſanctitudo, inter miniſtros Domini, cui ſervire regnare eſt, ad ſacras functiones quacunque profana præeminentia multò nobiliores, ſine ullo delectu admittantur. Cum etiam ſecundùm legem Moyſi immundi ab ingreſſu Sanctuarii excluderentur, ac Sacerdos habens maculam, panes DEO ſuo offerre non poſſet, nec accedere ad miniſterium ejus; & quod in holocauſtum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum eſſe deberet, ut acceptabile foret, nec ulla macula eſſet in eo; quod ſi maculam habuiſſet, neque offerendum, neque acceptabile futurum eſſet.

Ne igitur contingat illegitimè genitos, qui ut plurimùm Parentum vitia & incontinentiam imitari ſolent, nec pietatis ſtudio, ſed temporalium commodorum intuitu, (quia hæreditates majorum aut dignitates aliquas conſequi non poſſunt) ad Religionem confugiunt, vitam, quam animo à Religione alieno ſuſceperunt, ab inſtitutis Religioſis alienam, plerumque cum dedecore & propriæ ſalutis diſpendio ducere, ſuiſque corruptis moribus, & malis exemplis, quietem & ſtatum cæterorum DEO famulantium perturbare, aut hac quaſi fæce & colluvie ipſarum Religionum honorem, & exiſtimationem lædi; ut denique homines, qui hac ſpe ad filios ſpurios in peccato gignendos eſſent propenſiores, eò magis abſtineant ab hujuſmodi carnis flagitiis, quò ſuæ proli hoc quoque refugium præcluſum viderint, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione diſtrictè interdicimus, & prohibemus, ne illegitimi, procreati ex inceſtu aut ex ſacrilegio (quorum ſcilicet Parentes conſanguinitate, vel affinitate intra tertium gradum invicem conjuncti fuerint, vel quorum alteruter Parens caſtitatem DEO voverit) etiam Apoſtolica, Imperiali, vel Regia, aut quavis alia auctoritate legitimati, aut natalibus reſtituti, ad aliquam quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, & non Men-

di-

dicantium, Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum Regularium, Congregationum, aut Hoſpitalium Religionem, neque ad habitum, nec profeſſionem regulares recipi, vel admitti quoquomodo poſſint. Quod ſi eorum quiſpiam habitum poſt publicationem præſentis Conſtitutionis in futurum receperit, vel profeſſionem poſthac emiſerit, decernimus habitûs ſuſceptionem & profeſſionem, ex nunc, prout ex tunc, irritam, nullam & invalidam, nulliuſque roboris vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex hujuſmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri poſſe; quinimo illos habitu Regulari, ad quem reaſſumendum perpetuò inhabiles ſint, quamprimum exui, & ab ipſa Religione ejici exterminarique debere. Et nihilominus quicumque Superiores, tam Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Domorum, Collegiorum, & locorum regularium, quàm etiam præfatorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & quarumcunque Religionum Provinciales, vel Generales, quovis nomine nuncupati, qui ex prædictis inceſtu, vel ſacrilegio genitos, poſt dictam publicationem ad habitum receperint, vel ad profeſſionem admiſerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua eorum nemo, niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio quàm Romano Pontefice abſolutionis beneficium valeat obtinere.

Sed ne iis, qui in humilitatis Spiritu, DEO, & Religioni ſervire, & pœnitentiam agere intra Monaſteria vel Domos regulares cupiunt, ad ſanctum hujuſmodi propoſitum via penitus præcludatur, permittimus, ut præfati illegitimi, ex dictis inceſtu, aut ſacrilegio geniti ad habitum Converſorum, ſeu famulorum, in Monaſteriis, vel Domibus Regularibus ſervientium recipiantur, & in ipſis Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus, ad ſervilia miniſteria, viliora obſequia, humiles functiones, atque abjecta ſervitia admitti poſſint, ea tamen conditione, ut ad habitum Religioſorum, vel ad profeſſionem, quam Religioſi emittere ſolent, emittendam, necnon ad omnes non modo ſacros, ſed etiam Minores Ordines, vel ad Clericalem characterem, denique ad cuncta Eccleſiaſtica officia, & functiones, & ad aſcendendum ad altiores gradus ſiat eis porta perpetuò clauſa, & obſerata.

Quoad reliquos verò non ex inceſtu præfato, nec ſacrilegio, ſed ex quovis alio minus legitimo thoro natos, ſpurios, vel naturales etiam, ut præfertur, vel aliàs legitimatos, qui ob meliorem vitæ frugem Religionem ingredi cupiunt, ſtatuimus, & ordinamus, eos ad Religionem admitti non poſſe, aut debere, niſi priùs illorum vitâ & moribus diligenter cognitis, & circumſtantiis univerſis, quæ circa idoneitatem perſonæ attendendæ erunt, conſideratis; ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis teſtimoniis adeò commendati fuerint, adeò bonam indolem, & ſpecimen virtutis præſeferant, ac tot merita eis ſuffragentur, ut defectum natalium ſuppleant, eorumque receptio univerſæ Religionis commodo, & utilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo in Generali vel Provinciali Capitulo, matura deliberatione habita, Generalis vel Provincialis Superioris, ac Diffinitorum unanimi conſenſu approbati, & ad habitum Regularem admiſſi extiterint: & tamen hi ſic recepti ad gradus, honores & dignitates ſui Ordinis obtinendas perpetuò inhabiles, & illorum incapaces remaneant, niſi ſuper hoc cum eis fuerit auctoritate Apoſtolica ſpecialiter diſpenſatum. Si quis autem eorum aliàs quàm ut præfertur, recipietur, profeſſio ſimiliter nulla ſit, atque ipſi habitu privari, & à Religione ejici debeant, eorumque receptores, excommunicatione, ut ſuprà, innodati ipſo facto exiſtant.

Cæterùm, quoniam ſæpè ſe vitia ingerunt, & ſe eſſe virtutes mentiuntur, ac multi decoctores poſt dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interverſam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut ratiocinia effugiant. Alii poſt furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliavè facinora patrata, etiam banniti, aut damnati, ſeu qui meritas pro ſuis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, ſed ad evitandum legum & judiciorum ſeveritatem, quia tutò in ſæculo vivere non poſſunt, tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliunde illud non ſperant, unde ſub habitu, & nomine Religioſorum, animum Religioni inimicum & inveterata vitia retinent, neque alios, qui ſancta vocatione vocati ſunt, patiuntur tranquillè Divinis obſequiis inſiſtere, in gravem Dei offenſam, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum, ut his quoque ſubterfugii & impunitatis ſpes omnis tollatur, auctoritate Apoſtolica, & tenore præſentium, etiam perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, juvenes, aut viros adultos, majores ſexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi poſſe, nec debere, niſi priùs de eorum Parentibus, patria, deque antecacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum ſit, eos neque aliquorum criminum, qualia ſunt homicidia,

furta,

Digitized by Google

furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut graviora, reos vel ſuſpectos exiſtere, ut propterea damnati ſint, aut ne damnentur formident: neque ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex hujuſmodi cauſa, lis, vel moleſtia eis jam illata, vel timendum ſit, ne inferatur: Niſi denique conſtet, ipſos non humana aliqua ratione, ſed tantùm devotionis, & pietatis fervore, vitam Religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe: Deque his omnibus in generali, vel Provinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta, tam Superioris Generalis, ſeu Provincialis, quàm Diffinitorum conſenſu approbati, & ad habitum Regularem admiſſi fuerint. Omnes autem, & quoſcunque, ut dictum eſt, criminoſos vel ſuſpectos, aut æri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus. Et ſi qui eorum contra præſentem noſtram Conſtitutionem temerè admittentur, tam ſuſceptionem habitûs, quàm profeſſionem, & inde ſecuta, ex nunc, prout ex tunc, pari modo irritamus, & annullamus, viribuſque & effectu carere decernimus, ac jubemus, eos, qui ſic de facto recepti erunt, habitu ſpoliari, & à Religione expelli, & nihilominus ſi expulſi non fuerint, volumus, & pariter declaramus, habitûs ſuſcepcionem & profeſſionem, penitus nullam eſſe & cenſeri, ac propterea attenta nullitate habitûs & profeſſionis, licere quibuſcunque Judicibus, & Curiis etiam ſæcularibus, ad quos, ſeu quas ſpectat contra eos, ut priùs, juris & facti remediis opportunis, ex officio, vel ad cujuſcunque inſtantiam, vel querelam civiliter, criminaliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, ut cujuſque juvenis, aut viri majoris xvi. annis à ſæculo ad Religionem tranſeuntis, approbatio, admiſſio, & receptio in Generali vel Provinciali Capitulo, ut ſuprà ordinatum eſt, pro tempore fiant. Necnon Religioſi ſic recepti nomen, & cognomen, quibus in ſæculo utebantur, & patria in actis ipſius Capituli deſcribantur, & notentur. Et inſuper quoſcunque Religioſos, eorumque Superiores, qui aliquas perſonas, ut dictum eſt, inhabiles, poſt hanc Conſtitutionem publicatam receperint, voce activa & paſſiva, necnon officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcunque per eos obtentis, eo ipſo in perpetuum privamus, & tam illis privatos, quàm ad illa, & alia quæcunque impoſterum obtinenda perpetuò inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.

Sed, & quia interdum Satanas in Angelum lucis ſe callidè transfigurat, ac perditi quidam, & facinoroſi homines, quod ſæpe vidimus, & experti ſumus, inſtigante antiquo poeti, & Religionis hoſte, non veriti ſunt temerario auſu habitum Religioſorum aſſumere, ea mente, ut veluti ſub ovina pelle lupi rapaces, per dolum & inſidias Chriſtifideles incautos, & nihil mali à Religioſis ſuſpicantes opprimerent, ſive ut poſt ſcelera perpetrata, viam faciliorem ad fugam haberent, ſive ut banniti Curiæ ſæcularis, quæ eos propemodum interceptos perſequebatur, manus effugerent, & contigit aliquando ipſos Sicarios, Religioſis veſtibus indutos, à veris Religioſis hac fraude deceptis, intra Domos Regulares hoſpitio receptos fuiſſe; Prohibemus eodem modo atque interdicimus, ne quis Regularis ex una Provincia ad aliam Provinciam ſui Ordinis tranſeundo, etiam in itinere, intra aliquod Monaſterium, Domum, vel locum alterius Provinciæ ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus divertere poſſit, niſi à Superiore ejus loci, ubi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis obtentam, ſeu litteras obedientiæ, vel commendaticias ſecum deferat, atque exhibeant, vel niſi ita cognitus ſit iis, ad quos diverterit, ut de ejus perſona, nullus omnino dubitationi, aut ſuſpicioni locus relinquatur. Ideoque præcipimus univerſis, & ſingulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, ut per ſuos Officiales, Miniſtros, vel executores curent ab omnibus perſonis Regulari habitu indutis, quas per ſuas Civitates, vel Diœceſes iter facere, vel tranſire, & ad quæcunque Hoſpitia, vel diverſoria ſe recipere contigerit, diligenter perquiri, num hujuſmodi litteras obedientiæ, ſeu commendatitias ſecum deferant; quod ſi eos dictas litteras non habere, vel ignotos eſſe deprehenderint, poſſint contra ipſos, etiam tanquam dictorum criminum ſuſpectos procedere, & tamdiu illos ſub cuſtodia detinere, donec certa de eiſdem notitia habeatur. Et tamen volumus, ut ii, qui etiam pietatis vel hoſpitalitatis prætextu, regulares alterius Provinciæ ignotos, aut ſine licentia, vel litteris, ut ſuprà, receperint, dictas pœnas privationis vocis activæ & paſſivæ, necnon officiorum, graduum, honorum & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes ſic in præmiſſis omnibus per quoſcunque judicari debere. Necnon irritum & inane, ſi ſecus à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca, Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & locorum Regularium apud Nos, & Sedem Apoſtoli-

Digitized by Google

ſtolicam Protectoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac locorum Ordinariis præfatis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut eorum unuſquiſque, per ſe, vel alium, ſeu alios, Cardinales quidem in ſuæ protectionis, Ordinarii verò in ſuarum Civitatum Diœceſium, & diſtrictuum Regularibus locis, curent præſentes litteras publicari, eoſque perpetuò firmiter, & inviolatè obſervari; Inobedientes, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, Invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis &c.

Datum Romæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, ſexto Kal. Decembris Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Cum dubia circa præmiſſam Conſtitutionem emergerent plura, idem Sixtus & in forma perpetuæ, & ſequentis Conſtitutionis ea declaravit.

S I X T U S   E P I S C O P U S

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum ſpectat Pontificem, Sacrorum Canonum conditorem, quæ per eum ſancita ſunt, ita ſuæ declarationis arbitrio dilucida reddere, ut inde nemini poſſit dubitationis ſcrupulus exoriri; præſertim verò ſalubriter conſulere, ut, cum de Regularibus agitur, qui ſe omnino Dei Omnipotentis obſequio mancipârunt, tollantur ea omnia, quæ eorum Sanctum Chriſto piè inſerviendi inſtitutum quoquomodo valeant perturbare. Sanè poſt editam noſtram Conſtitutionem, quæ incipit = Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus &c. Super modo & forma recipiendi, & admittendi eos, qui ſub Religionis jugo Altiſſimo famulari deſiderant, cum variæ ſint exortæ dubitationes, & quæſtiones, eæque poſtea ad audientiam noſtram perlatæ, Nos ad tollendam omnem ambiguitatis occaſionem, habitâ cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Congregationis ſuper Regularium negotiis, & conſultationibus per Nos inſtitutæ matura deliberatione, de illorum conſilio & aſſenſu præſentem noſtram perpetuò valituram declarationis Conſtitutionem duximus promulgandam.

Cum itaque inter alia dubitetur, num primò dicta noſtra Conſtitutio, ubi de illegitimè genitis loquitur, comprehendat etiam eos, qui poſtea per ſubſequens Matrimonium fuerunt legitimati: Nos inhærentes Sacrorum Canonum diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus illegitimè natos ex iis Parentibus, inter quos tempore, quo ipſi geniti ſunt, Matrimonium ritè conſiſtere poterat, ſecuto poſtea Matrimonio legitimos effectos, ſub dicta Conſtitutione minimè comprehendi, ſed eos tam quoad emittendam profeſſionem quàm quoad conſequendos gradus, honores, & dignitates ſui Ordinis, æquo jure cum illis, qui ex Matrimonio legitimo & conſtanti nati ſunt, cenſendos eſſe.

Illegitimos verò etiam ex ſoluto & ſoluta, qui, antequam noſtra Conſtitutio emanaret profeſſi, vigore, ſeu prætextu privilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi eorumve Superioribus in genere, vel in ſpecie conceſſorum, eo ipſo per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores, ſive alios quoslibet etiam Sedis Apoſtolicæ de Latere legatos, aut alios Officiales, vel Miniſtros quavis præeminentia, vel auctoritate, etiam Apoſtolica fungentes, aut facultate ſuffultos legitimati, aut ad gradus, honores, & dignitates habilitati, ſeu reintegrati, & illis aliàs perfuncti ſunt. Volumus poſthac non obſtantibus quibuſcumque, tam antiquis privilegiis, aut litteris Apoſtolicis, quàm aliis indultis ſeu declarationibus, etiamſi illa per Nos poſt dictam Conſtitutionem noviſſimè edita fuiſſe aſſerantur, honores, gradus, aut dignitates hujuſmodi obtinere non poſſe, ac diſpenſationes, & legitimationes quaſcunque eis nullatenus ſuffragari, niſi ſpecialiter, & nominatim cum eorum ſingulis fuerit ſuper natalium defectu ad honores, gradus, & dignitates obtinendas, ante, vel poſt ingreſſum Religionis per Rom. Pontificem immediatè, vel de ejus ſpeciali mandato diſpenſatum, deque diſpenſatione, ſeu mandato per Literas Apoſtolicas, ſeu in forma Brevis, vel ſaltem per Patentes Literas Cardinalis Protectoris de ipſius Rom. Pontificis voluntate fidem facientes legitimè conſtiterit.

Eos pariter, qui tempore publicationis noſtræ Conſtitutionis in ſuis Religionibus ſine hujuſmodi ſpeciali Romani Pontificis diſpenſatione officia, honores, & dignitates habebant ad vitam, eo ipſo ab illis amotos & abſolutos horum ſerie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes, permittimus in ſua adminiſtratione uſque ad finem ſui temporis conſervari, ita tamen, ut inpoſterum, nec tempus ordinarium eis prorogari, aut extendi, neque ipſi ad

alias

alias non modo ſimiles, verùm etiam neque ad inferiores, neque altiores, & majores dignitates, honores, gradus aſcendere poſſint, perinde ac ſi idipſum in præfata noſtra Conſtitutione ab initio expreſſum fuiſſet.

Ne tamen hujuſmodi Religioſi in liberalium artium, ac præſertim Sacræ Theologiæ ſtudiis, & Religioſis profectibus ſegniores fiant, atque eorundem pia ſtudia refrigeſcant, eos noſſe volumus, quod ſi ipſorum quiſpiam eximia doctrina, vitæque & morum ſanctitate excellere reperietur, deque eorum probitate, & præclaris meritis Ordinum Protectores eam apud Nos fidem fecerint, ut non immeritò ſperari queat, eorum doctrinam, & operam ipſi Ordini, & Sanctæ Dei Eccleſiæ uſui & commodo profuturam, tunc demum indulgentiam & benignitatem noſtram facilè experientur.

Quoniam verò à multis quæſitum eſt ſub nomine honorum, graduum, & dignitatum, à quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potiſſimùm ſit intelligendum? Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum debere intelligi Præpoſitatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Cuſtodiatus, Provincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his ſimilia cum honore, & ſuperioritate conjuncta.

Ab officiis autem aliis, veluti Lectoris, Confeſſarii, Studiorum, & Sacræ Theologiæ Magiſtri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, & cæteris hujuſmodi, imò etiam à voce activa, à ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, ipſorum miniſterio ipſos illegitimos, dummodo ex ſacrilegio, vel inceſtu geniti non ſint, nequaquam arcemus.

Cum verò in quibuſdam Religionibus Capitula Provincialia, aut nunquam, aut non quotannis, ſed rariùs celebrentur: quædam etiam Monaſteria, aut Domus hujuſmodi in remotiſſimis regionibus Hæreticorum, aut Infidelium tyrannidi finitimis ſita ſint: ne ii, quos extra Capitula ad habitum, vel profeſſionem Regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus, & indulgemus. Ut in qualibet Provincia ſaltem duo, vel, ſi commodè fieri poterit, tria, aut plura Monaſteria, ſeu domus Regulares deputentur, quarum, ſeu quorum Superiores infra annum ſaltem ad inquiſitionem ſuper Novitiis faciendam, & ad ipſos Religioſos juxta formam præfatæ Conſtitutionis recipiendos, & ad alia, quæ in ipſa Conſtitutione continentur, peragenda inſimul congregentur. Quod ſi paucitas, aut nimia diſtantia Monaſteriorum ne id quidem patiatur, ſaltem tribus ex antiquioribus Patribus unius Monaſterii, aut Domûs ejus Provinciæ hujuſmodi facultas, & auctoritas per Capitulum Generale, ſcilicet Monachorum, vel Provinciale Mendicantium, & reliquorum Regularium ejus Ordinis demandetur.

Verùm, in iis Monaſteriis, Domibus, & locis Regularibus, quæ aut nondum Congregationes redacta, aut aliàs nulli Provinciæ ſubjecta ſunt, ſtatuimus ut trina Capitula Conventualia tribus diſtinctis, cum intervallo ſaltem decem dierum vicibus celebrata, eandem in recipiendis Novitiis per trinas hujuſmodi diſtinctas vices approbatis, habeant auctoritatem, quæ per noſtram Conſtitutionem Capitulis Provincialibus eſt attributa.

Neque verò ſi in Generalibus, vel in Provincialibus Capitulis aliqui Vocales deſint, nec ſi à Diffinitorum conſenſu aliquis diſcrepaverit, idcirco receptio Religioſorum retardari, impediri, aut impugnari debebit: ſed ſatis eſſe volumus ſi Vocalium, & ſuffragiorum numerus legitimus, à jure, vel per cujuſcumque Ordinis ſtatuta præfinitus intervenerit. Et quod de Capitulo Provinciali, aut Generali dictum eſt, idem juris ſtatuimus ſi quæ Religiones non Capitulorum, ſed Congregationum, aut dietarum, vel alio quovis nomine uti reperiantur.

Quod autem pertinet ad profeſſionem, tam illegitimorum, quàm eorum, qui poſt XVI. *ætatis annum expletum, Regularem Habitum ſuſceperunt, quia tunc demum verè & propriè Religioſi effici dicuntur cum profeſſionem emittunt, declaramus, eos qui ante prædictam noſtram editam Conſtitutionem Habitum ſuſceperint, & poſt ipſius promulgationem cupiunt profiteri, non aliàs ad profeſſionem admittendos eſſe, quàm facta inquiſitione, & ſervata forma in ipſa Conſtitutione præſcripta, & eorum, qui poſt dictam promulgationem etiam ignoranter non habita dicta inquiſitione, & non ſervata forma ad profeſſionem admiſſi fuerint, profeſſionem nullius eſſe roboris, & momenti. In Oblatis autem & Converſis profeſſionem emittentibus, ſatis erit ſi quoad mores, & ſtatum perſonarum ipſa inquiſitio fiat.*

Sed cum eadem ratio vigeat in tacita Profeſſione emittenda, quæ militat in expreſſa, ſtatuimus, quod in quibuſvis Ordinibus & Religionibus, neque etiam tacita Profeſſio quorumcumque Religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione, Conſtitutionis forma ſervata fuerit. Si quis verò ante editam noſtram Conſtitutionem jam tacitè profeſſus, expreſsè cupiat profiteri, vel ſi quis Apoſtata ad ſuam Religionem redire voluerit,

in-

inquiſitio & forma præſcripta non erit neceſſaria, niſi vel de moribus, ſtatu, & qualitate perſonæ, vel de validitate ipſius tacitæ Profeſſionis dubitatio aliqua oriatur.

In iis autem, qui in locis à ſuo patria longiſſimè remotis degentes, vel quorum patria ab Hæreticis, vel Infidelibus miſerè oppreſſa detinetur, voluerint ſe divinis obſequiis ſub Regulari Habitu dicare, ut in hoc quoque Sedis Apoſtolicæ benignitas eluceſcat, quæ cunctos mortales, præſertim verò exteros ex longinquis regionibus ad eam aſſiduè confluentes, materno ſinu libenter amplectitur, ſancimus exteros hujuſmodi, & advenas, quamvis non liquidò conſtet de iis omnibus, quæ in Conſtitutione noſtra requiruntur, tamen, ſi diligentia adhibita nihil appareat, quod eos impediat, habiles reputandos eſſe.

Quod ſi quis ante vel poſt Conſtitutionem ipſam profeſſus ad ſacros Ordines, vel ad honores, gradus, & dignitates promotus exiſtat, & poſtmodum in eo natalium defectum, aut criminum in dicta Conſtitutione noſtra expreſſorum notam, quæ priùs ignorabantur, detegi contigerit, decernimus eum ſtatim poſt hujuſmodi defectûs notitiam habitam, non aliàs quàm juxta formam ipſius Conſtitutionis ad honores, gradus, & dignitates, aut ad executionem Sacrorum Ordinum admitti debere.

Contra crimínoſos verò, quorum profeſſio eadem Conſtitutione noſtra irrita declaratur, ac propterea Judicibus, & Curiis ſæcularibus procedendi facultas conceditur; tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis conſtiterit ipſos Judices, & Curiam ſæcularem, ante ſuſceptionem Habitûs, de ipſo crimine adverſus eos accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe.

Cæterùm, quæ à Nobis circa Religioſos viros in præfata Conſtitutione ſancita ſunt, ea nequaquam volumus ad Moniales nunc extendi.

Poſtremò, dum interdicimus, ne quis Regularis alterius Provinciæ intra aliquod Monaſterium, Domum, vel locum alienæ Provinciæ, etiam tanquam hoſpes, & ad modicum tempus recipi poſſit, niſi à Superiore loci, ubi reſidebat, & à quo diſceſſit, licentiam expreſſam in ſcriptis exhibuerit, vel niſi ſatis cognitus ſit, id obſervari volumus non ſolùm in Religioſis itinerantibus de una in aliam Provinciam, ſed in iis quoque, qui proficiſcuntur de uno in aliud ejuſdem Provinciæ Monaſterium, tam ſui, quàm alterius Ordinis. Quod ſi dicerent ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob gravamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideo ab ipſis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuiſſent, non propterea ullo modo recipi valeant, niſi fide dignorum teſtimonio de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit.

In Alma verò Urbe noſtra Religioſi advenæ, & peregrini de gravaminibus ſibi illatis conquerentes, nullibi ſine hujuſmodi litteris aut licentia recipiendi erunt, niſi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium ſuper negotiis Regularium à Nobis deputatorum, vel ad ſuos Protectores remittantur, ubi ipſis auditis pro rerum & perſonarum qualitate, quid agendum ſit, ſtatuetur.

Reliqua autem in priori noſtra Conſtitutione contenta, quæ in præſentibus litteris non declarantur, volumus perpetuò firma, & valida, & in ſuo robore permanere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari.

Et ſi quid à Nobis alicui Ordini, aut Religioni præter, aut contra præfatæ Conſtitutionis formam, poſt illius editionem, circa recipiendos extra Capitula Novitios, aut aliàs indultum, aut conceſſum fuit, id omne, ac deſuper confectas litteras prorſus revocamus, & annullamus, & ad terminos præſentis Conſtitutionis reducimus, & aliàs nemini volumus ſuffragari.

Decernentes ſic in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum declarationum, voluntatum, permiſſionis, conceſſionis, indulti, ſtatuti, ſanctionis, decretorum, derogationis, ſublationis & abrogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare &c.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, duodecimo Kal. Novemb. Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Bullar. Roman. tom.4. part.4. fol. 373. Exemplar authent. & Romæ impreſſum in Arch. generali Ordinis.

Quæ concernunt nullitates Profeſſionum à Sixto declaratas, eorum ad terminos juris reductionem mox intra Documenta Clementis VIII. reperies.

Digitized by Google

INNOCENTIUS IX.

Bononienſis, priùs Antonius de Facchinettis, S. R. E. Preſbyter Cardinalis tit. SS. Quatuor Coronatorum 30. Octob. 1591. Claves Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ accepit; quas non niſi per duos menſes tenuit, cum 30. Decembris ejuſdem anni curſum vitæ conſummaverit, in Vaticano humatus.

CLEMENS VIII.

Florentinus, antea Hippolytus de Aldobrandinis, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii 30. Januarii 1592. principem Eccleſiæ curam ſuſcepit, & per 13. annos, menſem 1. dies 3. adminiſtravit. Defunctus 3. Martii 1605. in Vaticano ſepultus eſt.

Fidelibus Sæcularibus Miſſas diebus Dominicis, & aliis majoribus feſtis in Eccleſiis Mendicantium audire, tum Quadrageſimæ, Paſchatis, tum quovis alio tempore iiſdem Mendicantibus confiteri licere ſancit, & hoc ſuum Decretum Duaci publicari committit.

Venerabili Fratri Octavio Tricaricenſi, noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis in inferiori Germania Nuncio

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Significatum fuit Nobis, non ſine animi gravi moleſtia, nuper in Oppido Duacenſi, Atrebatenſis Diœceſis, nonnullos Parochos maximo cum fidelium ſcandalo, tum docendo & concionando, tum omnea reprehenſionibus, & cenſurarum Eccleſiaſticarum comminationibus perterrendo, fideles Chriſti avertere, ne feſtis diebus ad Eccleſias Fratrum Ordinum Mendicantium, atque Collegii Societatis Jeſu, pro Miſſis audiendis accedere, & ne etiam Quadrageſimali, ac Paſchali tempore Fratribus dictorum Ordinum, ac Presbyteris Societatis Jeſu peccata ſua confiteri poſſent, auſos fuiſſe, affirmantes ipſis Chriſtifidelibus tam de jure, quàm de conſuetudine prohibitum eſſe in aliis, quàm Parochialibus Eccleſiis, Miſſas feſtis diebus audire, nec licere illis Quadrageſimali, vel Paſchali tempore aliis præterquam propriis Parochis peccata ſua confiteri, unde maximam in fideli populo exortam fuiſſe animorum turbationem accepimus. Contra enim Fratres Ordinis Prædicatorum, & Conventualium, ac Presbyteri dictæ Societatis Jeſu privilegiis Apoſtolicis ſuffulti, tum privatim, tum publicè, ac in concionibus contrarium uſum in Eccleſia Dei receptum, & permiſſum, ac à Sanctis Patribus, & Œcumenicis Conciliis approbatum, defendere conati fuerunt. Rem autem eò protractam eſſe intelleximus, ut graves inde diſſenſiones inter dictos Parochos, & Presbyteros Societatis Jeſu ſubortæ fuerint. Quod autem graviùs affecit, illud in primis fuit, quod Venerabiles Fratres, Archiepiſcopus Cameracenſis, & Epiſcopus Attrebatenſis, inconſulta Sede Apoſtolica, negotium hoc in diſceptationem, tum etiam in judicium fortaſſis apud ſæcularem Curiam deduxerunt. At Nos, ne graviora exinde ſcandala ſuboriantur, paternè conſulere, & celeri remedio proſpicere volentes, cauſamque, & cauſas hujuſmodi, ſi quæ coram quocunque Judice introductæ, ac etiam inſtructæ reperiantur, ad Nos harum ſerie avocantes, illaſque penitus extinguentes, ac perpetuum deſuper tum Parochis, tum aliis ſilentium imponentis, præſenti noſtro decreto ſancimus, licere ſæcularibus Chriſtifidelibus univerſis,

ſis, Miſſas diebus Dominicis, & aliis majoribus feſtis audire in Eccleſiis, tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegii Societatis Jeſu, juxta illorum privilegia, & antiquas conſuetudines, dummodo id in contemptum Parochialium Eccleſiarum non faciant. Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis Jeſu, quàm aliis privilegiatis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali, Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchatis Reſurrectionis, in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant.

Proinde Tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut præſens noſtrum Decretum prædictis Archiepiſcopo Cameracenſi, & Epiſcopo Attrebatenſi notum facias, ac iiſdem auctoritate noſtra Apoſtolica mandes, ut illud in prædicto Oppido Duacenſi, &, ubicunque opus fuerit, publicari, & obſervari faciant, utque Parochos in eorum officio contineant, illoſque ab avocatione populi ab Eccleſiis privilegiatorum, ac etiam à propoſitionibus, quibus tollitur libertas populo audiendi Miſſas in Eccleſiis privilegiatorum ſupradictis diebus, ac confitendi peccata etiam in Paſchate ipſis privilegiatis abſtinere faciant. Ipſis verò privilegiatis eadem auctoritate præcipias, ut in concionibus, & catechiſmis populum ipſum, tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas, præſertim Dominicis diebus, & aliis ſolemnibus feſtis audiendas, tum ad decimas, reſque alias Eccleſiaſticis debitas ſolvendas, frequenter moneant, & adhortentur.

Ac denique omnem hujuſmodi controverſiæ occaſionem præſcindere & tollere, & Chriſtifidelium animos ad unionem, & quietem traducere cures, omniaque præmiſſa publicari, & exequi, adjectis etiam cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis Tibi beneviſis pœnis, opportuniſque omnibus juris, & facti remediis adhibitis mandes, & facias. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, tuo ſigillo, ac Secretarii, ſeu Notarii tui, manu obſignatis, indubia ubique fides haberi debeat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII. Decembris MDXCII. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bullar. Ord. Præd. tom. 5. fol. 502.

N O T A

HOc idem jam pluries, & quidem à Leone X. per Conſtitutionem incip. *Intelleximus*, ſuprà *fol.* 233. recenſitam ſancitum, & dein à Sac. Congregatione firmatum fuit, dum ad quæſitum, *An Ordinarii poſſint impedire populum, quò minùs adeat feſtivis aut aliis diebus ad audiendas Miſſas, conciones, & alia divina officia?* die prima Julii reſpondit = *Populus liberè poteſt in diebus Dominicis, aut aliis feſtivis accedere ad Eccleſiam Regularium pro audienda Miſſa, neque in hoc Ordinarii valent aliquod impedimentum Regularibus vel populo præſtare* =. Nec enim obſtat Sacri Concilii Tridentini ſanctio, quâ populum monendum decernit, ut ad ſuas Eccleſias Parochiales ſaltem Dominicis, & majoribus feſtis conveniat; ex hoc enim, quod aliquis dictis diebus & feſtis Miſſam in Eccleſia Regularium Mendicantium Eccleſiæ præcepto non ſatisfaciat, inferri non poteſt, ut Reverendiſſimus P. Bremond *tom.* 8. *Bullar. fol.* 344. *col.* 2. advertit, & S. Pius V. in Conſtitutione *Etſi Mendicantium* ſuprà fol. 260. *col.* 2. expreſſè declaravit.

Caſus à Superioribus Regularibus vel in totum, vel in partem ſibi reſervandos determinat, aliaque tum circa eos, tum circa alia graviora delicta præſcribit obſervanda.

SAnctiſſimus Dominus noſter, qui jam pridem accuratè perpendit, ac re ipſa comperit, quod reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes à quibuſdam peccatis gravioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem; ideo, ut huic malo Sua Sanctitas opportunè proſpiceret, decrevit, ut nemo Regularium Superiorum, peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquibus, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

1. Veneficia, incantationes, & ſortilegia.

2. Apoſtaſia à Religione, ſive Habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii ſeu Conventûs fiat egreſſio.

3. Nocturna, aut furtiva egreſſio è Monaſterio ſeu Conventu, etiam non animo apoſtatandi facta.

4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

5. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

6. Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcunque perſonæ.

7. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

8. Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo.

9. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum, poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

10. Falſificatio manûs, aut ſigilli Officialium Monaſterii, ſeu Conventûs.

11. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventûs in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum judicabitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

Non licet Superioribus Regularium ſubditorum Confeſſiones audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu, id ab eis petierint. Superiores in ſingulis Domibus deputent duos, aut tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate fervidi, qui à non reſervatis eos abſolvant: & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.

Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis, à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Atque ita per quoſcumque Regulares Superiores, quicumque illi ſint, obſervari mandavit, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cujuſvis Concilii, etiam Generalis, Decretis, necnon Conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore obſervatis, aut regulis in Generalibus, ſeu Provincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & conſtitutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuſcumque, quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 26. Menſis Maji, Anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declaravit, & declarat, ut, ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſûs alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, abſolvere.

Exempl. authent. & Romæ impreſſum in Arch. generali Ord.

N O T A

Quantumvis Decretum præmiſſum omnes in eo enuntiatos caſus à Superioribus Regularibus reſervari non jubeat, ſed vel omnes, vel eorum aliquos reſervandi optionem relinquat, nihilominus in noſtra Capucina Religione anno 1596. concordi Capituli Generalis ſuffragio, omnes, nullo excepto, fuerunt reſervati; quod & anno 1642. ſub pœna à P. Bonagratia *V. Caſus reſerv. fol. mihi* 121. expreſſâ, & contra præſumentes contrarium docere taxatâ fuit innovatum.

Cum autem anno 1613. PP. Superiores Generales Ordinis noſtri methodum ſtabilem circa abſolutionem Fratrum ab hujuſmodi caſibus à Sac. Rom. Inquiſitionis Officio figere juſſi fuiſſent, ille non ſolùm illico determinatus, ſed etiam à dicto Sancto Officio approbatus eſt, juxta ſequens Documentum.

Fidem facimus Nos Frater Clemens à Noto Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, quod, cum per Reverendiſſimum Commiſſarium S. Inquiſitionis in hac Curia degentem fuerit 1613. dum habebantur Romæ noſtra Generalia Comitia, PP. Generali, & Definitoribus eo tempore convenientibus, impoſitum, ut ſtatuerent,

& de-

Digitized by Google

& decernerent modum in Religione ſervandum, quo dirigerentur Confeſſarii in abſolvendis caſibus, quorum abſolutio Generalibus, ſeu Provincialibus reſervatur: jam per dictos PP. fuit obeditum, determinantes illum modum, qui poſitus in ſcriptis, fuit tenoris ſequentis:

Quoniam in noſtra Congregatione Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, juxta Seraphici Patris Regulam cap. 7. caſus non Superioribus localibus, ſed Provincialibus, aut Generalibus pro tempore exiſtentibus reſervantur, qui cum abſentes ut plurimùm ſint, atque adeo, caſu reſervato occurrente, Pœnitentes pro abſolutione, aut Confeſſarii pro licentia abſolvendi, recurrere ad eos facilè non poſſint; Idcirco Nos infraſcripti, Generalis, & Definitores præſentis Capituli Generalis, ad Decretum Sanctiſſimi Domini Papæ Clementis VIII. ſuper caſuum reſervatione reſpicientes, & ſimul bono communi Religionis, & quieti conſcientiæ Fratrum conſulentes, decernimus, ut juxta antiquam noſtræ Religionis conſuetudinem, & probatorum Doctorum communem ſententiam, Confeſſarii à Superioribus deputati ad audiendas Fratrum confeſſiones, eos etiam à caſibus reſervatis abſolvere valeant, ea tamen lege, ut, ſi Confeſſor judicaverit Pœnitentem ſe debere Superiori præſentare, teneatur Pœnitens, habita opportunitate, ad talem Superiorem recurrere, vel ut iterum ſacramentaliter abſolvatur, vel ut remedium ſalutare recipiat. Si verò id non expedire Confeſſario viſum fuerit, liber omnino à tali obligatione Pœnitens remaneat, ita tamen, ut Confeſſor ipſe, tempore congruo, ad Superiorem recurrat, & ſalvo Confeſſionis ſigillo, ac ſine Pœnitentis nota, ſe à reſervatis illum abſolviſſe manifeſtet; tum ut hinc Prælatus in communi ſtatum Religionis agnoſcat, tum, ut de ſalutaribus remediis, ſi opus fuerit, Confeſſarium inſtruat: Illud etiam addimus, ut, quotieſcunque Pœnitens aliquem Confeſſarium ex deputatis elegerit, juxta noſtrarum Conſtitutionum ordinationem, ſua ſponte illum mutare, & alium eligere, abſque Superioris licentia, minimè poſſit.

Fr. Paulus à Cæſena Generalis.

Fr. Clemens à Noto Definitor.

Fr. Michael Angelus Ariminenſis Definitor.

Fr. Laurentius à Brunduſio Definitor.

Fr. Hieronymus Narnienſis Definitor.

Fr. Santes Romanus Definitor.

Inſuper cum modum iſtum à Patribus præſcriptum, Sacræ Congregationi Cardinalium Sancti Officii judicandum abſtulerimus, eo fine, ut ſi ſit expediens, nec aliquid contineat Juribus, & Decretis Pontificibus contrarium, probaretur, ſin minùs, corrigeretur, & ad debitam formam Sacræ Congregationi benè viſam reduceretur. Dicta Sacra Congregatio poſt debitam diſcuſſionem, & maturam in his omnibus conſiderationem, cenſuit modum iſtum, ut jacet, tamquam juſtum comprobandum eſſe, & de facto comprobatum fuiſſe. Illuſtriſſimus Bellarminus unus ex Cardinalibus dictæ Congregationis à nobis requiſitas aſſeruit, & certiores nos fecit. Hinc notum facimus Confeſſariis ita ſe geſturos in futurum, cum dicti caſus occurrerint, ſicut in præteritis eſt conſultum, cum modus olim habitus, ut juſtus, & rationabilis ad mentem Sacræ Congregationis ſit approbatus. Unde in horum fidem præſentes fieri mandavimus, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officii noſtri munitas.
Datum Romæ 6. Martii 1615.

Fr. Clemens à Noto Procurator Generalis.

Dubitatum poſtmodum fuit, an Superiores Regulares abſque Capituli Generalis, vel Provincialis conſenſu, alicui peccato in Decreto Clementis VIII. de caſibus reſervatis non contento, cenſuram annectere, ejuſque abſolutionem ſibi reſervare poſſent? reſcriptum eſt deſuper negativè, uti patet ex ſequenti Sac. Congregationis Decreto: *Cum à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto fel. record. Clementis VIII. an. 1593. die 26. Maji ſuper qualitate caſuum, ab eorundem Regularium Superioribus reſervandorum edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita ut iiſdem Superioribus abſque Capituli Generalis, vel Provincialis conſenſu, aliquibus peccatis in Decreto hujuſmodi non contentis, excommunicationem annectere, ejuſdemque abſolutionem ſibi reſer-*

Digitized by Google

ſervare liceat, Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, Illuſtriſſimo Baudino referente, cenſuras in ſupradicto Decreto comprehendi cenſuit.
Romæ 7. Julii 1617.

Bull. Ord. Præd. tom. 7. fol. 259. Bull. Carmel. part. 2. fol. 375.

Largitionem, ſeu donationem munerum Regularibus prohibet.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religioſæ Congregationes, ab inſignibus ſanctitate Viris, Spiritûs Sancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conſervandas & inſtaurandas Romani Pontifices, Prædeceſſores noſtri, magnam jure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio & natura, ut etiam, quæ optimè fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum proclivitate, partim Dæmonis aſtutiâ, paulatim deficiant, ac niſi cura pervigili ſuſtententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum diſciplina, aut labeſacta in priſtinum reſtitueretur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum Nos veſtigiis, pro eodem officii munere inſiſtere, & Paſtoralem illorum ſollicitudinem (quantùm poſſumus) divina adjutrice gratia, cupimus imitari. Quare, ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ Profeſſoribus, ex Chriſti patrimonio, quibuſvis hominibus, quavis ex cauſa ſæpe tribuuntur, gravia incommoda & mala, etiam boni ſpecie exiſtant, præcavere ſtudentes, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione univerſis, & ſingulis cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentium, ſeu cujuſvis Congregationis, Societatis, & inſtituti (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis utriuslibet ſexûs omnem, & quamcumque largitionem, & miſſionem munerum, penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia & ſingula Capitula, Conventus, & Congregationes, tam ſingulorum Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Provincialia, aut Generalia cujuslibet Provinciæ, ſive univerſi Ordinis, Societatis, aut Inſtituti, eorumque, vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quoſcumque Officiales, & ſingulares perſonas: Ipſos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum hujuſmodi Superiores, quaſcumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpoſitos, Præceptores, etiam majores, Guardianos, Miniſtros, Rectores, atque Abbatiſſas, Prioriſſas, & alio quovis titulo Præſidentes, tam ipſis Regularibus, quàm locorum Ordinariis, ſeu quibuſvis Superioribus ſubjectas, utriuslibet ſexûs ad vitam vel ad tempus deputatos, adeo, ut nemo unquam eorum, vel earum directè, vel indirectè, palam vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quovis ſtatuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque cauſa, niſi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re maturè diſcuſſa, unanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu, cauſa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Id autem ita abſolutè, & generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, ſive eleemoſynis, aut ſubſidiis certis, vel incertis, ordinariis, ſeu extraordinariis, menſæ, ſeu maſſæ communis, vel cujuſvis Fabricæ, & Sacriſtiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, adminiſtrantur, ſeu, quæ rationibus reddendis ſunt obnoxia, quàm ex pecuniis, etiam quæ à ſingulis quovis modo acquiſitæ in commune conferendæ omnino ſunt. Nec ſi per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec ſi forſan privatim, & nominatim cuilibet Religioſo à ſuis Superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel à piis Chriſtifidelibus, etiam eleemoſynæ, aut charitatis, & illius pro-

propriæ perſonæ intuitu attributæ, ſeu quo. quomodo per quemlibet Religioſum ſuo Monaſterio, Domui, aut Loco acquiſitæ, eique, ut ad libitum de eis diſponat, per Superiores conceſſæ fuerint: Præterquam leviora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem, vel Religionem pertinentia munuſcula, communi tantùm, nunquam verò particulari nomine (ubi Superiori de conſenſu Conventûs videbitur) tradenda.

Sed & hujuſmodi miſſiones munerum ipſis Religioſis utriuslibet ſexûs, non ſolùm per ſe, verùm etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas declaramus.

Neque verò quiſpiam ab hac generali prohibitione ſe excuſare valeat, etiamſi munera miſerit, cuivis perſonæ Laicæ, vel Eccleſiaſticæ cujuſcunque ſtatûs, gradûs, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non ſolùm mundana & Ducali, Regia, Imperiali, verùm etiam Eccleſiaſtica, & Pontificali, aut alia majori, etiam S. R. E. Cardinalatûs dignitate ſulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex cauſa, & occaſione benedictionis, vel ſuſceptionis Habitûs Regularis, tonſuræ, aut Profeſſionis Monialium, tam ſibi ſubditarum, quàm non ſubditarum, aut ipſi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Vice-Protectori, Generali, vel Provinciali, aut cujuſvis Monaſterii, Prioratûs, domûs, aut cujuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam ſimplici, & particulari Religioſo; Itaut inter ipſos quoque Religioſos (ne prava ambitione impulſi pro conſequendis in ſua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum (niſi rerum minimarum, de licentia expreſſa, & in ſcriptis Superiorum) ſit penitus interdicta.

Inſuper prohibemus, ne unquam eiſdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occaſione tranſitûs, vel primi ingreſsûs, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi teſtificationem, ſeu pro prædictis perſonis quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, ſeu pro quibuſvis conviviis eiſdem, aut cuivis alteri quacunque occaſione, vel cauſa exhibendis, vel pro commeſſationibus, aut compotationibus quibuſvis perſonis, tam ejuſdem Ordinis, Congregationis, Monaſterii, domûs, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis ſpectaculis, etiam piis intra Eccleſias, Monaſteria, & Domos ſacras, ſeu pias, vel extra eas, in quibuſvis publicis, aut privatis, ſacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè geſtæ, etiam in memoriam Paſſionis Dominicæ populis ſpectandæ proponuntur, aut aliàs in prædictis, ſive in quibuſvis rebus ſupervacaneis ad pompam, & oſtentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus, niſi re ipſa pro divino cultu, & veris Chriſti pauperum indigentiis, ſervato in hoc charitatis ordine, & habita neceſſitatis ratione, de conſilio & conſenſu Superiorum ſublevandis; aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forſan præſcriptam non excedentibus, ſumptus hujuſmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc laudabilem & Apoſtolicâ doctrinâ, ſacriſque Canonibus commendatam hoſpitalitatem, præſertim erga pauperes & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimo, ſi qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex inſtitutis, ſtatutis, aut conſuetudinibus aliquorum Monaſteriorum, Ordinum, aut Regularium hujuſmodi locorum, aut ex teſtatorum, vel donantium voluntatibus, ſive aliàs applicati, aut donati ſunt, eos omnino (ut decet) integrè in uſus pios hoſpitalitatis hujuſmodi erogandos eſſe, & præſertim in Monaſteriis, ſeu locis deſertis, & à laicorum ædibus longiùs remotis, ubi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò ditiores occaſione tranſitûs, ſive aliàs ex devotionis, aut neceſſitatis cauſa eò divertere contigerit, eos ſanè deceret refectorio communi cum Religioſis, menſaque & ferculis communibus, nequaquam à cæteris diſtinctis contentos eſſe. Verùm omnino ipſi Regulares in hoſpitibus hujuſmodi potentioribus excipiendis ita ſe gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas religioſa prorſus eluceat.

Pari etiam ratione diſtrictè inhibemus, ne quiſpiam ex prædictis Laicus aliàs quam, ut ſuperiùs dictum eſt, vel Clericus ſæcularis, vel Regularis, quocunque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S. R. E. Cardinalatûs dignitate præditus, etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Provincialis, aut Monaſterii, Domûs, vel loci cujuslibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Miniſtri utriuslibet ſexûs, quicquam contra hanc ſuperiùs expreſſam prohibitionem recipiant.

Quod ſi, vel ab aliquo particulari Reli-

ligioſo, vel à Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conventu, Capitulo, vel Congregatione, ſive ab univerſo Ordine & Religione quicquam receperint; id, quod acceperint, ſuum non faciant. Verùm ipſo facto abſque aliqua monitione Judicis, decreto, ſententia, aut declaratione, ad illius reſtitutionem omnino in utroque foro teneantur: adeo ut reſtitutione ipſa realiter non factâ, neque etiam in foro conſcientiæ abſolvi poſſint.

Hanc autem reſtitutionem fieri volumus non privatim ei Religioſo, qui donavit, ſed ei Monaſterio, Domui, vel alteri loco, de cujus bonis facta eſt largitio, vel ſi non de ejus bonis donatum eſt, in quo idem Religioſus donans Profeſſionem emiſit, vel ſi nomine totius Capituli, Conventûs, aut Congregationis, vel univerſi Ordinis ſeu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi menſæ aut maſſæ, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera reſtituantur; ita ut nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui reſtitutio facienda eſt, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione reſtituendi eximere, vel, ut in Pauperes eroget, concedere, quoquomodo poſſit.

Quod ſi quis ex ſupradictis Regularibus utriuslibet ſexûs cujuſcunque gradûs, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum exiſtentibus conjunctim, cum cæteris, ſeu diviſim noſtrarum hujuſmodi prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, juſſionum, decretorum, mandatorum tranſgreſſor fuerit, ſtatuimus, ut omnibus, & ſingulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus & officiis eo ipſo privatus, ac ad illa, & alia ſimilia vel diſſimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus exiſtat. Et præterea privationem vocis activæ & paſſivæ abſque ullo Superioris decreto, aut miniſterio ipſo facto incurrat: necnon, ultra hujuſmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & ſimoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accuſationis, aut quærelæ, quàm etiam ex officio procedi & inquiri, condigniſque ſuppliciis affici debeat. Pœnis aliis à jure ſtatutis, ac per alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria cujuſvis Ordinis, Congregationis, Monaſterii, Domûs aut loci ſtatuta, vel conſuetudines contra perſonas aliquid præmiſſorum committentea, forſan decretis & inflictis, nihil minus in ſuo robore permanſuris.

Quocirca univerſis & ſingulis modernis, & pro tempore exiſtentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, & Officialibus, necnon quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monaſteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, ſeu Provincialibus, cæteriſque, ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum ſinguli, quantùm ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate & vigilantia, præſentem Conſtitutionem firmiter & inviolatè obſervari, & contra inobedientes, vel tranſgreſſores condignis pœnis animadverti. Eoſdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet & rebelles per opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Monaſteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum, necnon Ordinum, Congregationum, Collegiorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus præſentis noſtræ Conſtitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Quæ omnia, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, prorſus tollimus & abrogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentes litteræ in Valvis S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimiſſis. Quodque earum exempla, ſeu illorum compendia in libris quorumcunque Statutorum prædictorum Monaſteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cujuſque Regionis ſermonem verſa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, ſubſcripta inſerantur; & ſaltem quotannis in Capitulis, ſive Congregationibus cujuſque earum altâ & intelligibili voce legantur. Et nihilominus poſt ſexaginta dies à die publicationis (ut præfertur) in Romana Curia facienda, unumquemque citra montes, ultra montes verò poſt quatuor menſes, perinde arctent, & afficiant, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, & per eos juratæ fuiſſent.

Quodque earum tranſumpti etiam im-

Digitized by Google

impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, ſtatuti, mandati, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, tertiodecimo Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Bull. Ord. Prædic. tom. 5. fol. 522. & exemplar Authent. & Romæ impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Authentica.

NOTA.

Videatur & infra Conſtitutio Urbani VIII. qua Clementina præpoſita fuit confirmata, & additis declarationibus ad moderamen deducta.

In Eccleſiis Ordinis Minoritani tempore interdicti, quacunque etiam auctoritate appoſiti, feſta SS. Patris Franciſci, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Eliſabeth, & Martyrum ſolemni ritu juxta aliorum Summorum Pontificum indulta, ac feriem celebrari concedit, ac gratiam ad feſta Portiunculæ & S. Didaci extendit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacræ Seraphici S. Franciſci Religionis in Sanctam Romanam Eccleſiam merita poſcunt, ut privilegia & indulta illi per Sedem Apoſtolicam conceſſa, non modò conſerventur, ſed augeantur & amplientur. Cum itaque, ſicut accepimus, diverſorum Romanorum Pontificum conceſſionibus Religioni præfatæ indultum ſit, ut temporibus interdicti, quacunque etiam auctoritate appoſiti, Feſta Sanctorum ejuſdem Ordinis, Franciſci nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Eliſabeth, ac Martyrum ſolemni ritu celebrare, perinde ac ſi interdictum hujuſmodi minimè appoſitum eſſet, liberè poſſint; Feſta verò S. Didaci, & Portiunculæ in prædicto indulto minimè comprehendantur; Nos Religionem præfatam amplioribus favoribus & gratiis proſequi volentes, ac indultorum hujuſmodi, ac litterarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus nomine dictæ Religionis, per dilectum noſtrum Hieronymum Presbyterum Cardinalem Matthæum, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Religioni præfatæ univerſæ, ac cuicunque illius Ordinis, ſive Familiæ Conventui, ut in eorum Eccleſiis Feſta etiam præfata Sancti Didaci, & Portiunculæ, temporibus interdicti, prout alia Feſta præfata, ac juxta indultorum illi conceſſorum feriem & tenorem celebrare liberè, & licitè poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus, ac indulta prædicta, ad præfatas S. Didaci & Portiunculæ Feſtivitates extendimus & ampliamus: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque ac Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus, necnon omnibus illis, quæ in præfatis indultis, & litteris Apoſtolicis conceſſum eſt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris die XVII. Octobris MDXCV. Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Rodriquez in Coll. fol. 551. Matthaeucci in Offic. Cur. verb. Interdictum *fol. 190. col. 2.*

N O T A

NE in locis interdicti, ſive à Sancta Sede, ſive ab Ordinariis, ſive à Jure lati ſcienter divina officia celebrentur, aut celebrari curentur, aut interdicti ad ea, vel Eccleſiaſtica Sacramenta, vel Sepulturam admittantur, in jure Canonico ſub dictara varia pœna multifariàm cautum & proviſum reperitur. Ab hac quidem Sanctione Ordo Minoritanus per varias Pontificias Conſtitutiones tum *ſuprà fol.* 20. 151. *&* 164. §. 9. *fol.* 184. §. 35. *fol.* 212. 233. *&* 259. *ad* 4. *&c.* extenſas, tum per alias ſtudio & ideo à me omiſſas, utpote ante Concilium Tridentinum emanatas, & aliàs à noſtro Sorbo *verb. Interdictum* annotatas, fuit exemptus, at, poſtquam Sacra hæc Synodus *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regularibus* decrevit, ut *cenſuræ & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in Eccleſiis publicentur, & ſerventur*, privilegium Minoritanum cecidiſſe eò certiùs concludi debeat, quò univerſaliùs in dicta *ſeſſ. cap.* 28. omnium Regularium privilegia indiſtinctè revocantur per verba = *non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis &c.* Dubitant ſolùm nonnulli Doctores, an per hanc conciliarem diſpoſitionem etiam privilegia circa interdictum corpori juris inſerta fuerint vulnerata, & quæ *cap. cum & plantare §. quod ſi Templarii*, & *cap. ut privilegia de privil. &c.* præſertim autem *cap. Alma Mater de ſent. excomm. in* 6. habentur? Ad quod dum reſponſum parum ſuſpenſum teneo, inſiſto proſecutioni privilegii Minoritani, quod nonnulli revalidatum autumàrunt per Conſtitutionem S. Pii V. incip. *Etſi Mendicantium*, & articulum in ea ad 4. ita expreſſum = *Et licèt in ſeſſ.* 25. *cap.* 12. caveatur, *quod cenſuræ, & interdicta Eccleſiaſtica, etiam à locorum Ordinariis promulgata mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſiis publicari debeant, tamen ſi tempore celebrationis alicujus ex feſtis Sanctorum Ordinum eorumdem, ac aliis feſtivitatibus juxta eorumdem Ordinum privilegia Apoſtolica interdictum hujuſmodi emanaverit, illud in præfatis feſtivitatibus, & earum octavis ſuſpendimus.* Corruit hæc conceſſio, tum, quod tota Conſtitutio Piana enuntiata, à Gregorio XIII. per Conſtitutionem *In tanta* ad terminos juris & Concilii fuerit reducta, tum quod à S. Congregatione Concilii ad quæſtionem = *An privilegia Regularium, quod non teneantur ſervare interdicta in aliquibus diebus tantùm, velut in feſtis ſuorum Ordinum, ſint contraria Concilio & ſublata?* juxta Pignatellum *tom.* 10. *conſ.* 1. *num.* 35. *fol.* 1. & Peyrinum *de privileg. Reg. ad Conſtitutionem* 2. *Sixti IV.* §. 12. *num.* 50. fuerit reſponſum = *Privilegia, ſi ante Concilium conceſſa fuerunt, utique revocata exiſtunt.* Quapropter ubi exemptio à lege interdicti non exhibetur poſt Sanctam Synodum conceſſa, incaſſum illius veterana allegatur ſubſiſtentia. Diſtinxit Ordinem Minoritanum Clemens VIII. per præpoſitam Conſtitutionem peculiari favore, dum privilegium pro quibuſdam feſtis jam aliàs conceſſum longè poſt Tridentinum renovavit, & additione duplicis alterius feſti ampliavit. Gaudent proin illo Minoritæ, nemine diſcrepante, & in illius uſu à nullo poſſunt moleſtari, cum, ut advertit Eminentiſſimus Petra *tom.* 2. *Coment. fol.* 38: *col.* 2. eo ipſo Tridentino per Clementem VIII. derogatum ſupponatur, quod Conciliorum Generalium Decretis deroget: nec opus ſit vel fuerit Tridentino derogari in ſpecie, cum Sedis Apoſtolicæ auctoritas *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. *de reform.* fuerit præſervata.

Movetur autem dubium inter Doctores, an hoc Minoritanum privilegium vi communicationis privilegiorum aliis quoque Regularibus, præſertim iis, quos inter & Minoritas ſtricta & prægnantiſſima viget Apoſtolicarum gratiarum communio, ſuffragetur? Plures cum Pignatello, *loco cit.* Matthæucelo &c. ex eo, quod privilegium hoc ſpeciali notâ ſit dignum, alios Regulares ab ejus communione excludunt, ego autem, qui libenter ab aliis accipio, & cum iis communico, bonum hoc & aliis non invideo, cum doctiſſimo Paſſerino *tom.* 3. *de ſtat. art.* 10. *fol.* 906. *num.* 990. concludens = *Hoc privilegio gaudere alios Religioſos juxta privilegium communicationis privilegiorum quod habent &c. Neque oppoſitum hujus declaratum fuit per Sacram Congregationem, quia in declarationibus, quas refert Barboſa* de offic. Epiſc. alleg. 105. num. 44. *expreſsè eſt ſermo de privilegiis ante Concilium conceſſis* = Videturque ratio contrariæ partis in ſpecialitate conſtituta exorbitanter manca, dum communicationem privilegiorum tot Apoſtolicis litteris commendatam, ſpoliat omni privilegio, cum nullum non ſit ſpeciali notâ dignum, eo ipſo quod privilegium ſit.

Regredior jam ad dubium ſuprapoſitum & quæſtionem, an & per Sanctionem Tridentinam non ſolùm privilegia per Apoſtolicas litteras diſperſa, & ante Concilium conceſſa, ſed etiam corpori juris inſerta, præſertim autem moderatio *in cap. Alma Mater* comprehenſa, ſint revocata? Aliorum antequam & mea ſenſa producam, dictum caput hic exſcribi conſultum duco.

Alma Mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & conſultè, quæ ſuadente ſubjectorum utilitate poſtmodum conſultiùs ac rationabiliùs revocat, in meliuſque commutat. Sanè à noſtris dudum fuit Prædeceſſoribus conſtitutum, ut in terris ſeu locis Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto, nulla (certis caſibus & Sacramentis exceptis) divina celebrentur officia, vel miniſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta. Quia verò ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum exereſcit indevotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgunt, ac Eccleſiis ſine culpa earum dedita obſequia ſubtrahuntur: cum Fratribus noſtris deliberatione habita ſuper his diligenti, concedimus, quod tempore interdicti ab homine, vel à jure prolati, non tantummodo morientes, ſed etiam viventes, tam ſani quàm infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, ſummè neceſſaria eſt) licitè admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti (præterquam in mortis articulo) nolumus ad eandem. Illis etiam propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione ipſum interdictum eſt latum, præbuerunt auxilium, conſilium vel favorem,

niſi

niſi de ipſo delicto (ſi ſint tales, quod id facere valeant) priùs ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut ſi ſatisfacere nequeunt, vel hujuſmodi cautionem præſtare juraverint, quod cum poterunt ſatisfacient, & ad ſatisfactionem hujuſmodi per eum, vel per eos, qui facere ipſam debent & poſſunt, præſtandum dabunt conſilium & auxilium, ac juxta poſſe ſuum fideliter laborabunt, non eſt pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum; Nec tunc etiam quoad iſtos vel alios, qui circa hoc minimè deliquerunt (ubi Civitas vel locus alius, ſeu univerſitas interdicti exiſtunt) facienda eſt relaxatio interdicti, ſed eſt eis ſolummodo injungenda pœnitentia ſalutaris.

Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus in Eccleſiis & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, ſicut priùs, ſubmiſsâ tamen voce, januis clauſis, excommunicatis ac interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis. Et tam Canonici, quàm Clerici Eccleſiarum, in quibus diſtributiones quotidianæ illis, qui horis interſunt Canonicis tribuuntur, ſi ad officia non venerint ſupradicta, diſtributiones eaſdem amittant, ſicut interdicto perderent non extante, ſi Divinis Officiis non adeſſent.

In Feſtivitatibus verò Natalis Domini, Paſchæ ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis, altâ voce Divina Officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum (& ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum faciliùs inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinorum: ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent.

Cæteris, quæ circa obſervationem interdictorum à noſtris ſunt Prædeceſſoribus inſtituta, in ſuo robore duraturis: non obſtantibus quibuſvis privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, Religionibus, ſeu Perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus vel Regularibus, exemptis & non exemptis, ſub quavis forma vel expreſſione verborum ab Apoſtolica Sede conceſſis, quæ contra tenorem præſentis Conſtitutionis nullis volumus ſuffragari: cum quibuslibet tam Sæcularibus quàm Regularibus ſufficere debeat, ut tempore interdicti, modo præmiſſo, diebus celebrent ſupradictis.

Porro ſublatis privilegiis, ſublata & illa, quæ illorum moderamen concernunt, nonnulli tenent, & proin caput *Alma* quoque ſublatum referunt; benigniùs judicant alii, ex eo, vel quod moderatio non eludat ſubſtantiam interdicti, vel quod dicta Decretalis *Alma* non privilegium contineat, ſed jus commune conſtituat, ex quo cum Paſſerino *loc. cit.* denuo concludo, *Decretalem hanc non eſſe revocatam per Concilium, quod quidem jubet ſervari interdicta, ſed juxta formam ea ſervandi à jure communi præſcriptam*, eandemque favere Monialibus, Familiaribus, & Tertiariis Ordinum &c. uti notat Emin. Petra *tom.2. com. fol* 37. Matthæucci &c.

Notari tandem debet, à Martino V. per Conſtitutionem *ineffabile* Feſtis in capite *Alma* expreſſis, feſtum Corporis Chriſti cum ejus octava fuiſſe adjunctum.

Normam contra Regularem intra Clauſtra degentem, & extra ea notoriè & ſcandaloſè delinquentem, inſtante Epiſcopo, procedendi præſcribit.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUſcepti muneris ratio poſtulat, ut ea, quæ in Sacro Tridentino Concilio providè conſtituta ſunt, ab iis, ad quos ſpectat, inviolatè obſervari curemus. Maturo ſanè conſilio, ipſius Concilii decreto proviſum eſt, ut quicunque Regularis, non ſubditus Epiſcopo, intra clauſtra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniatur, & Superior de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minùs, ipſe à ſuo item Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit. Verùm, quia experientia compertum eſt, interdum in hujuſmodi Decreti executione nimis remiſsè procedi, cum enim Epiſcopus inſtat, aliquem Regularem, eo, quo ſupradictum eſt, modo, delinquentem; à ſuo Superiore puniri, ſæpe fit, ut Superior Regularem delinquentem ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi Diœceſim, ex induſtria impunitum tranſmittat, atque etiam ipſe aliquando ad alias Provincias ſe conferat, nec ulteriùs ſuper delinquentis exceſſibus inquirat, & de ejus punitione Epiſcopum certiorem reddat: Unde nec Regularis delinquens, tunc ab Epiſcopo puniri poteſt, cum extra ipſius Diœceſim exiſtat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur: Nos pro paſtorali noſtra ſolicitudine, præfati Decreti executioni, quantùm cum Domino poſſumus, favere, & præmiſſis malis (ut par eſt) opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium prædicti Concilii interpretum ſententia, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, omnibus & ſingulis cujuſcunque Ordinis, & inſtituti Regularium, etiam Mendicantium Superioribus,

in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum decretum, quilibet ipſorum Regularem non ſubditum Epiſcopo, intra clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniat, ac de punione Epiſcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipſum in omnibus & per omnia exequatur.

Cæterùm, ſi Superior in Regularem dilinquentem non animadverterit, quinimo ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi Diœceſim, ut præſertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior, inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & ſubinhabilitatis ad illa, & alia inpoſterum obtinenda, ac ulteriùs privationis activæ & paſſivæ vocis, ad quas à nemine præterquam à Nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtente reſtitui poſſit, ipſo facto ſimiliter incurrendis pœnis, ipſum Regularem delinquentem à loco, ad quem trsnſmiſſus ſuit, revocare, & in quo deliquit, conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quòd ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, ut Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel aliàs de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem ſeverè animadvertere poſſit, & debeat. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcunque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcunque eorumdem Ordinum, vel inſtitutorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel qoavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes litteræ omnibus ſupradictis innoteſcant, mandamus illas ad valvas Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, & publicari: Volumuſque poſt quindecim dies, eos, qui in Urbe ſunt, qui verò extra eam, & citra montes, intra quatuor, qui demum ultra montes erunt, intra octo menſes, à die publicationis hujuſmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent, ac earundem præſentium litrerarum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſuſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ obſignatis, eandem fidem in judicio, & extra illud hsberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, mandati, voluntatis, decreti, & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo nonsgeſimo quinto, ſeptimo Kalendas Martii, Puntificatûs noſtri Anno Quinto.

Exemplar Romæ impreſſum in Arch. generali Ord. Armario Authentica.

Pro Regularium tam Mendicantium, quàm non Mendicantium reformare Statuta ſeu Decreta condit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

1. NUllus omninò prætextu cujuſcunque privilegii, & ſuperioritatis, etiam Generalatûs, à ſervitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint; Idem qnoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant ad præ-

præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.

2. Lectio Sacræ Scripturæ, vel Caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

3. Quò Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, ſeu mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro miſſis, tam in propria Eccleſia, quàm ubicunque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam prnpria, aut etiam nomine Conventûs poſſidere poſſit: ſed ea omnia ſtatim Superioribus tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quò eommunis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.

4. Neque Superioribus, quicunque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

5. Eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat, ut proprium, neque ut proprio utatur.

6. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multò graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7. Nulla quorumcunque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quò minus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias ſe concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8. Fratrum veſtitus, & ſuppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis ſit Fratrum, & quorumcunque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat: ita ut nihil ſuperflui admittatur; nihil etiam, quod ſit neceſſarium, alicui denegetur.

9. Quæcunque Fratrum veſtes, ſive laneæ, ſive lineæ, omniſque alia ſuppellex in aliquem commodum Conventûs locum deſerantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

10. Omnes etiam Superiores, quicunque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſive eadem (ut ajunt) pitantia, in communi menſa prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit, ſi quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem & aquam.

11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quàm ratione officii ſui neceſſarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipſos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditetur.

12. Nullus ex Superioribus locorum, adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & reddituum ſui Conventûs, etiam nomine Conventûs, per ſe ipſum habere, ſive exercere poſſit; ſed univerſum id onus tribus Fratribus ejuſdem Conventûs à Generali ita demandetur, ut unus rerum & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tanquam depoſitarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta & exacta fideliter aſſervet: alius de pecuniis, & rebus à Depoſitario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta.

13. Cæterùm hi tres tam impenſi, quàm accepti ſingulis menſibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejuſdem Conventûs probatioribus, rerumque uſu peritis, rationem reddant: Deinde ipſimet rurſus, præſentibus Priore, & peritis prædictis, etiam Generali, cum advenerit: denique ipſe Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali ſaltem coram tribus judicibus, ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, univerſamque ſuæ adminiſtrationis tam publicæ, quàm privatæ rationem reddere teneatur, cu-

cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur, ad hoc, ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

14. In unoquoque Conventu Fratrum is tantùm deinceps conſtituatur, & impoſterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcunque obventionibus in commune (ut præfertur) conferendis, commodè poſſit ſuſtentari: redditus verò, & ſupradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter aſſerventur.

15. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc noſtra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint, omninò interdicimus, & probibemus, decernentes irritum &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis exiſtat.

16. Nullus, niſi actu legat, vel prædicet, aliquo ſui gradûs privilegio gaudeat.

17. Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis judicio probanda, ſocius ex eodem Ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit, is niſi vigeſimumquintum agat annum, & qui communi ſervitio ſit deputatus, non concedatur, & ſi commodè fieri poteſt, ſit laicus converſus.

18. Ut omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conventûs clauſura perpetuò ac diligenter ſervetur, ac propterea à Superiore janitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is januæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19. Nullus à Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur.

20. Contravenientes autem, pœna gravi, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Janitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

21. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

22. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint.

23. Si quis autem ſine bujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas poenas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.

24. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut, cum ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.

25. In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

26. Nullus etiam Superior cellas ſive in clauſtro, ſive alibi ſeparatas à communi dormitorio habeat, ſed quilibet unica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & menſa humilibus, uniformique ſuppellectili (ut præfertur) quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit, poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, ſi eorum muneris, & officii neceſſitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

27. Cellæ ſive ædiculæ, quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut alias ad communem uſum, & commoditatem Conventûs redigantur.

28. Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29. In privatis cellis nulli camini permittantur: ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus convulſis, ut res illa non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

30. Conventûs feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, ut omnino is proſpectus impediatur.

31. Valetudinarium in ſingulis Conventibus in certo, ac ſalubriori loco cõſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde, niſi recuperata ſanitate, abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.

32. Ineatur ratio, qua, ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcunque

con-

conceſſis, degentes extra Conventûs clauſtra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint.

33. Nulli impoſterum ad Habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conventibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Provincia deputandis.

34. Curent Superiores, ot Conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter obſervetur.

35. Ut omnis officiorum ambitûs occaſio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præſertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicunque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porro ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus.

36. In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à ſacro Concilio Trid. & Ordinis conſtitutionibus inviolabiliter ſervetur, jurentque Electores ſecundùm veritatem cujuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deveniatur, in primis & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueverint Regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium Chori, ac veſtitum, & victum communem.

37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet Provinciæ, ſaltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones, etiam ipſorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter ſimul examinent, priuſquam probentur, & ad hujuſmodi miniſteria admittantor. Horum etiam curæ ſit examinare, & probare, tam quoad doctrinam; quàm quoad mores, promovendos ad quoſcunque Ordines, in quo ſervetur decretum Congregationis interpretum Sacri Concilii Tridentini, hac de cauſa nuper editum, & promulgatum.

38. Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis, quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio invigilent, ut, quæ in eorumdem Ordinum Regulis, & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, Capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad unguem obſerventur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe, quæ ut faciliorem exitum ſortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, ſi in quolibet Conventu, ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſervantia.

39. Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo uniuſcujuſque Conventûs, in qua diſtrictè adnotetur, quid ſingulis horis cujuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, ut certo quoque ſigno præmonitus, majore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones, his Decretis non adverſantur, inviolatè cuſtodiendæ erunt.

40. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obſervari poſſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuſcunque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdictâ omnino eorum ſingulis facultate illas declarandi, & adverſus eas unquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatûs, & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine ulla exceptione reſpectivè incidiſſe.

41. Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſervatio, quoquomodo differri poſſit, aut impediri, volumus, ut poſt illorum publicationem in Conventu, vel Monaſterio cujuslibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, alioſque Ordinum Superiores, cæteroſque quoſcunque Fratres præſentes, ſtatim: reliquos vero abſentes citra montes, unius menſis, ultra montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.

42. In-

42. Inſuper mandamus, quod Generales in ſingulis Conventibus citra montes, unius menſis, ultra verò montes, trium menſium curſu, Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna privationis Generalatûs, aliiſque arbitrio noſtro imponendis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. menſis Junii 1599.

Exemplar authent. & Romæ impreſſum in Arch. generali Ord. Armario Document. Authent.

Novitios ad Habitum Regularem & Profeſſionem extra Conventus Apoſtolica auctoritate deſignatos, in Italia, & Inſulis adjacentibus admitti prohibet, & receptiones ac profeſſiones &c. nullas declarat.

CLEMENS PAPA VIII.

Regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm juxta noſtri muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano uſu compertum eſt, quod in omnibus Conventibus, iis præſertim, qui majore reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes, paſſim recipiuntur. Unde fit, ut, quò magis Nos variis Conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus, eò magis in dies depravata, infructuoſaque ejuſmodi noviter profitentium germina ſuccreſcant. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti Decreto ſtatuimus, diſtrictèque præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, cæteriſque Superioribus Conventuum intra Italiæ & Inſularum adjacentium fines exiſtentium quibuſcunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, ut de cætero neminem ſub quovis prætextu aut colore ad Habitum Regularem admittant, niſi in Conventibus auctoritate noſtra propediem in unaquaque Provincia deſignandis.

Inſuper ſancimus, ut quoad ejuſmodi Conventus, ut prælertur, per Nos deputati non fuerint, omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Novitiorum ſive ad Habitum, ſive ad Profeſſionem omnino abſtineant. Superior, qui hujus Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ & perpetuæ inhabilitatis ad alia inpoſterùm obtinenda ſe noverit incurriſſe, ac aliis etiam pœnis arbitrio noſtro ſubjaceat.

Receptiones verò & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi noſtrum Decretum admiſſi fuerint, nullas & irritas eſſe ex nunc decernimus & declaramus; privilegiis, ſtatutiſque & conſuetudinibus quibuſcunque in contrarium minimè obſtantibus.

Datum Romæ die 12. Martii 1596.

Exemplar authent. & impreſſum in Arch. Ordinis Armario Authentica.

Decretum præpoſitum renovat, ampliat, ac Religioſos nec in hoc, nec in ſpecie comprehenſos exprimit, & excipit.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Clemens Divina Providentia Papa VIII. cum jamdudum animadverteret collapſæ Regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm, juxta ſui muneris debitum, vigilare, ac laborare non deſiſtit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monaſteriis, & Conventibus, iiſque præſertim, qui majori indigent reformatione, ſinguli ad Religionem profitendam accedentes, paſſim, ac ſine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quò magis variis Conſtitutionibus malè affectas radices evellere ſtudet, eò magis infructuoſa noviter profitentium germina quotidie ſuccreſcant: cumque ob zelum, ac deſiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus ſuæ cujuſque Religionis inſtitutum redigendi, diſtrictè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad ſuſcipiendum Habitum Religionis admitteretur, profiteretur ve, quouſque Monaſteria, & Conventus aliquot deſtinarentur, in quibus poſſet commodiùs Regularis Obſervantia, ſecundùm reformationem à Sanctitate Sua inſtitutam introduci: Quia tamen, non obſtante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos, & admiſſos, præter mentis ſuæ ſenſum; Idcircò huic malo proſpicere volens, ne licentiarum, ac facultatum hujuſmodi ſubreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis Suæ irritum reddatur; Nunc denuò diſtrictè præcipit, ac mandat omnibus Ge-

Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuſcunque, cæteriſque Superioribus Conventuum, Monaſteriorum, ac Domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium, quorumcunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori Obſervantia, necnon Capucinorum S. Franciſci, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulienſis Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Jeſu, Sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum Infirmorum, reſpectivè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo voluit probibitionem banc ad illa nullo modo extendi.) Ne ſub cujuſvis licentiæ & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per litteras in forma Brevis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad Habitum Regularem ſuſcipiendum, nec etiam Converſos, niſi in Conventibus, Monaſteriis, & Domibus, auctoritate ejuſdem S.D.N. propediem in unaquaque Provincia deſignandis, recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere ullo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis Suæ receptos, etiamſi Imperfectum Habitum, aut ſine Caputio gerant, poſt præſentis Decreti in Romana Curia publicationem, omnino ejicere debeant.

Superiorem autem, qui hujus Decreti transgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis activæ, & paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia inpoſterum obtinenda, eoipſo incurrere voluit, & decrevit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ imponendis ſubjacere.

Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra bujuſmodi Decretum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conventus, Domos, & Monaſteria à ſe probata pro Novitiorum receptione, & educatione, hactenus permiſſione ſua conſtituerint.

Cæteras verò licentias, ſive particulares, quæ in hanc diem effectum non ſunt ſortitæ, revocat, & annullat. Vult autem Decretum boc ſuum in ſolitis locis Urbis publicatum ita prædictorum ſingulos afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter ſuiſſet intimatum; privilegiis, ſtatutis & conſtitutionibus in contrarium minimè obſtantibus.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum die 20. menſis Junii 1599.

Exemplar impreſſum in Archivo gen. Ord.

Formulam facultatis concedendæ pro Novitiis ad Regularem Habitum in Monaſteriis, & locis deſignatis recipiendis præſcribit.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Divina providentia Papa Octavus, cum Regularem diſciplinam reſtituere, atque in priſtinum ſtatum revocare maximè cuperet, Regulareſque omnes, vitam, moreſque ſuos ad rationem ejus Inſtituti, quod quiſque profeſſus eſſet, ita componere, ut, quæ ad votorum vim, Habitum, victumque communem pertinent, ea potiſſimum ſinguli religioſiſſimè obſervarent, generali Decreto, quòd de menſe Junii editum, tertia Julii anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religioſorum Superioribus, (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Novitios reciperent, aut quemquam ad profeſſionem ante admitterent, quàm à Sanctitate Sua Monaſteria aliquot ad eam rem præſcripta eſſent, in quibus obſervantia Regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas Sua à locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandaverat, certior facta in infraſcriptis Monaſteriis, & Conventibus Ordinis N. præfinitum eſſe numerum duntaxat eorum, qui vel ipſius Monaſterii cenſibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari ibi commodè poſſunt, atque in iis omnia fideliter obſervari, quæ ſunt cum illorum profeſſionis perfectione conjuncta, nempe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, unà cum cæteris decretis particularibus, vel inſtituti ipſius, vel Pontificiis etiam ad victum, veſtitumque communem ſpectantibus (ipſo Decreto, ut ſuprà, edito & promulgato, nequaquam obſtante) poteſtatem facit Superiori ejuſdem Ordinis Novitiatûs in infraſcriptis Monaſteriis, & Conventibus erigendi, Novitios recipiendi, educandi, atque ad profeſſionem admittendi, modò tamen id ad præſcriptum inſtructionis juſſu Suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea eſt Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, ut in Monaſteriis, &

Conventibus, ad alendos Novitios præfinitis, Regularis obſervantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, ut in ipſis præſcriptus jam perſonarum numerus inpoſterum ſervetur, nullusque omnino Superior cujuſvis conditionis, perſonarum, & Novitiorum numerum augere præſumat, ea pœna propoſita, ut in omnibus privatus officiis, vocis activæ, & paſſivæ jus omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua hujuſmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apoſtolicæ hoc Decreto Secretarii manu ſubſcripto concedi, non obſtante Decreto, ut ſupra promulgato.

Datum Romæ die, &c. Præſcribitur verò numerus Sacerdotum .... Clericorum .... Novitiorum .....Converſorum autem ....

N. Viſitationis, & Reformationis Apoſtolicæ Sedis.

Decretum ſuper forma recipiendi Novitios Regularium ad Habitum, & Profeſſionem.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Divina Providentia Papa Octavus, qui aliàs pro Regularis diſciplinæ reſtitutione, ſingulis Regularium Ordinibus (quibuſdem exceptis) prohibuit, ne ad Regularem Habitum Novitios inpoſterum reciperent, receptoſve ad profeſſionem admitterent, quouſque in aliquibus cujuſvis Ordinis Monaſteriis, ſeu Conventibus (in quibus Novitiatus pro recipiendis, & educandis Novitiis deſignarentur, & approbarentur) ad ejus, quam profeſſi ſunt, Regulæ præſcriptum, vitam, moreſque reſtituerent, & componerent; certior deinde factus quoſdam omnium ferè Ordinum Conventus, ſeu Monaſteria ad priſtinam illam Regularem vivendi formam, & diſciplinam, quam diutiùs deſideraverat, fuiſſe redacta, in eiſdem Monaſteriis & Conventibus, ut Novitiatus erigi, Novitiique recipi poſſent, (ſub certis tamen legibus, ac ea præſertim, ut licentia à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ prius obtenta eſſet,) conceſſit, & ad illa deſignavit, & approbavit. Nunc volens, ut ea, quæ pro Novitiorum receptione, & inſtitutione, de mandato Sanctitatis Suę pręſcripta fuerunt, inpoſterum accuratius, & exactius obſerventur, ultra formam traditam in Conſtitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis Suæ ſuper receptione Novitiorum, decrevit, ac præſentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, ſeu Monaſteriis ad Novitios recipiendos, de Sanctitatis Suæ ſeu dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu inpoſterum deſignandis, & approbandis, Novitii ad Habitum recipi ullatenus poſſint, vel admitti, niſi prius ab ipſa Congregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum Diœceſi Novitiatus exiſtunt, in quibus Novitii recipiendi fuerint, expreſsè, & nominatim Novitii ipſi recipiendi approbati fuerint, &, ut recipi & admitti poſſint, licentiam in ſcriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad ſcripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eoſdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, ut circa ætatem, conditionem, educationem, ſcientiam, vitam, & mores, cæteraſque qualitates in ipſis Novitiis requiſitas, obſerventur inſtitutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad Habitum recipi permittant: Ordinariorum ipſorum conſcientiam onerando, ſi quempiam approbaverint, vel admitti permiſerint, qui non ſit idoneus, & juxta Conſtitutiones, & inſtitutiones prædictas approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui in admittendis ad Habitum, & Profeſſionem Novitiis, formam conſtitutionum, & inſtitutionum prædictarum non ſervaverint, aut Novitium aliquem, quantumvis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conventu & loco, ſeu Monaſterio, præterquam in hactenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione deſignatis, & approbatis, ſeu inpoſterum deſignandis, & approbandis, vel ultra numerum in eorum ſingulis præſcriptum, ſeu præſcribendum receperint, vel admiſerint, ſeu aliàs præmiſſis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid ſecus, vel aliàs, quavis auctoritate à quovis geſtum, vel attentatum fuerit. Non obſtantibus quibuſcunque, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 19. Maji 1602. Pontificatus ejuſdem S. D. N. Anno Undecimo.

Quæ & pro educatione Novitiorum, electione Magiſtrorum obſervari debeant, decernit.

CUm ad Regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Monaſteriis propagandam, Novitiorum inſtitutio maximè utilis ſit, ac neceſſaria, & nihil ad gravem il-

illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam majorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an verè eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſerviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcircò, ut hujuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut in recipiendis Novitiis, & in eorum inſtitutione, atque educatione, necnon in Magiſtri, & aliorum Miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis, præſertim Concilii Tridentini, Pontificiis, & cujuſcunque Ordinis, aut Inſtituti conſtitutionibus continentur, tam in aliis deſignatis, quàm nunc, & inpoſterum ad hoc deſignandis Monaſteriis, & Conventibus, hæc quæ ſequuntur, inviolatè obſervari, & exequi perpetuò curent.

Primum, quòd attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de uniuſcujuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui ſextumdecimum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii ſint, juxta formam conſtitutionis ſel. rec. Sixti V. & moderationum ſubſecutarum, illud etiam Superiores, ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, ut, quibus in Monaſteriis & Conventibus, ex Apoſtolica facultate Novitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus inpoſterum admittatur, qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, Summorumque Pontificum conſtitutionibus præſcriptas non habeat, juxta Decretum ſuper forma recipiendi Novitios die 19. Maji 1602. editum.

Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, Regularia inſtituta, & ordinationes requirunt; eam verò litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, ut minores & ſuis temporibus majores Ordines, juxta Decreta Sacri Concilii Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad Habitum Regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in Converſorum tantùm, quibus litterarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur: ipſi autem Converſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum: & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint; num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari poſſint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

Provideant quoque, ut omnes, etiam Converſi, recipiendi, priuſquam ad Habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam profeſſuri ſunt, tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, & aliis cujuſque Ordinis peculiaribus inſtitutis, & conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quorundam Religionum moris eſt, nedum Converſos ad profeſſionem admittendos, verùm & oblatos, ut vocant, recipere, circa ipſorum oblatorum receptionem unaquæque Religio ſuas peculiares Conſtitutiones, ſpecialiaque inſtituta obſervare teneatur.

Statim atque Novitii ad Habitum recepti, & in locum Novitiatûs introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent.

Quòd verò ad loci qualitatem uniuſcujuſque Novitiatûs ſpectat, locus hujuſmodi propria clauſura ab ea parte Conventûs, & Monaſterii, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, vel Dormitorium, ita capax, ut pro ſingulis ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint, in quo etiam cellula vel certus, ac determinatus locus pro Magiſtro, ejuſque ſocio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendū ſe igne communi recipiant.

Oratorium inſuper, ſeu Capella, ſi commodè fieri poterit, ad Novitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremoniis, Eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem benè concluſus, atque munitus adſit, ſin minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipſis verò Novitiis ibi commorantibus, curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eundem quiſquam alius ingrediatur.

Ad hujuſmodi locum Novitiatûs nemini ejuſdem, vel alterius Ordinis Regulari, etiam Conventûs, & Monaſterii Officiali, ullo unquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro, ejuſque Socio, ac etiam Monaſterii, aut Conventûs Superiori, ſi quandocunque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimaverit; quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus Conventûs, vel Monaſterii Patribus ſocium aſſumat.

Hujus loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illique ſoli liceat ex gravi tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: ſi quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magiſtri ſocius, ſi per Novitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius fuerit, vita & moribus (quoad fieri poterit) conſimilis deputetur, qui in his, quæ ad Novitiatûs regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubjectus exiſtat, eliganturque tam Magiſter, quàm ſocius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujuſmodi ſubituri. Quòd, ſi aliquo caſu extra tempus capitulare nova loca Novitiatûs concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Novitiorum, & ſocii hujuſmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur: idemque ſervetur, ſi intra triennium, alterum, vel utrumque urgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii conſimiles ſubrogari debeant.

Tam Novitiorum Magiſter, quàm ſocius ab iis omnibus officiis, oneribuſque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter ſacerdotali Ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in religione perſtiterit: Socius verò trigeſimum annum excedat, ſintque ambo doctrina, &, quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis præterea & mortificatioisoperibus addicti, prudentia, charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præſertim, & indignatione, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueverunt, quam longiſſimè alieni; & tales demum, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quàm revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam poſſint.

Habeat etiam Magiſter plenam & abſolotam poteſtatem circa Novitiorum inſtitutionem, ac Novitiatûs regimen, ita ut in illis nemini (Viſitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari diſciplina ſedulò exerceantur, agnoſcantque præcipuè divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam, quæ vera ſit atque perfecta votorum ſolemnium, & quàm neceſſaria cujuſque Ordinis Conſtitutionum obſervantia, modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia, ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona eſt, atque proclivis, per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, jejunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifeſtationem, per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium.

Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unuſquiſque ſecundùm propriam capacitatem, & ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam unuſquiſque examinare contendat. Ipſi autem Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confesſiones audire.

Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro, nocturnis, diurniſque divinis Officiis aſſiſtant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Novitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujuſque, in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatûs, & probationis tempore, unà cum Profeſ-

ſis,

ſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore officiorum, in proceſſionibus, aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cujuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, unus ex Novitiis ipſis, ætate, moribuſque provectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ cuſtodia, & rerum levioris momenti proviſio intra Novitiatum committi poterit.

Cum autem, licèt Clericorum bene inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua, Converſorum tamen religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda; quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum Religioni decorem & ornamentum, tum aliis Chriſtifidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Converſis ipſis à Clericorum Novitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantùm commodè fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen, hac ſeparatione non obſtante, Magiſtro Novitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum juxta cujuſque Ordinis Statuta, & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obſequia probandi & exercendi, verùm etiam pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad Capitula, & ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Novitiis fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſiis ſtatutis horis conveniant, niſi tunc in ſuis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapſo, ii tantùm, qui non ſolùm religioſæ perfectionis capaces, ſed ad labores corporales apti novo ac diligenti examine reperti fuerint, (dummòdo ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimumſextum, quò verò ad Converſos, vigeſimumprimum exceſſerint) ad profeſſionem admittantur: Sed qui ad Converſorum Habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint.

Superior cujuslibet Conventûs, in quo Novitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo uniuſcujuſque Novitii profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Converſus verò litterarum ignarus, profeſſus, in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerveturque liber, & cuſtodiatur in Archivo, ubi ſcripturæ ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinentes reponi conſueverunt.

Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis uſus eſt receptus, declaratur, quod, licet decretum ſit, ut Novitiis educandis certa Monaſteria, aut Conventus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum hujuſmodi Ordinum, in quibus filiationis uſus receptus eſt, eos, quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum Filios juxta cujuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicque adſcriptos, cum juxta præſentes Inſtitutiones, & aliàs ſervatis ſervandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum teſtimonialibus litteris tranſmittere, ubi tanquam dictorum Conventuum, ſeu Monaſteriorum filii, eorundem nomine, & inſtantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde, antequam ad eadem Monaſteria, ſeu Conventus filiationis hujuſmodi remittantur, in profeſſorio ad perfectionem, ut permiſſum eſt, exerceri debebunt.

Porro, ne loca unius Monaſterii, ſeu Conventûs ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Provincialis partes erunt, numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem (ſi opus fuerit) inire, ac ſingulis Conventibus, & Monaſteriis præſcribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jam in Profeſſorum numerum (ſicut præmittitur) recepti meliùs in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & confirmentur, mandatur, ut ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conventibus, aut Monaſteriis pro Novitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi Novitiatûs, ſive Profeſſorii, ab ea, quæ Novitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conventus eos alere queat, ſin minùs, in alium commodiorem Conventum, aut Monaſterium tranſferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Novitiatum ſupranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum Conſtitutionum, ſeu Inſtitutorum vigore majoris temporis curſu novos profeſſos intra Novitiatum detinere conſueverunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus,

Digitized by Google

bus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant ſub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quam ſervent antiquiores profeſſi, ita quòd in negotiis Monaſteriorum, aut Conventuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quouſque ad ætatem ſacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem devenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo & debebunt, litterarum ſtudiis operam navare ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere dictum eſt.

Declaratur tamen, quod propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi Novitios, niſi in locis pro Novitiatu deſignatis, aut inpoſterum deſignandis, & pro numero duntaxat in eorum ſingulis præſcripto, vel præſcribendo.

Denique ſi illi, qui inter Religioſos gradu, & ordine Superiores ſunt, & alii, ad quos ſpectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, ſeu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioreſque pro modo admiſſæ culpæ pœnas, ſe ſubituros certò ſciant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 19. Martii 1603.

Exempl. Authent. & Romæ impreſſum, in Archivo generali Ordinis Armario Authentica.

N O T A

URbanus VIII. poſtquam per Conſtitutionem incipientem *Religioſos Viros* profeſſiones non facto in locis deſignatis Novitiatu emiſſas, & ſuprà *fol.* 379. *col.* 1. nullas à Clemente VIII. declaratas, ab Eccleſiarum Prælatis ſeu Religionum Præfectis ſanari & validari anno 1631. commiſiſſet, edidit poſtmodum Decretum, quo, quid circa hujuſmodi Profeſſiones ſervari deinceps deberet, præſcripſit, & quod ſequentis fuit tenoris:

Sanctiſſimus D. N. Urbanus Divina Providentia Papa VIII., ad occurrendum motibus, qui poſſent in Religionibus oriri occaſione receptionis Novitiorum, & profeſſionis per eos emiſſæ in Conventibus non deſignatis, contra formam decretorum San. Mem. Clementis VIII. de Novitiis ad Habitum Regularium, & Profeſſionem non admittendis, niſi in Conventibus deſignatis, audita ſuper hoc ſententia Sac. Congregationis Concilii, declaravit, & decrevit, hujuſmodi receptos, & profeſſos contra formam dictorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & profeſſionis, non poſſe ſuper hujuſmodi nullitate poſt lapſum quinquennii quoquomodo audiri. Quod ſi aliqui contra formam præfatorum Decretorum recepti, & profeſſi, è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam reſpectivè illos ejicere voluerint, eadem Sanctitas Sua decrevit, ut tam ipſi Profeſſi, quàm Superiores reſpectivè teneantur, jura, quæ ſibi ſavere viſa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex ſpeciali etiam Suæ Sanctitatis facultate ſuper hoc conceſſa providebit. Inhibentes propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus juriſdictionem exercentibus, ac quibuſcunque Judicibus, Ordinariis, & Delegatis, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sediſque Apoſtolicæ Nunciis, ne inpoſterum in hoc quoquomodo ſe ingerant abſque ſpeciali ejuſdem Sanctitatis commiſſione, ſub pœna ipſo facto incurrenda quoad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & Primates interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Judices prædictos excommunicationis latæ ſententiæ, quò verò ad Nuncios, & ad S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, indignationis Suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio ejuſdem ponendarum. Si verò iidem, ut ſuprà, recepti, & profeſſi, juribus ſuis minimè deductis coram Sacra Congregatione Concilii, & ſine illius expreſſa licentia, è Religione exire, vel Superiores Religionis eos ejicere auſi fuerint, ipſi recepti, & profeſſi tanquam Apoſtatæ puniantur, & pro talibus habeantur, necnon contra eoſdem juxta formam decreti de Regularibus Apoſtatis, & ejectis, ejuſdem Sanctitatis Suæ juſſu ab eadem Sac. Congregatione ſub die 21. Septembris 1634. editi, procedatur, & Superiores, qui ejecerint, pœnam ſuſpenſionis à Divinis, necnon privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea inpoſterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ, ipſo facto, abſque alia declaratione incurrant.

Datum Romæ die 5. Januarii 1636.

Con-

Conſtitutiones Sixti Papæ Quinti de qualitatibus, modo ac forma recipiendorum Religioſorum, & aliam illius declaratoriam, quoad nullitates profeſſionum, ob nimiam facilitatem & caſuum multiplicitatem, in quibus profeſſio nulla declaratur,& conſequentes exinde fraudes &c. ad terminos juris & Sacrorum Canonum reducit, ſalvis pœnis contra Superiores Ordinum in receptione Religioſorum delinquentes inflictis.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſuprema Eccleſiæ Catbolicæ ſpecula, meritis licèt imparibus, Divina providentia diſponente conſtituti, omnibus incommodjs, quæ in eadem Eccleſia, non ſine Fidelium animarum periculo, & detrimento oriri poſſunt, ob variam, & ſiniſtram Conſtitutionum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, quas juſtis de cauſis ediderunt, interpretationem, pro noſtri Paſtoralis Officii munere conamur providere, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cum igitur fel. rec. Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter ad integritatem & candorem in Regularibus, & Religioſis Ordinibus in Eccleſia ſancta inſtitutis retinendum, & conſervandum, quadam ſua, quæ incipit: *Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus*, ſub Dat. ſexto Kalendas Decembris, Pontificatûs ſui Anno Tertio, nonnulla circa modum, formam, & qualitates admittendi Religioſos ad quoſvis Regulares Ordines decreverit, & deinde alia ſimili, quæ incipit: *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, ſub Dat. XII. Kalendas Novembris, Pontificatûs ſui Anno Tertio, quædam dubia ſuper dicta priori Conſtitutione exorta declaraverit; Et præterea piæ me. Gregorins Papa XIV. etiam Prædeceſſor noſter alia ſua perpetuò valiturâ Conſtitutione, quæ incipit: *Circumſpecta Romani Pontificis providentia*, ſub Datum Idibus Martii, Pontificatûs ſui Anno Primo, reſpectivè editis, Conſtitutiones Sixti Prædeceſſoris ſupradictas, quoad illegitimos moderatus ſuerit, prout in eiſdem Conſtitutionibus pleniùs continetur. Tamen, quia longo uſu, & experientia compertum eſt, ex nimia facilitate,& multitudine caſuum,in quibus profeſſio à ſuſcipientibus Habitum alicujus Regularis Ordinis à dicto Sixto Prædeceſſore nulla declaratur, multos hac occaſione arreptâ fraudulenter petiiſſe, & in dies petere, ut profeſſio, quam in aliquo Regulari Ordine emiſerunt, nulla declaretur; ex quo nonnulli eorum Regulares Ordines, & inſtituta ſub hoc prætextu deſeruerunt, & idcirco pleriſque in locis maxima incommoda, & ſcandala exotta fuerunt. Nos ea ſcandala, & incommoda, quantùm in Domino poſſumus, removere, & ne inpoſterum alia ejuſmodi hac de cauſa oriantur, opportuna ratione providere cupientes, ſingularum Conſtitutionum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, maturâ ſuper his cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium deputatis, conſultatione præhabita, ex illorum ſententia, & voto Conſtitutiones prædictas Sixti Prædeceſſoris, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eiſdem Conſtitutionibus præſcriptam de cætero non ſervaverint, & quoad alios etiam caſus ibidem expreſſos, in quibus receptorum in quibuſcunque, etiam Mendicantium, Ordinibus profeſſio nulla declaratur, ad terminos Juris, & Sacrorum Canonum, perinde, ac ſi prædictæ Conſtitutiones in illa parte editæ non fuiſſent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reducimus. Cæterum pœnas contra Superiores quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium hujuſmodi, qui in admittendis Regularibus ad Habitum, & Profeſſionem, earundem Conſtitutionum formam non ſervaverint, aut aliter quovis modo contrafecerint, in ipſis Conſtitutionibus inflictas ſalvas eſſe volumus, & ſtatuimus; Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Aprilis MDCII. Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.

Exemplar authent. & Romæ impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Authentica.

DE-

DECRETO

Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

Decretum aliàs ab ea emanatum, quo Regularibus cujuſcunque Ordinis per Univerſam Italiam extra Almam Urbem degentibus, â caſibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, vel â Sede Apoſtolica, vel ab Ordinariis ſibi reſervatis extra mortis articulum Sæculares abſolvere ſub pœnis, cenſuris, & nullitate abſolutionis prohibetur, cum moderamine declaratur, & caſus, præter illos in Bulla Cœnæ Domini contentos, â quibus abſolutio prohibetur, enarrantur.

EDitum fuit aliàs à Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Decretum ſuper abſolutione à Caſibus reſervatis ejus, qui ſequitur, tenoris. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinnlium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regnlarium præpoſita, jnſtis & gravibus cauſis id exigentibus, ac de Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS PP. VIII. ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo deſnper babito, Sacerdotibus omnibus tam ſæcularibns, quàm Regularibns per univerſnm Italiam extra Urbem degentibus, ad confeſſiones audiendas prœbatis, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregntionum, etiam Societntis Jeſu, & generaliter qnrumcnnqne aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet, & præcipit, ne quis eorum, ſub prætextu privilegiornm, indultorum, aut ſnculentum generaliter, vel ſpecificè, ſcripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per communicntionem à Sede Apoſtolica, vel ejns nuctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societotibus, aut Archiconfraternitatibus ſæcularium, aut ſingulnribus perſonis, ſeu aliàs quomodocunqne ſub quibuſvis tenoribus, formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujnſvis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeu confirmatarum, alieni cujnſvis ſtatûs, gradûs, & conditionis, nut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, etiam Regiæ, vel Imperinlis, ab ullo ex Caſibus clarè vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolitn contentis, vel aliàs qnomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, ejuſve Succeſſores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reſervandis: nec etiam à Caſibus, quos Ordinarii locorum hactenus reſervârunt, vel in poſterum ſibi reſervabunt, nullo cnſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis nrticnlo, ſeu cum nova, & ſpeciali Sanctitatis Suæ, aut Succeſſorum ſuorum, vel Ordinariorum, quoad caſus ob ipſis tantùm reſervatos, reſpectivè, impetrata in ſcriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, abſolutionis beneficium de cætero impendere audent, vel præſumat: ſed cum opns fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimoſque Judices ſuos accedere conſulant; ſub pœna contrafacientibus tnm Regularibus, quàm ſæcnlaribus, excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitntis item audiendi confeſſiones, & ad quæcumque officia, prælaturas, beneficia in poſterum obtinenda, ipſo facto, abſque ulla alia declaratione incurrenda: Snper quibus à nemine, niſi à Romnno Pontifice babilitatio, diſpenſatiove, aut abſolutio, præterquam in mortis articulo, poſſit impartiri: Sanctitas enim ſun (quatenus opus ſit) fnculntes, & conceſſiones ipſas in bac parte uti caſſas, & irritas baberi de cætero voluit, & vult, non obſtantibus qnibuſcunque.*

Præterea noverint pœnitentes, abſolutionem, ſi qunm obtinebunt contra hujuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliuſqne roboris & momenti.

Et ne, locornm Ordinarii, quibus jns hoc reſervandorum Caſuum competit, plnrium, quàm opns ſit, reſervatione, ſubditis, nut Confeſſnriis in animarum ſalute procuranda cooperntoribus ſint oneroſi, moncntur omnes, ut paucos, eoſque tantùm, quos ad Chriſtiannm diſciplinam retinendam, nnimarumque ſibi creditarum ſalutem, pro cujuſvis Diœceſis ſtatn, & qualitnte neceſſariò reſervandos eſſe judicnverint, reſervent. In quorum fidem &c.

Datum Romæ die nona menſis Januarii Anni M. D C I.

Cùm autem dubia quædam ac difficultates circa ejuſdem Decreti interpretationem atque obſervationem emerſiſſent, eadem Cougregatio, ne ullus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitative locus relinquatur, &, ut clariùs appareat, in quibus caſibus vigore ejuſdem Decreti reſervatis, intelligatur prohibita abſolutio, ſpeciali mandato ejuſdem S. D. N. Clementis Papæ VIII. ſimiliter vivæ vocis oraculo ſuper ea re habito, ipſum Decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet ſub ejuſdem prohibitione illos tantùm inpoſterum comprehendi

hendi caſus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta continentur: ac præterea Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis ſel. rec. Greg. XIV. quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli*, Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem: Provocantium & pugnantium in duello, juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionem ſel. rec. Gregorii Papæ XIII. incipientem: *Ad tollendum*. Injicientium violentas manus in Clericos, juxta Canonem: *ſi quis ſuadente &c. xvii. q. 4.* ac juris diſpoſitionem: Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis: Item omnes caſus, quos Ordinarii locorum ſibi reſervârunt, vel inpoſterum reſervabunt. In quibus omnibus jam enumeratis caſibus dumtaxat, & ſublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confeſſiones, eadem Sacra Congregatio vult & mandat, dictum Decretum in ſua firmitate & priſtino robore permanere: Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam Sæculares, quàm Regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, & facultatibus in ſupradicto Decreto expreſſis, ſuffulti fuerint, poſſe juxta eorum privilegia, indulta, & facultates, uſu ante idem Decretum receptas, & quæ ſub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantùm, & non aliàs abſolvere à caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis: aliis verò Sacerdotibus hujuſmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi. Sed, ne locorum Ordinarii, ad quos caſuum reſervatio ſpectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rurſus magnopere admonendos cenſet, ut non paſſim, ſed, cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conſerat in ædificationem, non autem in deſtructionem cedat: ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate, Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperfluè reſervent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos. Facultatem verò & licentiam abſolvendi à caſibus reſervatis, quam in ſcriptis tantùm concedi permittebatur, etiam ſola viva voce concedi poſſe declarat. Cæterùm, ne quis Sacerdotum ſæcularium, aut Regularium, ſub prætextu, quod per primodictum Decretum non fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus privilegiis derogatum, eidem Decreto, ſicut præfertur, declarato, contravenire audeat, Sanctitas Sua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis omnibus, in favorem quorumcunque Ordinum ſeu Inſtitutorum Regularium, aut Sacerdotum tam ſæcularium, quàm Regularium editis, necnon eorundem Ordinum, ſeu Inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum ſæcularium, ſeu Regularium locorum quorumcunque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bullæ aureæ, aut aliàs nuncupatis eiſdem Ordinibus, ſeu Inſtitutis, ac etiam Eccleſiis & Monaſteriis, & ſæcularibus ſeu Regularibus locis, aut perſonis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogat, contrariis quibuſcunque non obſtantibus.

Romæ die XXVI. Novembris MDCII.

Exemplar Authent. & Romæ impreſſum in Archivo generali Ordinis Armario Authentica.

N O T A

HÆc eadem Clementina prohibitio & declaratio fuit poſtmodum alio & ſequenti Sacræ Congregationis Decreto, juſſu Pauli V. edito confirmata.

Quoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum nuper accepit, quamplures Regulares tantùm facultatis, ſeu privilegii ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri, ut etiam à caſibus locorum Ordinariis in eorum Diœceſibus reſervatis abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia, pœnitentes abſolvere minimè dubitent, nonnulloſque alios in Decreto prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinariis reſervatis, die 9. Januarii 1601. fel.rec. Clementis Papæ VIII. juſſu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice jubente, die 26. Novembris 1602. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinariis prædictis reſervatas, minimè comprehenſas aſſerere, unde fit, ut metus, quo homines à peccando coërcentur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo eadem Sacra Congregatio, de S. D. N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo deſuper habito, decretum hujuſmodi, illiuſque declarationem, necnon cenſuras, & pœnas, in eiſque contenta omnia, confirmanda, & innovanda, operæ pretium duxit, prout per præſentes confirmat, atque innovat, ab omnibuſque Sacerdotibus tam ſæcularibus, quàm Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cujuſvis alterius inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, quovis nomine nuncupetur, inviolabiliter obſervari, ac inſuper nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuſcunque privilegiis, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel à caſibus eiſdem Ordinariis, vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis, tam ad forum contentioſum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, abſolvere audeant vel præſumant, vel eorum aliquis audeat vel præſumat, ſub eiſdem cenſuris, & pœnis, eoipſo abſque alia declaratione incurrendis, mandat ac præcipit. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in Decreto, & declaratione hujuſmodi voluit non obſtare.

Datum Romæ 7. Januarii 1617.

Et tandem ab Urbano VIII. ad Regulares tum intra—tum extra Italiam exiſtentes extenſa, adjunctâ tamen declaratione, quod facultates abſolvendi ab aliis caſibus & cenſuris Sedi Apoſtolicæ aliàs reſervatis, extra Italiam Regularibus non ſint ſublatæ, prout ſonat ejuſdem Urbani Decretum.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Ordinario loci reſervatis; Quemadmodum nec indulta abſolvendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires aut robur acquiſiviſſe ex ſubſequentibus Privilegiorum confirmationibus: Ac proinde Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſolvere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſervatis: Ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore: Ab aliis verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi quidam Regulares habeant à Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis juſſu ſan. me. Clementis VIII.

Quam Sacræ Congregationis ſententiam ad ſe relatam Sanctitas Sua approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari.

Romæ 17. Novembris 1628.

Multa quidem circa hanc Bullam *Cœnæ Domini* inter Doctores diſcutiuntur, quæ etiam diſcuſſa cum incerta maneant, iis me non immiſceo. Quæ certiora parent, videri poſſunt apud Reiffenſtuel *Lib. in Jus Canon. tit. 7. fol.* 144. *n.* 80., & *n.* 427. Paſſerinum *tom.* 2. *de ſtat. q.* 187. *art.* 1. *fol.* 102. *n.* 427. noſtrum Habſenſem & alios. De quibus ut & ipſe Lector melius judicare valeat, ipſam Bullam hic per extenſum pro illius commoditate ſubjungo, à Benedicto XIV. glorioſè Eccleſiam gubernante, ſecundùm veterem, & ſtabilem textum hoc currente anno promulgatam.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Pa-

Paſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſollicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimùm in Catholicæ Fidei, ſine quo impoſſibile eſt placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conſervanda maximè elucet. Nimirum, ut Fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris: ſed omnes occurrant in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeant; ſed potiùs in vinculo charitatis conjuncti, tamquam unius corporis membra ſub CHRISTO capite, ejuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita, Divina gratia adjutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma per miniſterium Summi Apoſtolatûs ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabiliùs eſt, quàm Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtam & ſolemnem hunc morem ſequentes:

Primò: Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtrâ, quoſcumque Huſſitas, Wiclefiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Hugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana Fide Apoſtatas, ac omnes & ſingulos alios Hæreticos quocunque nomine cenſeantur, & cujuſcunque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientiâ pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & ſingulos cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ſeu conditionis fuerint. Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, & Latrunculos Maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque navibus, tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in Mari, vel in littore inventa, cujuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrreni, & Adriatici, quàm in cæteris cujuſcunque Maris regionibus, & littoribus ſurripuerint, ita ut nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes, qui in Terris ſuis nova Pedagia, ſeu Gabellas, præterquam in caſibus ſibi à jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſi imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios Literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac ſupplicationum, gratiam vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum, necnon falsò publicantes Literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſive hujus Sanctæ Sedis ſententias expreſſè, & nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalibem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quàm alia quacunque materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios, de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem & damnum, ipſos Turcos, & Chriſtianæ Religio-

nis inimicos, necnon Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de hujuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

8. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel offerantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios, cujuſcunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatûs, etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.*

9. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſuâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vindicantes, ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.*

10. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem causâ devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.*

11. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.*

12. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcunque, vel ſeculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut Procurantes, negotiorumque Geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.*

13. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Eccleſiaſticos, quàm Sæculares, cujuſcunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem à gravamine, vel futura exequutione Literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm Juſtitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuntiis, Præſidentibus, Palatii noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive alia ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii ſuper hujuſmodi literarum, & proceſſuum exequutione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debent, impediunt, vel prohibent; ac etiam partes, ſeu earum Agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, Exequutores, & Subexequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios publicè, vel occultè: quive aliàs quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.*

14. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque, qui per ſe, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque*

Judi-

Digitized by Google

Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illorum curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Judices interponunt, quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendam citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanârunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtatutum, vel aliàs compellunt, vel executionem Literarum Apoſtolicarum, ſeu exequutorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendę, vel aliarum prętenſionum, ſeu etiam, donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Pręſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice-Cancellarii, Conſiliarii, Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum ſecularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque pręfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

15. *Quive ex eorum pętenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia, Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quęſito colore. Necnon, qui Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quęſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læduntur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè vel expreſſè præjudicatur.*

16. *Necnon, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Judices Eccleſiaſticos Ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè, carcerando, vel moleſtando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, necnon Conſanguineos, & Affines, aut alios impediunt, quò minus ſua Juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcunque utantur, ſecundùm quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & Decreta Conciliorum Generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt, ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque Sententias, & Decreta, aut aliàs Fori Eccleſiaſtici judicium evitantes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eiſdem.*

17. *Quive juriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus ad Nos, Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque Eccleſiaſticas Perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.*

18. *Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis Perſonis Eccleſiaſticis, ac earum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi, abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt; necnon, qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatûs, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti; innovantes decreta ſuper his per Sacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita cum cenſuris & pœnis in eis contentis.*

19. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica,*

fica, & expreſſa hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illà perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocunque titulo, vel colore invadere, deſtruere, & occupare, & detinere præſumpſerint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletan., Comitatum Venayſſinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Civitateſque noſtras Benoniam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertam, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjecta: necnon ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt; necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

Volentes præſentes noſtros Proceſſus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quouſque alii hujuſmodi Proceſſus à Nobis, aut Romano Pontefice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcunque Perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & Locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacunque ſcriptura in genere, vel in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, aut concedendorum & innovandorum.

Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto pręſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, graviùs contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prędictos excommunicatos ſub prę ſentibus compręhenſos, niſi priùs à prę miſſis cum vero propoſito ulteriùs ſimilia non committendi deſtiterint; ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut prefertur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, ſeu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam, in prę miſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcunque juribus Sedis Apoſtolicę, ac S. R. E. undecunque, & quandocunque quęſitis, vel quęrendis nullatenus prę judicari poſſe, aut debere.

Non obſtantibus Privilegiis, Indulgentiis, Indultis, & Literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis, cujuſcunque ordinis, ſtatûs, vel conditionis, dignitatis, & prę eminentię fuerint, etiamſi, ut prefertur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica, & mundana prę fulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provincię, Civitatibus, ſeu locis à prędicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractûs, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indultis hujuſmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus & dignitatibus eorum mentionem; necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuslibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ

contra

contra hos noſtros Proceſſus, ac ſententias, quò minùs includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes penitus tollimus, & omnino revocamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Ut verò præſentes noſtri Proceſſus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes, valvis Baſilicæ Sancti Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi facimus, ut ii, quos Proceſſus hujuſmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare; cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, ut Proceſſus ipſi, & præſentes litteræ, ac omnia & ſingula in eis contenta eò fiant notiora, quò in pleriſque Civitatibus, & locis fuerint publicata, univerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios per præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut, ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſtifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Cæterùm Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam Animarum exercentes, ac Presbyteri ſæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confeſſiones, quavis auctoritate deputati, tranſumptum præſentium litterarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eamdem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo, ſeptimo Kalendas Aprilis Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Tantam ſpeculandi & interpretandi anſam non ampliùs præbet quæſtio de abſolutione caſuum ab Ordinariis reſervatorum, cum eam, præter Decreta Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. ac alia infrà per Clementem X. Conſtitutione incipiente *Superno* ſancita, ſolidè ſolvat Cauſa Colonienſis in Sacra Congregatione Concilii anno 1720. tum circa Sæculares, tum Moniales agitata, expoſita, & deciſa, uti ſequitur:

C O L O N I E N.

Archiepiſcopus & Elector Colonię in quodam ſuo edicto, quod publicavit die 26. Maji 1715. nonnullos caſus reſervavit, ſeu magis aptè loquendo, declarationem fecit nonnullorum caſuum, qui in ſua Archidiœceſi erant reſervati, & inter cętera addidit, & quoniam in poſtrema Synodo hujus Archidiœceſis exceptio confeſſionis Complicis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda duntaxat, & abſque ulteriori reſervatione prohibita eſt, & viciniores Archidiœceſes illud peccatum reſervatis annumerant; Nos pro hac Archidiœceſi noſtra jam dictum Synodale Decretum interpretando, moderando, eidemque addendo ſtatuimus, Complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminoſi, extra mortis periculum à Confeſſario Complici, ab eodem peccato carnali ſacramentaliter abſolvi non poſſe juriſdictione cuilibet tali, quoad hoc, licèt in approbationibus hucuſque expeditis conceſſa fuerit, à tempore harum publicationis per Nos prorſus ademptâ; *Cumque Regulares prętendant ſe habere facultatem abſolvendi à prædictis caſibus reſervatis, & Regulares Confeſſarii Monialium ſibi ſubjectarum contendant ſe eſſe à dictis reſervationibus exemptos, & ſe per conſequens eaſdem Moniales abſolvere poſſe, prędictus Archiepiſcopus & Elector Sanctiſſimo Domino Noſtro ſupplicavit pro declaratione, quod Regulares abſolvere nequeant à caſibus in ſua Diœceſi reſervatis, & quod ab iiſdem caſibus Confeſſarii Regulares Monialium eas abſolvere non poſſint, licèt ab Ordinarii juriſdictione exemptas, & ſibi ſubjectas.*

Quoad

Digitized by Google

Quoad FF. Prędicatores & Minores, Conſtitutiones adſunt Benedicti XI. & Clementis V. in quibus iiſdem prohibetur abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, uti habetur in cap. 1. de Privilegiis inter Extravag. commun., & in Clementina *Dudum* §. *Per hujuſmodi*, ibique gloſſa *in verbo conceſſa tit. de ſepulturis, & in Clementina Religioſi* §. *Quibus de Privileg. & Exceſſ. Privileg.*

Concilium ipſum Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de Pœnitentia, *poſtquam pluribus firmavit poteſtatem Ordinariorum in caſibus reſervandis, excepto mortis articulo, inquit, quod extra dictum articulum Sacerdotes nihil poſſunt in caſibus reſervatis, ſed quod debent Pœnitentibus perſuadere, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant; Cumque Regulares ſub obtentu ſuorum privilegiorum, quorum confirmationem poſt Concilium Tridentinum obtinuerant, aſſererent ſe potiri facultate abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis, Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium, accedente Summi Pontificis Clementis VIII. auctoritate, anno 1601., & anno 1602. declaravit, eoſdem dictâ non potiri facultate, derogando omnibus Conſtitutionibus & privilegiis, quæ in contrarium facere poſſent; & hæc Decreta fuerunt anno 1617. ab eadem Congregatione, annuente Paulo Papa V. confirmata, unà cum declaratione, quod, ſicuti non poterant Regulares abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, ſic nec poſſent à cenſuris Epiſcopo pariter reſervatis abſolvere, uti ſeriem horum Decretorum per extenſum referendo, proſequitur* Donat. rer. Regul. tom. 2. tract. 11. quæſt. 17.

In primo Decreto edito anno 1601. *juxta eo, quæ in Superibus dicta ſunt, mentio facta fuerat Regularium* per univerſam Italiam, & extra Urbem degentium, *excitataque proinde controverſia, an ſub dictis Decretis comprehenſi dici deberent Regulares* extra Italiam degentes, *eadem Congregatio Epiſcoporum & Regularium die* 17. *Novembris* 1628. *annuente Summo Pontifice Urbano VIII., recenſita Decreta innovavit, exprimendo Regulares* tam intra, quàm extra Italiam degentes, *uti colligi poteſt ex decreto impreſſo* apud Pac. Jordan. lucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 4 de Sacram. Pœnitent. num. 10. *Cohærenter ad tot repetita decreta, datæ fuerunt ab eadem Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium die* 10. *Decembris* 1647. *litteræ ad Archiepiſcopum Neapolitanum, poſt rem Summo Pontifici Innocentio X. relatam, uti habetur ex dictis litteris impreſſis* apud Lauret. de Franchis de controverſ. inter Epiſc. & Regul. num. 1461., *quodque notabilius eſt inter propoſitiones damnatas die* 24. *Septembris* 1665. *à Summo Pontifice Alexandro VII. hæc habetur* = Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate = *& concordat Conſtitutio Clementis X. edita anno* 1670., *quæ eſt ſeptima inter illas hujus Pontificis* §. 6. & 7. Bull. tom. 6. *ubi additur, quod habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo abſolvere poſſunt à caſibus, qui ſunt Epiſcopo reſervati, & relativè ad hanc Conſtitutionem prodierunt reſolutiones hujus Sacræ Congregationis* in Andrien. 29. Novembris 1710. lib. 10. Decretorum, & in eadem 24. Januarii 1711. lib. 61. Decretorum.

Tranſeundo ad Moniales & earum Confeſſorios; ſi Moniales ſunt ſubjectæ Epiſcopo, nonnulli cenſent ipſas non eſſe ſub caſuum reſervatione comprehenſas, niſi fuerint ſpecialiter nominatæ, Ceſpedes de exempt. Regul. cap 23. dub. 337. num. 2. & 3., *& alii magis communiter volunt Moniales Epiſcopo ſubjectas eſſe comprehenſas in caſibus & cenſuris, quas Ordinarius ſibi generaliter reſervavit*, Donat. in Praxi rer. Regul. tom. 4. tract. 13. quæſt. 34., *Pelizar.* de Monialibus cap. 10. ſect. prima ſubſect. 2. ſub num. 49., *Clericat.* deciſ. 41. ſub num. 13. de Pœnitentia. *Si Moniales verò ſunt exemptæ ab Ordinario, ſed immediatè ſubjectæ Sedi Apoſtolicæ, tunc quia earum Monaſteria gubernanda ſunt ab Epiſcopis tanquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ*, juxta ſeſſ. 25. cap. 9. de Regularibus, *eædem utique remanebunt ſubjectæ caſibus ab Epiſcopo reſervatis, dictorumque caſuum abſolutio vel ab Epiſcopo, vel à Confeſſario facultatem habente à reſervatis abſolvendi videtur, quod debeat obtineri, uti proſequitur* Clericat. deciſ. 42. num. 6. de Pœnitentia.

Quod ſi Moniales ſunt ab Ordinario exemptæ, & non immediatè ſubjectæ Sedi Apoſtolicæ, ſed Prælatis Regularibus, licèt Confeſſarii Regulares quomodocunque exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii excipere non poſſint confeſſiones Monialium ſuæ Religioni ſubjectarum, niſi priùs fuerint ab Epiſcopo approbati, juxta Conſtit. 18. §. 5. Gregorii XV. Bull. tom. 4., *ſequens tamen quoad caſuum reſervatorum abſolutionem, ſibi videtur diſtinctio locum poſſe vindicare; Aut agitur de caſibus reſervatis ab ipſis Superioribus Regularibus, ad terminos Decreti Clementis VIII.* poſt Conſtit. 26. inter illas Urbani VIII. Bullar. tom. 4.; *Cumque ejus ſit abſolvere, cujus eſt ligare, non poſſunt Monialium Confeſſarii abſolvere, niſi obtentâ à Prælatis Regularibus facultate, uti latè oſtendunt* Lezana tom. 5. ad Mare Magnum Minorum num. 113. & 114. Clericat. in allegat. deciſ. 42. ſub num. 6.

de

de Pœnitentia. *Aut agitur de caſibus ab Epiſcopo reſervatis, ſed non in ordine ad eaſdem Moniales, cumque in pręſenti ſermo ſit de Monialibus ipſis Regularibus ſubjectis, poſſunt eędem abſolvi per ſuos Confeſſarios à caſibus Epiſcopo, modo prędicto reſervatis, uti proſequitur* Pelizar. in Manual. Regul. tom. 1. tract. 6. cap. 2. num. 112.; *aut demum agitur de caſibus ab Epiſcopo ſpecialiter reſervatis, quoad Moniales, & in materia ſpectante ad juriſdictionem delegatam ſibi in Monaſteriis Monialium licèt exemptis competentem, vel in ſequelam* ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul. & Monial., *vel in ſequelam Bullæ allegatę Gregorii XV.* quæ eſt decima octava Bull. tom. 4. *& in hac facti ſpecie nequeunt Confeſſarii eaſdem abſolvere, niſi habita ab Epiſcopo facultate*, Ceſpedes de exempt. Regul. cap. 23. dub. 357. num. 4. Pelizar. de Monial. cap. 10. ſect. prima ſubſect. 2. num. 48., Clericat. deciſ. 42. ſub num. 6. de Pœnitentia, Donat. in prax. rer. Regul. tom. 4. tract. 13. quæſt. 33. per totam.

Hęc ſunt, quę ad hujus inſtantię, quę proponitur, declarationem, & in qua nullus ſcribit, potui in obſequium Eminentiſſimorum Patrum colligere; adeoque dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An Confeſſarii Regulares poſſint Sęculares extra mortis periculum abſolvere à caſibus Ordinario reſervatis in caſu &c.*

II. *An Confeſſarii Monialium exemptarum, & Pręlatis Regularium ſubjectarum poſſint eaſdem etiam extra mortis periculum abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis in caſu &c.*

III. *An ſuppoſito edicto ſupra recenſito Confeſſarius Regularis extra mortis periculum abſolvere poſſit Sęcularem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminoſi ſecum commiſſi, in caſu &c.*

IV. *An ſuppoſito pariter eodem edicto Confeſſarius Regularis Monialium exemptarum abſolvere poſſit Monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminoſi ſecum commiſſi, in caſu &c.*

Sacra Congregatio die 16. Novembris 1720. reſpondit:

Ad primum negativè:

Ad ſecundum affirmativè, pręterquam quoad caſus, quos Epiſcopus ſibi reſervavit in materia clarè ſpectante ad juriſdictionem delegatam.

Ad tertium negativè.

Ad quartum affirmativè, quatenus non ſit violata clauſura.

Ex theſauro reſolut. Concilii tom. 1. fol. 391.

Novam Regularium Domum conſtrui vetat, non vocatis & auditis priùs aliorum in iiſdem locis exiſtentium Ordinum Superioribus, & non conſtito, quod hujuſmodi nova Domus ſine aliorum præjudicio ſuſtentari poſſit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUoniam ad inſtitutam Regularium locorum & perſonarum reformationem promovendam, & conſervandam maximè pertinet, ut in quibuſcunque Domibus & Monaſteriis tantus numerus Religioſorum, qui commodè ibidem ali poſſit, contineatur, ac eò pariter ſpectat, ut in quibuſcumque Civitatibus & locis nova Domus & Monaſteria, præſertim Mendicantium, non erigantur, niſi in eiſdem Civitatibus, & locis aliarum Domorum & Monaſteriorum in eis exiſtentium habitâ ratione, commodè ſuſtentari poſſe dignoſcatur. Hâc igitur Nos conſideratione ducti, & in præmiſſis pro noſtro paſtorali munere opportunè providere volentes, motu proprio & ex certâ noſtrâ ſcientiâ, ac matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex voto, etiam Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, harum ſerie declaramus, locorum Ordinarios non poſſe licentiam ad novos Conventus cujuſvis, etiam Mendicantium, Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis erigendos impartiri, niſi vocatis & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe

habentibus; & cauſâ,ſervatis ſervandis, cognitâ conſtiterit in eiſdem Civitatibus & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus, ſine aliorum detrimento,commodè ſuſtentari poſſe. Si verò ab eorum in hujuſmodi cauſis ſententiis ad Nos & Apoſtolicam Sedem provocari & appellari contigerit, ipſos Ordinarios, tam diu erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quouſque à Nobis & Apoſtolica Sede in eadem cauſa pronunciatum extiterit: irritum nihilominus, & inane decernentes, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca univerſis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per præſentes in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut præſentes noſtras litteras obſervent, & obſervari curent & faciant. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac univerſalibus &c. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXIII. Julii MDCIII. Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo.

Exempl. authent. in Arch. gener. Ordinis Armario Docum. Authentica.

L E O   X I.

Florentinus, antea Alexander de Medices, S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus 2. Aprilis 1605. ad eminentem Divi Petri Cathedram evectus eſt; in quo non ſedit niſi uſque ad 27. ejuſdem menſis, quo exuvias mortales depoſuit, in Vaticano quieſcentes.

P A U L U S   V.

Romanus, priùs Camillus de Burgheſiis, S.R.E. Presb. Cardinalis tit. S. Chryſogoni 16. Maji 1605. Supremum in Eccleſia ligandi atque ſolvendi Pontificium nactus, eoque per 15. ariſtas, menſes 8. dies 13. functus eſt. Defunctus die 28. Januarii 1621. Pontificiis Vaticani Manibus junctus, & inde ad Baſilicam Liberianam tranſlatus, in Sacello B. V. Mariæ magnificè ab eo exſtructo quieſcit.

Cuicunque Monaſterio, Domui, aut Conventui Regulari certum Religioſorum numerum in Italia præfigi ſancit.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Paulus Divina providentia Papa Quintus, Cum ex pluribus, iiſque graviſſimis Decretis, quæ fel. record. Clemens VIII. ad regularem diſciplinam reſtituendam, & augendam condidit, illud maximi momenti eſſe animadverterit, quod à Sacro Concilio Tridentino multò ante cautum etiam fuerat, ut is tantùm Religioſorum hominum numerus in ſingulis Monaſteriis, Conventibus, & Domibus Regularibus conſtitueretur, qui vel propriis redditibus, & obventionibus, vel conſuetis emolumentis, ac eleemoſynis ali commodè poſſent; magnamque fortaſſe obſervantiæ Regularis jacturam inde factam eſſe, quod Ordinum Superiores illud exequi nimiùm diſtulerunt: ut, hoc etiam adhibito remedio, hujuſmodi incommodo proſpiceret, aditumque iis Prælatis Regularibus præcluderet, qui plures ad ſuam Religionem admittentes, quàm Monaſteriorum & Conventuum cenſus, eleemoſynæ, & qualitates ferant, non levem ſubditis vitæ clauſtralis relaxandæ occaſionem præbere videntur, decrevit, & præcepit, ac præ-

fen-

ſentis Decreti virtute præcipit, & mandat omnibus & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum, quovis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum, tam Monachorum, quàm Mendicantium, & non Mendicantium Regularium quorumcunque exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus aut tribus Monachis, Fratribuſve ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tam communes Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum ejuſdem Provinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conſerendas, decem annorum diverſorum habita ratione, diligenter ac maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere; eaque omnia ſcripto fideliter exarata idem Superior, cujus intereſt, in primo Capitulo, ſeu Congregatione Provinciali coram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo, vel Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, ac oneribus, ut ſuperiùs, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo regulari, juxta regionis & proprii Inſtituti morem, victum & veſtitum in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari; Tum eorundem bonorum, redditaum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Congregationi, Capitulove Provinciali exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuicunque familiæ Conventûs, Monaſterii, & Domûs regularis quovis nomine nuncupatæ in ſingula quaque Provincia, certus earum tantùm perſonarum numerus communi Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſeriùs aut remiſſiùs, quàm par eſt, muneri ſuo ſatisfaciant, mandavit & mandat Sanctitas Sua, ut infra annum à die dati præſentis Decreti computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta in authenticam formam redacta, ad Congregationem Reformationis Apoſtolicæ ſinguli mittant, numerumque familiæ ſingulorum Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli vel Congregationis Provincialis ſententia & auctoritate præfinitum, iidem Superiores Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum quorumcunque tam Generales, & Provinciales, quàm locales omnes perpetuò ſervare omnino teneantur: eos autem Superiores, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, & conditionis exiſtant, qui prædicta omnia præfixo termino non præſtiterint, vel numerum hujuſmodi præſcriptum quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque activæ, & paſſivæ, ac ad omnia ſuæ Religionis officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eoipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus ad Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum arbitrium infligendis pœnis ſubjacere voluit, & declaravit: Vult præterea Sanctitas Sua per hoc Decretum ejuſdem Congregationis Reformationis Apoſtolicæ Secretarii manu ſubſcriptum, conſuetiſque Almæ Urbis locis affixum & publicatum omnes, & ſingulos Ordinum Regularium Superiores, ad quos ſpectat, perinde affici, ac ſi fuiſſet cuilibet perſonaliter intimatum. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, privilegiis, ſtatutis, indultis, nec aliis contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die IV. Decembris MDCV. Pontificatûs ejuſdem S. D. N. Anno Primo.

Exemplar impreſſum in Archivo generali Ordinis Armario Authentica.

Indulgentias Perſonis Regularibus quorumcunque Ordinum à Summis Pontificibus Prædeceſſoribus conceſſas univerſim revocat, iiſque alias & novas ſubſtituit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in Beati Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cœleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſollicitè proſpicere debet, & ſolerter, ut hujuſmodi Indulgentiarum diſpenſatio & uſus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis in-

terpretatio exoriatur. Proinde, cum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia & ſollicitudine procuraverit abuſus & corruptelas, tum in communicando & diſpenſando Indulgentiarum theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam Conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit; licèt morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa Indulgentias à pleriſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus, Religionibus, & Ordinibus Monaſticis, & Mendicantibus diverſis temporibus conceſſas aliquid deliberare potuerit. Nos, qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ad ſummi Apoſtolatûs officium vocati ſumus, ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus, ad optimum finem perducere cupientes, ubi primùm Catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædeceſſore deputatis, de quorum numero, tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris eramus; injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent.

Cum itaque præfati Cardinales privilegia, cõceſſiones, & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint, & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores & Officiales pluries audiverint, ac circa eaſdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confuſiones adeſſe compererint, & ex judicio eorumdem etiam Regularium, vel aliquorum ex illis Nobis propoſuerint valde expedire, pro eorum majori ſecuritate, & beneficio, ut Indulgentias ipſis Religionibus, & Ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus. Nos, matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcunque quorumvis Ordinum, tam Monaſticorum, quàm Mendicantium ſpirituale ſolatium, & juvamen afferre, infraſcriptas Indulgentias, & gratias, quas perſonis Regularibus intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum Superiorum, legitima de cauſa illis conceſſa, degentibus, tantummodò ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

Omnibus igitur Chriſtifidelibus, qui canonicè & juxtà ordines cujuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas Habitũ Regularẽ à legitimis Superioribus causâ profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſsûs in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam; Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, poſt completum probationis annum, profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam; Necnon cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans, pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam; In cujuslibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin autem corde, devotè invocaverit, etiam Plenariam. Qui verò ad Presbyteratûs ordinem canonicè promotus & confeſſus primam Miſſam celebrabit, necnon etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam; Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, divinorumque beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium ſaltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent. Omnibus item Religioſis intra clauſtra, ut ſupra, viventibus, qui quinquies Ora-

tio-

Digitized by Google

tionem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die quinque annos, & totidem quadragenas; iis verò de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas; Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrū ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſſi & ſacra Communione ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas. Qui verò contrito corde & pœnitentes eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos & totidem quadragenas. Quotieſcunque autem de licentia Summi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in Ditiones, & Terras Infidelium aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut meliùs ad hujuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri ſe accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & impartimur. Et inſuper cum Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ & obſervantiæ Regularis augmento pias ad Deum preces, ut ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem, ut præfertur, concedimus. Volumus autem, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ & gratiæ Religioſis Regularibus cujuſvis Ordinis tam Monaſtici, quàm Mendicantis duntaxat, ut præfertur, conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cujuſvis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cujuſcunque Ordinis, Regulæ, & inſtituti ſubjectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Cæterùm, omnes & ſingulas Indulgentias quibuſcunque Ordinibus & Inſtitutis Regularibus hujuſmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet perſonis Regularibus, tam vigore privilegiorum & litterarum Apoſtolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, aut aliàs quovis modo per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos & Apoſtolicam Sedem hactenus conceſſas, confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò revocamus, caſſamus, annullamus, & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum litterarum præſcriptum reducimus & moderamur. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac eorundem Ordinum, & Inſtitutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis, etiam Mare Magnum, & Bulla aurea nuncupata eiſdem Ordinibus, & Inſtitutis, eorumque Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, & perſonis in contrarium præmiſſorum quomolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus litteris haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcat. die XXIII. Maji MDCVI. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bull. Rom. &c. & in Arch. generali Ord. Armario Authentica.

NOTA

NOTA

Conſtitutionis hujus complexus ad duo reſtringitur puncta, videlicet ad Indulgentias, quas Regularium Perſonis intuitu ſtatûs Religioſi à Summis Pontificibus, ſuis antecesſoribus, concesſas, Paulus V. revocat & annullat; & ad Indulgentias, quas revocatis & annullatis ſubſtituit. Quantumvis tum unum, tum alterum punctum ſit claris terminis in litteris Pontificiis ſit expresſum, ita ut omnis dubitandi ratio ſublata videatur, nihilominus circa utrumque varia dubia ſunt enata, quæ ex claſſicis Auctoribus excerpta hic per quæſita cum ſuis deciſionibus annotari conſultum cenſui: & quidem

Quæritur primò, an Indulgentiæ per præpoſitam Pauli V. Conſtitutionem revocatæ, per Succeſſores Pontifices unquam fuerint revalidatæ? Hoc tenaciùs olim nonnulli prætenderunt, nixi potiſſimùm quibuſdam litteris Pontificiis poſt dictam revocationem Regularium privilegia confirmantibus; quas inter præcipuè allegant Conſtitutionem ipſius Pauli V. incip. *Injuncti Nobis*, quâ FF. Minoribus omnia indulta, & gratias ſpirituales poſt revocationem prædictam innovavit. Fuitque hujuſmodi innovatio talis roboris judicata, ut publico diſcrimini theſis fuerit expoſita = *probabile eſt, Indulgentias à Paulo V. revocatas, pro Perſonis Regularibus adhuc vigere*. Labitur autem hæc opinio, tum, quod communi Romanæ Curiæ ſenſui contrarietur, tum, quod Paulus V. privilegia & gratias ſpirituales FF. Minorum confirmando, Indulgentias non exprimat, tum, quod Paulum V. ſuæ Conſtitutioni generali tam matura deliberatione, & adhibito S. R. E. Cardinalium conſilio editæ derogare voluiſſe, præſumi nec debeat, nec poſſit. Penitus autem proſtrata jacet ex Apoſtolico judicio, quo ab Alexandro VII. die 23. Martii 1666. hæc propoſitio fuit damnata = *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & à Paulo V. revocatæ, hodie ſunt revalidatæ* = Ex quo & omnis quærendi, altercandi & diſtinguendi conatus inutilis redditur, & Paulinæ revocationis obvius & clarus ſenſus roboratur.

Quæritur ſecundò, an per Conſtitutionem Pauli V. etiam Indulgentiæ locales, Regularium Eccleſiis conceſſæ ſint revocatæ? Ii, qui nodos in ſcirpo quærere, aut alias ſpiritu contradictionis gratias Regularium involare ſolent, eas revocatas eſſe contendunt ex ratione, quod & hæ intuitu Regularium Perſonarum fuerint Eccleſiis earum conceſſæ. Integrum Doctorum agmen pugnat contra hanc opinionem, inter quos prænomino tres adhuc in vivis exiſtentes, & in Romana Curia æſtimatiſſimos Viros, Euſebium Amort, Canonicum Regularem Lateranenſem, in Canonia Polingana Profeſſum, in ſuo libro de origine Indulgentiarum *fol.* 489. Theodorum à Spiritu Sancto Carmelitam Diſcalceatum, Sacrarum Congregationum Rituum & Indulgentiarum Conſultorem, in ſui tractatûs Dogmatico-Moralis *parte* 2. *fol. mihi* 92. *col.* 2. *quæſt.* 1., & Reverendiſſimum P. Antonium Bremond, totius Ordinis RR. PP. Prædicatorum Magiſtrum Generalem, in Bull. Ord. tom. VIII. de conſenſu Bullarum *fol.* 54. quorum primus contrariam ſententiam præter alia refellit ex ratione, quod, ſi Indulgentiæ Eccleſiarum Regularium fuiſſent à Paulo V. revocatæ, fuiſſent & aliæ, ſicut cum Indulgentiis Perſonarum Regularium actum eſt, ſubſtitutæ; hoc autem cum in Bulla Paulina non reperiatur, valorem illarum ſubſiſtere concludit. Secundus verò inhæret verbo & apici Bullæ = *quibuſcunque Ordinibus, & Inſtitutis Regularibus, ac quibuslibet Regularibus Perſonis conceſſas* = &, cum hæc verba jurium antiquorum ſint correctiva, ſtrictè ſumenda, & ad ſolas Ordinum vel Perſonarum Regularium Indulgentias arctanda eſſe infert; cum enim reſtrictio ſeu moderatio Indulgentiarum inducat naturam legis odioſæ, contra regulam juris *cap. odia in* 6. non ampliari debet. Tertius, viâ auctoritatis incedit, fundatque poſitivam ſuam aſſertionem, præter Decreta infra citanda, in declaratione Sæ. Congregationis Indulgentiarum, per litteras Eminentiſſimi Cardinalis Galli, Vicario Generali Archiepiſcopi Januenſis ſub 22. *Aug.* 1615. perſcripta, & à Paſſerino *de Indulgen. quæſt.* 108. *num.* 869. memorata. Similem quoque ejuſdem Sac. Congregationis declarationem refert Theodorus *loc. cit.* expreſſam in litteris ad Archiepiſcopum Bononienſem à Cardinale Arigonio jam primo poſt Paulinam Indulgentiarum revocationem anno datis, quæ hoc articulo concluduntur. *Cum multi dubitent, an per Conſtitutionem Suæ Sanctitatis noviſſimè Perſonis Regularibus cum revocatione antiquarum conceſſis, revocatæ pariter ſint indulgentiæ conceſſæ Regularium Eccleſiis, & illis, qui has viſitant? Quantumque Conſtitutio prædicta Perſonas Regulares dumtaxat comprehendat, ſine ulla ad Eccleſias extenſione, nihilominus Sacra Congregatio ad tollendam omnem dubietatem declarat, quod Indulgentiæ Eccleſias Regularium viſitantibus conceſſæ, in ſuo robore & vigore perſiſtant, uſque dum Sanctitas Sua aliud declaraverit, & eapropter illarum publicatio, alio non obſtante, permitti poteſt. Romæ 7. Septembris* 1607.

Tenuit & idem judicium Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium per Decretum ſub 21. Auguſti 1615. emanatum, à P. Gavanto *in Enchirid.* ſeu *Manuali Epiſc.* relatum, ita ſonans = *Eccleſiis Regularium aliàs conceſſæ Indulgentiæ, non fuerunt ſublatæ per revocationem earum, quæ fuerunt conceſſæ Perſonis Regularibus ante Paulum V.* = & hoc idem priùs cum alio Decreto *in Panormitana* ſub 8. Auguſti 1614. & poſtmodum quoque *in cauſa Minimorum* ſub 17. Novembris 1620. fuit ſtabilitum, prout refert Nicolius *in floſcul.*, *verbo Indulgentia pag.* 198. *num.* 6.. Imò hoc ipſum à Papa Paulo V. ad Eccleſiarum Congregationis B. V. Mariæ Fulienſis favorem oraculo vivæ vocis, teſtimonio Cardinalis Octavii munito, declaratum fuiſſe, P. Theodorus ex Chryſoſtomo Rodriquez *part.* 2. *fol.* 94. recenſet, ibique ſimilem declarationem pro Indulgentiis Eccleſiarum Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Bullario hujus Ordinis contentam, & fide Cardinalis Caſparis Boria ſuffultam adducit. Ex quibus omnibus Indulgentias Eccleſiis Regularium ante Paulum V. conceſſas, ab hoc nunquam fuiſſe re-

vo-

Digitized by Google

vocatas, firmiſſimè & tutò tenendum eſt: ceſſat enim omnis Auctorum ratio, ubi tum Bullæ Conditor, tum S. Congregatio diſcutiendis Indulgentiarum dubiis intenta loquitur.

Cum & Regularibus, præſertim Minoribus, ante Paulum Quintum variæ Indulgentiæ à Summis Pontificibus pro mortis articulo fuerint conceſſæ, Quæritur tertiò, an has Paulina revocatio complectatur. Qui eas in hac non comprehendi aſſerunt, nituntur tum adminiculo legis ſtatuentis, quod ſpeciali nota digna, uti Indulgentias in articulo mortis tali dignas tenemus, non cenſeantur tacitè ſublata, tum ratione, qua Indulgentias in articulo mortis in Anno Sancto ſeu Jubilæo, non obſtante generali Indulgentiarum ſuſpenſione, nunquam ſuſpendi allegant, & hoc idem conſectariò de Indulgentiis Regularium in articulo mortis, ſtante generali Paulina revocatione, dicendum eſſe deducunt. Paſſerinus *loc. citat. quæſt.* 108. *num.* 877. Theodorus *part.* 2. *fol.* 94. *col.* 1. Amort *fol.* 489. *col.* 2. contra Alphonſum de Leone *part.* 1. *de Jubil. quæſt.* 6. *num.* 243. Peyrinum *ad Bull.* 8. *Pauli V. num.* 10. *fol. mihi* 331. hujuſmodi Indulgentias verè revocatas eſſe propugnant; cum enim revocatis omnibus Indulgentiis, Paulus V. Regularibus pro mortis articulo novam impertitus ſit, hanc ſuperfluam fuiſſe notant, ſi antiquæ non fuiſſent revocatæ. Nec adductus legis & juris textus hic vim habet, cum eum dicta ſubſtitutarum Indulgentiarum ratio contra vagam illorum generalitatem enervet. Claudicat quoque adducta inter Indulgentias Regularium in mortis articulo, & alias Fidelium in eodem articulo comparatio ex ipſa, quæ inter eas intercedit, ratione differentiæ; Tempore enim Jubilæi Indulgentiæ ideo ſuſpenduntur, ut populus fidelis pro illarum lucro Romam accedere incitetur: jam verò ex parte moribundi ceſſat hæc ratio, ideoque & Indulgentia pro mortis articulo alias conceſſa pro tali moribundo ſubſiſtit, cum aliam acquirendi facultas ei deſit, eoipſo quod omnis alia ſuſpenſa ſupponatur, dum econtra revocatis etiam antiquis Indulgentiis Regularium in articulo mortis, iis ſufficienter adhuc proviſum manet per Indulgentiam à Paulo V. revocatis ſubſtitutam. Eſt & alia inter utramque dictam Indulgentiam diſcrepantia in eo ſita, quod tempore Jubilæi Indulgentiam in articulo mortis non ſuſpenſam eſſe ipſæ Pontificiæ Bullæ expreſsè declarent, dum econtra Indulgentias Regularibus antiquitus in articulo mortis conceſſas, ſub generali Paulina revocatione non comprehendi nullum poſſit produci Documentum, aut ſufficiens declaratio. Excerpit quidem talem Antonius à Spiritu Sancto in ſuo Directorio Regularium *tract.* 2. *diſp.* 5. §. 1. *num.* 23. *fol. mihi* 82. *col.* 1. ex Novario *in Lucerna Regul. verb. Indulgentia*, ab ipſo Paulo V. emanatum. Qui autem lucernam hanc indagat, volvit, & revolvit, nec jota de hujuſmodi declaratione in ea reperiri cum Theodoro advertet.

Quæritur quartò, an ſint revocatæ Indulgentiæ; Primò, intuitu Regularium Parentibus, Familiaribus &c. eorum conceſſæ? Secundò ſicut, & illæ, quas nonnullos Concionatores Regulares Auditoribus largiri poſſe conſtat, necnon & Tertiò Indulgentiæ Defunctis conceſſæ? In Paulina revocatione primò & ſecundò dictas non comprehendi reſpondent Amort *loc. cit. fol.* 489. Reiffenſtuel *tom.* 2. *Theol. Mor. quæſt* 6. *de Indulg. fol.* 75. *col.* 2. cum non ſint principaliter & directè Ordinibus ſeu Regularibus Perſonis conceſſæ: Circa Indulgentias verò Defunctorum eruditè prò more diſtinguit Theodorus *loc. cit.* inter Indulgentias, quæ Defunctis per opus pium à fidelibus vivis peragendum, prout eſt celebrandum Miſſæ Sacrificium, directè conceduntur, & inter Indulgentias, quæ vivis conceduntur, cum facultate eas applicandi Defunctis; dumque Indulgentias primas in dicta revocatione non contineri ex oraculo ipſius Pauli V. ad favorem Congregationis Fulienſis Cardinali Bandino ſub 23. Februarii 1609. facto, cum Peregrino 1. *part. Comp. verb. Indulgentia num.* 9. ſtatuit, ſecundas econtra revocatas aſſerit; cum enim in hoc caſu principale, quod Vivos tangit, ruat: acceſſorium, Defunctos concernens, ſtare non poteſt, nec Vivens Indulgentias, quas non lucratur pro ſe, applicare poteſt Defunctis. Qui oppoſitum tenent, inſtituunt paritatem inter Indulgentias quæſtionis, & inter Indulgentias Jubilæi, & dum in generali Anni Sancti Indulgentiarum revocatione has non comprehendi cum Quarto, *tract. de Jub. cap.* 3. *punct.* 1. *pag.* 198. Pignatelli *in tract. de Anno Sancto cap.* 13. *dub.* 20. ſupponunt, nec illas in generali Paulina revocatione contineri deducunt.

Errat horum Doctorum opinio, dum Indulgentias pro Defunctis tempore Jubilæi non ſuſpenſas eſſe autumant: & econtra ſententia illorum, qui illas verè ſuſpenſas propugnant, non ſolùm à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. in ſua epiſtola circulari ad Pœnitentiarios & Confeſſarios currentis hujus anni Sancti directâ *fol.* 30. *plauſibilior*, *& per plures Annos Sanctos in praxi uſitata* dicitur, ſed etiam ab eodem exemplum renitentiæ & difficultatis ſub Clemente X. à Sac. Congregatione Indulgentiarum circa reſolutionem ad favorem Defunctorum capiendam factæ ibidem adducitur, & paginâ ſequente notificatio Cardinalis Carpegna Urbis Vicarii an. 1675. contra Defunctos facta memoratur cum verbis = *Verùm illæ ſuſpenſæ habeantur*, *quæ ſibi poſſunt conſequi Vivi*, *ut eas poſſint concedere animabus purgatorii per modum ſuffragii* = Solum patrocinari videtur exemplum pietatis, quâ Benedictus XIII. anno Jubilæo 1725. animarum purgantium refrigerio conſulere voluit. Quantumvis enim notificatione ſub 10. Januarii dicti anni publicatas Indulgentias pro Vivis & Defunctis ſuſpenſas eſſe declaraverit, nihilominus poſtmodum ſuſpenſionem hujuſmodi alia notificatione 19. Febr. edita revocavit, & litteris Apoſtolicis ſub 28. Aprilis ejuſdem anni expeditis, omnibus Chriſtifidelibus, quod quaſcunque Indulgentias, & peccatorum remiſſiones aliàs ſuſpenſas (firma remanente earum pro Vivis ſuſpenſione) Defunctis illo Anno Jubilæo durante, directè applicandi facultatem conceſſit, imò & gratiam ita ampliavit, ut, ubi etiam facultas eas applicandi in Brevibus Pontificiis non fuiſſet conceſſa, liberè tamen eas dicto anno Sancto Defunctis applicari poſſe ſancivit. Qui Benedictum XIII. nomine, & Pontificia gloria ſecutus eſt Benedictus XIV. ſecutus eſt & illum in officio devotionis erga Defunctos, cum in Bulla *Cum Nos* de ſuſpenſione indulgentiarum eandem gratiam & conceſſit, & pariter ampliavit. Ex duplici autem hoc exemplo indulgentias pro Defunctis anno Sancto in generali ſuſpenſione non contineri, & conſequenter nec in Paulina revocatione illas comprehendi non ritè infertur, cum in hoc mens Pontificis, cujus eſt indulgentias reſtringere vel extendere, concedere vel ſuſpendere, per publica

acta

Digitized by Google

acta & litteras pateat, dum econtra de ſimili Pauli V. intentione per Documenta authentica nihil probetur, ac ideo non hæſitanter indulgentias vivis cum facultate eas applicandi Defunctis, ante Paulum V. conceſſas, in illius revocatione contineri videatur.

Quæritur quintò, an in generali Paulina revocatione Indulgentiæ Ordinibus vel Congregationibus Virorum ac Mulierum vota ſubſtantialia Religionum non emittentium, qui Tertiarii, vel Tertiariæ appellari ſolent, conceſſæ comprehendantur? Scindit in partes duas quæſtionem P. Theodorus, & dum Indulgentias dictis Perſonis intuitu Ordinum ſuorum Regularium directè & immediatè conceſſas à Paulo V. non revocatas eſſe, tum ex ratione, quod hæ Perſonæ non ſint Regulares, tum ex Decreto S. Congregationis Indulg. à Ven. Servo Dei Innocentio XI. per litteras Apoſtolicas 10. Oct. 1686. confirmato luculenter probavit, aliàs econtra hiſce Perſonis ratione Ordinum Regularium communicatas, ſeu per extenſionem conceſſas, cum Lezana in Summa Regul. *verb. Indulgentia*, Paſſerino *quæſt.* 108. *n.* 874. revocatas eſſe ſubjungit; cum enim dicta communicatio ſeu ad Tertiarios extenſio ſit acceſſoria, & acceſſorium naturam principalis ſequatur, hoc autem principale ſeu Indulgentiæ Perſonis Regularibus conceſſæ ſupponantur annullatæ, ex conſequenti ruit & ipſa acceſſoria extenſio. Utrique huic parti inhæreo, & utramque fuſiùs in Bullario de Tertio Ordine S. P. Franciſci Sæculari de Pœnitentia nuncupato, Deo volente, alibi typis vulgando, deducetur.

Quæritur ultimò, an præter indulgentias in Paulina Conſtitutione expreſſas Regulares alias lucrari non poſſint? Nullum inveni Scriptorem, qui odioſa hac reſtrictione eos inſequatur, omneſque tenent eos alias conſequi poſſe videlicet.

1. Indulgentias omnes tum ſuis, tum aliis Eccleſiis ſeu Capellis pro certis, etiam ſui Ordinis, Feſtis conceſſas, cum hæ promiſcuè tum Sæcularibus tum Regularibus conceſſæ ſupponantur, & ideo ſimpliciter, uti cum Gobato *tom.* 2. *oper. mor. tract.* 4. *p.* 1. *cap.* 27. *ſub. num.* 546. noſtro Bonagratia *Sum. Select. quæſt. v. Indulgentia ſub num.* 222. Matthæucci *in offic. Curiæ v. Indulg. fol.* 180. *col.* 2. *num.* 4. adverſus Theodorus *p.* 2. *fol.* 93. *col.* 1. indulgentiæ Regularium Perſonarum dici nequeant, & aſſertio ab ipſa communi Regularium hujuſmodi Eccleſias adeuntium praxi confirmetur. Ubi autem dignè notari debet D. Thomæ *ſupplem.* 3. *p. q.* 27. *a.* 1. *ad* 2. animadverſio, quod *Religioſi in ſuis Monaſteriis promerentur ampliùs, quàm diſcurrendo, aut peregrinando ad lucrandum indulgentias.*

2. Indulgentias Numiſmatibus, Crucibus, Coronis, Roſariis &c. conceſſas, cum hæ non ſint Perſonales, ſed reales, nec quoad hoc Regulares deterioris conditionis ac alii fideles exiſtant. ita Peyrinus *tom.* 1. *de privil. Regul. fol.* 332. *col.* 2. Paſſerinus *de Indulg. q.* 108. *n.* 870. & alii, quibus & Reverendiſs. P. Bremond. *tom.* 8. *Bull. fol.* 54. *col.* 2. ſubſcribit.

Hiſce autem ad graviora de revocatis Regularium ac Tertii Ordinis non Regularis indulgentiis quæſita, tanquam certis ſuppoſitis, tranſeo & ad ea notabiliora dubia, quæ de nonnullis Indulgentiis Regularium ſubſtitutis moveri inter Auctores reperio, diſcutienda. In primis autem novas Pauli V. Indulgentias, ut lector uno quaſi obtutu, & ſine repetita Paulinæ Bullæ inſpectione conſpiciat, eas in numeros diſtinctas, & ad pauca verba reductas ſubjicio, & ſunt.

1. *Indulgentia plenaria die prima Ingreſſus in Religionem, confeſſione & communione peractis.*

2. *Similis die, qua poſt completum probationis annum Profeſſionem emittent.*

3. *Indulgentia plenaria in Feſto Principali Ordinis pro quocunque Religioſo, in ſuo Conventu degente, & vel confeſſo & communicato, vel Miſſam celebrante.*

4. *In articulo mortis.*

5. *Indulgentia plenaria pro Religioſo, primam Miſſam celebrante, & pro Religioſis confeſſis &c. Miſſæ hujuſmodi præſentibus, vel Miſſam ea die celebrantibus.*

6. *Pro exercitiis ſpiritualibus ad decem dies protractis.*

7. *Indulgentia Stationum pro Regularibus intra clauſtra viventibus, & ſuam Eccleſiam viſitantibus.*

8. *Indulgentia 5. annorum, & totidem quadragenæ pro Regularibus quinquies orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica ante Altare ſuarum Eccleſiarum recitantibus, quocunque die id egerint.*

9. *Quam & Religioſi de Superiorum licentia extra clauſtra degentes, & ante quodcunque Altare, ut ſupra, orantes, lucrantur.*

10. *Indulgentia 60. annorum & totidem quadragenæ pro Regularibus per menſem qualibet die, mediæ horæ ſpatio, orationi mentali vacantibus, & ultima Dominica menſis confeſſis & communicatis.*

11. *Anni tres indulgentiarum & totidem quadragenæ pro Regularibus corde contrito ſe in Capitulis de culpis & imperfectionibus ſuis accuſantibus.*

12. *Indulgentia plenaria pro Regularibus, vel à Sede Apoſtolica, vel à ſuis Superioribus ad infidelium ſeu hæreticorum terras miſſis, tum quando itineri ſe accingent, tum quando deſignatam Provinciam ingreſſi fuerint, præmiſſa tamen in utraque occaſione Sacramentali confeſſione & communione, aut Miſſæ celebratione.*

13. *Tandem Indulgentia plenaria pro Regularibus orationi 40. horarum, quam Superiores in Viſitationibus Generalibus inſtituere voluerint, duabus horis interpolatis aſſiſtentibus, ac poſt confeſſionem, & communionem, aut Miſſæ celebrationem pro concordia Principum &c. & diſciplinæ Regularis augmento orantibus.*

Circa Indulgentiam primam quæritur, an Regularis, qui ob Habitum in una Religione legitimè ſuſceptum, illam jam lucratus eſt, eam denuo lucretur, ſi alterius Ordinis Habitum aſſumat, vel juſtè vel injuſtè à primo Ordine dimiſſus? Reſpondent Auctores communiter, & in ſpecie P. Theodorus *p.* 2. *fol.* 99. affirmativè, ſi tamen ea, quæ pro ea acquirenda præſcripta ſunt, ſervet & compleat.

Circa ſecundam dignior videtur dubitandi ratio, an videlicet Novitii, juxta privilegium ſupra fol. 266. extenſum, profeſſionem, ob vicinum mortis periculum, probationis anno nondum

exa-

exacto, emittentes, indulgentiam conſequantur, utpote ſono verborum Bullæ non completo? Portellus *verb. Novitius n. 5.* & Antonius de Porte *in tract. de Indulgentiis l. 2. cap. 5. num. 3.* ex epikeja id piæ Legiſlatoris menti conforme affirmant, Theodorus verò *loc. cit. fol.* 100. *col.* 2. oppoſitum tenet, ita tamen, ut Novitios (uti dicto loco jam relatum eſt) præjudicium non ingerатur, nam, dum hos indulgentiam actui profeſſionis, anno probationis completo aliàs annexam, non lucrari aſtruit, utpote quod verba Bullæ non ſint verificata, & Epikeja contra mentem Summi Pontificis in ſua Conſtitutione clarè expreſſam extendi non debeat, Indulgentiam econtra illos, Regularibus in mortis articulo conceſſam acquirere concludit, cum juxta communem doctrinam Novitii in favorabilibus ſub nomine Regularium comprehendantur.

Quoad indulgentiam in articulo mortis ſub num. 4. poſitam notandum eſt, hanc à Paulo V. conceſſam eſſe modo ab illo, quo alii Summi Pontifices eam ius conceſſerunt, diverſo. Quoad nos Minores Sixtus IV. in ſua Conſtitutione incip. *Sacri Prædicatorum & Minorum* ſuprà fol. 199. poſita, illam ſub confeſſionis actualis, & Confeſſoris de licentia Superioris à quolibet Religioſo eligendi conditione conceſſit = *Ut Prædicatorum & Minorum Ordinum Profeſſoribus, qui nunc, & pro tempora erunt, ut Confeſſor idoneus eorumdem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorumdem confeſſione diligenter auditâ, pro commiſſis per eos exceſſibus & peccatis ſemel in vita, in forma Confeſſionalis per Nos edita, & in mortis articulo plenariam abſolutionem, & peccatorum hujuſmodi remiſſionem impendere valeant* = Quod & aliis Regularibus ab aliis Summis Pontificibus, ſub eadem forma conceſſum fuiſſe, libri de privilegiis Regularium tractantes annotant. Jam verò Paulus V. indipendenter à Sacerdote ad audiendam confeſſionem electo, & facultate delegata munito, hoc indulgentiæ beneficium Regularibus impertitur, nec etiam oneri confeſſionis actualis id alligat, cum ad hanc faciendam impediti, & ſolùm contriti, ac Nomen Jeſu devotè invocantes juxta Bullæ verba conſequantur. Ubi autem, quæ ſuprà de revocatione Indulgentiarum Regularium in articulo mortis dicta ſunt, firma ſubſiſtunt.

Stante Pauli Conſtitutione emergit & diſparitas inter indulgentiam in die primitiarum Regularium aliàs conceſſam. Partiales trium annorum &c. à diverſis Pontificibus, tum Regularibus tum Sæcularibus primum Regularium Sacrum audientibus conceſſas fuiſſe, paſſim reperimus: in plenariam Paulus V. eas convertit, ad ſolos tamen Regulares cum onere confeſſionis & communionis, aut Miſſæ celebrationis reſtrinxit.

De Indulgentiis Stationum, de quibus agit numerus 7. Regularibus conceſſis, longior deberet eſſe ſermo, cum ex ipſa inter Scriptores circa eas pugnâ amplior & dignior dubitandi naſcatur ratio: prætermiſſis illis, de quibus circa earum originem Theodorus *p. 2. fol.* 29. tradit lectu digniſſimis, ea ſolùm, quæ Regularium notitiæ neceſſaria ſunt, hic diſcutiemus. Et primò quidem ſciendum eſt, quod Statio Canonica & Legalis à Paſſerino *in tract. de Indulg. quæſt.* 97. *num.* 754. deſcribatur = *Sacer, religioſus, & ſolemnis Conventus, ſeu conſiſtentia populi fidelis utriuſque ſexûs ad certam, ſeu in certa & determinata Eccleſia, & in certo & determinato die anni, primùm à S. Gregorio diſpoſitus, & à Succeſſoribus Pontificibus in perpetuum approbatus, ſeu approbata totius Urbis praxi uſque ad hæc tempora accedente, & ſumma devotione celebrante.*

Sciendum ſecundò, Stationes, ut ampliore populi concurſu & devotione frequentarentur, variis indulgentiis fuiſſe inſignitas, primamque harum conceſſionem D. Gregorio Magno adſcribi. Eruitur hoc clarè ex verbis Guillelmi, primùm Antiſſiodorenſis Epiſcopi, & poſtea ad Eccleſiam Pariſienſem anno 1220. tranſlati *lib.* 15. *Summæ tract.* 6 *c.* 9. ita loquentis = *ad illud, quod objectum eſt de relaxationibus, quas inſtituit Gregorius, dicimus, quod ideo valeat, quantùm Eccleſia videtur promittere, quia bene conſideravit Gregorius labores, qui ſunt in eundo Romam, & ſequendo Proceſſiones; unde ibi eſt diſcretio, & juſta æſtimatio, quod & D. Thomas in 4. diſt.* 20. *q.* 1. *a.* 3. *quæſtiunc.* 1. Baronius & Bellarminus tum in Theologicis difficultatibus, tum in elucubrandis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis verſatiſſimi cum aliis confirmant, ita ut à Papebrochio in ſuo Conatu chron. Hiſtorico, cum aliis Scriptoribus contrarium teneri, & dictos S. R. E. Cardinales à Franciſco Pagi *in ſuo Breviario Hiſtorico Chronologico critico tom.* 2. acriùs explodi, mirari oporteat. Refellit hunc & illum eruditè Theodorus *part.* 2. *fol.* 33., & utrumque confundit Bulla Bonifacii VIII. quâ non ſolùm Gregoriana Indulgentiarum conceſſio, ceu prima confirmatur, ſed & Stationibus quadrageſimalibus aliæ indulgentiæ fuerunt adjectæ, & quæ hæc eſt.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

S*Ublimi Sedis Apoſtolicæ Solio, Divina diſponente Clementia præſidentes, etſi cunctis Orbis Eccleſiis, juxta noſtri Officii debitum indefeſſæ ſollitudinis ſtudiò cogitemus, ad earum ſtatum votivum, & proſperum intendendo; de illis tamen, quas Almæ Urbis latitudo ſinuoſa complectitur, ad propenſiùs cogitare Nos convenit, & ad ſtatûs & honoris incrementum felicia opera, & operam efficaciùs impartiri, quò noſtris humeris illarum cura dignoſcitur ſpecialiùs imminere & principaliùs. Sanè frequenti conſiderationis indagine perluſtramus, & infra clauſtra pectoris ſollicita meditatione diſcutimus, qualiter Doctor optimus Eccleſiæ Sanctæ lumen B. Gregorius, dum adhuc in terris gereret vices Chriſti, Patriarchalibus, & quamplaribus aliis Urbis Eccleſiis primò, prout tradit Antiquitas, & alii poſtmodum Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri ad honorem Dei, & ſalutem animarum fidelium, quorum ad Urbem ipſam de univerſis fere Orbis Provinciis innume-*

Digitized by Google

ra confluit multitudo , de Apoſtolicæ Sedis liberalitate munifica diverſorum tenorum Stationarias Indulgentias conceſſerunt. Nos igitur Prædeceſſorum ipſorum veſtigiis piæ ſollicitudinis ſtudio inhærentes, & crebriùs revolventes in intimis , quod in eadem Urbe non ſine ſupernæ diſpoſitionis arbitrioglorioſorum Principum Orbis Terræ , ac aliorum innumerabilium Sanctorum veneranda Corpora requieſcant : & propterea non indignè volentes ob Divinam & Principum, & Sanctorum reverentiam prædictorum Eccleſias pias, necnon & eandem Urbem , utpote ipſius Romanæ Eccleſiæ filiam ſpiritualem , & ad ejus beneplacita exequenda diſpoſitam, quam intra ſacrarium pectoris gerimus prædilectam honoribus condignis afficere, uberiùs proſequi gratiis , & præcipuis favoribus confovere , ac animarum fidelium providere profectibus eorundem , univerſas ſtationarias Indulgentias ſupradictas eiſdem Eccleſiis ſub quacunque forma , continentia , ſive modo eis à Prædeceſſoribus ipſis conceſſas , auctoritate Apoſtolica , & ex certa ſcientia confirmamus , eaſque obtinere volumus perpetui roboris firmitatem. Et , ut paternæ dilectionis affectum , quem ad Urbem gerimus prælibatam , per effectum operis evidentiùs oſtendamus , ac ipſam , & ejuſdem Eccleſias , honoris , & gratiæ potioris impendio proſequamur , & ſaluti provideamus uberiùs fidelium prædictorum ; Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem Principum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi , omnibus verè pœnitentibus & confeſſis , qui prædictas Eccleſias à die Cinerum uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ incluſivè ex tunc proximè ſecuturum , venerabiliter viſitaverint , annuatim unum annum , & 40. dies : ac illis etiam , qui in ſtatu hujuſmodi exiſtentes , ad recipiendum benedictionis munus per Summum Pontificem , qui pro tempore fuerit , à prædicto die Cinerum , uſque ad Feſtum ipſius ſimiliter incluſivè , ſuper Peregrinos , prout moris eſſe dignoſcitur faciendæ , devotè acceſſerint , ſeu aliàs illi contigerit intereſſe ; præter alias indulgentias conſuetas , centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo hominum liceat &c. Si quis autem &c. ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani Octavo Idus Aprilis , Pontificatûs noſtri Anno III.

Hinc , quàm certum eſt Stationibus indulgentias eſſe annexas , tam incertum eſt , quænam illæ ſint . Plenarias illas eſſe non conſtare tenet *loc. cit.* Theodorus contra Palaum *in tract. 25 diſput. unica punct. 5. num. 9. Rodriquezium §. 8. n. 6. Villalobos tract. 27. clauſ 8. num. 27. & Srulleuck l. 1. Bullæ Cruciatæ §. 6. dub. 1. num. 3.* tum , quod alias Bonifacius VIII. partiales inutiliter iis addidiſſet , tum , quod ſpectata Sæculi XII. aut priorum Sæculorum diſciplina, indulgentiam plenariam pluries in anno conceſſam fuiſſe vix poſſit credi , tum , quod de tali à Pontificibus , Succeſſoribus Bonifacii , conceſſa non reperiatur Documentum ſufficiens , tum , quod Paſſerinus ſeptem Eccleſiarum Urbis Indulgentiam in Stationibus contineri dubitet , *quæſt. 98 num. 770.* ita loquens = *An verò hæc plenaria indulgentia conceſſa fuerit poſt Bonifacium VIII. adhuc non potui reperire: & quando & à quo Pontifice conceſſa fuerit communicatio indulgentiarum ſeptem Baſilicarum Urbis , Doctores , qui id aſſerunt , non indicant , & ego , licèt hîc Romæ conſuluerim peritiſſimos Miniſtros Curiæ , & Viros eruditiſſimos , nihil aliud potui invenire , niſi quod incertum ſit, quantæ & quales ſint hujuſmodi indulgentiæ Stationales conceſſæ Stationum intuitu : ſicut & incertum eſt, quantæ & quales ſint indulgentiæ conceſſæ ſeptem Altaribus privilegiatis in Baſilica S. Petri* = Partiales autem indulgentias , quas Bonifacius VIII. Stationibus quadrageſimæ ſuperaddidit . exprimit ipſa illius Bulla ſuprapoſita . Alias quinque indulgentias Stationibus quadrageſimalibus conceſſas in Cæremonialibus Romanis Gregorii X. Cardinalis Jacobi Gaetani , & Petri Amalii Epiſcopi Senogallienſis ex Mabillon. Muſæo italico *t. 2. comment. in Ord. Rom.* Theodorus *part. 2. fol. 35. col. 1.* refert.

1. Pro Feria 4. Cinerum , quæ Statio habetur in Eccleſia S. Sabinæ , indulgentia 7. annorum & totidem quadragenæ.

2. Pro prima Dominica quadrageſimæ , & Statione in Eccleſia S. Joannis in Laterano &c. indulgentia 5. annorum, & 5. quadragenarum.

3. Pro quarta Dominica dicta *Lætare* , ſeu Roſæ (uti & Dominica *Gaudete*) indulgentia 7. annorum.

4. Pro Fer. 5. in Cœna Domini & Statione pariter in Eccleſia Lateranenſi , indulgentia unius anni , & unius quadragenæ Civibus Romanis , cæteris 2. annorum , & duarum quadragenarum : illis , qui montes tranſierunt, indulgentia 3. annorum & 4. quadragenarum : aliis , qui per mare appulerunt , juxta Cæremoniale Gregorii X. & Cardinalis Gaetani quatuor annorum & tot quadragenarum , juxta Cæremoniale verò Amelii indulgentia 7. annorum & tot quadragenarum omnibus indiſcriminatim.

5. Pro Fer. 6. in Paraſceve , præter indulgentias , quas ſummus Pontifex ante acceſſum ad Capellam largitus eſt , indulgentia juxta illius arbitrium.

Alias ſpecificas indulgentias Stationibus conceſſas hucuſque reperire non licuit , nec etiam moderni Auctores , quæ de his ex profeſſo agunt , ſpecificè alias annotant . Quantumque autem indulgentiæ relatæ , Stationes quadrageſimæ duntaxat concernant , exinde tamen alias Stationes inſtitutas non fuiſſe deduci non debet , cum etiam aliis diebus Feſtivis eas indictas fuiſſe , Conſtitutio Sixti V. incip. *Egregia populi Romani* doceat per verba = *quem morem à Majoribus acceptum etiam Romæ antiquiſſimis Urbis Baſilicis & Martyrum Eccleſiis viſitandis ſtatis Dominicis, aliiſque ſolemnibus diebus , imprimis verò Sacro Adventûs Domini & quadrageſimæ tempore magna populi frequentia univerſaria celebritate devotè celebrat* = quibus quoque indulgentias conceſſas fuiſſe concors tradit Scriptorum aſſertio.

Non quærant inde Regulares alias indulgentias pro Stationibus , ſibi per Conſtitutionem Pauli V. conceſſas , quam partiales , partim in Bulla Bonifacii VIII. , partim in dictis Cæremonialibus memoratas , & alias ſibi & mihi hucuſque occultas, bona fide & intentione ſancta, à Domino Leo expectens.

Cum autem in Eccleſiis , ad quas Romæ fit ſtatio , multæ aliæ indulgentiæ , non vi Stationis , ſed ex aliis titulis & motivis conceſſæ reperiantur , Quæritur , an Regulares occaſione indulgen-

Digitized by Google

gentiarum Stationum ſibi conceſſarum gaudeant hujuſmodi indulgentiis non Stationalibus v.g. an io Epiphania Domini, in qua habetur Statio ad S. Petrum, Regularis non ſolum gaudeat indulgentiis Stationis, ſed etiam aliis Baſilicæ S. Petri conceſſis? Tempore, quo aliqui Scriptores benigniùs quàm ſolidiùs indulgentiarum communicationem interpretabantur, ſcripto & typo, ex levi & apparente duntaxat cauſa, eam tanquam favorabilem ampliârunt, hoſque inter meritò cenſendus eſt Emmanuel Rodriquez, qui *tom. 2. quæſt. canon. & regul. quæſt.* 198 *art. 2. pag. mihi* 269.*col.*1. affirmativam reſponſionem ſupponit certam, indulgentias ad favorem Regularium ad numerum excedentem extendit, & ſubſequis paginis eas ſpecificè enumerat, non ſolùm Eccleſiis Stationum, ſed & aliis intra & extra Urbem exiſtentibus & non Stationalibus conceſſas. Sunt & alii recentiores, qui viam latam Roderici ſequuntur, ſeſe fundantes in verbis Pauli V. *Præterea iidem Religioſi....conſequantur eaſdem indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent* = Truncat filum ampliatum Theodorus dicta 2. parte *pag.* 38. *col.* 1. cum Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. diſp.* 51. *ſect.* 8. *num.* 12. Molfez *part.* 1. *Summ. tract.* 7. *cap.* 26. *num.* 92. Trullenck. *in Bulla Cruc. lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *n.* 7. Paſſerino *quæſt.* 100. *n.* 784. & nonniſi indulgentias præcisè Stationales Regularibus à Paulo V. concedi concludit, & probat ex verbis Bullæ Cruciatæ, quæ hæc ſunt = *qui dicto anno durante in ſingulis diebus Stationum almæ Urbis quinque Eccleſias, ſeu Altaria devotè viſitaverint....omnes & ſingulas indulgentias Stationum intra & extra prædictæ Urbis conſequantur*: dum alii Auctores ideo indulgentias non Stationales non acquiri tenent, quod in ſpecie non exprimantur, & ita ſit ſtylus & praxis Curiæ Romanæ & regula Cancelleriæ.

Quas Stationales indulgentias Regulares extra proprias Domos, ſive per modum itineris, ſive per modum ſtatûs ad breve tempus cum Superiorum licentia commorantes acquirere viſitando Eccleſias locorum, in quibus eos degere contigerit, aſſerit Peyrinus *in Conſt. Pauli V.* §. 4. *fol. mihi* 331., non obſtantibus Paulinæ Conſtitutionis verbis = *præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint* = hocque & ad alias indulgentias, juxta verba Bullæ aliàs perſonalem in Monaſterio incolatum, aut acceſſum & orationem in ipſa Monaſterii Eccleſia requirentes ampliat, citans ex Peregrino 1. *part. compend. tit. indulg. num.* 7. vivæ vocis oraculum, quo ipſe Paulus V. motum deſuper dubium declaravit, & quod eoipſo non revocatum cenſet, quod per id nova gratia conceſſa non ſit; eum, qui declarat, nihil juxta Gomez *in regul. Cancelleriæ de non toll. jure quæſ. q.* 13. *pag. mihi* 54. & alios de novo concedat, & à diverſis *juxta cap. ad audientia dec.* non fiat illatio. Reveretur Theodorus Peyrini opinionem dicta parte 2. *fol. mihi* 102. eique ſuppoſita Paulinà declaratione, ut veræ accedit: refertque ibi ex eodem Peyrino *loc. cit.* aliam Pauli V. declarationem, qua hujuſmodi indulgentias a Regularibus infirmis, Eccleſias proprias viſitare non valentibus, aliudque pietatis opus juxta Confeſſarii arbitrium peragentibus acquiri, Congregationi S. Mariæ Fulienſi indulſit.

Cum autem ſint diverſæ Stationes, aliæque ſint illæ, quarum indicem ex duobus membraneis Codicibus Vaticanis, Mabillonius tom. 2. Muſ. Ital. & ex eo Theodorus part. 2. fol. 4. exſcribit. refert, aliæ & illæ, quæ ordine Emin. Cardinalis Vicarii ad initium anni publicari ſolent, & aliæ, quas Miſſale Romanum annotat, quæritur, quales ex his indulgentias Regulares vigore Bullæ Paulinæ lucrentur? Suſtulit dudum S. Congregatio omnem & dubietatis & violentæ extenſionis occaſionem per Decretum à Ven. Dei Servo Innocentio XI. approbatum, & die 7. Martii 1678. emanatum, in cujus fine hæc leguntur verba = *Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio, vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut Perſonis diebus tantùm Stationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe declarat.*

De Indulgentiis Regularium vertor ad illas, quæ omnibus communes ſunt, annectens quædam Sacræ Congregationis Decreta, quibus nonnulla, & magis obvia circa has dubia declarantur.

Primum concernit clauſulam Brevibus Apoſtolicis inſeri ſolitam verbis: *Volumus autem, ut, ſi aliàs Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes Litteræ nullæ ſint.* Ad quod S. Congregatio reſpondit, ut ſequitur: *Cum à Sac. Congregatione Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita, Cameracenſis Archiepiſcopus quæſiviſſet, quæ vis & Sententia clauſulæ, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi ſolet*, Volumus autem, ut ſi aliàs &c *Sacra Congregatio re diligentiùs examinatâ cauſam ſic explicandam cenſuit, ſi videbitur Sanctiſſimo Domino noſtro; eà minimè contineri Altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias aut certo generi Perſonarum conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui St. Eucharistiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione 40. horarum interſunt; neque Stationum Urbis, & Septem Altarium indulgentias, inſtar Septem Altarium Baſilicæ Vaticanę conceſſas: neque demum, quę unica vice conceduntur. Ceterùm, ſi alia indulgentia ſive non plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam vel aliquod ejus Altare ſeu Capellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apoſtolicis mentio, has Litteras ob adiectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas. Datum Romę die 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum, die 18. Martii 1677. Sententiam Congregationis approbavit.*

Ad dubium de initio Septennii, ad quod Brevia Indulgentiarum reſtringi ſolent, S. Congregatio edidit Decretum ſequens: *Diſcuſſo dubio in S.Congregatione Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſita* = an attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi ſolent, *præſentibus ad Septennium tantùm valituris, Septennii initium à diè publicationis Brevis deſumendum ſit, eadem S. Congregatio die* 18. *Maii* 1711. *declaravit, non à die publicationis, ſed à die Datæ Brevis, Sep-*

Digitized by Google

tennii tempus incipere . Et factâ relatione Sanctiſſimo Domino noſtro per me infraſcriptum Secretarium die 20. ejuſdem menſis, Sanctitas ſua Congregationis Sententiam approbavit.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

Contingit & aliquando Indulgentias concedi utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus Capellam intra clauſtra Regularium ſitam viſitantibus, ex quo Mulieribus ingreſſum in clauſtra licitum nonnulli contendebant, Sacræ Congregatio autem SS. Reliquiis & Indulgentiis præpoſitæ.

Propoſita dubia: An verba Pontificii Brevis concedentis Indulgentiam omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus Capellam intra clauſtra Regularium ſitam viſitantibus ſic accipi poſſint, ut comprehendant Capellam in ipſo Dormitorio conſtructam = reſpondit, *minimè illam comprehendere, nullamque tribui facultatem Mulieribus ingrediendi clauſtra. Datum Romæ die 2. Maji* 1679.

Appenſum eſt & in ſtatera cenſoriæ Auctorum, præſertim Azorii *in Inſtitut. moral. part.2. lib.1. cap.7.* Silveſtri *in Summa verb. Dominica quæſita* 2. Gobati *in Theſ. indulg. part.2. cap.7. num.*326. noſtri Bonagratiæ *in Summ. quæſt. regul. verb. Indulgentia*, Baſſæi *verb. Indulg. n.*11. & aliorum, dubium, an ſi feſta, pro quibus indulgentia conceſſa eſt, transferri contingat, transferatur & ipſa indulgentia? Porro cum ab arbitrio, & diſtinctione Auctorum punctum hoc non dependeat, & diſcrepans illorum opinio populum nonniſi vacillantem reddat, neceſſariò Sac. Congregationis Indulgentiarum deſuper debet audiri & ſervari oraculum. Inde ſciendum eſt, jam anno 1674. ſecunda Julii Sacræ huic Congregationi propoſita fuiſſe hæc tria ſequentia dubia.

1. *Quid dicendum ſit de Indulgentia conceſſa feſto, in quo à ſervilibus operibus ex præcepto Eccleſiæ ceſſandum eſt, ſi ad leges Rubricarum Breviarii & Miſſalis Romani transfertur, ut in feſto Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis, in majorem hebdomadam incidente contingit?*

2. *Quid de cæteris feſtis per annum ſimili modo translatis, in quibus à ſervilibus non ceſſatur?*

3. *Si Romanus Pontifex Indulgentiam concedat in honorem Sancti cujuſpiam, & certum diem aſſignet, ut vigeſimam ſextam Martii, an indiſcriminatim obſervandum ſit, Indulgentiam translato feſto non transferri?*

Generaliter quidem tunc Sacra Congregatio juxta manuſcripta Abbatis Michaëlis Angeli Riccii Secretarii ad dubia reſpondere noluit, ſed in caſibus particularibus Oratorum precibus pro circumſtantiarum ratione reſpondendum eſſe cenſuit. Repropoſito poſtmodum Sac. Congregationi Rituum dubio = *An translato feſto, in cujus die conceditur Indulgentia, transferatur etiam Indulgentia?* Sub die 3. Septembris 1679. hæc reſpondit *negativè*. Stante hac clara & generali deciſione, ſi qui Indulgentiam cum feſto transferri cupiant, recurſum ad Sacram Sedem pro gratia non difficili neceſſarium noſcant.

Qui poſt hæc effuſiùs à me producta, ulteriora tum de Indulgentiis in genere, tum de illis Ordinis Minoritani in ſpecie ſcire cupit, adeat Alphonſum de Caſarrubios *in compend. privileg. Mendicant. verb. Indulgentia*, Portellum *verb. Indulgen.* noſtros à Sorbo, Bonagratiam &c. ſpeciatimque ſibi de opere ſeu tractatu de origine & progreſſu Indulgentiarum R. D. Euſebii Amort Canonici, ac de tractatu Dogmatico-Morali de Indulgentiis R. P. Theodori Carmelitæ Excalceati provideat, cum uterque hic Auctor materiam Indulgentiarum novam & veterem ſolidiſſimè & ex profeſſo tractet, & D. Amort Indulgentias Ordini Minoritano conceſſas, annotato in margine folii anno conceſſionis *part.1. à pagina* 123. *uſque ad pag.* 131. recenſeat.

Cauſas Regularium ad S. Inquiſitionis Officium ſpectantes à ſolis Fidei Quæſitoribus judicari debere, revocatis Regularium privilegiis ſancit.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ à Prædeceſſoribus ſuis temporum & rerum qualitate id tunc expoſcente, providè pro hæreſum extirpatione ſancita ſunt, novis emergentibus rationibus revocat & immutat, aliaque deſuper diſponit, & ordinat, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire. Dudum ſiquidem fel. record. Pius Papa IV. Prædeceſſor noſter ſua perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuit, ordinavit, & declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus Chriſtiani Orbis partibus Inquiſitores hæreticæ pravitatis, tam generales, quàm in quibuſvis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcunque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium, Profeſſores & Religioſos, ac etiam alios quoſcunque, quovis modo privilegiatos & exemptos, de hæreſis crimine quomodolibet ſuſpectos, aut culpabiles, dummodo ab eorumdem Profeſſorum & Religioſorum Superioribus, vel Prælatis in cauſis hujuſmodi præventi non fuiſſent, juxta facultates Officii Inquiſitionis ipſius pravitatis inquirere & procedere, ac culpabiles & delinquentes repertos ſecun-

Digitized by Google

cundùm canonicas ſanctiones caſtigare, atque punire poſſent, & valerent, ac aliàs, prout in litteris ipſius Pii Prædeceſſoris latiùs continetur.

Cum autem rerum uſu compertum ſit, occaſione præventionum hujuſmodi nonnulla interdum impedimenta orta eſſe, quò minùs cauſæ hujuſmodi eâ, quâ decet, diligentiâ cognoſcantur, Nos de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, illa de medio tollere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione, hac noſtra etiam perpetuò valitura Conſtitutione, omnia & quæcunque privilegia, indulta, facultates, & conceſſiones, Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcunque Ordinum, ſive Mendicantium, ſive Clericorum Regularium, cujuſvis Ordinis & Inſtituti, etiam in dicta Conſtitutione non expreſſorum & quantumvis exemptorum, & quocunque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, approbata, & innovata, & quantumvis etiam longiſſimo tempore obſervata, cauſas ad dictum Officium quovis modo ſpectantes cognoſcendi & terminandi, ſeu in illis quoquomodo ſe intromittendi, quorum omnium & ſingulorum tenores, etiamſi de illis ſpecialis & expreſſa mentio habenda eſſet, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò caſſamus, revocamus, & abolemus, ipſiſque Generalibus Superioribus, & Prælatis, ut de cætero quovis quæſito colore, vel prætextu præventionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis cognoſcendi, an delationes hujuſmodi calumnioſæ ſint, nec ne, in iiſdem cauſis tam motis, quàm movendis, quoquomodo ſe intromittere, ſeu immiſcere, denuntiationes recipere, teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, definire, vel terminare minimè audeant, ſeu præſumant, ſimili auctoritate diſtrictiùs inhibemus: volentes & expreſsè mandantes, ut ipſi Religioſi poſſint & debeant omnes, etiam Ordinum hujuſmodi Profeſſores de hæreſi ſuſpectos, Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denuntiare, abſque eo, quod Superiores prædicti perſonas denuntiandas, & cauſas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant ſeu præſumant.

Inſuper omnes & quaſcunque cauſas ad dictum Officium quomodolibet ſpectantes & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis hujuſmodi in quibuſcunque locis exiſtentibus, & contra quoſcunque Religioſos, ut præfertur, exemptos, motas ac pendentes, ad Nos harum ſerie avocamus, eaſque omnes in ſtato & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ipſius pravitatis Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

Præterea ipſis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes proceſſus & acta cauſarum hujuſmodi Inquiſitoribus ſeu Ordinariis prædictis reſpectivè remittant, & conſignent, necnon Profeſſores, Fratres, & Religioſos prædictos, quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos, etiam in viſitatione, eſſe noverint, abſque alia conſultatione, cum propriis Superioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus reſpectivè denuntient: Quod ſi Generales, aliique prædicti præſentibus litteris non paruerint, eos omnes privationis quarumcunque dignitatum, ſeu Prælaturarum, vel officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officii ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque cenſuras Eccleſiaſticas, etiam excommunicationis majoris latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eoipſo incurriſſe: necnon præſentes litteras, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicunque alii, quavis auctoritate, dignitate, vel officio ſeu honore fulgentes, in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati non fuerint, ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari, ſicq; per quoſcunque Judices &c. decernimus: nõ obſtantibus prædicta, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus &c. Ut autẽ præſentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, illas in valvis S. Joannis Lateranenſis &c. de more affigi & publicari &c. Necnon eorum tranſumptis &c. eandem prorſus fidem in judicio & extra ubique gentium & locorum adhiberi volumus, & mandamus &c. Et nihilominus, ut ad majorem notitiam ſingulorum, & quorumcunque Religioſorum prædictorum præſentes deveniant, etiam volumus, & in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Su-

Superioribus, & Prælatis prædictis, ut in primis proximis futuris Capitulis ſeu Congregationibus; Provincialibus, vel Generalibus cujuſcunque Provinciæ tam in Italia, quàm extra, præſentes noſtras litteras legi & publicari faciant, & procurent. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Kalendas Septembris Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Exempl. in Arch. generali Ord. & habetur quoque in Bull. Rom. Videatur & infra Constitutio Alexandri VII. incipiens: Licet aliàs: *& à Provinciis Ultramontanis notentur ea, quæ de hac materia tom. 1. Bull. fol. 73. & 74. ad illarum favorem extenduntur.*

Decretum, quo S. Congregatio Concilii Regulares juxta eorum privilegia coram eorum Superioribus, vel Conſervatoribus conveniri debere, eoſdemque nec in Conſtitutione Concilii Lugdunenſis incip. *Volentes*, nec in Decreto Concilii Tridentini cap. 14. ſeſſ. VII. comprehenſos eſſe declaravit, confirmat.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Religioſorum ſub gravi Religionis jugo Altiſſimo famulantium quieti proſpicere cupientes, quæ illam quoquo modo perturbare poſſe videntur, opportuna noſtra declaratione è medio tollere, ac aliàs deſuper opportunè providere curamus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cum itaque nomine dilecti Filii Baſilii Anguſſolæ, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum, in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, expoſitum fuerit, in Hiſpaniarum Regnis quoſdam Ordinarios Locorum contendere, Religioſos intra clauſtra degentes coram ipſis Ordinariis conveniri debere in cauſis civilibus, *cap. Volentes, de privilegiis in ſexto* comprehenſis, propter illius innovationem à Concilio Tridentino factam, ſeſſione 7. cap. 14. quo præfatos Religioſos, eorum privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. Præterea eoſdem locorum Ordinarios pariter contendere eoſdem Religioſos intra clauſtra degentes in prima inſtantia coram ipſis conveniri debere ex decreto ejuſdem Concilii Tridentini, ſeſſione XXIV. cap. XX. de Reformatione; Cumque ab eodem Baſilio Procuratore Generali in eadem Congregatione ſupplicatum fuerit, ut ſuper utraque re reſponſa darentur; Ab eadem verò Congregatione fuerit reſponſum, Neque Conſtitutione in Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit: *Volentes*, neque decreto Concilii Tridentini cap. 14. ſeſſ. 7. comprehendi Regulares, ideoque eos juxta eorum privilegia coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus eſſe conveniendos: Necnon Decretum ejuſdem Concilii Tridentini dicto cap. 20. ſeſſ. 24. ad Regulares non pertinere, nec eorum Conſervatorias imminuere, nec quoad primam illarum inſtantiam aliquid novi inducere: ipſeque Baſilius Procurator Generalis Nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut pro ſui Ordinis quiete ſupradictas declarationes ab eiſdem locorum Ordinariis ſervari debere, Apoſtolica auctoritate præcipere dignaremur. Nos, illius hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus & ſingulis locorum Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes diſtrictè præcipiendo mandamus, ne Fratres, & Religioſos dicti Ordinis Carmelitarum contra diſpoſitionem Declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare quoquo modo audeant, vel præſumant; irritum nihilominus & inane decernentes, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis Filiis cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religioſorum, eorumve Superiorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos eorundem præmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoſcunque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & in Con-

Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſeotium ad judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſquè contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica cōſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi originaliter forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Aonulo Piſcatoris, die XXIV. Auguſti MDCVII. Pontificatûs noſtri Aono Tertio.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. gener. Ord. Armario Authentica.

NOTA

Cum illi, qui Regulares coram Ordinariis conveniri poſſe contendunt, Conſtitutioni Innocentii IV. incipienti *Volentes*, & corpori juris *de privileg in* 6. inſertæ potiſſimum innitontur, eam hic extenſam ſubjungo: *Volentes libertatem, quam nonnullis Apoſtolica Sedes pri ilegio exemptionis indulſit, ſic integram obſervari, & ut illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant. Declaratione irrefragabili diffinimus, quod, quantumcunque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti ſive contractûs, aut rei, de qua contra ipſos agitur, ritè poſſunt coram locorum Ordinariis conveniri; & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere. Nunquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique: quia nec coram Ordinariis ipſis, dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res litigioſa, nec ubi domicilium habent, ſed alibi delinquant vel contrahant aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu locorum Diœceſani (ſi, ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipſis, ut illic reſpondeant, injungendi habent aliquam poteſtatem: ſalvis nihilominus caſibus aliis, in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe Canonica præcipiunt inſtituta. Et idipſum decernimus circa illos, quibus ut nonniſi ſub uno certo Judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico privilegio eſt conceſſum. In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apoſtolica eſt indultum: ſicut ſunt Religioſi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Monaſteriorum ſuorum Monachos pro ulla cauſa, ullove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat: iidem Ordinarii juriſdictionem ſuam, quantùm ad iſta, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non poſſunt; Niſi forſan ipſi Monachi ad Monaſteriorum ſuorum Prioratus Ordinariis eiſdem ſubjectos (ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipſorum Monachi reſideant) fuerint deſtinati: tunc enim, etſi liberè poſſint ad eadem Monaſteria revocari, ac tam illorum, quàm ipſorum Prioratuum Monachi reputentur (cum non ſit inconveniens aliquem utrobique locum habere Monachicum) unum alteri ſubeſſe Monaſterio, vel ab ipſo noſcitur dependere: ratione tamen eorundem Prioratuum dicti Ordinarii ſua juriſdictione in ipſis, etiam quoad præmiſſa, quamdiu morantur in illis, licitè uti poſſunt.*

Quod jam hæc Conſtitutio Regularium exemptioni non præjudicet, ipſe Illius Conditor Innocentius IV. alia ſua poſteriore Conſtitutione incipiente *Cum olim duxerimus*, & ſuprà fol. 26. poſita quoad Fratres Minores expreſsè declaravit; necnon Paulus V. Conſtitutione præmiſsâ confirmavit. Nec etiam Concilium Tridentinum caput *Volentes* innuvando privilegio contrarietur, cum dictum caput in ordine ad eos duntaxat, qui exempti non ſunt, cum ſpecifica trium caſuum relatione ſeſs. 6. cap. 17. de reform. ſervari mandaverit. Hinc iis, quæ *ſuprà fol.* 182. *ad* §. 32. jam prælibata ſunt, diſcurſum Pellerini, ceu apodoxiam, adjungo, à Rev. P. Bremond ex tom 3. de Stat. quæſt. 189. art. 10. num. 637. in conſenſu Bull. fol. 262. col. 2. ita exſcriptum: *ex his igitur manifeſtum eſt, quod Regulares ſunt penitus exempti ab ordinaria juriſdictione Ordinariorum, & ita, quod non comprehenduntur ſub Decretali* Volentes de privilegiis in Sexto: *& nec ſubduntur Ordinario ratione delicti, ubicunque commiſſi, vel contractûs, in quocunque loco initi, vel rei litigioſæ, in qualicunque loco conſiſtentis. Quamobrem licèt Conſtitutio illa* Volentes *fuerit innovata per Concilium Tridentinum* ſeſs. 7. cap. 14. *nihilominus neque ſub eo Decreto Concilii Tridentini comprehenduntur Regulares, nam Concilium eam Decretalem non extendit & ampliavit, ad quos non ſe prius extendebat: at verò ipſa ſe non extendebat ad Regulares duplici ratione . . . Id probat & addit* num. 638. *Non ſemel verò, ſed pluries Concilium Tridentinum ſignificavit, Regulares eſſe exemptos plenariè, etiam in præfatis tribus caſibus, cum* ſeſs. 6. cap. 3. *concesſerit Ordinariis facultatem viſitandi, corrigendi & puniendi Regulares extra clauſtra degentes, & delinquentes, & tamen hoc non conceſſerit eis, niſi ut Delegatis Sedis Apoſtolicæ, & hoc non abſolutè, ſed ſolùm in viſitatione . . . Et in dicta* ſeſſione 7. cap. 14. *ubi innovavit Decretalem* Volentes *tribuens Epiſcopis facultatem in Regulares in cauſis miſerabilium Perſonarum, in aliis ſolùm in defectum Judicis, hanc facultatem concedit ut delegatam, unde ſentit, eos non habere ad hoc facultatem ordinariam ex Decretali* Volentes *innovata. Et* ſeſs. 14. cap. 5. *ubi de Conſervatoribus agit, præſervat privilegia Regularium: quæ etiam præſervat* ſeſs. 24. *cap. xi. & eadem ſeſſione cap.* 14. *non permittit Ordinariis, ut Regulares degentes intra clauſtra puniantur ab Ordinariis, niſi in caſu, quo Superiores Regulares moniti intra tempus præfixum delinquentem non punierint, & de punitione Epiſcopum certiorem fecerint. Quamobrem S. Congregatio Concilii expreſſè declaravit, Regulares non comprehendi ſub Decretali* Volentes *edita in*

Con-

Concilio generali Lugdunenſi, nec ſub Decreto cap. 14. ſeſs. 7. *Concilii Tridentini , & nec Decretum Concilii* cap. 20. ſeſs. 24. *ad Regulares pertinere , nec eorum Conſervatorias imminuere. Quam S. Congregationis declarationem approbavit & obſervari mandavit Paulus V. per litteras in forma Brevis cum Decreto irritante datas & incipientes* Religioſorum. *Hæc Reverendiſſimus P. Bremond ex Paſſerino generaliter.*

Militat autem ſpecialis ratio pro Fratribus Minoribus , pro quibus Concilium caput *Volentes* renovare haud potuit, cum innovatio rem præexiſtentem ſupponat : non præextitit autem quoad FF. Minores dictum caput , cum fuerit ab eodem Innocentio (ut ſupra dictum eſt) ad eorum favorem revocatum, ſeu anullatum.

In quorumcunque Regularium Ordinibus Studium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ inſtitui , ſub Apoſtolicæ indignationis pœnis mandat.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolicæ ſervitutis onere, infirmitati noſtræ â Domino, inſcrutabili conſilio ejus, impoſito, aſſiduè admonemur, ſapientibus & inſipientibus conſtitutos Nos eſſe debitores , ut ſcilicet per miniſterium noſtri Apoſtolatûs, qui ſapiunt, quod Sanctus docet Bernardus, ne deſipiant: qui non ſapiunt, ſapiant: & qui deſipuerunt, reſipiſcant. Quibus verbis inſtrui Nos ſatis perſpicimus, ut fideles in fide & charitate conſervare , infideles ab infidelitatis tenebris educere, & hæreticos ac peccatores â perverſitate erroris ac ſervitute peccati liberare, aſpirante gratiâ Dei, â quo omnis ſapientia, paſtorali ſollicitudine procuremus. Cum verò præceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac teſtimonium ejus fidele ſapientiam præſtet parvulis, omni vigilantiâ procurare debemus, ut Prædicatores & Doctores Verbi Dei, ad opus Dei operandum inſtructi reddantur in dies magis, & partes ſuas, quantùm cum Domino fieri poteſt, ad gloriam ejus & utilitatem animarum quotidie meliùs & feliciùs adimpleant, cui rei plurimùm conducere ſatis conſtat linguarum cognitionem, Hebraicæ præſertim, Græcæ, Latinæ & Arabicæ, hæc enim converſioni infidelium opportuniſſima eſſe dignoſcitur, quando magna eorum pars aut Arabicè loquitur, aut intelligit, ac ſi unquam reliquarum trium linguarum notitia in Eccleſia Dei utilis fuit, diebus noſtris profectò utiliſſima eſt; hoſtis enim humani generis linguarum ſcientia, ſingulari dono Dei hominibus tradita, ad ipſius Largitoris contumeliam, & fidei ſuæ Catholicæ detrimentum, nunc maximè abutitur. Quamobrem fel. rec. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, quantùm conditio temporis patitur, veſtigiis inſiſtentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Nobis attributæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, ut in cujuſcunque Ordinis & Inſtituti Regularium, tam Mendicantium quàm non Mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectorum, ſtudiis omnibus trium linguarum hujuſmodi, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinæ: in majoribus verò ac celebrioribus etiam Arabicæ Doctores, Regulares quidem, & ejuſdem Ordinis, ſi in illo harum linguarum ſufficientem notitiam habentes ſint, ſin minus ſæculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu & diligenter doceant, habeantur, ſi ſtudia in Urbibus & locis exiſtunt, ubi linguarum prædictarum peritos conducendi facultas eſt: in ſtudiis verò locorum, ubi hujuſmodi Doctores deſunt, cum primùm in aliis ſtudiis, ubi linguæ hujuſmodi docebuntur, ſcholares tantùm profecerint, ut docendis aliis idonei ſint, de iiſdem ſcholaribus provideatur. Quod, ut citiùs & faciliùs fieri poſſit, & ſperati fructus ex linguarum hujuſmodi ſtudio appareant, omnibus & ſingulis Regularium Superioribus ſub indignationis noſtræ pœnâ, eâdem auctoritate, tenore præſentium præcipimus & mandamus, &, ſi ipſi negligentes fuerint, eorundem Ordinum Regularium apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protectoribus injungimus, eorum conſcientias deſuper onerantes, ut omni cura & ſollicitudine quantocitius provideant, ut scholę linguarum hujuſmodi quamprimum inſtituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus ſcholares aſſignentur, qui illis ſedulam & aſſiduam operam navent. Hi verò ſcholares, ut alacriùs ſtudio incumbant, volumus & decernimus, ut in promotione ad Doctoratûs gradus, & ad alios ſui Ordinis honores, illi, cæteris paribus, præferantur, qui in cognitione trium ſaltem linguarum prædictarum profecerint, ita, ut ad illas docendas apti ſint. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Quibus omnibus &c.

cæte-

cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c.

Datum Romæ apud S. Marcum pridie Kal. Auguſti, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexteteſimo decimo, Pontificatûs noſtri anno ſexto.

Bull. Ord. Prǽd. t. v. fol. 676. & exemplar Romę impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Authentica.

N O T A

COmmendato à Paulo V. linguæ Hebraicæ, Græcæ &c. ſtudio, jungi & Illiricæ ac Græcæ vulgaris lectionem Decreto S. Congregationis de propaganda fide 16. Aprilis 1625. emanato, & ſequenti juſſum eſt:

Quoniam impoſſibile eſt ſine linguarum notitia Fidem Catholicam in exteris propagare Nationibus, hanc verò notitiam in Religioſorum Familias introducere difficillimum eſt, ſine præcipua Generalium, aliorumque Superiorum cura, & diligentia, Sacra de Propagando Fide Congregatio, Religionum Generales omnes, ac alios Superiores in Domino obteſtatur, ut ſecum cogitantes, quod hæreſibus, & erroribus, pleræque Terrarum Orbis Nationes laborent, & in quantis ignorantiæ tenebris Populi pene innumerabiles verſentur, quia non habent, qui eos inſtruant, & in via ſalutis opportunè dirigant, omnibus modis velint ſtudia linguarum à ſacro Viennenſi Concilio, & fel. rec. Pauli V. Conſtitutione præſcripta, & aliarum etiam, quæ magis in uſu eſſe videntur, ut Illiricæ, & Græcæ vulgaris, in iis Monaſteriis & Conventibus erigere ac inſtituere, & erecta ac inſtituta conſervare, in quibus Religioſi, Artibus, ac Theologiæ operam navant, quæ quidem ſtudia ex ſententia ejuſdem Sac. Congregationis Generales, & alii Superiores facilè inſtituent, ſi in modo, forma, & ordine ipſorum conſtituendis infraſcripta obſervari præcipuè mandaverint Decretis. Primò, ut ſi non in quolibet, ſaltem in pluribus ex prædictis Monaſteriis, & Conventibus, certus Religioſorum magis idoneorum numerus linguarum ſtudiis addicatur ſub aliquo Religioſo, ubi ſtudii Præfectus non extiterit, qui ſtudiorum hujuſmodi promovendorum curam & ſolicitudinem habeat, qui, ut muneri ſuo ſeriò incumbat, iiſdem privilegiis, quibus Magiſtri & Studioſi fruatur. Secundò, ut certæ regulæ, & Conſtitutiones, quibus numerus, & ſpecies linguarum, tempora lectionum, ſtudii, repetitionumque, ac alia hujuſmodi à Magiſtris, & Studioſis diligenter obſervanda præſcribant, quarum Conſtitutionum obſervandarum cura prædicto Religioſo, vel ſtudii Præfecto, committi poterit, qui ſi ſuo deerit officio, pro modo culpæ in Capitulis Provincialibus, vel Generalibus graviter puniatur, in quibus etiam præſens Decretum publicè legatur. Tertiò denique, ut præmia, & pœnę, præſertim Magiſtris & Studioſis proponantur, quę vehementiùs eorum animos movere poſſint ad linguas alacriùs, & diligentiùs addiſcendas; & Sac. Congregatio cum ob Inſtitutorum, & Religionum diverſitatem, ea definire viſum fuerit, Generalium, & aliorum Superiorum prudentię, & judicio committenda eſſe cenſuit, quos etiam novo præcepto ad hęc ſtudia inſtituenda, & conſervanda conſtringere noluit, ſed eos tantùm admonere in diſtricto Dei judicio rationem eſſe reddituros, ſi Decretum hoc, quod pro Divinę Majeſtatis gloria, & ſalute animarum promulgatum eſt, obſervare contempſerint & neglexerint.

GREGORIUS XV.

Bononienſis, antea Alexander de Ludoviſiis, Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ in Tranſpontina & Archiepiſcopus Bononienſis 9. Februarii 1621. Pontifex & Nomarcha Eccleſiæ aſſumptus eſt. Sedit per annos 2. menſes 4. dies 29. ad æterna vocatus 8. Julii 1623. ſepultus primò ad S. Petrum, fuit poſtmodum ad Eccleſiam Collegii Romani Societatis Jeſu à Cardinale Ludoviſio Nepote magnificè extructam tranſlatus.

Modum Conſervatores privilegiorum Regularium eligendi præſcribit; qualitates & facultates eorum exprimit, & jus Regularium hujuſmodi Conſervatores eligendi confirmat.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Gregorius divina providentia Papa XV. ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, & de Voto Venerabilium Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partìm fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris ſui veſtigiis inhærendo, revocavit, ac nullas, & invalidas decrevit omnes, & quaſcumque Judicum Conſervatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim literarum conſervatoriarum, juxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, quàm in vim quorumcumque privilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum Apoſtolica auctoritate conceſſorum, ſeu aliàs quocumque Jure, vel titulo hactenus factas pro quibuſcumque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut aliis quibuſvis piis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, ſeu Inſtituti, vel Societatis Regularibus locis quantumvis exemptis, etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis, cujuſvis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant.

In futurum verò Sanctitas Sua hac generali, & perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuit & decrevit, ut Judices Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimilis rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris ſui, quæ incipit, *Statutum*; ita ut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant; ſed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis, juxta Decretum Concilii prædicti, Judices electi ſeu deſignati ſint.

Quodque deinceps litteræ Conſervatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ ſupraſcriptis tantùm dirigantur, & ſi quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujuſmodi, omniaque exinde ſequenda, nullius ſint roboris, vel momenti; Et nihilominus, qui ſecus, quàm juxta formam ſuperiùs præſcriptam, Conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere, nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis ſeu deputatis uti auſi fuerint, Regulares quidem voce activa & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeo, ut habilitationem à nemine, præterquàm à Romano Pontefice conſequi valeant; reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conventus, Monaſteria, ac loca hujuſmodi, eorumque perſonæ ac bona careant Conſervatore ad annum, ita ut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis duntaxat cognoſci, ac diffiniri debeant.

Cæterùm, ut latiùs pateat Conſervatorum hujuſmodi deligendorum facultas, Sanctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Dioceſanis quamplures Perſonas ex habentibus qualitates in prædicta Conſtitutione ejuſdem Bonifacii Prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas deſignari procurent; & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum, uſque ad futuram Provincialem aut Diœceſanam Synodum.

Inſuper Sanctitas Sua; inhærendo hac in parte Decreto ſimilis recordationis Gregorii Papæ XIII. etiam Prædeceſſoris ſui, ſtatuit & ordinavit, ut Regulares, ac Perſonæ hujuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra ſex menſes à die publicationis in Urbe præſentis Conſtitutionis inchoandos debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſervatores juxta formam ſuperiùs propoſitam, ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus hujuſmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapſo, quamdiù Conſervatores ſecundùm formam præſentis Conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinariis conveniantur: quodque Conſervatores hujuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, & aliis ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoveri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant.

Ad hæc ſtatuit Sanctitas Sua, ut coram ipſis Conſervatoribus Regulares, ac Perſonæ ſupraſcriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint, ita ut memorati Conſervatores in cauſis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantùm, in quibus rei extiterint; neque extra Civitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere præſumant.

Si quæ verò inter Judices Conſervato-

res

res hujuſmodi, & locorum Ordinarios controverſia ſuper competentia Juriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per Arbitros in forma juris electos ſuper juriſdictionis competentia fuerit judicatum. Quod ſi qui Conſervatores, ſive in hac parte, ſive aliàs quomodolibet ſuos limites exceſſerint, per annum ab officio Conſervatoris hujuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars, quæ hoc fieri procuraverit, ſententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Conſtitutionis ejuſdem Bonifacii Prædeceſſoris, quæ incipit, *Hac Conſtitutione*, quam Sanctitas Sua in his omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni non adverſantur, innovavit, & innovat.

Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominus Regulares, & alii ſupradicti in caſibus à jure permiſſis petant Judicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus Secularibus; dum tamen hæc tria copulativè concurrant, videlicet, ut Regulares, & alii prædicti ſint actores, non autem rei, utque agant contra laicum, non autem contra Eccleſiaſticum, vel aliàs à juriſdictione ſæculari exemptum, atque ut eſuſs, in qua Judex deputatur, fuerit prophana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem laicus, ut præfertur, eligendus, Judex competens exiſtat.

Quæ omnia, & ſingula in præſenti Conſtitutione contenta Sanctitas Sua voluit inviolabiliter obſervari; decernens ſic in iis, cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcumque &c. etiam Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata &c. judicari &c. necnon irritum, & inane &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac litteris conſervatoriis, quas omnes ad formam præſentis Conſtitutionis reduxit, in favorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorum quorumcumque, tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogavit, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterùm, ut præſens Conſtitutio faciliùs omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit & mandavit, ut non ſolùm in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiuſque exempla in iiſdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur.

Datum Romæ xx. Septembris MDCXXI. Pontificatûs noſtri anno primo.

Placet, publicetur, & deſcribatur. A.

Exemplar. Romæ impreſſum, & authenticum in Arch. generali Ordinis Armorio Docum. Authentica.

N O T A.

AN & per præmiſſam Conſtitutionem Conſervatoribus foret adempta facultas Regulares ab injuriis & violentiis manifeſtis defendendi, fuit quæſitum, & deciſum, ut ſequitur:

In Conſtitutione de Conſervatoribus edita à ſan. mem. Gregorio XV. ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii inter cætera ſtatutum eſt, ut coram Conſervatoribus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint, ita,

ita, ut memorati Conſervatores in cauſis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba ſublata ſit facultas, quam habent Conſervatores defendendi Regulares & alios à manifeſtis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à ſuis poſſeſſionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit, ejuſmodi verbis minimè ſublatam fuiſſe facultatem, quam habent Conſervatores defendendi Regulares à manifeſtis injuriis, ac violentiis; dummodo obſervent formam præſcriptam Conſtitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii VIII. relatis in cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.

Quæ verò Clemens VIII. in hac Conſtitutione allegatus de hac materias ſancivit, comprehendit ſequens illius Decretum.

CLEMENS PP. VIII.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus Clemens, divina providentia Papa VIII., ne ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & ex eo, quod ob locorum diſtantiam perſonarum, quibus cauſæ mandantur, certa notitia haud ita facilè haberi poteſt, per Judices aliquos, minus interdum idoneos, in Conſervatores deputatos, cauſas ipſas cognoſci contingat, cupiens ſalubriter providere, revocavit, ac declaravit nullas, invalidas, & ſubreptitias, omnes & quaſcunque Judicum deputationes in litteris conſervatoriis juxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, ſeu aliàs quomodolibet expeditis hactenus per Sedem Apoſtolicam, perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum, conceſſas, & directas iis Conſervatoribus, & Judicibus, qui qualitates non habent requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione fel. rec. Bonifatii Papæ VIII. Prædeceſſoris ſui, quæ incipit: Statutum. *Quique etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis, juxta Decretum Concilii Tridentini, electi & deſignati non ſunt, ad inſtantiam quorumcunque Conventuum, Capitulorum, Militiarum, Univerſitatum, Collegiorum, Ordinum, ac in favorem quorumvis Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum quorumvis piorum locorum, tam ſæcularium, quàm cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti Regularium quantumvis exemptorum obtentas, cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expreſſis. Non tamen quoad negotia jam capta, vel quoad ea, in quibus illæ ſortitæ ſunt effectum, ſeu executionem habuerunt. Ac etiam inſuper voluit, & ordinavit, quod omnes deinceps literæ conſervatoriæ hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam concedendæ, ad Conſervatores, & Judices dumtaxat dirigantur, qui qualitates juxta dicti Bonifatii Conſtitutionem habeant, quique in præfatis Conſervatoriis electi & deſignati ſint, & non aliis. Aliter verò expeditæ literæ præfatæ nullius ſint roboris vel momenti. Decernentes &c. Placet. Publicetur, & deſcribatur. Hi.*

Lecta, & publicata fuit ſupradicta revocatio, Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo ſecundo, die verò Jovis Decimanona Martii Pontificatûs Domini Noſtri Papæ, Anno Primo.

Plura, qui de Conſervatoribus ſcire cupit, adeat Monacelli appendicem ad Formularium tom. 1. fol. mihi 426. Matthæuccium in *off. Cur. Verb. Conſervatores* fol. 93. alioſque Authores ab iis citatos.

A' quo-

A' quocunque Sacerdote, aut Regulari exempto confeſſiones, niſi Parochiale beneficium habeat, aut aliàs ab Epiſcopo vel per examen, vel per aliud idoneitatis judicium approbatus ſit, audiri vetat: Regulares, quibus cura animarum imminet in iis, quæ tum ad hanc, tum ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Epiſcopo ſubeſſe declarat: Epiſcopos conſervationi, vel reſtitutioni clauſuræ Monialium vel ordinaria vel Sedis Apoſtolicæ auctoritate invigilare monet: à Regularibus in ſuis Eccleſiis prædicare volentibus ab Epiſcopo benedictionem, in aliis verò Eccleſiis prædicare volentibus, ejus licentiam, ſicut & pro cura animarum & Sacramentorum adminiſtratione peti mandat: Sæculares vel Regulares circa Perſonas intra ſepta Monaſteriorum degentes, aut circa clauſuram, aut adminiſtrationem bonorum Monialium delinquentes, ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato puniri ſancit: ab Adminiſtrantibus bona Monialium annuatim Epiſcopo cum Superioribus Regularibus rationem dari jubet: Vel hujuſmodi Adminiſtratores, vel Confeſſores amoveri Epiſcopo monente, & Superioribus id negligentibus, eos ab Epiſcopo amoveri præcipit: Epiſcopum electioni Superioriſſarum vel per ſe, vel alium præſidere, & ab eo contra Regulares vel ſine ejus benedictione, vel ſine ejus licentia concionantes, etiam per cenſuras procedi ſtatuit.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabili Dei providentia Univerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licèt imparibus, præſidentes, paſtoralis noſtræ ſollicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta; atque ut Virginum Deo ſacrarum Monaſteria diligentiſſimè cuſtodiantur; & Viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi Decretis providè cautum eſt, nullum Presbyterum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Necnon ut in Monaſteriis, ſeu Domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum Familia perſonæ; tam Regulares, quàm ſæculares ejuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita: Itemque ut Epiſcopi univerſi ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinariâ, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes: Atque, ut Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia: contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, prædicare præſumant. Verùm quia experientia compertum eſt, Eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, ut Decretis ejuſmodi aliquid adjungatur: matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm Sæculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum ſæcularium Monaſteriis, ſeu Domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel beneficiis ſive Regularibus, ſive Sæcularibus incumbentem exerceant; ſive aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent prævià Epiſcopi licentiâ & approbatione; ſive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis admini-

ni-

niſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant: in his, quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur. Ad hæc tam Regulares, quàm Sæculares hujoſmodi nullis privilegiis, aut exemptioonibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint, circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confeſſores verò ſive Regulares, ſive Sæculares, quomodocunque exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentor, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & Adminiſtrantes bona ad ejuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſive Regulares extiterint, ſive Sæculares quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo, ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoveant: iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi, quoties & quando opus eſſe judicaverit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, unà cum Superioribus Regularibus, qoarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem Monaſteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium, intereſſe, ac præſidere; abſque ulla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa. Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tam Sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint. Ita ut Epiſcopo in ſupraſcriptis caſibus, & in prænominatas Perſonas, in præmiſſis omnibus & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, utl ejuſdem Sedis Delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere liberè & licitè valeant. Decernentes ſic per quoſcunque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere; Irritumque quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcooque tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnoo illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudioibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur; & quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam durogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aot aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu exteoſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, præſeotibus pro expreſſis habentes, quibus qnoad ea, quæ eiſdem præſentibus adverſantur, illis aliàs io ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Cæ-

Cæterùm, quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Lateranen., & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Nonis Februarii, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Exemplar impreſſum in Archivo generali Ordinis Armario Docum. Authentica.

N O T A

VUlgata hac Conſtitutione variæ obortæ ſunt, præſertim in Hiſpania, deſuper difficultates, & ab aliis ea, quæ ſequuntur, in Sacra Congregatione Concilii &c. mota dubia:

1. *An liceat Epiſcopis viſitare Altaria Regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium non incumbit, aut loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confeſſiones perſonarum ſæcularium?*

2. *An Epiſcopi poſſint Regularibus præſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel aliàs illorum privilegia reſtringere, ac moderari in Sacramentis adminiſtrandis?*

3. *An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos tam ſæculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius Diœceſis?*

4. *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus?*

5. *An per eandem Conſtitutionem in illis verbis, poſſit Epiſcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatiſſarum, &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere? jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur?*

6. *An Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari?*

7. *An Superiores Regulares ſimiliter ante ipſius Conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati, alia indigeant Epiſcopi approbatione pro Confeſſionibus ſanctimonialium ſibi ſubjectarum audiendis?*

8. *An Confeſſiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, ſeu deputati, vel confirmati poſt publicationem & ſcientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtentâ Epiſcopi approbatione, ſint nullæ atque irritæ, necne?*

9. *An Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum?*

10. *An Regularis ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatus, Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii audire poſſit?*

11. *An Confeſſores Regulares extraordinarii ſemel ab Epiſcopo deputati & approbati ad audiendas Monialium Confeſſiones pro una vice infra annum, ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, poſſint virtute dictæ approbationis, pluries, tanquam Confeſſores extraordinarii, earundem Confeſſiones audire abſque nova Epiſcopi licentia?*

12. *Cum in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, ut liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confeſſores Monialium, atque Adminiſtratores bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit: An ejuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus Regularibus ſignificare teneatur?*

13. *An eadem Conſtitutio, qua parte ſupponit Epiſcopi juriſdictioni Regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram,* vel

Digitized by Google

vel bonorum adminiſtrationem eorundem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò ſolùm in notoriis, & cum ſcandalo populi?

Ad quæ à Sacro Conſeſſu fuit reſponſum, ut ſequitur:

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Conſtitutionem ſan. mem. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, nequaquam ſubjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium non incumbit, Epiſcoporum juriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis ſæcularibus adminiſtrandis, iidem Regulares delinquunt: ac propterea

Ad primum dubium reſpondit; Epiſcopis non licere in vim hujus Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſæcularium, nec loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiuntur.

Ad ſecundum. Hac in parte Conſtitutionem nihil novi juris induxiſſe, nec ullam novam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe: Ideoque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari. Quod ſi aliunde Epiſcopis hujuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem Conſtitutione ſublatam.

Ad tertium. Cenſuit ejuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Ad quartum. Non competere.

Ad quintum. Jus confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.

Ad ſextum. Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum Confeſſiones audire, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confeſſionibus Sanctimonialium audiendis, abſque alio examine & approbatione Epiſcopi. Quòd ſi contingat, ut illorum facultas à Sede Apoſtolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Ad ſeptimum. Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe, durante eorum officio, pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in Confeſſionibus audiendis illarum tantùm, quæ ſponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquomodo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, ſeu dignitatibus, expleto jam tempore à Conſtitutionibus cujuſque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire, niſi prius Diœceſano Epiſcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

Ad octavum. Confeſſiones hujuſmodi nullas, atque irritas eſſe.

Ad nonum. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad decimum. Regularem ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatum, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii.

Ad undecimum. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis ejuſmodi illarum Confeſſiones audire: ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Ad duodecimum. Non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularibus; ſed hoc relinqui arbitrio & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſeriò oneravit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in diſtricto Dei judicio rationem reddituri.

Ad decimumtertium. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantùm, & cum populi ſcandalo.

Quæ Sacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. record. Gregorius XV. & Sanctiſſimus D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbârunt.

Pro-

Prodiit & poſtmodum de electione Abbatiſſæ dubium, expoſitum & declaratum à Sacra Congregatione, ut ſequitur:

An liceat Epiſcopo in vim Conſtitutionis ſan. mem. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eidem nullatenus prænuntiatâ.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit, Regulares ex eadem Conſtitutione ita demum teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ, eumque uſque ad præfinitum tempus expectare, ſi antea ipſe expreſſè declaraverit, ſe uti velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarumque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere. Poſt eam verò declarationem licere Epiſcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem non prænuntiata, ad Abbatiſſæ electionem procedunt.

Ubi per Conſtitutionē præmiſſam, & Decreta eidem ſubjuncta actum eſt de Regularium exemptione, opportunè quoque adjungitur exegeſis de Regularium ſubjectione, qua poſt omnimodæ exemptionis privilegium vel à Concilio Tridentino, vel à Summorum Pontificum Conſtitutionibus, vel à Jure communi Reverendiſſimis Dominis Epiſcopis impræſentiarùm ſubſunt. Materiam in caſus ſegrego, ex probatioribus Doctoribus excerptos, iiſque laconicè expreſſis vel Canonem ſeu Textum, qui Regulares ſubdit, ſubnecto.

Caſus, in quibus Regulares vi Sacri Concilii Tridentini Reverendiſſimis DD. Epiſcopis ſubduntur.

C A S U S I.

Impreſſio Librorum.

QUod eruitur ex Decreto *Seſſ. 24. de editione & uſu Sacrorum Librorum*, cui inſerta ſunt hæc verba =.

Nullique liceat imprimere vel imprimi facere quoſvis libros de rebus Sacris ſine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecunia in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita. Et, ſi Regulares fuerint, ultra examinationem & probationem hujuſmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam ſuarum Ordinationum.

Tangit Tridentinum hoc Decretum limitatè *Libros de rebus ſacris*, & litteraliter circa horum impreſſionem Regulares Epiſcopis ſubjicit: prohibet autem iis generatim libros de diverſis materiis ſine Superiorum ſuorum licentia imprimere Decretum S. Romanæ Inquiſitionis ita editum:

Feria v. die 13. Julii 1631.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Urbano Divina providentia Papa VIII., ac Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, Sanctiſſimus D. N pro debito ſui Paſtoralis officii cupiens omnia zizaniorum germina radicitùs evellere, necnon corrigere abuſus nonnullorum Regularium, qui libros & alia ſcripta de diverſis materiis tam in Statu Eccleſiaſtico, quàm extra, & præcipuè ultra Montes pro eorum libitu componunt, & in lucem edunt, confirmando Decreta in ſimili materia aliàs emanata, decrevit, ac præſentis Decreti vigore mandat omnibus & ſingulis Superioribus, quorumvis Ordinum, Societatis, & inſtituti tam Regularium, quàm Sæcularium, quantumvis privilegiatorum, etiam ſpeciali nota dignorum, ut præcipiant eorum ſubditis ſub excommunicationis eo ipſo incur-

rendæ, iiſque graviſſimis, etiam corporalibus, arbitrio Suæ Sanctitatis infligendis pœnis, ne audeant inpoſterum libros, vel alia ſcripta ab ipſis compoſita, & de quavis materia tractantia ſub alieno ſive vero, vel adulterino nomine divulgare, imprimere, divulgarive, vel imprimi facere ſub quovis prætextu, & quæſito colore, ſine expreſſa Superiorum reviſione, & in ſcriptis approbatione. Volens præterea & mandans prædictos Superiores ſub eiſdem cenſuris & pœnis teneri ad docendum Officium Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis ſeſe præſens Decretum & Mandatum ſuis ſubditis notificáſſe in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus, vel aliàs quomodolibet, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

De hac materia videri poſſunt Rodriq. *tom.1. quæſt.Regul. q.8. art.6. fol.mihi* 39.*col.*1. Barboſa *de Offic. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 90. *num.* 14. Reiffenſtuel. in *Jus Canon. tom.* 5. *tit.*7. §.7. *de impreſſ. libr. fol.*114. *&c.*

CASUS II.

Lectio Sacræ Scripturæ.

DE hac Sacrum Concilium *ſeſſ.* 1. *cap.* 1. ita diſponit =:

In Monaſteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur. Qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc, ut Sedis Apoſtolicæ Delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus Studia commodè vigere poſſunt, Sacræ Scripturæ lectio ſimiliter habeatur, quæ lectio à Capitulis Generalibus vel Provincialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris.

Duas hæc Sanctio Concilii complectitur partes, quarum prima Monachòs, altera verò alios afficit Regulares. Et quantumvis Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 56. *num.* 16. *& ad dictum cap. primum Concilii*, ac Tamburinus *tom.* 7. *diſput.* 2. *quæſt.* 6. *n.* 3. primam promiſcuè ad Monachos & alios Regulares extendant, certum tamen apud alios & potiores manet, illam partem ad Monachos tantùm reſtringi, & partem ſecundam de Regularibus aliis duntaxat ſine relatione confuſa intelligi. Roboratur & hæc inter hos & illos diſtinctio ex ipſis Concilii verbis, quod dum Epiſcopis facultatem Abbates ad inſtituendam in ſuis Monaſteriis Sacræ Scripturæ lectionem compellendi attribuit, nec verbum econtra de hujuſmodi Epiſcopali facultate quoad alios Regulares exprimit, qui & proinde ab ea immunes extant. Latet & inſuper alia inter Monachos & Regulares differentia, nam primos Concilium ad lectionem *in Monaſteriis, ubi commodè fieri queat*, econtra verò ſecundos ad eam *in Conventibus, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt*, habendam obligat. In hoc autem & Monachus, & alius Regularis æquatur, quod uterque legendo Theologiam Scholaſticam diſpoſitioni Conciliari ſatisfaciat, & quod uterque juxta mandatum Pauli V. ab Urbano VIII. confirmatum, & ſupra fol. 360. relatum ad inducendas linguarum lectiones teneatur. Vide plura de hac lectione ſuprà fol. 160. §. 5. in Lezana *tom.* 2. *ſummæ quæſt. Regul. verb. lectio Sacræ Scripturæ fol. mihi* 345. Paſſerino *tom.* 3. *de ſtat. hom. quæſt.*187. *art.*1. *fol. mihi* 295. *col.* 2. *&c.*

CASUS III.

Conciones, vel in Sæcularium, vel Regularium Eccleſiis habendæ.

AGit de hoc caſu Sacrum Concilium *ſeſſione* 5. *cap.* 2. & circa illum hæc decernit =.

Regulares verò cujuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in Eccleſiis non ſuorum Ordinum ullo modo prædicare poſſint; ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

De

De hoc caſu infrà ad calcem Conſtitutionis Clementis X. quæ incipit: *Superna &c.* fuſiùs agetur.

C A S U S I V.

Errores vel ſcandala à Regularibus in concionibus diſſeminata.

CIrca hæc Concilium prædicta ſeſſione & capite ſequentia ſtatuit =:

Si verò (quod abſit) Prædicator errores aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundùm juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiamſi Prædicator ipſe generali vel ſpeciali privilegio munitum ſe eſſe prætenderet: quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus procedat.

Dubitatum aliquando fuit, an Regulares, quorum privilegia poſt Concilium Tridentinum fuerunt confirmata, juxta hoc caput ſecundum poſſint caſtigari ab Ordinario, ſi prædicando vel errores, vel hæreſes protuliſſent? & Sacra Congregatio juxta Fagnanum *cap. grave de Offic. Jud. Ordin. fol. mihi* 483 *col.* 1. *n.* 43. reſpondit ſeu cenſuit *per confirmationem privilegiorum non eſſe derogatum dicto capiti* 2. VERS. SI VERÒ, *niſi in ipſis privilegiis appareat expreſſè diſpoſitio, quæ ſit contraria diſpoſitioni Concilii*. Reſponſio, quæ & aliis aptari poteſt caſibus.

C A S U S V.

Delictum Regularis extra Monaſterium degentis, & extra id delinquentis.

CAſum hunc Sacra Synodus ſeſſione ſexta *cap.* 3. ita exprimit =.

Et nemo ſæcularis Clericus, vel cujuſvis Ordinis (uti aliqui legendum putant) *Regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu tutus cenſeatur, quomindi, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegato ſecundùm Canonicas Sanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.*

Differt hic caſus ab alio Regularem intra clauſtra degentem, & extra ea notoriè delinquentem concernente, & infrà ponendo, cum hîc juxta numeralem Seſſionum Concilii ordinem procedatur. Ut autem in hoc caſu Regularis dicatur degens extra clauſtra, requiruntur duæ conditiones, quarum prima eſt, ut habeat extra clauſtra permanentem habitationem, qualem in ſenſu Sac. Concilii *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de Regul.* habet Regularis Studiorum cauſâ extra Conventum commorans. Ex quo à jure Ordinarii excluduntur Regulares, qui de ſuorum Superiorum licentia cauſâ prædicationis vel confeſſionis excipiendæ, etiam per plures dies, extra Conventum cunctantur; cum enim hi brevì ad clauſtra ſint reverſuri, alíorſum divertiſſe, vel foras habitâſſe non cenſentur, *l. poſtliminii* §. *captivus ff. de captivis, & l. quidquid ff. de reg. jur.* Secunda verò conditio eſt, ut degat foras, & non vivat ſub Superiore conventualiter: talis eſſet Regularis habitans in Domo ad erectionem Monaſterii deſtinata, in qua Conventualiter non vivitur, ſeu Regularis obſervantia non viget; hinc & talem peccantem ab Ordinario puniri poſſe, declaravit (uti Laurentius de Franchis *part.* 1. *controv. inter Epiſc. & Regular. num.* 112. Barboſa, Sperellus &c. referunt) S. Congregatio Concilii. Tractant de hoc caſu, & textu Concilii, Navarrus *conſil.* 21. *de Regularib.* Cened. *in Clem. & extravag. collect.* 14. *num.* 3. Reiffenſtuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 31. *de offic. Ord. fol. mihi* 350.

C A S U S VI.

Viſitatio Eccleſiarum etiam exemptarum.

AD hanc annuatim faciendam obligat Sacrum Concilium ſeſſione ſeptima *cap.* 8. *de Reform.* RR. DD. Epiſcopos ita ſtatuendo.

Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur.

Senſum hujus conciliaris ſtatuti explicat Fagnanus *cap. Grave de offic. Ordinar. fol. mihi* 474. *num.* 11. dicendo, *ſi* Eccleſiæ hujuſmodi *Sæculares ſunt, Epiſcopus poteſt eas viſitare tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus ex cap.*8. *ſeſſ.*7. Ubi & addit, quod procedat, etiamſi dictæ Eccleſiæ Sæculares ſint commendatæ, & ſive illis cura animarum immineat, ſive non, ut patet *ex cap.* 8. *verſ. nec non beneficia ſeſſ.*21. Quod autem Epiſcopus Eccleſias Regulares viſitare non poſſit, infrà inter Conſtitutiones Clementis XI. præter ea, quæ jam alibi dicta ſunt, & in Indice hujus tomi *verbo Viſitare* collecta videbuntur, amplè referentur. Vide interim Card. de Luca *in append. ſeu annot. ad Sac. Concil. Trident.* de hoc caſu largè diſcurrentem: necnon Azorium *Inſtit Moral.p.*2. *l.*3. *col.*356.*&c.*

C A S U S VII.

Cauſæ Civiles mercedum & miſerabilium.

IN his Regulares extra Monaſterium degentes coram Ordinariis conveniri poſſe, definivit Concilium eadem ſeſſione ſeptima *cap.*14. hoc articulo:

Quod in Civilibus cauſis mercedum & miſerabilium Perſonarum Clerici Sæculares aut Regulares extra Monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum Judicem à Sede Apoſtolica Deputatum in partibus habeant, in aliis verò, ſi ipſum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa Sede Delegatis conveniri, & jure medio ad ſolvendum debitum cogi & compelli poſſint, privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris.

Ubi notandum eſt, quod, ſi Regulares intra clauſtra degant, coram eorum Superiore, uti Barboſa *part.*3. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.*105. *num.*21. monet, conveniri debeant. Per cauſas civiles mercedum, obligationes ſtipendium operariis ſolvendi intelliguntur: cauſas verò miſerabilium Perſonarum Reiffenſtuel *lib.*1. *Decret. tit.*31. *de offic. Judic. Ordin. fol. mihi* 355. *num* 164. dicit, eſſe eas, *quæ contra dictos Regulares moveatur à Viduis, pupillis, orphanis, Senibus, decrepitis, debilibus diurno morbo laborantibus, pauperibus, de novo ad fidem converſis & cæteris, ad quorum commiſerationem naturâ movemur.* Reflecti debet in hoc caſu ad ea, quæ ſuprà ad Conſtitutionem Pauli V. ful.358. ſubjuncta ſunt.

C A S U S VIII.

Quæſtûs abuſus, & indulgentiarum publicatio.

PRohibet Sacrum Concilium hanc & illum per Statutum *ſeſſ.*21. *cap.* 9. ſequens:

Ut poſthac in quibuſcunque Chriſtianæ Religionis locis Quæſtorum nomen atque uſus penitus aboleatur, non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, & quibuſvis cujuſcunque gradûs, ſtatûs & dignitatis perſonis conceſſis, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias verò aut alias gratias ſpirituales, quibus non ideo Chriſtifideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit; quibus etiam eleemoſynas atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur.

Porro per hoc Statutum quæſtum Religioſum & Evangelicum non prohiberi, conſentiunt Doctores; hoc enim non ſolùm declaravit S. Pius V. in Bulla *Etſi Mendicantiam,*

tium, ſed & multoties Sac. Congregatio Concilii confirmavit, prohibendo Epiſcopis, ne Regulares deſuper moleſtent, uti alibi dicitur. Abuſus duntaxat interdicitur, forſan inductus ex eo, quod Mendicantes ſpe pinguioris eleemoſynæ recipiendæ publicaverint, ſeu diſpenſaverint Benefactoribus indulgentias conceſſas &c.

Hinc abuſum hunc Concilium ſuſtulit, præcipiendo, ut indulgentiæ ab Ordinariis publicarentur, & S. Pius ſucceſſivè ſua Conſtitutione incipiente: *Etſi Dominici gregis* indulgentias omnes, pro quarum conſecutione manus adjutrices porrigendæ eſſent, & quæſtuandi facultatem quomodolibet contingerent, perpetuò revocavit & irritavit. Cupido Lectori de hac materia dant plura Fagnanus *dicto cap. Grave de offic. fol. mihi* 483. *col.*2. Paſſerinus *tom.*2. *de ſtat. hom. quæſt.* 187. *art.*5. *fol. mihi* 839. Didacus ab Aragonia *in dilucidat. privil. tract.*7. *cap.*2. *fol. mihi* 261.

C A S U S IX.

Celebratio Miſſæ in Domibus privatis, aut in Oratoriis ab Epiſcopo non deputatis.

Circa hunc caſum à Sacro Concilio *ſeſſ.* 22. *cap. unico de obſerv. in celebrat. Miſſ.* ita cavetur =.

Neque patiantur privatis in Domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuſcunque peragi.

Ex quo privilegium Ordini Minoritano &c. conceſſum, patenter infirmatum eſſe lector in nota Decreto Clementis XI. incip. *Quoniam Sancta* ſubjuncta reperiet. Epiſcopis autem per dicta Concilii verba non prohibitum eſſe, dare facultatem aliquando celebrandi extra Eccleſiam, vel alium locum ſacrum ex juſta cauſa reſolvunt Navarrus *conſil.* 5. *de privil. num.*2. Barboſa *part.*2. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.*23. *num.*8. Reiffenſtuel *lib.*1. *Decret. tit.*31. *de offic. Ordin. fol. mihi* 352. & alii, tum quod jam olim in caſu neceſſitatis, ſeu alia rationabili cauſa, Miſſam celebrare ſuper Altare portatile, ſub Dio, vel in tentoriis *juxta can. concedimus de conſec. diſt.*1. fuerit conceſſum, tum quod Tridentinum ſolùm de modo celebrandi communi, ac ceſſante cauſa juſta vel neceſſitate loquatur.

C A S U S X.

Viſitatio Hoſpitaliorum, ac Confraternitatum Laicorum in Eccleſiis Regularium erectarum.

Exorimunt hunc caſum clarè verba Concilii *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. ita ſtatuentis =.

Habeant Ordinarii jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcunque, ac Confraternitates Laicorum, etiam quas ſcholas, ſive quocunque alio nomine vocant, non tamen, quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſive eorum licentia &c.

Omiſſis illis, quæ jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia &c. concernunt, ceu fini meo minùs aptis, annoto circa Confraternitates, quas etiam aliquoties in Eccleſiis noſtris cum Conſtitutionum noſtrarum diſpenſatione erigi contingit, ea duntaxat, quæ ſcitu ſunt magis neceſſaria, & quæ Decretum Sacræ Congregationis Concilii in *Nucerina Paganorum* 23. *Junii* 1629. potiſſimùm complectitur, editum ſub tenore ſubſequente = *Sacra Congregatio &c. inhærendo declarationibus aliàs factis cenſuit Confraternitates Laicorum in Eccleſiis Regularium exemptorum inſtitutas ſubeſſe juriſdictioni & viſitationi Epiſcopi, illaſque ab eo viſitari poſſe, necnon illarum Capellas in iiſdem Eccleſiis Regularium exiſtentes, in his tamen, quæ Confraternitatum adminiſtrationem reſpiciunt: & ſi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, Epiſcopum poſſe viſitare circa ea, quæ reſpiciunt ipſam manutentionem, cultum & ornamenta Altaris, ſeu Capellæ, onera Miſſarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent.* Quod Decretum *in Urbanien.* 23. *Septembr.* 1690. à dicta Sac. Congregatione, & *in Fanen.* 10. *April.* 1693. à Sac. Congregatione Epiſc. & Regul. *referente Emin. Cardinale Carpineo* confirmatum fuiſſe, Monacellus *in formul. fori Eccl. tit.*5. *num.*8. *fol. mihi* 128. refert.

CASUS XI.

Ordinationes Sacræ.

De quibus Sacra Synodus *ſeſſione 23. cap 8. de Reform.* hæc præſcribit =: *Unuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis Reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur; ſi ſecus fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Et cap. 12. ejuſdam ſeſſ. de Regularibus in ſpecie ita ſancitum reperitur. *Regulares quoque nec in minore ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quoad hoc penitus excluſis.*

Per primam Sanctionem non tollitur privilegium recipiendi ſacros Ordines extra tempora, pluribus Regularibus aliàs conceſſum, ruit econtra indultum hoſce recipiendi à quocumque Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, niſi id poſt Tridentinum abs Apoſtolica Sede conceſſum doceatur. Circa Dimiſſorias Regularium eas à ſuis Superioribus expediri debere liquet, ſervatâ tamen formâ aliàs mandato Clementis VIII. præſcriptâ, quæ hæc eſt:

De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, de cætero obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sac. Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor eſt:

Congregatio Concilii cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diæceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit. Et ſi Diæceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diæceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes, vel Sedes Epiſcopalis vacaret. Verùm, cum à Superioribus, Epiſcopo Diæceſano abſente, vel Ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſæ abſentiæ Diæceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod ſi Regulares morentur in Monaſterio nullius Diæceſis, hujuſmodi dimiſſorias concedendas eſſe ad Epiſcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo Diæceſano ſuperiùs præſcripta ſunt. Quod, qui non fecerint, officii & dignitatis ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ & paſſivæ privationis, & aliàs arbitrio Sanctiſſimi D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrant. Datum Romæ 15. Martii 1699.

Quanto tempore Regularis commorari debeat in Conventu Diœceſis Epiſcopi ordinantis, ad hoc ut dici poſſit de illius Conventûs Familia, Matthæucci in *ſuo Offic. Curiæ verb. Ordines fol. mihi* 273. ex circumſtantiis ſpecialiter conſpiciendis id ad effectum recognoſcendi fraudem colligendum eſſe aſſerit; & Sacra Congregatio Concilii in *una Neapolitana* deſuper conſulta 8. *Auguſti* 1692. juxta Eminen. Cardinalem Petram *tom.* 1. *ad Conſtitut. Urbani II. ſect.* 2. *num.* 37. *fol. mihi* 201. reſpondit = *providebitur in caſibus particularibus proponendis.*

Examen, quod Concilium *cap.* 12. *ſuprà dicta* Epiſcopis pro inveſtiganda Regularium doctrina, ſeu ſufficienti idoneitate præſcribit, ſuppleri poſſe aliquoties ab ipſo Superiorum Regularium teſtimonio docet Miranda *in man. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 4. & Epiſcopos huic ſe ſine ſcrupulo conformare poſſe tradit Gobat *in Theol. exper. tract.* 8. *caſ.* 11. *ſect.* 1. *num.* 424. & alia ſcitu neceſſaria Lector de hac materia *tom.* 1. *hujus Bull. fol.* 10. & 11. & infrà in hoc tomo noviter à moderno Summo Pontifice Benedicto XIV. ſancita inveniet.

CA-

C A S U S XII.

Confeſſiones Sæcularium excipiendæ.

PLanè à Regularibus haſce ampliùs excipi non poſſe, quin ſe ſiſtant Epiſcopali examini, & approbationem obtineant, Saerum Concilium clarè definivit *ſeſſ.23.cap.15.* per ſtatutum:

Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopo per examen, ſi illi videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

Statuit & idem Gregorius XV. in ſua Conſtitutione *Inſcrutabili* præpoſita, cum hoc, quod Paſſerinus *tom.3. de ſtat. quæſt.89. fol.900. num.969.* advertit, diſcrimine, quod Regularis tranſgreſſor vi Concilii per ſuos Superiores, & vi Conſtitutionis Gregorianæ, per Epiſcopum, ceu Sedis Apoſtolicæ Delegatum puniri debeat. Vide & alia infra *caſ.25.* & plurima in nota Conſtitutioni Clementis X. *Superna* ſubnexâ.

C A S U S XIII.

Acceſſus ad Diœceſanam Synodum.

STatuit de hoc Saerum Concilium *ſeſſione 24. cap. 2.* prout ſequitur =:

Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, accedere tenentur; ratione tamen Parochialium aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi ſint, Synodo intereſſe.

Qui ſuprà folium 176.§.29. inſpicit, obvia circa hunc caſum dubia ſoluta reperit.

C A S U S XIV.

Erectio Monaſteriorum ſeu Conventuum.

PRo qua Epiſcopi licentiam & conſenſum præhaberi Sacra Synodus *ſeſſ. 25. cap.3. de Regularibus* mandavit:

Nec de cætero ſimilia loca (Monaſteria ſeu Conventus) *erigantur ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentiâ prius obtentâ.*

Quo Decreto revocatur prohibitio Bonifacii VIII. *in cap. un. de exceſſ. Prælat. in 6.* & *Clement. Cupientes de pœnis*, ut ex Sacra Congregatione Fagnanus *loco ſupra cit. n. 53. fol.* 485 advertit.

Plura alia ſucceſſivè circa fabricas Conventuum erigendas injuncta fuêre, quæ congeſta Index hujus tomi *verbo Conventus* annotabit.

C A S U S XV.

Regulares vagi, ſeu ſine licentia itinerantes.

COntra quos Sacrum Concilium *ſeſſ. & tit præd. cap. 4.* hæc decrevit:

Nec liceat Regulatibus à ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam deſertor ſui Inſtituti puniatur.

Agit de his extensè Paſſerinus *tom. 2. de ſtat. quæſt. 189. art. 8. inſpect. 2. fol. 469.* aliique ab eo citati, ad quem & ad quos lectorem remitto.

A'Sa-

Digitized by Google

A' Sacro Concilio in eodem *cap.* vagabundo Regulari adjungitur Regularis ſtudiorum cauſa ad Univerſitatem miſſus, & in Conventu non commorans, de eoque ſtatuitur = *illi autem, qui ſtudiorum cauſâ ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.*

CASUS XVI.

Cuſtodia Clauſuræ Monaſteriorum Monialium.

QUantumque Monaſteria Monialium à Sacro Concilio ſub cura Regularium, ſub qua ſunt, relinquantur, nihilominus in multis caſibus Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis ſubjecta manent, ſpeciatim verò circa Monaſteriorum clauſuram, de qua *ſeſſ.25. cap.5.* ſic decernitur:

Bonifacii VIII. Conſtitutionem, quæ incipit Periculoſo *renovans Sancta Synodus, univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinariâ, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Monialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſitâ, compeſcentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.*

Plura quidem circa hunc Sacri Concilii textum conſideranda forent, cum autem hic ſummariè tantùm incedatur, ſubſtituo pro me alios Auctores, videlicet Navarrum *in Man. cap.*27. *num.*108: & in *Comment.* 4. *de Regul. num.*39. Zerol. *in praxi Epiſc. par.*1. *v. Moniales* §.3. *pag.*234. Guttier. *in quæſt. can. lib.*1. *cap.*14. *&c.*

CASUS XVII.

Publicatio Cenſurarum & interdictorum tum à Sede Apoſtolica emanatorum, tum ab Ordinariis promulgatorum.

CAſus hic luculenter patet ex diſpoſitione Sacri Concilii *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regularib.* quæ hæc eſt:

Cenſuræ & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur.

De hoc articulo per decurſum hujus tomi actum eſt ſæpius, & loca deſuper indicabit Index *verbo Cenſura*, vel *Interdictum*. Manet interim innegabile, quod Regulares ſuper hoc privilegio, aut jure non muniti, teneantur ſervare hujuſmodi interdicta &c.

CASUS XVIII.

Obſervantia dierum feſtorum, ab Epiſcopis indictorum.

EAdem dicta Seſſione & Capite Sacrum Concilium Regulares ad hanc ita obligat:

Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præcepit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur.

Genuinum horum verborum ſenſum explanavit ipſa Sacra Congregatio Concilii Decreto, quod ſubjungitur:

Congregatio Concilii cenſuit, Decretum cap.XII. verſ. dies etiam feſti ſeſſ. 25. de Regul. *ita eſſe intelligendum, ut Regularium ritus illis diebus feſtis ſemper permaneat quoad Miſſas celebrandas & cætera Officia Divina tam publicè, quàm privatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſolvenda. Nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe. Quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis & Epiſtolis, quibus Clerus ſæcularis utitur illis diebus feſtis.*

CA-

CASUS XIX.

Controverſiæ præcedentiarum tum in proceſſionibus, tum in occaſione funeris tumulandi &c. exortæ.

PRæcedentia, cum ſit jus occupandi locum digniorem, facilè excitat lites & contentiones, uti plura probant factorum exempla. Judicem harum Sacrum Concilium conſtituit Epiſcopum per initialem textum *cap.* 13. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* ita ſonantem:

Controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas Perſonas tam Sæculares, quàm Regulares, tum in proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis Defunctorum Corporibus, & in deferenda Umbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque componat.

Modum verò illas componendi exprimit Conſtitutio Gregorii XIII. incipiens *Expoſcit* ſuprà *fol.* 284. poſita, quem ceu regulam obſervandum eſſe Sacra Congregatio Concilii ſæpius ſancivit, & in ſpecie die 6. Octobris 1645. firmavit Decreto ſequenti:

Sacra Congregatio cenſuit ſervandas eſſe litteras Gregorii XIII. & Urbani VIII. ea de re editas, ut, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant, & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ, & ita ab his, ad quos ſpectat, ſervari mandat, & præcipit. Vide Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 138. *fol.* 175. *num.* 18. Menoch. *conſ.* 126. *à num.* 21. *cum ſeq.* Cened. *in collectan.* 45. *ad Dec. num.* 3.

CASUS XX.

Acceſſus ad publicas Proceſſiones.

ERuitur hæc obligatio ex Sacro Concilio *ſeſſ.* & *cap.* antedictis, ubi ita ſtatuitur: *Exempti autem omnes, tam Clerici Sæculares, quàm Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui ſtrictiore clauſura perpetua vivunt.*

Redeat Lector ad folium hujus tomi 285. & ſequ. & de hac materia magis ſcitu neceſſaria inſpiciat.

CASUS XXI.

Regularis intra Clauſtra degens, & extra illud notoriè, & ſcandaloſè delinquens.

CIrca quem Sacra Synodus *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Regular.* hæc ſancit:

Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra Clauſtra Monaſterii degit, & extra ea notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciet: ſin minus, à ſuo Superiore officio privetur, & Delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

Strinxit arctiùs hoc ſaluberrimum (ut ait Reiffenſtuel loco citato) Decretum Clemens VIII. additis in ſua Conſtitutione *Suſcepti muneris* ſuprà *fol.* 323. poſita, pœnarum & indignationis vinculis. Solvit & poſtmodum Sacra Congregatio Concilii diverſa dubia de hoc caſu ſuborta.

I. De Regulari in Eccleſia ſui Ordinis delinquente ita motum = *An Regularis delinquens notoriè in Eccleſia ſeu Monaſterio ſui Ordinis, in quo degit, ita ut populo ſcandalo ſit, dicatur delinquere extra Clauſtra, ut locus ſit diſpoſitioni Concilii Tridentini* cap. 14. ſeſſ. 25. de Regular. *Cenſuit delinquere extra Clauſtra, ſi in Eccleſia Monaſterii deliquit; niſi clauſis portis Eccleſiæ, & ſolis Regularibus in ea exiſtentibus, fuerit commiſſum delictum. Si verò intra clauſtra Monaſterii, vel Eccleſiæ interioris delictum ſit commiſſum, ex verbis Concilii non videtur procedere dictum caput* 14. *quod expreſſè dicit, extra Clauſtra.* Refert hoc Decretum Sperellus *deciſ.* 38. *num.* 15., quod de Eccleſia à Monaſterio ſeparata alii clariùs intelligunt.

II. De Epiſcopo fuit quæſitum = *An Epiſcopus, ſtatim habita notitia delictorum,*

poſſit capere informationem, & illam ad Superiorem delinquentis mittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam præſumere? Sacra Congregatio Concilii juxta Donatum *prax. tom. 1. part. 2. tract. 13. q. 54. num.* 11. reſpondit *Poſſe*.

III. Circa ipſam Perſonam delinquentem fuit dubitatum = *An detinendus ſit in carceribus ab Epiſcopo, donec proceſſus in Curia Epiſcopali conficiatur, eoque compilato, inſtante Superiore, remittendus ſit ad Superiorem unà cum his probationibus, quæ habentur? Sacra Congregatio reſpondit, ſtatim remittendum eſſe, etiam poſito, quod Superior nullam inſtantiam fecerit.* Ita Donatus *ſuprà cit. num. 7.*

De ſententia à Superiore contra Reum lata, Sacra Congregatio Concilii reſponſoriè reſpondit = *Non ſufficere, ut Superior Regularis ſententiam ferat, aut etiam acta ad Epiſcopum tranſmittat, ſed opus eſt, ut de punitione ipſa, & ſententiæ executione Epiſcopum certiorem faciat.* Qua deciſione Barboſa *de offic. Epiſcop. alleg.* 105. *num.* 20. ſuæ confirmat ſenſa.

CASUS XXII.

Renunciatio in Novitiatu facta.

De hac Sacrum Concilium *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* diſponit, ut ſequitur: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem uniuſcujuſque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter verò facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam jurata, ſit irrita, & nullius effectûs.*

In hoc Decreto non comprehendi renuntiationes ante ingreſſum Religionis factas, Sacra Congregatio contra Navarrum declaravit, dum conſulta = *An dictum caput Concilii comprehendat renuntiationes factas ante ingreſſum, illius tamen contemplatione?* Reſpondit, non comprehendere renuntiationes factas ante ingreſſum, hoc eſt, ante Habitûs ſuſceptionem. Quod & die 22. Junii 1613. confirmavit. Nec etiam comprehendit teſtamenta, Codicillos, Donationes &c. uti expreſsè Sac. Congregatio 22. Januarii 1695. cenſuit, per verba = *Decretum* cap. 16. in principio *non vendicare ſibi locum in teſtamentis, atque aliis ultimis voluntatibus.* Vide Azorium *Inſtit. Moral part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæſt.* 14. Navarrum *Comment.* 2. *de Reg. n.* 30. Aloyſium Riec. *in Collect. deciſ. part.* 2. *collect.* 454.

CASUS XXIII.

Exploratio voluntatis Puellæ Monachandæ.

Libertati profeſſionis ut in vitæ Monaſticæ delectu Sacra Synodus conſulat, *ſeſſ. prædicta cap.* 17. decrevit:

Ut ſi Puella, quæ Habitum Regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus, vel eo abſente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter &c.

Exploratio hæc reducitur ad tria interrogatoria, ſcilicet *an coacta? an ſeducta ſit, & an ſciat, quid agat?* alias interrogationes fieri prohibet Conſtitutio S. Pii V. incip. *Et ſi Mendicantium* ſuprà *fol.* 257. poſita. Bina vice hanc explorationem fieri debere, videlicet ante ingreſſum Religionis, & ante Profeſſionem, Zerela *part.* 1. *praxis Epiſc. verb. Monialis num.* 1. ex allegata Sac. Congregationis declaratione refert, dum econtra ex locorum conſuetudine eam ſemel tantùm, & quidem ante Profeſſionem fieri debere Miranda *in tract. de Monial. quæſt.* 8. *art.* 4. cenſet.

CASUS XXIV.

Prætenſa Profeſſionis nullitas.

Formam reclamandi contra Profeſſionem Sacrum Concilium *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* ita præſcribit. *Qui-*

Quicumque Regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque Habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum Habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario.

Quæ ulteriùs circa hanc gravem materiam obſervari jam debent, Conſtitutio glorioſè regnantis Summi Pontificis Benedicti XIV. incip. *Si datam hominibus*, infrà danda complectitur; cui duntaxat adjungendum eſt, quod Fagnanus *in dict. cap. Grave de offic. Ordin. fol. mihi* 488. *num.* 72. de textu Concilii ait, videlicet *quod & ille juxta Sac. Congregationis declarationem locum habeat in Religioſo, quem Religio ceu nulliter profeſſum, expellere intendit.*

CASUS PROMISCUI

In quibus Regulares vel vi Conſtitutionum Pontificiarum vel vi Decretorum SS. Congregationum, vel vi juris communis Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis ſubjiciuntur.

CASUS XXV.

Cura animarum ſeu adminiſtratio Sacramentorum.

EVenit hic caſus ex duplici cauſa; prima eſt, quando Regularis de licentia Epiſcopi aliquod Sacramentum adminiſtrat; ſecunda verò, quando ſine auctoritate adminiſtrationi Sacramenti circa ſæculares ſe ingerit. Utraque cauſa exprimitur in ſuprà poſita Gregoriana Conſtitutione *Inſcrutabili* per verba =.

Sive aliis Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent prævia Epiſcopi licentiâ, ſive quomodolibet in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, aut alicujus ex illis adminiſtratione, de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant.

In his itaque, quæ hujuſmodi curam ſeu adminiſtrationem concernunt, omni modo jurisdictioni, viſitationi ac correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, plenè in omnibus ſubjiciuntur: Qui caſus (ut Paſſerinus *tom.* 3. *de ſtat. quæſt.* 189. *art.* 10. *fol.* 893. ex Fagnano *cap. Grave num.* 37. *de offic. Ordin.* advertit) diſtinguitur à caſu duodecimo ſuprà relato, nam Concilium loquitur ibi ſolùm de habentibus curam animarum ſæcularium, Monaſteriis incumbentem, & conſequenter loquitur tantùm de exercente curam animarum ex officio, vel ratione officii, dum econtra Conſtitutio Gregoriana loquitur de iis, qui licèt ex officio non exerceant curam prædictam, ſe tamen cum vel ſine licentia Epiſcopi immiſceat Sacramento Perſonæ ſæculari adminiſtrando. Dico Perſonæ ſæculari, nam *Conſtitutionem* Inſcrutabili *Gregorii nequaquam ſubjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum ſæcularium non incumbit, Epiſcoporum juriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis ſæcularibus adminiſtrandis iidem Regulares delinquunt*, eſt Sacræ Congregationis declaratio à Paſſerino *loc. cit. fol.* 894. relata.

CASUS XXVI.

Expoſitio ſolemnis Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ etiam in Regularium Eccleſiis.

QUod eruitur ex pluribus diverſarum Sacrarum Congregationum Decretis, quorum primum eſt illud Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium 16. Decemb. 1602. editum, & à Nicolio *in floſc. v. Euchariſtia num.* 23. ita relatum =.

Non liceat Regularibus, etiam in eorum propriis Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; Ex cauſa autem privata poſſint, dummodo Sanctiſſimum Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita ut ipſa Hoſtia videri non poſſit.

Fuitque pro hujus Decreti executione Epiſcopis ceu Delegatis Apoſtolicis data facultas procedendi contra Regulares in Novarien. 4. *Mart.* Tortonen. 16. *Maji*, & Lauden. 14. *Novemb.* 1603. in Senen. 15. *Mart.* 1606. & in Silveſtrina 5. *Mart.* 1619. Noluit

autem Sac. Congregatio in Cremen. 28. *Novemb.* 1603. ut Epiſcopus per cenſuras contra Regulares agat, ſed, ut in caſu contraventionis decernat & declaret pœnam privationis officii incurſam, monuit; quemadmodum hæc eadem Congregatio verè dictam privationem incurri in Florent. 10. *Febr.* 1626. decrevit. *Ita Nicolius.*

Prohibuit & Regularibus publicam Euchariſtiæ expoſitionem Sac. Congregatio Concilii 17. *Aug.* 1630. cujus Decretum Barboſa *verbo Euchariſtia num.* 55. Vaneſpen. *Jur. Eccleſ. part.* 2. *tit.* 4. *de Euch. cap* 5. *num.* 17. *fol. mihi* 82. referunt.

Firmiùs autem clavum ferìt, & univerſaliùs, atque etiam uſque ad cenſuras pr oceſſit Sac. Rit. Congregatio per Decretum ſequens:

Toletana 18. *Decemb.* 1647.

AD eliminandos abuſus, qui in Diœceſi, & Civitate Toletana nonniſi cum magno Divini cultûs detrimento circa Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitionem, abſque ea, qua decet, cauſa & veneratione inolevere, Sac. Rit. Congregatio inhærendo Decretis ſæpius per orbem terrarum promulgatis, Diœceſis & Civitatis Toletanę Clero tam Sæculari, quàm Regulari, Monialibus, atque Confratribus Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum publicè exponere, niſi cum ſpeciali Ordinarii licentia, non licere, & inobedientes pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis coercendos eſſe declaravit.

Quod Decretum S. Rit. Congregatio die x. Dec. 1704. alio à ſan. me. Clemente XI. poſtea approbato, in particulari ejus Bullario videndo, & à Merato in ſuis ad Gavantum additionibus relato generali Decreto communivit.

Non pigeat, ſi fas ſit, Lectorem legere Inſtitutionum Benedicti XIV. in Cathedra Petri ſedentis trigeſimam *fol. mihi* 147. *col.* 1. Joannem Baptiſtam Thiera in ſuo *de frequenti Sanctiſſimi Sacramenti expoſitione* tractatu, Catalanum *in hiſt. Concil. tom.* 4. *fol. mihi* 153. Joveninum *de Sacramen. diſſert.* 4. *quæſt.* 4 *concl.* 3. Clericatum *de Sacramen. Euchar. deciſ.* 60. *caſu* 2. *num.* 9. *& ſeq.* Dianam *in edit. coordinata &c.*

Non obſtantibus tamen hiſce Decretis à Regularibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponi poſſe contendunt Antonius à Spiritu Sancto *part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 3. *n.* 105. Alviſet *in Murenula aurea ſect.* 3. *cap.* 7. *num.* 19 & alii, fundati tum in quodam Decreto Congregationis Epiſcop. & Regul. emanato 2. *Julii* 1580. quo id Regularibus licere expreſsè fuit declaratum: tum in ratione, quod Prælati Regulares in Eccleſiis ſuis ſint veluti Epiſcopi, ac ideo in iis ea, quæ Epiſcopi poſſunt, diſponere valeant: tum in non uſu & conſuetudine contraria, quam vigere tenuit Cotonius *lib.* 4. *contr.* 8. *num.* 121. quod & Diana advertit *part.* 11. *tom.* 2. *reſol.* 5. *in fine.*

Profectò rationes duæ primæ parum me movent ad tenendam horum Doctorum opinionem: non prima, quia allegatum Sacræ Congregationis Decretum infirmatur ab aliis ſuprà citatis Decretis ejuſdem Sac. Congregationis, quæ, cum ſint poſteriora, derogant prioribus: non ſecunda; non potuit enim ignorare S. Congregatio Prælatos Regulares in Eccleſiis ſuis velut Epiſcopos eſſe: hoc tamen non obſtante per Decreta adducta iis prætenſam expoſitionem inhibuit, ſicut & plura alia in Eccleſiis eorum ſine conſenſu Ordinariorum diſponenda inhibita ſunt. Solidiùs inde favet Regularibus conſuetudo vel præſcriptio, uti tenent Lezana *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 26. Ceſpedes *cap.* 6. *dub.* 132. *n.* 3. Bordonus, Rodriquez, Peyrinus, noſter Gervaſius Briſac. *tom.* 3. *Theolog. tract.* 3. *de leg. fol.* 433. Cum enim præſcriptione exemptionem acquiri doceat Kochlerus *part.* 1. *de juriſdict. in exemptos*, horum ultimorum ſenſui eò promptior accedo, quò fortiùs hic ipſius Sac. Congregationis diſpoſitione innititur, dum enim Epiſcopus Placentinus Regularibus per edictum Auguſtiſſimum Sacramentum publicè exponere inhibuit, Patreſque Conventuales ſumpto ad Sac. Congregationem recurſu contra eum, ex allegato conſuetudinis motivo egerunt, Sac. Congregatio 1. Aprilis 1662. interlocutoriè reſcripſit, ut dicti Patres intra bimeſtre probarent immemorabilem, & interim abſtinerent: ex quo à Paſſerino *tom.* 2. *de ſtat. quæſt.* 187. adducto mens Sac. Congregationis ad favorem PP. Conventualium, caſu quo immemorialem probarent, non obſcurè deducitur; fruſtra enim illa hujus probationem requiſiviſſet, ſi eam ceu favorabilem PP. Conventualibus non agnoviſſet.

CA-

Digitized by Google

CASUS XXVII.

Sepultura nominatim excommunicato, vel manifeſto Uſurario conceſſa, vel eorum ejectio neglecta.

DEducitur hic caſus ex *cap. ad hæc de privileg.* in quo Alexander III. in Concilio Lateranenſi ad Cantuarienſem Archiepiſcopum hæc ſcribit =.

Mandamus, quatenus Hoſpitaloriis pręcipias, ut, ſi quos in excommunicatione defunctos in Cœmeteriis Eccleſiarum ſepelierint, eos extra Cœmeteria ejiciant: quod ſi facere noluerint, Tu hoc de his, quos in excommunicatione defunctos eſſe conſtiterit, exequaris =, & in Clement. *cap. 1. de ſepult.* habetur. = *Sepelientes tempore interdicti excommunicatos hujuſmodi, ſeu uſurarios manifeſtos, ab incurſa ipſo facto excommunicatione abſolvi prohibentur, niſi data prius ad arbitrium Epiſcopi ſatisfactione,* uti patet ex textu = *qui propriæ temeritatis audacia Defunctorum corpora non ſine contemptu clavium Eccleſiæ in cœmeteriis interdicti tempore in caſibus non conceſſis à jure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire pręſumunt, decernimus, ipſo facto excommunicationis ſententię ſubjaceant, à qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis, quibus per pręmiſſa injuria fuerit irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa pręmiſſa exemptionis, vel quovis alio privilegio ſub quacunque forma verborum conceſſo aliqualiter ſuffragante* = qui caſus nos Capucinos non ita afficit, cum in Eccleſiis noſtris ſæculares ſepelire noſtræ inhibeant Conſtitutiones.

CASUS XXVIII.

Peccatum in materia Fidei.

SI Regulares peccent in materia Fidei, contra illos *in cap. ad abolendam de hęret. ad finem* hæc ſanciuntur =:

Si qui verò fuerint, qui à lege Diœceſanę juriſdictionis exempti ſoli ſubjaceant Sedis Apoſtolicę poteſtati, nihilominus in his, quæ ſunt contra hęreticos inſtituta, Epiſcoporum ſubeant judicium, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apoſtolica Delegatis (non obſtantibus libertatis ſuę privilegiis) obſequantur: cui textui ſi unias Conſtitutionem Pauli V. incip. *Romanus Pontifex* Decretum Urbani VIII. 4. Aprilis 1633. Conſtitutionem Alexandri VII. quæ incipit *Licèt aliàs*, ac praxin Romæ, & in Italia communiter vigentem, Regulares Ordinariis locorum & Inquiſitoribus privativè quoad Superiores Ordinum ſubjacere rectè concludes. Dixi in Italia, cum, quæ noſtris Provinciis Germaniæ, Galliæ &c. in hoc caſu ab ipſis hîc allegatis Summis Pontificibus conceſſa ſunt, *in tomo primo Bullarii fol. 73.* cautè videri poteſt.

CASUS XXIX.

Parvi Conventus.

PRæterea, quæ de novis fabricis jam aliàs dicta ſunt, ſubjiciuntur juri Epiſcopali tum Monaſteria ſeu Conventus ædificandi, ſeu jam ædificati, ſi in eis duodecim Religioſi ſuſtentari vel habitare nequeant. Patet ex Decreto de celebratione Miſſarum, edito die 21. Junii 1625. hæc continente =:

Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religioſorum ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi pręter alia ad id requiſita in ſingulis ejuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſuprà, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad pręſcriptum Decreti fel. rec. Gregor. XV. hac de re editi, alioquin Monaſteria & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſuprà, ſuſtentari atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodę juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur = Quod poſtmodum pro Italia

& Ioſulis adjaceotibus Conſtitutione Innoc. X. incip. *Inſtaurandę*, quæ ioſrà inter Bullas hujus Summi Pontificis, cum aliis ei cooneχis per extenſum dabitur, fuit confirmatum.

CASUS XXX.

Sollicitatio in Confeſſionali.

SOllicitantes in Confeſſionali, de quibus infra *fol.* 386. agetur, ſubduntur inſuper Epiſcopis ex nova glorioſè regnantis Summi Pontificis Conſtitutiooe, danda pariter io bujus tomi fine.

CASUS XXXI.

Chriſma, Oleum Sanctum, Conſecratio Altarium &c.

SUbduntur Epiſcopis quoad Oleum Saoctum, Chriſma, & conſecratiooem Altarium, vel Eccleſiarum, quæ, & quam ab iis accipere vel petere debere Regulares, *ex cap. Veniens de preſcriptione* colligitur =: *Chriſma verò, Oleum Sanctum, Conſecrationem Altarium, ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum . . . . à Veſprimensi Epiſcopo poſtulabant* = Ex quo textu Regulares Oleum Sacrum de jure communi teneri petere ab Epiſcopo Diœceſano, oiſi abſit, aut Sedes vacet, inſerunt Doctores. Cum autem Oleum Sanctum ſit triplex, videlicet illud, quod vocaot Sanctum Chriſma, de oleo & balſamo confectum, quo Fontes baptiſmales, Calices, Patenæ, Eccleſiæ & Altaria, & puer baptizatus in vertice & io fronte, Epiſcopi in manibus & capite, & omnes Fideles dum cbriſmantur, benedicuntur: ſecundum, Oleum Catechumenorum, quo baptizandi inter ſcapulas & in pectore, Sacerdotes in maoibus, Reges in brachio & humero, ac Eccleſia aut Altare ante chriſmationem iounguntur; & tertium, oleum infirmorum, quo ioſirmi io morbi periculo unguntur, uti *cap. unico de ſac. unct.*

Jam verò ſi Regularis ſit Parochus, omnia tria olea petere debet, cum omnium uſus ei vel in Baptiſmo, vel Extrema Unctione neceſſarius ſit. Ubi autem Regulares non ſunt Parochi, ſolùm infirmorum oleum ab iis petere debeot, pro uſu ſuo in Eccleſiis ſuis conſervandum, quin boc Epiſcopi impedire poſſint, ſtante declaratione Sac. Coogregationis Epiſc. & Regul. *in Æſina* 13. *Julii* 1589. apud Lucernam *Regul. verb. Oleum Sanctum*, & Barboſam *eodem verbo num.* 3.

Debet illud & iis ab Epiſcopis dari; cum enim Prælati Regulares ſint Parochi ſuorum ſubditorum, & quidem quoad receptionem Oleorum Sanctorum Epiſcopis ſubjecti, debent bi illud haud aliter ac aliis Parocbis, eis ſubmioiſtrare; Hinc Clemeos VIII. ad ſavorem Carmelitarum io Bulla *Exponi nobis &c.* præcepit Epiſcopis, *ut Oleum infirmorum promptè & liberaliter illis diſpenſari curent*.

Jam quidem id ab Epiſcopo Diœceſano peteodum eſſe memini, ſuot tamen nonnulli, qui Regulares ad hoc non teneri, ſed à quocunque Epiſcopo illud petere poſſe cum Lezana *verb. Oleum Sanctum num.*4. Ceſpede *dub.*152. *num.*6. *&c.* contendunt, ſtante privilegio Cruciſeris ab Urbano III. io Bulla *Cum Anteceſſor*, per communicationem aliis Regularibus communi, & à Barboſa *ad cap.* 1. *ſeſſ* 14. *Concil. Trident de extr. unct. num.* 8. & Lucerna Regul. *verb. Oleum Sanctum* relato. Linquo ego privilegium boc io ſuo valore, quicunque ſit, &, ut Noſtrates à via recta non declinent, moneo.

Materiam hanc concludo caſu, qui facilè obtingere poteſt, & à Paſſerino *tom.* 3. *de ſtat. hom. queſt.*189. *art.*8. *fol* 882. *num.*913. memoratur & reſolvitur, conſiſtens in hoc, an, ſi quantitas olei ab Epiſcopo recepti non ſufficiat, poſſit aliud admiſceri, maoeatque totum conſecratum, ſi id, quod additur, ſit in minore quantitate? Affirmativè reſpondit Paſſerinus *loc. cit.* allegans D. Thomam 4. *diſt.*23. *qu.*1. *art.*3. & ibi Sotum, & ex Pitigiano Barth. ab Angelo, ex Poſſevino Barboſam *all.*35. *num.*17. & ex Naldo & Candido Pax Jordao. *lib.*3. *tit.*5. *num.*14. Lezanam, ubi ſuprà, *num.*5. & ad Mare Magnum Eremit. *num.*49. idque expreſsè definitum eſſe aſſerit *in cap. quod in dub. de conſecrat.* quod biſce verbis termioatur = *Nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit Oleo commiſceri* = Putat & Baſſæus *verb. benedicere num.* 12. poſt Layman. *lib.*5. *tract.* 9. *cap.*13. *num.* 23. quod hæc mixtio non ſemel tantùm, ſed pluries fieri poſſit.

Regu-

Regulares, quoad conſecrationem ſacrorum locorum ſubeſſe Epiſcopis, ne mo eſt qui dubitet. Porro loca ſacra ſunt Eccleſiæ & Cœmeteria, necnon Altaria &c.: primas à ſolo Epiſcopo conſecrari ſtatuit *cap. Nemo de conſecrat. diſt.*1. & docet D. Thom. 3.*part.q.*82. *art.*1. *ad* 3. ita ut Epiſcopus Eccleſiæ conſecrationem non poſſit delegare, niſi alteri Epiſcopo, *cap. Aqua de conſecr. Eccleſiæ*. Altaria ſimiliter nonniſi ab Epiſcopo conſecrari ſancit, *Caput Nullus Presbyter*, & *cap.concedimus de conſecrat. diſt.*1., & quod nec Epiſcopus facultatem hanc inferiori ſubdelegare poſſit, tenent Azorius *part.*1. *lib.*10. *cap.*27.*q.*13. Loter. *quæſt.*30. *num.*22. Barboſa *de offic. Epiſc. alleg.*27. *num.*23. *&c.*

CASUS XXXII.

Impedientes juriſdictionem Epiſcopalem.

POſſunt & Regulares ab Epiſcopis coerceri quotieſcunq; in ipſius Perſonam delinquuot, illius juriſdictionem turbent &c. Hoc enim à S.Congregatione ſancitum fuiſſe Fagnanus *ad cap. Grave num.*76. *de offic.Ord.* teſtatur, addendo, quod Sac. Congregationis ſententiam Gregorius XIII. ſibi relatam approbaverit, excepto ſolo verbo *turbant*, utpote nimis generali, & ideo ei verbum *impediunt* ſubſtitui maodaverit. Ubi autem & notari debet, quod & hujuſmodi Regulares iocidant io Bullam, in die Cœnæ Domini legi ſolitam &c.

CASUS XXXIII.

Delictum circa perſonas intra ſepta degentes, & Clauſuram Monialium &c.

COrrigi pariter poſſunt ab Epiſcopis, quotieſcunque aut circa perſonas iotra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa Clauſuram, aut circa bonorum adminiſtrationem peccant. Cautum & expreſſum hoc eſt in dicta Conſtitutione Gregoriana per verba = *Ad hæc tam Regulares, quàm Sæculares hujuſmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quò minus, ſi deliquerint circa Perſonas intra ſepta degentes, aut circa Clauſuram, aut circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium etiam Regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.*

CASUS XXXIV.

Adminiſtratio bonorum Monaſteriorum Monialium.

TEnentur & vigore ejuſdem Conſtitutionis Adminiſtratores, bonorum Monaſteriorum Monialium Epiſcopo loci rationem reddere.

Sed & adminiſtrantes bona ad ejuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum pertinentia, ſive Regulares extiterint, ſive Sæculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi & compelli queant.

CASUS XXXV.

Confeſſarii Monialium.

QUicunque, etiam Regulares, ad officium Confeſſarii vel ordinarii vel extraordinarii deputati, ab Ordinario approbari debent vi ejuſdem Conſtitutionis Gregorianæ = *Confeſſores verò ſive Sæculares ſive Regulares, quomodocunque exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, &*

ap-

approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Quod & ante paucos annos àglorioſè & doctiſſimè regnante Summo Pontifice Benedicto XIV. per ſuam Cooſtitutionem incip. *Paſtoralis* infrà ponendam confirmatum fuit, pluribus diverſorum Ordinum Regularibus allegatum poſſeſſionis ſuæ jus firmari fruſtra conantibus.

CASUS XXXVI.

Conceptio B. V. Mariæ.

PRæpoſitis Caſibus plures Doctores accenſent etiam illum, quo quis Regularium B. V. Mariam cum peccato originali conceptam fuiſſe, in publicis concionibus, lectionibus, aut concluſionibus aſſereret. Ita enim cenſuit Sac. Congregatio S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis 31. Aug. 1617. coram Paulo V. habita, & ita Alexander VII. in ſua Conſtitutione *Sollicitudo* 8. Decembr. 1661. edita præcepit &c.

CASUS XXXVII.

Pulſatio Campanæ die Sabbathi majoris hebdomadæ.

UT debitus honor Matrici Eccleſiæ præſervetur, Conſtitutione Leonis X. incipiente *Sacro approbante Concilio* Regulares Sabbatho Sancto Campanas ſuas, antequam Campana Eccleſiæ Matricis vel Cathedralis pulſetur, pulſare inhibentur. Ad quod tamen Paſſerinus *tom.3. de ſtat. quæſt.*189. *art* 10. *fol. mihi* 912. *num.* 1016. conſuetudinem immemorabilem per dictam Conſtitutionem &c. non eſſe ſublatam advertit, citans tres deciſiones Sac. Rotæ &c. deſuper in cauſis juris pulſandi Campanas emanatas.

Alios caſus, in quibus Regulares DD. Epiſcopis ſubjacent, ceu minus notabiles, hîc omitto, cum Libri Theologici & Practici, hujuſmodi caſuum relatione turgeant; omiſſos à me, huic immixtos facilè Lector inveniet.

Quæcunque vivæ vocis oracula revocat, iis, quæ S. R. E. Cardinalibus facta, & horum manu firmata ſunt, exceptis.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ divina providentia conſtitutus gratias, & indulta à ſe, & Prædeceſſoribus ſuis conceſſa, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, juxta creditum ſibi Paſtoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum & temporum qualitatibus debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectantes, ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque ex quavis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa quibuſvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Jeſu, ac Congregationibus quibuſlibet, ſive eorum, & earum reſpectivè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus quocumque nomine nuncupatis Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubjectis, cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas, in iis, videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque inpoſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus; firmis tamen, & in ſuo robore per-

permanentibus omnibus indultis,& aliis conceſſionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: Sicque per quoſcumque Judices &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis &c. Quibus omnibus, & ſingulis &c., expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis &c. quodque eædem præſentes literæ ſeu illarum exempla, ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die ij. Julii MDCXXII. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Exempl. impreſſum in Archivo generali Ord. Armario Doc. Authentica.

NOTA.

Ponitur hic hæc conſtitutio, cum juxta Decretum PP. Urbani VIII. infrà extenſum ad menſam legi debeat. Videat autem & lector tom. I. fol. 69. ea, quæ circa nos Capucinos ipſe hujus Conſtitutionis Conditor Gregorius declaravit.

DECRETO

S. Congregationis Regul.

Pro conſtructione novæ Domûs Regularis ſeu Conventûs non ſolùm Religioſorum in conſtructionis loco, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumvinis locis exiſtentium conſenſum (præter commodum duodecim Fratres alendi) requiri ſancitur.

Cum aliàs ſel. rec. Clemens Papa VIII. decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus cujuſcunque, præſertim Mendicantium, Ordinis in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ Juriſdictioni ſubjectis erigendos impartiri non poſſe, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & causâ ſervatis ſervandis cognitâ in eiſdem Civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus, ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe conſtiterit: Si verò ab eorum ſententiis ad Sedem Apoſtolicam provocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiù erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quamdiù à dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit, ac aliàs, prout in Decreto hujuſmodi plenius continetur. Verùm per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, pleroſque ex Ordinariis prædictis favore, vel nimia expoſcentium importunitate ad novos Conventus, ſeu Domos, præter, & contra tenorem prædicti Decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemoſynarum, ſeu redditūum cujuſcunque Monaſterii, Conventûs, ſeu Domûs ratione, Monachi, ſeu Fratres, aut Religioſi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Eccleſiis deſtituatur, ibique regularis diſciplina, ut convenit, conſervari non valeat, Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujuſmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti hujuſmodi veriores, ac totos tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habens, vivæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, Decretum prædictum, quatenus opus ſit, innovat,

& in uſum reducit. Volens, quod de cætero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium cujuſcunque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & inſtituti, quocunque nomine nuncupentur, etiamſi de illis particularis, expreſſa, & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacunque Civitate, vel Oppido, ſeu quocunque alio loco non erigantur, niſi in eo ſaltem duodecim Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex redditibus, & ex conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conventuum, ſeu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, ſeu Inſtitutorum hujuſmodi non ſolum in prædictis, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliàs Ordinariis locorum conſtiterit, Religioſos Monaſterii, Conventûs, ſeu Domûs regularis ſic erigendi, ſeu erigendæ abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu Domibus antea in Civitatibus, ſeu locis hujuſmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujuſmodi inſtituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant, hujuſmodi duodecim Religioſos in Conventibus, ut præmittitur, inſtituendis commodè alere, & manutenere valeant. Si verò à Decreto, ſeu Decretis per Ordinarios prædictos in cauſis hujuſmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc, prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacram Congregationem unà cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujuſmodi pendente, nihil innovandum eſſe, irritumque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuſcunque in contrarium facien. non obſtantibus.

Romæ 17. Auguſti 1622.

Exemp. impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Doc. Authentica.

Conſtitutionem Pii PP. IV. contra Confeſſarios, ſive Sæculares, ſive Regulares *Sollicitantes* confirmat & ampliat.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cæleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conſervetur immunis, multoque majori ſtudio providere, ut omnis peſtis ab iis avertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne, quod Evangelica ſcripta nos admonent, ſale inſatuato non ſit, in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit, ut impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſtifideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cœleſti medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diaboli inſidiis arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanârunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet.

Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſi in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori Generali. Cum, ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diverſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſive eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pænitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Salvatori noſtro Jesu Christo injuriam facere vereantur, mulieres videlicet, pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & provocando, ſeu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujuſmodi

Crea-

Creatori noſtro reconciliationis graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Divinæ Majeſtatis offenſam, & animarum pernicicm, Chriſtifidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod, qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitotis abutantur, aut illis injuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per Te, vel per alium, ſeu alios à Te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœceſûm de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum Regulares, cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper Fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatum Tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quovis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiam ſi, & prout de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, ſæcularis Judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Apr. MDCXI. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Igitur, ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum præinſertas literas hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robor adjicimus, illaſque non ſolùm in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſvis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de pœna bis delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes tam ſæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum, inſtitutorum, ſocietatum, & Congregationum Regulares, cujuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocunque, ubi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territoriis per has noſtras literas, etiam privativè quoad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuos Judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Officii Inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum, abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ ſæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Ve-

nerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam perniciofum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus, etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſæculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint ſuiſſe ab aliis, ut ſuprà, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus ſeu locorum Ordinariis prædictis, quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ: quodque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xxx. Auguſti MDCXXII. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Exempl. impreſſ. in Arch. generali Ordinis &c. confirmationem autem & alia hanc Conſtitutionem lector infrà inter Conſtitutiones glorioſè regnantis Summi Pontificis reperiet. Legatque eum diſtinctione Authores de hac Conſtitutione &c. tractantes.

URBANO VIII.

Florentino, antea Maphæo de Barberinis, Presbytero Cardinali tit. Sancti Onuphrii dies ſextus Auguſti, anni 1623. thiaram Eccleſiæ deſtinavit, qua redimitus per annos 20. menſes XI. dies 24. ſedit. Ceſſit fatis 29. Julii 1644. in Vaticano, & in monumento, manu & ingenio magnificè exſtructo, ac ad Epiſtolare latus Cathedræ Sancti Petri in Baſilicæ fronte collocato ſepultus.

Licentias à Superioribus Regularibus obtentas erigendi Monaſteria &c. revocat, & formam à Clem. VIII. ac Gregorio XV. circa novorum Conventuum erectiones præſcriptam ſervari jubet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus noſter, qui charitas eſt, & Deus pacis, Univerſalis Eccleſiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de cauſis à Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, ipſa ſubinde rerum experientia ſuadente, & majoribus ex cauſis, quibus præſertim perſonarum ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium paci, & quieti conſulitur, litibuſque, ac controverſiis inter eos obviam itur, revocat, & immutat, in hiſque paſtoralis ſollicitudis, & providentiæ ſuæ ſtudium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, complures licentiæ, ſive facultates à nonnullis Romanis Pōtificibus Prædeceſſoribus noſtris per diverſos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium inſtitutorum Superiores, ſeù aliis eorum nomine ubique locorum Monaſteria, Domos, Collegia, Conventus, & alia loca Regularia, quovis nomine nuncupata, ſervata dumtaxat Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini decretorum forma, de ſola Ordinarii licentia, ſeu etiam forſan non ſervata forma, & abſque licentia hujuſmodi, & contra decreta à Sede Apoſtolica

ſu-

ſuper præmiſſis edita fundandi, erigendi, & inſtituendi, importunis precibus, ſeù etiam Motu proprio, vel alias obtentæ, & extortæ fuerint: Idcircò Nos omnes, & quaſcumque licentias, ac facultates hujuſmodi, literaſque deſuper tam ſub plumbo, quàm in hujuſmodi formæ Brevis deſuper expeditas, earumque teoores etiam veriores, & Dat. præſentibus, ac ſi ſpecificè, & ſingillatim exprimerentur, & infererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & quaſcunque licentias, & facultates hujuſmodi, literaſque deſuper tàm ſub plumbo, quàm in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, & ſingula in eis quomodolibet contenta, & expreſſa, etiam quoad erectiones, fundationes, & inſtitutiones Monaſteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum hujuſmodi, quæ ſuum nondum ſortitæ ſunt effectum, tenore præſentium perpetuò revocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, viribuſque & effectu prorſus evacuamus.

PrætereaOrdinum,etiamMendicantium, Congreg., Societatum,& aliorum Inſtitutorum regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæteriſque perſonis, ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeù facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, ſive alio quovis prætextu vel cauſa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monaſteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſervatâ in omnibus, & per omnia ſacrorum Canonum, & Conc. Trident. necnon Conſtitutionis fel. record. Clementis VIII. quæ incipit (quoniam ad inſtitutam) ſub Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xxiii. Julii M. DCIII. ac Decretorum de mandato ejuſdem Clementis, necnon ſim. me. Gregorii XV. Rom. Pont. Prædeceſſorum deſuper editorum forma recipere, erigere, fundare, ſeu alias quomodolibet inſtituere, ſeu incepta ſioirè, & abſolvere audeant, ſeu præſumant. Decernentes præſentes litteras, etiam ea eo, quod cauſæ, propter quas illæ emanârint, expreſſæ, verificatæ, aut quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeù habere prætendeotes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis conſenſerint, vel aliàs ea quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius, vel controverſiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe, ſed eas, ac omnia, & ſingula in eis contenta ſemper & perpetuò valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, faciant illas, & illa ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac regula noſtra de jure quæſito non tollendo, & re: me: Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorunque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus

& for-

& formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritaotibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & ſæpius innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad boc ſervanda foret, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & espreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentes in Valvis Baſilicarum Sancti Joannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, omnes, quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent; Quodque earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII. Auguſti M.DC.XXIV. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Exemplar Romę impreſſum in Arch. generali Ordinis Armario Docum. Authentica.

DECRETIS

S. Congregationis Concilii.

Authoritate Urbani VIII. editis de celebratione Miſſarum ac earum onere & ſtipendiis varia præſcribuntur.

CUm ſæpe contingat, in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri; & tamen oova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur, indeque fiat, ut deperеant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles gravi ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quod Eccleſiis, forte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum abſque ullo emolumento; aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubjicere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterii adeo exigui, ut Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione novis ſe oneribus obſtringere compellantur: Sacra Congregatio Card. Conc. Trid. Interpretum animadvertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique ac Juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere, atque èradicare: SS. D. N. Urbani Divina Providentia PP. VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò, diſtrictè prohibet, atque interdicit, nè Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quo quo modo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro bis omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod msgis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde, ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis, celebrandis plura ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Coogregatiooibus, Domibus, ac locis piis quibuſcunque tam ſæcularibus, quàm Regularibus, Sac. Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præcipit; ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant;

ciant; quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, ut deinceps obſervetur exactiùs, Sac. Congregatio eadem autboritate revocat privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis püs, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcunqne Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratinne, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribua in futurum ſuſcipiendis ſatiſfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, probibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſiis, in qnibus oneraMiſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sscerdotes in eis, ut pareſt, adimplendis eò tepidinres, ac ſegninres reddantur, quod onera hujuſmodi cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta; ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Cnngregationibus, Monaſteriia, Conventibus, ac locis omnibns tam Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſnnia in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, à die realis acquiſitinnis ſtatìm deponi debeant penes ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultstibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illnrum pretium quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia auctnritate Apnſtolica deinceps alienari contigerit, enrundem pretium ſub eadem pœna, ut ſuprà, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sac.Congregatio quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam Sæculsrium, quàm Regularium Superinribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſæculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus generalis Vicarii, Regulares verò ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis enncedenda; alioquin ſæcularis, qui hujua prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque activæ, ac paſſivæ, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas prn Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valcant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auſerant ab Eccleſiis cum inſcriptinne illa, Eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcnpus verò, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis nneribus ſuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tam novo nneri ſuſcipiendo, quàm antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & locis piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis, ſecundùm morem cujuſque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſs. Patres, nnn ſine gravi animi dolore intelligentes, mala ſere omnia, quæ Regularem diſciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque Monaſterii; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, SS. D. N. autboritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prinribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumqne aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumqne Ordinis, Congregstionis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad qnos pertinet, in qualibet Prnvincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis prnbatioribus,

& re-

Digitized by Google

& rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tàm communes Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum ejuſdem Provinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere; eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel provinciali eoram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui, computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo Regulari juxta regionis, & proprii inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, reddituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſque familiæ, Monaſterii, Conventus, ac Domûs Regularis in ſingula quaque Provincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſeriùs, aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sac. Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant, numerumque familiæ, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quàm locales perpetuò ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augumenti reddituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem hujuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſuprà præſcriptum, quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque activæ, ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eoipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis, Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium, nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis ejuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſuprà, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum Decreti fel. rec. Gregorii XV. hac de re editi; Alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſuprà, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Porro, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventûs, ac Domûs Regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventûs, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcunque ſint ordinis, conditionis, & gradûs, quàm laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Jo: Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet Inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam ſæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indul-

Digitized by Google

dultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ authoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes Ordinationes in valvis Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent, utque earundem præſentium transſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ die 21. Junii 1625.

Exempl. impreſſum in Arch.gen.Ord. Arm. Doc. Authentica.

D U B I A

Super Decretis antepoſitis oborta ab eadem S. Congregatione Summi Pontificis authoritate declarantur.

Super primo Sacræ Congregationis decreto, de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis:

Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire, &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut poſſit hujuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint:

Quæritur: an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an, cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruum, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu capellæ, legati, aut ſalarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Miſſæ ſacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quod Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat:

Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium?

Septimò, ſuper quarto ejuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat:

Quæritur, an permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Digitized by Google

Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum Beneficii?

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolitâ pro celebratinne Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Decimò, ſuper quinto ejuſdem Congregationis decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis) ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant novas eleemoſynas ii, qui acceptis non ſatisfecerunt: & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Undecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret, cum primùm poterit?

Duodecimò, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur?

Decimò tertiò, an in hoc decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die commemorationis Omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (*caſſe de' Morti*)?

Decimò quartò, an Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ devotionis & concurſûs poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis nonniſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & devotio, ac concurſus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimò quintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & piorum locorum, tam ſæcularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& aliis, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimò ſextò, ſuper ſeptimo ejuſdem Sacræ Congregationis decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari?

Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis decreti ſan:mem: Pauli V., abſque tamen computatione reddituum cujuſque Religioſi, ſit denuo facienda, nec ne?

Decimò ſeptimò, An Novitii, ad Habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus, habita, ut ſuprà, præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimò octavò, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita ut alioquin ſubſint Juriſdictioni ordinariæ:

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capucinorum, ac Societatis Jeſu?

Ultimò, an idem Decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi à Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet:

Ad primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſuprà, impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe judicaverit; Veruntamen, ſi in ipſa beneficii erectione expreſſè cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hæc de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem ſuæ Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus

Digitized by Google

bus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eâdem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca Pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, uteumque minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi eum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non babeat redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ ſacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominùs eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſuprà, deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad decimum, reſpondit, non prohibere abſolutè: Ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad undecimum, quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis juxta benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad duodecimum, bas pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum tertium, comprehendi.

Ad decimum quartum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſuprà in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimum quintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum ſextum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervatâ forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum ſeptimum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs babiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commodè ali poſſint.

Ad decimum octavum, cenſuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum etiam extra Italiam.

Exemplar Romæ impreſſum in Arch. gen. Ord. Armar. Authentica. *Plura de hac re coacervata dabit Index hujus tomi.* Verb. Miſſa.

N O T A.

DUbitatum quoque fuit, an nos Capucini ad dandam Sac. Congregationi de caſualibus Fratrum mutationibus juxta præſcriptum ſuprà *fol.392.* expreſſum forent obſtricti, quem in finem ſupplicem libellum porrexerunt tenoris ſequentis:

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini. Religio FF. Capucinorum humil. Oratorum exponit, quod, quantumque Familias Conventuum ita diſponat, ut in quolibet numerus Fratrum ad portanda Conventuum onera neceſſarius, & ex eleemoſynis, quæ amore Dei congeruntur, ſuſtentandus collocetur, nihilominus numerum hujuſmodi quotidie akerare tenetur, tum Fratres infirmos, ad valetudinaria, convaleſcentes, ſenes, & ad onera & ſtudia inhabiles ad ſalubrioris aeris loca, tum Concinnatores ad guſtum Communitatum & Dominorum locorum, in quibus prædicare debent, tum alios ad ſtudia, etiam aliquoties cum tranſitu Fratrum per alias Provincias, tum alios ob profeſsionem, quam Novitii emittunt, & qua emiſsâ ad alia loca extra Novitiatum mitti debent, tum alios ob alios caſus ad Conventus ablegando, à quibus Fratres, ibi præexiſtentes, & ob onera & alias cauſas neceſſarii, per Fratres alios & adauctos, vel ob impotentiam, vel alias occupationes ſuppleri non poſſunt. Ubi tamen ſemper attendit, ut is conſtituatur in iis numerus Fratrum, qui ex quotidiana eleemoſyna ſuſtentari queat, & conſequenter, cum nec

Digitized by Google

in Capitulis, nec extra ea, vel ſemel vel pluries nota hujuſmodi mutationum, cum ſint frequentiſsimæ dari queat, imò ſi & eam dari contingeret, non ſine Illuſtriſsimarum Dom. Veſtrarum, & Fratrum notabili moleſtia id fieret &c. Hinc dicta Religio ſupplicat pro declaratione, quod ad dandam hujuſmodi mutationum notam non ſit obligata. Quod &c.

Ad quod cenſuit & reſcripſit = *Die 17. Auguſti 1625. Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Oratores teneri exhibere notam dumtaxat illorum, qui ſunt de numero præfixo Familiæ ſingulorum Monaſteriorum.*

Cumque pariter dubitatum fuiſſet, an & notam reddituum vel eleemoſynarum &c. Religio Capucina exhibere deberet, & ideo in articulo ſuprà *fol.* 391. poſito comprehenſa eſſet, ſupplicatum eſt Sac. Congregationi pro Declaratione, ſequenti libello ſupplici.

Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini. In Decretis hujus Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum verbis univerſalibus, & generaliſsimis exprimitur, quod Regulares ſive bona immobilia, redditus, cenſus &c. vel eleemoſynas ordinarias & determinatas habeant, vel non, exhibeant illarum notam, & recognitam ad Capitula deferant, quatenus numerus Fratrum, qui ex iis ſuſtentari poſſunt, determinetur. Et quantumvis Religio Capucina, ſe non comprehenſam eſſe ſupponat, cum nec redditus, nec eleemoſynas certas habeat, vivat ex eleemoſynis quotidianis, cum in quibuſdam locis dumtaxat Communitas aut Benefactores, aliqualem eleemoſynam contribuant, eoipſo incertam, cum ab eorum arbitrio dependeat, eam non contribuendi, aliàſque in Familiarum diſpoſitione ad id reſpiciat, ut Fratres cum dictis eleemoſynis quotidianis ali queant; hinc ſupplicat declarari, Capucinos non eſſe in dictis Decretis comprehenſos &c.

Ad quod *Die 29. Auguſti 1626. Sacra Congregatio Illuſtr. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit Oratores non teneri.*

Utriuſque hujus Decreti exempl. auth. in Arch. gen. Ord. Armario *Documentis authenticis*.

Auctoribus quoque quibuſdam contra vel circa Decretum ſecundum de celeb. Miſſarum contendentibus, Sacerdoti, qui pro alio Miſſam celebrat, & eleemoſynam recipit, licitum eſſe pro fructu, *ſpeciali* dicto, aliam inſuper eleemoſynam recipere, prodiit declaratio Sacræ Congregationis ſub Alexandro VII. ſub ſequenti tenore:

Cum Auctores nonnulli ſcriptis ſuis, etiam typis editis aſſeruerint, Sacerdoti pro alio Miſſam receptâ eleemoſynâ celebranti licitum eſſe, aliam eleemoſynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructûs, ſeu valoris ejuſdem ſacrificii ipſimet celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) *applicet: Ac proinde hunc caſum ſub Decreto Sacræ Congregationis Concilii, prohibente duplex pro unica Miſſa ſtipendium, ſeu eleemoſynam recipi, non eſſe comprehenſum:*

Propterea Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quæ auctoritate ſibi per Apoſtolicam Sedem ſpecialiter attributa, ſedulò curat, ne à Sacerdotibus circa celebrationem ſacroſancti Miſſæ ſacrificii, unde in nos uberrima Divinæ liberalitatis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut ſuſpicio contrahatur, antedictam aſſertionem maturè examinavit; eâdemque prorſus reprobatâ, ſub die 25. Januarii 1659. cenſuit:

Nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione, ſive prætextu aliam eleemoſynam accipere, præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur. Ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in Decretis aliis per eamdem Sacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro unica Miſſa recipiatur.

Quam Sacræ Congregationis ſententiam ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Alexandrum Papam VII. relatam, Sanctitas Sua ſub die 29. ejuſdem Menſis approbavit; & Decretum publicari, atque ad Epiſcopos, & Generales Regularium Ordinum tranſmitti juſſit; ut ipſi Doctrinam hujuſmodi per ſuos Pœnitentiarios, & Confeſſarios, ac Lectores reſpectivè inſinuari, doceri, atque in Tractatibus moralibus per eoſdem imprimendis evulgari, paſtorali vigilantiâ curent.

Exemplar Romæ impreſſum in Arch. gener. Ord. Armario *Authentica*.

Cultum viginti trium Martyrum Ordinis Minorum Nangaſacki in Regno Japoniæ occiſorum approbat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

SAlvatoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui Milites ſuos inclytos, quorum mors pretioſa eſt in conſpectu ejus, immortalitatis corona donat in Cœlis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, pia Chriſtifidelium, præſertim Catholicorum Regum vota, per quæ eorumdem Sanctorum Militum veneratio promovetur, & laudatur Dominus in Sanctis ſuis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribuſque, & gratiis proſequimnr opportunis. Cũ itaque, ſicut dilectus Filius Petrus Baptiſta, Procurator Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Diſcalceatorum nuncupatorum, Provinciæ S. Gregorii Philippinarum, & Japponiæ Nobis nuper exponi fecit, Venerabiles Fratres noſtri, S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus præpoſiti in cauſa Canonizationis vigintitrium Martyrum, videlicet, Petri Baptiſtæ, & Sociorum ejus ex dicto Ordine, quorum nempe ſex Profeſſi, cæteri verò Laici, ſamiliares, & coadjutores eorumdem ſex Profeſſorum erant, quique omnes PRO CHRISTI NOMINE in Oppido, Civiiate nuncupato, Nangaſaqui extra muros in Regno Japponiæ Cruci affixi, & tranſverberati fuerunt, in Sacro Rotæ Auditorio, & deinde de mandato noſtro ab eiſdem Cardinalibus, referente dilecto Filio noſtro Tiberio. Tituli S. Priſcæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato, diſcuſſa cenſuerint, conſtare de Martyrio, & Miraculis. Ideoque ad actualem illorum Canonizationem quandocumque deveniri poſſe; Superiores verò dicti Ordinis pro eo, quem erga eoſdem Martyres gerunt, devotionis affectu, Officium, & Miſſam de illis, donec ad ſolemnem eorum Canonizationem, pro qua non ſolùm dictus Petrus eorumdem Fratrum nomine, verùm etiam chariſſimus in Chriſto Filius noſter, Philippus, Rex Catholicus, ac chariſſima in Chriſto Filia noſtra, Iſabella, Regina Catholica Hiſpaniarum, necnon univerſa Civitas Manilenſis, Chinenſis, ſeu Machanenſis, aliique Nobis per eorum litteras ad Nos tranſmiſſas humiliter ſupplicârunt, deveniatur, ut infra, recitari poſſe plurimùm deſiderent. Nos, piis eorumdem Superiorum votis hujuſmodi, quantùm cum Domino poſſumus, annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Petri eorumdem Superiorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: De eorumdem Cardinalium conſilio, ut de eiſdem Martyribus, tam ab omnibus dicti Ordinis S. Franciſci Religioſis ubique exiſtentibus, quàm etiam aliis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis Manilenſis Diœceſis dumtaxat, ubi præcipui dictorum Martyrum pro Chriſti fide laborantes valde profecerunt, Officium, & Miſſa de Communi plurimorum Martyrum die eorum Natalis, videlicet, die quinta Februarii recitari, & celebrari reſpectivè liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Septembris MDCXXVII. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Exempl. impreſſum in Arch. gener. Ordin. Armario Doc. Authentica.

In Conſtitutionibus Apoſtolicis, Fidem Catholicam, & S. Inquiſitionis Officium concernentibus, tam hactenus editis, quàm impoſterum etiam ſuper quacunque alia re edendis, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos, & in edendis ſpecialiter non exceptos, comprehendi declarat.

Digitized by Google

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, ſicut accepimus, Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennenſis, Societatis Jeſu, ac aliorum forſan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum Regularium Profeſſores vigore, ſeu prætexta privilegiorum, & indultorum ſibi, dictiſque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, ab hac Sancta Sede Apoſtolica tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, conceſſorum, in Conſtitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis ſe minimè comprehendi prætendant, niſi de eis ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio fiat: Nos, qui inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolatûs noſtri curas in eam præcipuo, ac peculiari ſtudio jugiter incumbimus, ut extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus, Catholica Fides ubique gentium conſervetur, & propagetur, ambiguitates & dubia de medio tollere, & opportunæ diſpoſitionis miniſterio providere volentes, ut tot, tantæque Conſtitutiones generales à Nobis, & hac Sancta Sede, & præſertim ad favorem Fidei Catholicæ, illiuſque propagationem, & Officii Sanctæ Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem editæ, & de cætero edendæ, ſublatis quibuslibet exceptionibus, ſubterfugiis, & impedimentis ad majorem Dei gloriam, ſanctæque Matris Eccleſiæ exaltationem debitum, ut par eſt, ſortiantur effectum, necnon quorumcunque privilegiorum & gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacunque cauſa conceſſorum, etiamſi in corpore juris clauſa ſint, tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſervata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; Quod quævis generales Conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes Apoſtolicæ per Nos, & quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros in concernentibus Fidem Catholicam, illiuſque propagationem, & Sanctæ Inquiſitionis Officium præſatum, præſertim quoad ea, quæ in Congregationibus Sancti Officii, & de Propaganda Fide coram Nobis tractari ſolent, hactenus editæ, omnes, & ſingulos tam Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennenſis, & Societatis Jeſu præſatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum Profeſſores omnino comprehendant, perinde ac ſi præſati, & alii, quantumlibet privilegiati, in eis nominatim expreſſi fuiſſent; edendæ verò in poſterum per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, tam in favorem præſatæ Fidei Catholicæ, illiuſque propagationis, & Sancti Officii Inquiſitionis præſati, quàm ſuper quacunque alia re, negotio, ſeu materia, Conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes hujuſmodi ſimiliter omnino comprehendant præſatos eorundem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum Profeſſores, niſi in edendis Conſtitutionibus hujuſmodi ſpecialiter, & expreſsè excipiantur, etiamſi ipſi privilegiati forent magis ſpeciali nota, & expreſſione digni, eiſque privilegia, gratiæ, & indulta, à Sede Apoſtolica præſata, etiam ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, quę etiam Motu, ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine ſimilibus, & conſiſtorialiter, etiam contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet conceſſa reſpectivè ſint, quorum, ſeu quarum vigore, vel prætextu ſint excepti, ſeu ſe minimè comprehendi prætendant in Conſtitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expreſſam eorum mentionem. Præſentes verò literas, omniaque, & ſingula in eis contenta, etiam ex eo, quod Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum hujuſmodi Profeſſores, vel alii quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi, ac cauſæ, propter quas eædem præſentes emanârunt, adductæ, verificatæ, ſeu aliàs juſtificatæ non fuerint, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis, etiam quantumvis ſubſtantiali, defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari ullatenus poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limi-

tatio-

Digitized by Google

ſationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, ſemperque validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus regula noſtra de jure quæſito non tollendo, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon tam Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennenſis, & Societatis Jeſu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & privilegiis, necnon præfatis, & quibuſvis aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare magnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, Monaſteriis, locis Regularibus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Novembris M.DC.XXXI. Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Exemp. Romæ impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario prædicto.

Conſtitutionem Gregorii XV. vivæ vocis oracula revocantem confirmat, & revocationem etiam ad oracula à S. R. E. Cardinalibus obtenta, eorumque manu firmata extendit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor Noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus & abuſibus ex privilegiis à Sede Apoſtolica vivæ vocis oraculo ſæpenumero conceſſis obviam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſubſequen. videlicet. Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ divina providentia conſtitutus &c. *Reſiduum vide ſupra fol. 384.*

Cum autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiã à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas ſæpe ab his, in quorum favorem emanârunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari: Idcirco, quantùm cum Domino poſſumus, his, & aliis malis occurrere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negocium hujuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcun-

cunque per Summos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuſcunque Generalibus, Provincialibus, cæteriſque Superioribus, & perſonis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſive ſæcularibus, ſive Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Jeſu, aut ejus Clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque perſonis prædictis quacunque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nullique prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus. Præterea, ut præſentes literæ omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quantò citius innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jeſu, & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis activæ & paſſivæ pœnis ipſo facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infra tres menſes proximos à die publicationis præſentium computandos, omnes & ſingulos Provinciales eorundem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jeſu, & Inſtitutorum, de eiſdem præſentibus literis certiores faciant, earundemque præſentium exemplaria illis tranſmittant: qui quidem Provinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium præcipere, ut eaſdem præſentes ſubditis ſuis, ut moris eſt, publicent. Decernentes præſentes literas etiam ex eo, quod quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane; ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præinſertis literis hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, etiam Regula Noſtra de non tollendo jure quæſito, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Cardinalibus, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma adhoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumns autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ: quodque eædem præſentes literæ, ſive illarum exempla ad valvas Baſilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ hujuſmodi ſimiliter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoria die xx. Decembris MDCXXXI. Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Exempl. Romæ impreſ. in Arch. generali Ord. Arm. prædicto.

Supe-

Digitized by Google

Superiores cujuſvis Ordinis, ut de obſervantia Conſtitutionum, præſertim ad Sanctum Officium Inquiſitionis pertinentium, ſemel in anno, id eſt, feriâ ſextâ poſt Octavam Aſſumptionis B. V. Mariæ in publica Menſa vel Capitulo ſpecialiter convocato &c. ſuos Religioſos commoneant, ſub pœnis mandat, ac Decreta & Conſtitutiones ſpecificat.

Feria v. Die XIV. Aprilis MDCXXXIII.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Urbano, Divina providentia Papa VIII., ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus Dominus Noſter ſedulò incumbens, ut ea, quæ ſalubriter Apoſtolicis Decretis, & Conſtitutionibus ſtatuta & ordinata ſunt, præſertim, quæ ad Sanctum Officium Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem pertinent, inviolabiliter obſerventur, & omnimodam ſortiantur executionem, diſtrictè mandat & præcipit: ut omnes Superiores cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ Regularis, aut cujuſvis alterius Inſtituti, etiam quantumvis exempti & privilegiati, teneantur ſub pœna privationis officii, ac vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis, in perpetuum ſemel ſaltem in anno, ideſt, feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato: Et inſuper in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congreſſu, ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere de injuncta omnibus obſervantia & executione earundem Apoſtolicarum Conſtitutionum & Decretorum, ad Sanctum Officium Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem pertinentium, ac præſertim:

Julii III. Conſtitut. XI. incip. *Licet à diverſis*. Contra impedientes Inquiſitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes, eorumque complices & fautores: Et contra ipſos Inquiſitores admittentes laicos ad criminis hæreſis cognitionem. Et Pii V. Conſtitut. 82. incip. *Si de protegendis*. Contra occidentes, verberantes, dejicientes, aut perterreſacientes quemvis ex Miniſtris Sanctiſſimi Officii Inquiſitionis, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi, vel Provincia obeuntium, ſeu Accuſatorem, Denunciatorem, aut Teſtem, in cauſa fidei quomodocumque productum, vel evocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliove exportantes alicujus prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliave inſtrumenta, ſive publica, ſive privata, ubicumque poſita, eorumque complices & fautores: & contra effringentes carcerem vel cuſtodiam publicam vel privatam, extrahentes vel emittentes Vinctum, prohibentes capiendum, captumve eripientes, recipientes, occulentes, ſeu facultatem effugiendi dantes, ſeu id fieri jubentes, eorumque complices & fautores, etiam effectu non ſecuto: nullatenus excuſandos, niſi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes: & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: Inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Juliæ Majeſtatis, eorumque filiis irrogantur: & oblata Revelantibus impunitate.

Pii IV. Conſtitut. 31. incip. *Cum ſicut nuper*. Contra Sacerdotes, qui Pœnitentes Mulieres in actu Sacramentalis Confeſſionis ad inhoneſtos actus provocare & allicere teotant & ſollicitant. Et Greg. XV. Conſtitut. 34. incip. *Univerſi Dominici Gregis*; ampliativæ circa hujus criminis probationes, & extenſivæ contra Confeſſarios, qui perſonas (quæcunque illæ ſint) ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, vel extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario, aut alio in loco ad audiendam Confeſſionem electo, ſollicitare vel provocare tentaverint, aut cum illis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint. Et contra Confeſſarios non monentes eos, quos ſciunt ab aliis Confeſſariis ſollicitatos eſſe, ut Inquiſitoribus vel Ordinariis ſollicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

Gregorii XIII. Conſtitut. 21. incip. *Officii noſtri partes*. De Juriſdictione Inquiſito-

ſitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratûs non promoti Miſſas celebrant, & ſacramentaliter confeſſiones audiunt. Clementis VIII. Conſtitut. 81. incip. *Etſi aliàs*: declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Judices laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis Suæ Conſtitut. 79. incipien. *Apoſtolatûs Officium*: extenſivæ ad minores 25. annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleverint.

Sixti V. Conſtitut. 17. incip. *Cæli & Terræ Creator*. Contra exercentes artem Aſtrologiæ Judiciariæ, & alia quæcumque Divinationum genera, libroſve harum artium legentes vel tenentes. Et Sanctitatis Suæ Conſtitut. 113. incip. *Inſcrutabilia Judiciorum Dei*: extenſivæ ad alia, & cum gravioribus pœnis.

Clementis VIII. Conſtitut. 42. incip. *Cum ſicut*. Contra Italos, ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, ſive uſus Catholicæ Religionis non exiſtat, minuſque eis in locis habitent. Et Gregor. XV. Conſtitut. 28. incip. *Romani Pontificis*: contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & Inſularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores & receptatores.

Pauli V. Conſtitut. 26. incip. *Romanus Pontifex*. Revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religioſorum quoquomodo conceſſarum, cognoſcendi Cauſas ſuorum ſubditorum ad Officium Sanctæ Inquiſitionis quomodolibet pertinentes.

Ejuſdem Conſtitut. 97. incip. *Regis pacifici*. Innovatoriæ Conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: Impoſitionis majorum pœnarum in tranſgreſſores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus puniendos. Et Gregorii XV. Conſtitut. 29. incip. *Sanctiſſimus Dominus Noſter auditis*: ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis aſſerendi Beatam Mariam Virginem conceptam eſſe in peccato originali.

Gregorii XV. Conſtitut. 27. incip. *Romanus Pontifex in ſpecula*: Revocatoriæ quarumcumque Conceſſionum vivæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis Suæ Conſtitut. extenſivæ ad quoſcumque, quantumvis privilegiatos & exemptos, incip. *Aliàs fel. rec. Gregorius Papa XV. ſub Dat. Romæ 20. Decembris* 1631.

Ejuſdem Conſtitut. 40. incip. *Apoſtolatûs Officium*. Et Sanctitatis Suæ Conſt. 114. incip. eo modo. Revocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis Suæ Conſtitut. 37. incip. *Sanctiſſimus Dominus Noſter ſollicitè animadvertens*. De Imaginibus nondum à Sede Apoſtolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radiis, ſplendoribus, aut laureolis non proponendis: Tabellis, aut luminaribus ad eorum ſepulchra non apponendis: eorumve geſtis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis Suæ Conſtitut. 50. incip. *Sanctiſſimus Dominus Noſter pro debito ſui Paſtoralis officii*. De libris ubicumque compoſitis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui degunt in Statu Eccleſiaſtico, non tranſmittendis aliò, ut imprimantur, ſine Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii in Urbe, vel extra eam ſine Ordinarii, & Inquiſitoris, aut ab eis deputatorum, licentia.

Et ejuſdem Sanctitatis Suæ Conſtitut. ſub Dat. Romæ die 5. Novembris 1631. incip. *Cum, ſicut accepimus*. Quod Conſtitutiones Apoſtolicæ Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & inpoſterum etiam ſuper quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, niſi in edendis illi ſpecialiter excipiantur.

Et inſuper iidem Superiores teneantur curare & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſerventur ita, ut ab eiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant: Deque hujuſmodi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Congregationem Sanctiſſimæ Inquiſitionis in Urbe. Et ita mandat & præcipit Sanctitas Sua.

NOTA.

Omnium harum Conſtitutionum, & Decretorum ſicut & aliarum ac aliorum, quæ ad menſam publicam legi ſancitum eſt, Appendix fini hujus tomi pro Conventuum commodo adjungetur.

Nec Regulares invitatos, à Cadaveribus in quacunque Eccleſia tumulandis, proceſſionaliter aſſociandis à DD. Parochis impediri, nec Hæredes ad exequias & anniverſaria in Eccleſiis Parochialibus pro Defunctis in Eccleſiis Regularium ſepultis perſolvenda cogi poſſe confirmat.

UR-

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Procuratorum Generalium Ordinum Prædicatorum, S. Franciſci, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quod aliàs à Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Sacris Ritibus præpoſitis, emanavit Decretum tenoris ſequentis, videlicet: *Inſtantibus Procuratoribus Generalibus Ordinis Prædicatorum, S. Franciſci, S. Auguſtini, & Diſcalceatorum Carmelitarum declarari:* Primò, *An liceat Curatis, ſalvis eorum juribus Parochialibus, impedire contra voluntatem Hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda unà cum Parochis & Clericis proceſſionaliter aſſocient.* Et ad hoc Sac. Rit. Congregatio reſpondit: *Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri:* Secundò, *An prædicti Curati poſſint cogere Hæredes, ſeu Executores teſtamentarios, ut pro Defunctis, qui tumulantur in Eccleſiis Regularium, in ſuis Eccleſiis Parochialibus celebrari faciant novennalia & anniverſaria, prout celebrantur in Eccleſiis Regularium, in quibus Cadavera ſepeliuntur.* Et Sac. Rit. Congregatio reſpondit: *Non poſſe cogere. Die 23. Aprilis* 1633.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes, Decretum præinſertum Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent, Nos, illos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibusvis &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper intervenerint, ſupplemus. Decernentes Decretum præfatum, necnon litteras præſentes valida, firma &c. Non obſtantibus &c. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Junii MDCXXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Bull. Ord. Præd. tom. VI. *fol.* 88.

Abuſum Habitûs Tertiariorum Ordinis S. P. Franciſci reprobat, & locorum Ordinarios, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ne quenquam, abſque licentia Superiorum prædicti Ordinis in ſcriptis obtenta, Habitum pariter prædictum deferre permittant, & ne cuiquam Habitum portandi cum Caputio licentiam concedant, hortatur, ac deferentes carceris detentione, Habitûs privatione, aliiſque pœnis arbitrariis puniri jubet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Sancti Franciſci Nobis nuper exponi fecit, quamplures abutentes Habitu Fratrum Tertiariorum Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci, vel ſimplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel ſine eo abſque Superiorum prædictæ Religionis licentia deferant, vel etiam eis Caputium aut Tunicæ adjunctum, aut ipſi Mantello conſutum ſuperaddant, eorumque nonnulli extra Clauſtra degentes tum ſcandaloſè, & importunè ſub ſpecie peregrinationis, aut alterius emendicati prætextûs divagentur, tum etiam aliquas Eccleſias ſeu Capellas, adſcito ſibi Eremitarum nomine, incolant, exindeque maxima apud ſæculares ſcandali materia, & pravæ opinionis erga prædictam Religionem ingeratur, Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut tot incommodis & ſcandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Omnibus & ſingulis locorum Ordinariis, ac noſtris & Sedis Apoſtolicæ Nunciis ubivis Terrarum conſtitutis & degentibus, tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, ne de cætero quemquam prædictam

Digitized by Google

Tunicam oblnngam, cum, vel ſine Mantello abſque Superiorum prædictæ Religionis Minorum de Obſervantia & cujuſvis Inſtituti ſeu Congregationis Ordinis ejnſdem Sancti Franciſci licentia in ſcriptis obtenta qunquomodo deferre permittant, ntque, ſi aliquem præmiſſorum tranſgreſſorem repererint, illum carceri mancipandum, tali Habitu exuendum, & arbitrariis pœnis mulctandum irremiſibiliter curent: & præterea nemini licitum faciant, etiamſi prædictæ Religinnis Minnrum de Obſervantia, & cujuſvis Inſtituti ſeu Congregatinnis univerſi Ordinis hujuſmodi Superiorum ſcripta, ſeu quovis alio prætextu robnrata licentia deſuper acceſſerit, ut Habitum hujuſmodi cum prædicto Caputin, vel Tunicæ, ſeu Mantello, ut præſertur, conſuto deferant, ſublatâ ejuſdem Ordinis Superinribus, ipſiſque locorum Ordinariis, ac Nnnciis Apoſtnlicis, & enrum cuilibet quavis auctoritate licentias hujuſmodi cuiquam concedendi; ac demum, earumdem tenore præſentium vnlumus & ordinamus, ut, ſi quiſpiam tale deſerens Caputium, vel cum licentia, vel ſine ca inventus fuerit, carceris detentione, Habitûs privatione, & aliis arbitrariis pœnis ab eiſdem Ordinariis & Nunciis omnino puniatur. Non obſtantibus Conſtitutinnibus, & Ordinatinnibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apnſtnlica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apnſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodnlibet conceſſis, cnnfirmatis, & innnvatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum omnium tenorcs, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſun robore permanſuris, ad præmiſſnrum effectum ſpecialiter & cxpreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes nnſtræ litteræ ad omnium, quos illæ concernunt, notitiam faciliùs deveniant &c. Volumus autem, quod illarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigilln perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi ſnrent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majnrem ſub Annulo Piſeatoris die v. Octnbris MDCXXXVIII. Pontificatûs noſtri Anno Decimn ſexto.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. gener. Ord. Armario. Documen. Authentica. *Fuit & hæc Conſtitutio à ſa. me. Benedicto XIII. per Conſtit. incip.* Aliàs emanârunt = *editam 16. Maji 1729. & videndam in Bullar. Roman. tom. 12. fol. 394. col. 2. confirmata.*

Declarationem, ſeu moderationem Conſtitutionis glor. mem. Clementis VIII. *de largitione munerum* confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper à Congregatinne nnnnullorum Romanæ Curiæ Prælatnrum, cnram dilectn Filin noſtro, Antnnio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato, Majori Pœnitentiario, ac noſtrn in Alma Urbe Pro-Vicario in ſpiritualibus Generali, & noſtro ſecundùm carnem Fratre Germano, à Nobis deputata, emanavit declaratio tenoris ſubſequentis, videlicet: Cum circa interpretatinnem Cnnſtitutinnis fel. rec. Clementis VIII. ſub dat. XIII. Kal. Julii Pnntificatûs ſui Anno Tertio, De Largitinne munerum, Regularibus utriuſque ſexûs interdicta, nnnnullæ difficultates, & ambiguitates ſint exortæ; Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino noſtrn Urbano Divina Prnvidentia Papa VIII. cnram Eminentiſſimo Cardinali S. Onuphrii Majori Pœnitentiarin, ac Urbis Prn-Vicarin deputata, auctoritate ſibi attributa declaravit, & declarat, munera à Religioſis utriuſque ſexûs tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis, cnnciliationis benevolentiæ, ejuſqne conſervationis erga ipſam Religionem, vel Conventum, aliiſve cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, mndeſtè tamen, ac diſcretè, & dummodo id nnn fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu majnris partis Conventûs, ſi talis conſenſus de jure, vel ex conſtitutinnibus, ſeu cnnſuetudinibus cujuſqueReligionis reſpectivè, in hujuſmodi caſibus requiratur. Conſenſum verò Cnnventûs in §. 3. ejuſdem Conſtitutionis ad levinra eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem, & religinſitatem pertinentia munuſcula largienda &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu aliàs de jure requiſitn, & ubi concurrit ambitionis ſuſpicin, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis in §. 4. ejuſdem Bullæ requiſitam, ſed ſufficere licentiam, etiam oretenus eiſdem conceſſam, declarat. Cnmeſſationes autem, cnmpotatinnes, & convivia in excipiendis, præſertim Benefa-

ctn-

ctoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorificè & lautè, de quibus in §.5.& 6. ejuſdem Conſtitutionis, cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentiæ ſtatûs Regularis adverſentur. Reſtitutionem verò receptorum Conventibus faciendam, de qua in §.7. ibidem cautum eſt, intelligi debere de Conventibus, ad quos data, donata, ſeu miſſa de jure pertinent, ſi id commodè fieri poteſt, aliàs Conventui ejuſdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit abſolutio, reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi attributa, omnes, qui hucuſque adverſus ſupradictæ Conſtitutionis Capitula hîc moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuſcunque in eadem Conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere à propriis Confeſſariis abſolvi in foro conſcientiæ, etiam non facta prius hujuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit majori Pœnitentiario, ut de præteritis uſque ad diem datæ præſentium in foro conſcientiæ abſolvat, diſpenſet, & condonet, ſeu abſolvi, diſpenſari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit. Et ne prædictæ Clementis VIII. Conſtitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuſcumque Monaſterii, Conventûs, Domûs, ac Collegii Regularis ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo jure incurrenda efficere teneantur, ut in perpetuum ſingulis annis menſe Januario, non ſolùm prædicta Conſtitutio (quam in reliquis ejus partibus eadem SanctitasSua omnino obſervari jubet,&,quatenus opus ſit,innovat, quemcumque prætenſum non uſum, aut prætenſum uſum, ſeu prætenſam conſuetudinem damnando, & irritando) verùm etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltem in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, etiam Regularibus, quàm Laicis cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis, gradûs, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non comprehenderentur, prædictam Clementis Conſtitutionem contra præſentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdictâ, ſuper quibus Sanctiſſimus mandavit expediri Breve. Datum Romæ die 15. Septembris MDCXL. Quapropter, ut præmiſſa firmiùs ſubſiſtant, & inviolabiliter obſerventur, quantùm eum Domino poſſumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, declarationem præinſertam eum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſvis alios quaecumque auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præſentibus ſunt contraria, vel diverſa, Conſtitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Conſtitutione hujuſmodi voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Octobris MDCXL. Pontificatûs Noſtri Anno decimo octavo.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. generali Ord. Arm. Doc. Authentica.

INNOCENTIUS X.

Romanus, antea Joannes Baptiſta Cardinalis Pamphilius, die 14. Septemb. 1644. ad principatum Eccleſiæ exaltatus eſt. Gubernavit hanc per annos 10. menſes 3. dies 25. Mortuus eſt 7. Januarii 1655. ſepultus in Vaticano, & inde ad Eccleſiam S. Agnetis in foro Agonali ſitam translatus.

Regu-

Regulares Apoſtolica privilegia habentes, ab Epiſcopis, quin à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis, Sæcularium confeſſiones excipiant, iiſque Euchariſtiæ Sacramentum (die Paſchatis excepto, ſi inhibitio accedat) adminiſtrent, inhiberi non poſſe declarat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Regulares Civitatis Burdegalenſis, quod aliàs à Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus, emanavit decretum tenoris ſubſequentis, videlicet, die 9. Julii 1644. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, poſt maturam diſcuſſionem cenſuit Archiepiſcopum Burdegalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis incluſivè adminiſtrare non valeant perſonis Sæcularibus Sacramentum Confeſſionis, poſſe tamen eiſdem prohibere, ut perſonis Sæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ Sæculares in alia die ſatisfecerent præcepto Eccleſiæ hac de re edito.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, iidem Exponentes, præmiſſa, quò firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſiderent: idcirco Nos eoſdem Regulares ſpecialibus favoribus & gratiis, proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, ſalvâ tamen auctoritate eorumdem Cardinalium: decernentes, præſentes litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictiſque Regularibus in omnibus, & per omnia ſuffragari, & ab omnibus, ac ſingulis, ad quos ſpectat, in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios &c. non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Februarii anni M. DC XLV. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Bull. Ord. Prædic. tom. 6. fol. 146. *& Bull. Carmel. part. 2. fol.* 499.

N O T A.

COmplexus hujus Conſtitutionis quoad Confeſſiones crebrioribus Sacratum Congregationum Decretis fuit confirmatus, præſertim autem illo in ſimili controverſia, Archiepiſcopum Senonenſem inter—& Regulares agitata, à S. Congregatione Concilii 28. Feb. 1652. edito, cum enim inter alia dubia propoſitum fuiſſet & hoc = *An Archiepiſcopus Senonenſis probibero poſſit Regularibus, ut à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis non miniſtrent Sacramentum Pœnitentiæ Perſonis Sæcularibus, etiam in periculo vitæ conſtitutis* ? Sacra Congregatio illimitatè reſpondit = *Archiepiſcopum probibero non poſſe Regularibus ad audiendas confeſſiones Sæcularium Perſonarum approbatis miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ eiſdem Perſonis Sæcularibus à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis*.

Ex eo autem, quod Epiſcopus Confeſſionem prædictam impedire non poſsit, nec à Parocho id fieri poſſe, vàlidè inferri poſſe videtur. Sunt tamen nonnulli, qui hujus licentiam requiri contendunt. Controverſia hæc cum in Sacro Tridentinæ Congregationis conſeſſu in Ratishonen. anno 1725. fuerit diſcuſſa, exſcribo ex theſauro Reſol. *tom.* 7. *fol. mibi* 140. ea, quæ ad hoc dubium reſponſum ſupplent = *Quoad punctum, an ſine proprii Parochi licentia poſſit quis alieno Sacerdoti confiteri tempore Paſchatis, nonnulli negativè reſpondent, exceptis tantùm iis Diæceſibus, in quibus Epiſcopi non curant, nec curârunt obſervantiam capituli* omnis utriuſque ſexûs, *uti latè oſtendit Juveninus* de Sacram. diſſert. 6. de Pœnit. q. 5. c. 14. art. 3. §. 1. & 2. *Sed cum proprius Sacerdos in textu allegato non ſumatur excluſivè ad communem Sacerdotem, ſed ad alienum, binc eſt, quod præſcripta* in cap. ſæpe citato omnis uttinſque ſexûs *adimpleta dicantur, ſtatim ac quis confiteetur Sacerdoti ab Epiſcopo approboto pro audiendis confeſſionibus in Diæceſi, uti proſequitur Fagnanus ad dictum textum* ſub num. 56. *& eſt Doctrina Divi Thomæ* in Opuſc. 19. *contra impugnantes Religionem* tom. 17. pag. mihi 136. *à tergo, ubi ait = Dicendum eſt, quod Sacerdos proprius non ſolùm eſt Parochialis, ſed etiam Epiſcopus vel Papa, ad quos etiam pertinet magis cura ejus, quàm ad Sacerdotem, ut multipliciter oſtenſum eſt: proprium enim hic non acipi-*

Digitized by Google

cipitur ſecundùm quod dividitur contra communem, ſed ſecundùm quod dividitur contra alienum, unde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vicem ejus, confeſſus eſt proprio Sacerdoti.

Adeoque quoad Regulares ſimpliciter approbatos pro excipiendis confeſſionibus in Diœceſi ſic ſtatutum fuit à Clemente X. *conſt.* 7. §. 5. *Bull. tom.* 6. ubi = *& eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis, Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit* omnis utriuſque ſexûs *quoad confeſſiones duntaxat ſatisfeciſſe cenſendos.*

Et quoad Presbyteros Sæculares ſimpliciter quoque approbatos pro excipiendis confeſsionibus in Diœceſi extat reſolutio hujus S. Congregationis in Aretina 26. *Oct.* 1613. *lib.* 11. *Decret. pag.* 137. ubi = *Sacerdotes ab Ordinario ad audiendas confeſſiones per Diœceſim approbatas, poſſe omnino Diœceſanorum confeſſiones audire abſque ulla Parochorum licentia, eoſque, qui ſic confeſſi fuerint, niſi aliud extiterit, eſſe legitimè abſolutos*, & concordat reſolutio S. Congregationis Epiſcop. & Regul. apud *Pignatell. conſult.* 8. *n.* 37. *tom.* 7.

Dictum eſt, poſſe Sacerdotes tam Regulares, quàm Sæculares ſimpliciter approbatos pro Diœceſi excipere quocunque tempore, & etiam Paſchali, confeſſiones etiam ſine licentia Parochi; ſi enim in approbatione Epiſcopi adeſſet limitatio excludens tempus quadrageſimæ, vel alia æquipollens v. g. Salvo jure Parochorum, *tunc ſic approbatus confeſſiones excipere non poſſet dicto tempore ſine Parochi licentia, uti latè oſtendit Duard.* in comment. ad cap. omnis utriuſque ſexûs §. 1. diſp. 8. ſect. 10. num. 4. &c.

His ita circa Confeſsiones à Regularibus, etiam tempore Paſchali, ſine licentia Parochi excipiendas, ſtabilitis, alia, quæ obſcura adminiſtrationem Sacramentorum dicto tempore concernunt, explanat & dilucidat cauſa Sveſſana ex dicto *Theſauro reſolutionum tom.* 7. *fol.* 161. & *fol.* 181. excerpta, à S. Congregatione diſcuſſa, & deciſa, ut ſequitur.

Sueſſana Jurium Parochialium.

CUm PP. Auguſtiniani Civitatis Sueſſanæ die Dominico Reſurrectionis Chriſti Domini Noſtri vertentis anni Sanctiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum miniſtraverint Clerico Antonio de Paula, qui poſt Sacramentalem Confeſſionem devotionis causâ poſtulavit, juxta pium ejus morem, Sacra Communione in Eccleſia eorumdem Patrum refici, autumans Epiſcopus, licitum non eſſe dictis PP. Sacram Eucbariſtiam die Paſchatis ſæcularibus Perſonis miniſtrare, eos citari fecit ad dicendum cauſam, quare eorum Eccleſia non deberet Eccleſiaſtico interdicto ſupponi: ſed ab hac interdicti comminatione iiſdem Patribus Auguſtinianis ad hunc ſacrum Confeſſum reclamantibus, orta inde eſt occaſio diſputandi bina dubia, quæ inferiùs deſcribentur.

Summus Pontifex Clemens V. in Concilio Viennenſi relato in Clement. 1. de privil. ita ſancivit = *Religioſi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ vel Eucbariſtiæ miniſtrare, Matrimoniave ſolemnizare, non habitâ ſuper his Parochialis Presbyteri licentiâ ſpeciali, aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in caſibus à jure expreſſis; vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſa eiſdem, vel à ſententiis per ſtatuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, ſeu (ut verbis eorum utamur) à pœna & culpa abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante.*

Poſtmodum verò Regularibus conceſſum fuit, ut abſque Parochi licentia omnibus Chriſtifidelibus Sacram Eucbariſtiam per ſeipſos, vel per alios Sacerdotes adminiſtrare poſſent in propriis Eccleſiis ſecundùm privilegia eis à Summis Pontificibus Julio II. Nicolao V. Sixto IV. Eugenio IV. & Leone X. impartita & relata per Tamburin. de jure Abbat. tom. 2. diſp. 5. qu. 3. Barboſa de Parochis par. 2. cap 20. num. 8.

At quia in memoratis indultis expreſſè cautum legitur, quod Regulares nequeant populo Sanctiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum die Paſchatis miniſtrare, uti reſpondit Sacra Congregatio die 2. *Martii* 1619. *apud* Barboſ. de Parochis part. 2. cap. 20. num. 10. circa med. *his verbis* = Fuit dubitatum, an die Paſchatis Fratres poſſint adminiſtrare populo Sanctiſſimam Euchariſtiam? Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe, ſtante, quod in privilegio Eugenii IV. hoc eis interdicitur expreſsè pro illa die = *Adhuc quæſtio eſt, num Regulares poſſint ipſo die Reſurrectionis Dominicæ Sacram Eucbariſtiam adminiſtrare, ſaltem iis, qui præcepto annuæ Communionis vel in ſua Parochia jam ſatisfecerint, vel illud poſtea ſint adimpleturi, ita ut à Regularibus devotionis tantùm causâ Eucbariſtiam petant, negativam enim ſententiam tuentur* Azor. inſtit. Moral. part. 1. lib. 7. cap. 41. qu. 7. Navar. in Manual. cap. 21. num. 52. *& alii adducti per* Barboſ. de Parochis part. 2. cap. 20. num. 10. *Affirmativam verò, uti probabiliorem propugnant* Card. de Lugo diſp. 18. ſect. 2. num. 50. Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. 9. Nicol. in floſc. verb. Regulares num. 30. *& alii, quibus adhæret* Barboſa loc. cit.

Dua

Digitized by Google

Duo ſuper hac re prodierunt Supremi hujus Tribunalis Reſcripta, *alterum in* Turritana die 8. Junii 1619. *his verbis* = Sacra Congregatio reſpondit, non poſſe Sæculares in ipſo die Paſchatis de manu Regularium Sacram Communionem accipere, etſi in alia die ſatisfecerint Eccleſiæ præcepto, hac de re edito = *ut in lib. Decret.* pag. 12. *& alterum in* Burdegalen. 9. Julii 1644. *ita conceptum* = Sacra Congregatio poſt maturam diſcuſſionem cenſuit, Archiepiſcopum Burdagalen. non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè adminiſtrare non valeant Perſonis ſæcularibus Sacramentum Confeſſionis; poſſe tamen eiſdem prohibere, ut Perſonis ſæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi dictæ Perſonæ ſæculares in alia die ſatisfecerint præcepto hac de re edito, *ut in lib.17. Decret. pag.339.* Placeat igitur EE. VV. reſcribere.

I. *An licuerit Patribus S. Auguſtini Civitatis Sueſſonæ in die Dominico Reſurrectionis Domini Noſtri devotionis cauſâ adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Clerico Antonio de Paulo*, & quatenus negativè.

II. *An ſuſtineatur comminatio interdicti Eccleſiæ ſupradictorum Patrum facta ab Epiſcopo in caſu &c.*

Sacra Congregatio Concilii die 14. Januarii 1736. reſpondit:

Ad primum negativè. Ad ſecundum ad mentem, & ampliùs non proponatur.

Ubi tamen fida populi devotio conſuetudinem aliam legitimè jam induxit, Rmi DD. Epiſcopi (uti ſuprà dictum eſt) caſum contrarium non curant, ac Regulares ipſi executioni præcepti in Eccleſia Parochiali adimplendi attendunt, rigor hujus reſolutionis in caſu certo devotionis, Communionis generalis &c. non urgere videtur.

Circa Regularium in Italia, & Inſulis adjacentibus exiſtentium ſtatum, fixumque eorum in Conventibus numerum, diverſa ſervari ſancit.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

INter cætera, quæ ad Regularem diſciplinam inſtaurandam, conſervandamque Sacroſancta Tridentina Synodus ſalubriter decrevit, illud ſemper præcipuum & maximi momenti habitum eſt, quo injungitur, ut in ſingulis Monaſteriis, & Domibus Regularibus tantùm numerus conſtituatur, & inpoſterum conſervetur, qui vel redditibus propriis Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Quapropter ad ejus uſum inducendum fel. rec. Clemens VIII., Paulus V., & Urbanus VIII. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri varia Decreta ediderunt; ſed quia nihilominus, ſive ob injuriam temporum, ſive ob Superiorum incuriam, ſive alias ob cauſas, illius executio hucuſque protracta eſt, non ſine gravi Monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimento, ac Religionum jactura; Idcirco Nos nequaquam ignorantes, quantùm ex Monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati, & commodo Eccleſiaſtici Ordinis detrahat multitudo Religioſorum, quæ ſine delectu ſupra vires Monaſteriorum in Religiones invehitur; Ac proinde arbitrati valde acceptum, ſacriſque Religionibus proficuum fore, ut Decretum tam ſalubre debitæ executioni demandetur: De conſilio nonnullorom Ven: Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium præcipimus & mandamus omnibus & ſingulis dilectis Filiis Generalibus, &c. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum quorumcumque Monachorum, & Regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis, Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus ſui Ordinis probatioribus, aut rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, ac proventus omnes Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum Regularium hujuſmodi (etiamſi ſint Hoſpitia, vel ab alio Monaſterio dependeant, ſintve illius Granciæ, ſeu membra) ſex annorum

im-

immediatè præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo, quod grandines, ſterilitates, reparationes, & alii caſus hujuſmodi abſorbere ſolent, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones: Item victûs, veſtitûs, ac medicinalium, & alias quaſcumque tam ordinarias, quàm extraordinarias expenſas, æris quoque alieni, necnon Miſſarum celebrandarum, Fabricæ, Sacriſtiæ, annuarum præſtationum, contributionum, ac procurationum, aliave cujuſvis generis onera diligenter, ac maturè recognoſcant, eaque omnia in ſcripturam redigant, exprimentes ipſius Monaſterii titulum, ſeu denominationem; item capacitatem ac ſituationem, videlicet, in qua Diœceſi, & an intra mœnia Civitatis, vel Oppidi, anve in Pagis, ſeu Villis, vel in Silvis, aut nemoribus, & quantùm diſtet à locis frequentibus, & populoſis: Item à quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, & cujus ſumptibus; Anve, & à quo numerus Religioſorum in eo fuerit aliàs præfixus, & quot ibi Religioſi, & ſervientes in præſentia degant, ſpecificatis uniuſcujuſque nomine, cognomine, & patria, ſcripturamque ſic confectam propriâ manu ſubſcribant, medio juramento atteſtantes vera eſſe omnia, quæ in ea continentur, conſuetoque ſigillo obſignatam, infra quatuor menſes à publicatione præſentium, in hac Alma Urbe noſtra, utinfra, facienda computandos tranſmittant, ſeu conſignent Procuratori Generali ſui Ordinis in Urbe commoranti, qui unà cum aliquibus gravioribus Religioſis à Congregatione prædictorum Cardinalium, & Prælatorum ad hoc ſpecialiter deputandis, negocio maturè perpenſo, ac computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, atque oneribus, ut ſuprà, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus in unoquoque Monaſterio, Conventu, Collegio, & Domo Regulari, quamvis (ut præmittitur, ſit Hoſpitium, ſeu alterius Monaſterii membrum) juxta proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, ac medicinalia in communi habentes, commodè valeant ſuſtentari, omnibuſque diligenter diſcuſſis, familiæ cujuſque Monaſterii, Conventûs, Collegii, ac Domûs Regularis hujuſmodi in qualibet Provincia, vel Congregatione, certum earum tantùm perſonarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuprà, competenter ali poſſint, eaſque numeri præfixiones unà cum originalibus ſcripturis ſuper ſtatu cujuſque Monaſterii, ac Domûs Regularis à Superioribus, ut præfertur, confectis, infra alios quatuor menſes eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum exhibeat, ut ab ea recognoſcantur, & approbentur. Quod ſi memorati Superiores, ac Procurator Ordinis intra præfixum terminum adimplere neglexerint, privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & inhabilitatis ad illa, vel alia inpoſterum obtinenda perpetuam pœnam eoipſo abſque alia declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſervatâ. Interea verò prohibemus, & interdicimus omnibus & ſingulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus, necnon Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, & Localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad Habitum ſuæ Religionis recipiant, nec jam receptos, aut inpoſterum contra hujuſmodi prohibitionem forſan recipiendos ad Profeſſionem admittant, donec ſcripturæ prædictæ, & præfixiones numeri familiæ cujuſque Monaſterii, ac Domûs Regularis hujuſmodi, eidem Congregationi Cardinalium, & Prælatorum realiter, & cum effectu fuerint exhibitæ, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad Habitum, & Profeſſionem ab eadem Congregatione obtinuerint.

Alioquin receptiones tam ad Habitum, quàm ad Profeſſionem aliter factæ, ſint ipſo jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad Religionem in ſpecie, vel in genere, aut in alios quoſcumque effectus. Et nihilominus contravenientes ſententiam excommunicationis incurrant, à qua per alium, quàm per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtituti, abſolvi non poſſint. Non obſtantibus, quoad præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, etiam in Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcumque tenore & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu

motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, ſeu aliorum Principum inſtantiam, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur &c. ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Volumus autem, quod præſentes litteræ in Valvis Eccleſiæ Lateranenſis, &c. publicentur, & affigantur &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Decembris MDCXLIX. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. gener. Ord. Armar. Doc. Authent.

Parvos Conventus in Italia, & Inſulis adjacentibus exiſtentes ſupprimit, ad ſtatum ſæcularem reducit, circa bonorum applicationem diſponit, ac nova loca Regularia inibi erigere prohibet.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INſtaurandæ Regularis diſciplinæ opus multis laboribus, ac vigiliis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris jampridem aſſumptum, Nobis in dies magis magiſque cogitantibus, cur ad optatum finem hucuſque perduci non potuerit, totque ſaluberrima decreta, & ordinationes fere in irritum ceciderint: illa tandem præcipua ſeſe obtulit originis cauſa, quod Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac Domibus magna ex parte conflantur, in quibus ſive ob reddituum, & eleemoſynarum tenuitatem, ſive ob aëris intemperiem, ſive aliam ob cauſam non aluntur, nec ali poſſunt tot Religioſi, quot ad peragendum ritè Divinum cultum, & Regularia munia ex cujuſque Ordinis præſcripto ſunt neceſſarii. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes, nec Divinum officium nocturnum pariter, & diurnum in Choro celebrare, nec orationi mentali, ac ſpiritualibus collationibus & exercitiis, ac ſtudiis in communi vacare, nec ſilentium, clauſuram, vitam communem, cæteraſque inſtitutiones ſervare poſſunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, & ſine quibus conſiſtere vix poſſunt Regularis vitæ baſes, & fundamenta. Quamobrem otio immerſi, nullum Religioſæ vitæ ſpecimen præſeferunt: ſoli incedunt per Urbes & loca, cum ſæcularibus vagantur, ac mundanis negotiis ſe involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant Religioſi probatæ vitæ ac diſciplinæ, & Superiores cogantur illic familiam conſtituere ex Fratribus vitæ laxioris, qui loci licentiâ pejores fiunt: & ſi quando ad Cœnobia, ſeu Monaſteria Regularis Obſervantiæ revocantur, à clauſtro, quaſi à ſqualore carceris abhorrentes, vix adduci poſſunt, ut communem ſervent in moribus diſciplinam, atque aliorum Inſtitutionibus ſe conforment, quin potius cæteros avertunt, vel certè reddunt ſuo exemplo ſegniores. Unde relaxationes derivantur in Ordines, & ſenſim invaleſcunt in ipſarum Religionum dedecus, & ruinam. Præterea (quod dolentes referimus) ad hujuſmodi Conventus, præſertim in locis infrequentibus & ſolitariis, tanquam ad aſylum facinoroſi homines, & Curiæ contumaces, vel proſcripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac diſſolutè viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia, cum maximo populi ſcandalo. Cumque Conventus ſive loca parva hujuſmodi in effrænatam quaſi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quæcunque reformationis remedia caſſa fore, & irrita, quamdiu non fuerint à Religionibus abſciſſa. Quæ poteſt enim ſpes eſſe corpus languidum, & infirmum ad ſalutem reducendi, ſi magna illius pars eſt curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit, atque contaminat? Hæc quippe ſunt zizania, quæ cum jam creverint uſque ad meſſem, ſunt in faſciculos alliganda, & à Religionum tritico ſeparanda. Hæ ſunt vulpes parvulæ, quæ demoliunt vineas. Hoc eſt fermentum, quod totam maſſam corrumpit. Quæ omnia, atque alia plura pro paſtorali noſtra ſollicitudine diu, multùmque animo revolventes, ut ſacræ Religiones in multitudinem latiùs, incremento fœcunditatis per univerſam Eccleſiam diffusè à vepribus, & ſpinis emundatæ, uberes germinent fructus, Nos, etiam ab ipſiſmet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, & frequentibus Populorum querimoniis permoti, ſalutare remedium adhibere conſultâ ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregationis aliquorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Re-

Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper ſtatu Regularium à Nobis deputatæ, cui hoc negotium ſedulò, ac maturè examinandum commiſimus, motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulos Conventus quorumcunque Monachorum, ac Regularium Virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcunque Ordinis, Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, etiamſi illis Animarum cura perſonarum ſæcularium incumbat, ſintve Hoſpitia, vel Granciæ, ſeu alterius Monaſterii membra, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religioſorum Regularis diſciplina juxta peculiaria cujuſque Ordinis Inſtituta ſervari non poteſt, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò extinguimus, ſupprimimus, & abolemus unà cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, illoſque ab omni proprietate, dominio, ſuperioritate, juriſdictione, ac alio quocunque jure Regularium eximimus, & totaliter liberamus, omneſque Conventualitatem, titulum, eſſentiam, ac denominationem Regularem in eis penitus extinguentes, illos ad ſtatum ſæcularem reducimus. Reſervatâ tamen ipſi Congregationi facultate conſervandi Religionibus aliquem ex Conventibus expreſſis in memoratis litteris, ſi hoc ex aliqua rationabili cauſa expedire judicaverit: ſalvis etiam juribus, quæ Fundatoribus Conventuum ſic ſuppreſſorum, vel aliis ex Sacrorum Canonum præſcripto, vel ex privilegio Apoſtolico quomodolibet competunt. Quocirca dilectis Filiis quorumcumque Regularium Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, & localibus quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus & mandamus, ut ſinguli, ad quos pertinet, infra terminum ſex menſium inchoandum à die præſentationis litterarum, à prædicta Congregatione, ut præmittitur, expediendarum, faciendæ in Romana Curia Procuratori Generali cujuſque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis dimittant realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum, ſub teſtimonio publico eidem Congregationi per eoſdem Superiores Regulares exhibendo, poſſeſſionem corporalem Conventuum in eiſdem litteris expreſſorum; & reſervatâ eis facultate ſecum aſportandi prophanam tantùm, non autem ſacram ſuppellectilem, Religioſos inde amoveant, atque in aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis collocent: alioquin pœnas privationis vocis activæ & paſſivæ, necnon dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia inpoſterum obtinenda, ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Eoque termino elapſo, non liceat Regularibus in Eccleſiis dictorum Conventuum Miſſas, & divina Officia celebrare, confeſſiones Sacramentales audire, vel alia Sacramenta adminiſtrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos ſepelire. Quod ſi ſecus egerint, eoipſo Eccleſiæ remaneant ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per litteras ipſius Congregationis fuerint requiſiti, Religioſos rebelles & refractarios à prædictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio: & exinde Eccleſiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus ſic ſuppreſſos quomodolibet pertinentium regimen, curam, cuſtodiam, & adminiſtrationem ſuſcipiant, curentque, ut ex eorum redditibus, & proventibus univerſis in primis, & ante omnia impleantur onera Miſſarum, tam hucuſque non celebratarum, quàm inpoſterum celebrandarum, & alia quæcumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel aliàs quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, & cura animarum, ſi quæ illis immineat, per Presbyteros ſæculares idoneos ab ipſis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Eccleſiæque debito non fraudentur ſervitio. Cæterùm intendentes de prædictis bonis, quotquot ſuperfuerint, oneribus, ut ſuprà, detractis, ſalubriter providere, earumdem tenore præſentium bona hujuſmodi applicamus, & applicata eſſe decernimus, & declaramus piis uſibus in eiſdemmet locis, ubi ſiti ſunt Conventus, iiſque non indigentibus, in aliis locis ejuſdem Diœceſis juxta deſignationem, & partitionem, quam eadem Congregatio ſingulorum Epiſcoporum cum ſuis Capitulis ſententiâ prius auditâ, & plena totius negotii relatione habitâ, de mandato noſtro faciet in ſuis litteris ad eoſdem Epiſcopos ſcribendis, & in Cancellaria Epiſcopali regiſtrandis ad perpetuam rei memoriam. Verùm, quia parum eſt mala præcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, Conſtitutiones fel. record. Bonifacii VIII. quæ incipit: *Cum ex eo*, necnon Clementis VIII. incipien. *Quoniam ad Inſtitutam*, alio-

aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper erectione novorum Conventuum editas, earumdem tenore innovantes, illiſque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco ad habitandum Domos, vel loca quæcumque de novo recipere, ſeu Monaſteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præſumat, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negociis Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitæ: ſi ſecus egerint, eoipſo incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis, ut ſuprà, inflictas: & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ; & Domus, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes, omnimodæ jurisdictioni, viſitationi, correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjaceant. Intendimus autem in præmiſſis etiam ultra Italiam, & Inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere. Decernentes præſentes litteras etiam ex eo, quod Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet intendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperiùs expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes, in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Regula noſtra de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, cæteriſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quacumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujusvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quacumque Eccleſiaſtica, vel ſæculari dignitate fulgentium, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis.

Qui-

Quibus omnibus & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantea mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentes litteræ in Valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur, quæ, poſtquam affixæ, & publicatæ fuerint, omnes & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quodque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, extinctionis, ſuppreſſionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis, præcepti, mandati, intentionis, reſervationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Idibus Octobris, Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Exemp. Romæ Impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Doc. Authent.

DECRETO PONTICIO

Conventus parvos nonnullis Ordinibus reſtitutos, aut alios, in quibus ſufficiens Religioſorum numerus non reperitur, non ſuppreſſos, Ordinarii, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati juri in Italia, & Inſulis adjacentibus, ſubjectos eſſe declaratur.

UT in parvis Regularium Virorum Conventibus à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio X. in Conſtitutione, quæ incipit: *Inſtaurandæ*, primùm ſuppreſſis, ac deinde ad ipſius Conſtitutionis limites, ob rationabiles cauſas in priſtinum ſtatum Regularem reſtitutis, & ipſis Religionibus denuò conceſſis, piè, & religiosè vivatur, ac Regularia Inſtituta, quò exactiùs fieri poteſt, obſerventur: Sanctitas Sua ex ſententia Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium omnes & ſingulos Conventus hujuſmodi ſic, ut præfertur, reſtitutos & conceſſos in litteris ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac perſonas tam Regulares, quàm Sæculares in eis degentes viſitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegati, præſentis Decreti tenore plenè in omnibus ſubjecit, ac ſubjectos eſſe declaravit, donec ipſorum redditus eouſque adaucti fuerint, ut in eis commodè ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtententur duodecim Religioſi ad Apoſtolicorum Decretorum præſcriptum, idque eidem Sacræ Congregationi legitimè conſtiterit, & ejus Decreto in ſingulis contingentibus caſibus declaratum fuerit, & non aliter. Interea verò voluit Sanctitas Sua, ut in eorum ſingulis ali debeant, & re ipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus ſint Sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia reſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi nulla ſit & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi poſſint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem ſuppreſſis per eamdem Conſtitutionem ipſis demandantur, perinde acſi gratia prædictæ reſtitutionis, & conceſſionis non emanâſſet. Inſuper, quia multi ſunt Conventus, in quibus, etſi præfixus fuerit numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam Regularis diſciplinæ, & idcirco in ſuppreſſione antedicta non fuerint comprehenſi; nihilominus ſive ob reddituum diminutionem, ſive ob Superiorum incuriam, vel malam adminiſtrationem,

nem,

Digitized by Google

nem, ſive ob carentiam Religioſorum, aut aëris intemperiem, vel quamcumque aliam ob cauſam, prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento Regularis obſervantiæ, Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adbibere, omnes & ſingulos ejuſmodi Conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos, cujuſcumque ſint Ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, aut Granciæ, ſeu membra alterius Monaſterii, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, & quandocumq; actu non alentur, ſaltem ſex Religioſi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut ſuprà, ſint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem viſitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci ſimiliter ut Sedis Apoſtolicæ Delegati, plenè in omnibus præſentis pariter Decreti vigore ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Cæterùm quoad cum pauciori numero, quàm duodecim Religioſorum, erectos Conventus poſt diem 21. Jun. 1625. & illorum ſubjectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in ſuo robore permanere Decretum ſan. me: Urbani VIII. juſſu editum, cui per præmiſſa aliquatenus derogari non intendit. Et prædicta omnia & ſingula in præſenti Decreto ſtatuta & ordinata, voluit plenarium ſortiri effectum, & executioni mandari: non obſtantibus omnibus & ſingulis, quæ in antedicta Conſtitutione voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

Exempl. typis Cam. Apoſt. editum in Archiv. gen. Ord. Arm. Doc. Authentica.

DECRETO

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium.

Nonnulla dubia ſuper Decreto de ſubjectione nonnullorum Conventuum Ordinarii juriſdictioni exorta declarantur.

POſito Decreto felic. record. Innocentii Papæ X. ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, contingit dubitari de infraſcriptis.

1. An Epiſcopus in Conventibus ſuæ juriſdictioni ſubjectis poſſit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam conſtituere?

2. An poſſit Epiſcopus à prædictis Conventibus Religioſos amovere?

3. An Regulares eorumdem Conventuum compelli poſſint ab Epiſcopo ad exhibendos libros introitûs, & exitûs, & reddendas rationes adminiſtrationis?

4. An Epiſcopus in eiſdem Conventibus ſe ingerere poſſit in his, quæ Regularem diſciplinam concernunt?

5. An Eccleſiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint?

6. An ipſæ Granciæ, & Converſi in eis degentes ſubſint viſitationi Epiſcopi?

7. Quid in Eccleſiis, ſeu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Converſus, an ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi?

8. An liceat Epiſcopo viſitare Conventus tam ſuppreſſos, & poſtea reſtitutos, quàm non ſuppreſſos, ad effectum cognoſcendi, an in illis re ipſa alantur ſex Religioſi?

9. An Epiſcopus viſitans hujuſmodi Conventus ſuæ jurisdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes, poſſit à viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia?

10. An juriſdictio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis attributa in ſupradicto Decreto, competat Vicariis Generalibus Epiſcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis proprium Territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus?

11. An Provinciales, & alii Superiores Regulares poſſint ejuſmodi Conventus juriſdictioni Ordinarii ſubjectos, & Religioſos in illis degentes viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eos exercere, ſicut poterant ante dictum Decretum?

12. Si Superior Regularis in cauſa prævenerit contra ſubditum degentem in aliquo ex eiſdem Conventibus Ordinario ſubjectis, fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, an Epiſcopus poſſit hujuſmodi cauſam reaſſumere, ac Superiori inhibere?

13. Si è converſo Epiſcopus prævenerit in cauſa contra Religioſum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo caſu liceat eum amovere, & in alio Conventu collocare? & ſi de facto collocaverit, an nihilominus Epiſcopus poſſit cauſam proſequi, ac Religioſum ſic amotum re-

revocare ad primum Conventum?

14. Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conventu removere, an Epiſcopus prohibere poſſit?

15. Si à Conventu primùm ſuppreſſo, ac deinde Religioni reſtituto, abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus, unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum ibi degentium, an gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus remaneat ſuppreſſus, ut priùs?

16. Quid ſi à Conventu non ſuppreſſo ſimiliter ex cauſa rationabili, & ad modicum tempus abſit aliquis è ſex Religioſis ibi exiſtentibus, an durante tali abſentiâ; Conventus ſubjaceat jurisdictioni Ordinarii?

17. An Religioſo illo redeunte, vel aliàs impleto numero ſex Religioſorum, Conventus recuperet priſtinam exemptionem?

18. Si gratia reſtitutionis Conventûs ſuppreſſi reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi, & poſtea contingat, ut ejuſmodi numerus impleatur, an gratia reſtitutionis Conventûs reviviſcat?

19. Ad hoc, ut gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus denuo remaneat ſuppreſſus, propterea quod in eo non ſuſtententur ſex Religioſi, an debeat præcedere declaratoria Epiſcopi ſuper facto, præviâ cauſæ cognitione?

20. An ab hujuſmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apoſtolicam appellare ad effectum tam devolutivum, quàm ſuſpenſivum?

21. Cum ex Decreti præſcripto, quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes, debeant eſſe maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura?

Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita hunc in modum reſpondit, videlicet.

AD 1. Non poſſe.

Ad 2. Poſſe ex rationabili cauſa, commonito tamen prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis Conventibus.

Ad 3. Poſſe compelli.

Ad 4. Poſſe.

Ad 5. Poſſe.

Ad 6. Subeſſe.

Ad 7. Itidem ſubeſſe.

Ad 8. Minimè licere, antequam aliunde conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi in deficientia numeri conſtituto.

Ad 9. Expedire, ut Sanctiſſimus Dominus Noſter decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam accipere procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Poſſe, ſicut prius, non tamen privativè ad Epiſcopum.

Ad 12. Non poſſe, niſi ex juſta cauſa, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid durius, aut remiſſius conſtituere, quàm cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religioſum ab Epiſcopo inquiſitum à loco amovere, & ſi amotus fuerit, poſſe Epiſcopum cauſam proſequi, & illum quibuſcumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio ſæculari, ſi opus fuerit, cujuſcumque loci, in quo Religioſus ille reperiatur.

Ad 14. Non poſſe.

Ad 15. Gratiam ob id non eſſe nullam, ceſſante omni fraude, nec Conventum remanere ſuppreſſum.

Ad 16. Subjacere durante abſentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18. Non reviviſcere.

Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Epiſcopo Conventûs poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere.

Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantùm, non autem ſuſpenſivum.

Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum, completo anno quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas Sanctiſſimus Dominus Noſter ad ſe relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari præcepit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Romæ die 27. Julii 1655.

Exemplar impreſſum in Arch. prædicto.

N O T A.

QUæ ad gravamina de hac re à noſtra Capucina Religione contra quoſdam RR. DD. Epiſcopos mota S. Congregatio reſolvit, tom. 1. Bullarii fol. 108. videnda ſunt. Fuit & dubitatum, an Religioſi Confeſſores, & non Parochi, in hujuſmodi Conventibus degentes, compelli poſſint ab eiſdem Ordinariis, ut accedant ad conferentiam caſuum conſcientiæ? Propoſito hoc dubio in Sac.

Digitized by Google

Sac. Congregatione ſuper ſtatu Regularium habita in Palatio Vaticano die 15. Januarij 1680. Eminentiſsimi Patres cenſuerunt Ordinarios locorum poſſe quidem hortari, non autem compellere prædictos Religioſos Confeſſores, non Parochos, ad accedendum ad conferentiam caſuum conſcientiæ,

Trahunt nonnulli tum Conſtitutionem *Inſtaurandæ*, tum Decretum *Ut in parvis* correlativum extra Italiam, & Inſulas adjacentes, parteſque extra Italiam tum hoc tum illa ligari exiſtimant, quod ex hiſtoria Congregationis ſupra Statu Reformationis Regularium ſub Innocentio X. inſtitutæ, à Proſpero Fagnano *cap. relatum Ne Clerici vel Monachi fol.* 414. *num.* 42. deſcripta minimè probatur: Hanc enim, qui legit, reformationem Italiæ, & Inſularum adjacentium novæ Congregationis ſcopum fuiſſe advertet, quod & in Conſtitutione, & in Decreto prædictis per verba *In Italia, & Inſulis adjacentibus* limitatè expreſſum eſt. Fuit quidem Summi Pontificis intentio, dictam reformationem opere ſemel in Italia completo extra Italiam extendendi, prout in Conſtitutione *Inſtaurandæ* ſeſe declaravit per verba = *intendimus autem in præmiſſis, etiam ultra Italiam, & Inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere*: factum tamen hoc eſſe, nec Documentum, nec exemplum, adhibita etiam longiore indagine, hucuſque à me repertum eſt. Caſu etiam, quo tale à me reperiri continget, fideliter ſupplemento hujus operis inſeretur, quatenus Reverendos Dominos Ordinarios inter—& Regulares juſtitia & pax ſe invicem oſculentur. Imò ex memorata hiſtoria contrarium deducitur, nam loco prædicto *fol.* 419. *num.* 61. litteræ, quibus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Regni Poloniæ Primas, pro enuntiatæ Conſtitutionis extenſione Summo Pontifici ſupplicavit, adducuntur, & extenduntur. Si autem, ut prætenditur, Conſtitutio Innocentiana & connexum Decretum Provincias extra Italiam affeciſſent, ſupervacanea fuiſſet Domini Archiepiſcopi ſupplicatio. Rationem autem extenſionis non factæ Fagnanus *loco citato* hanc allegat = *Verùm Sanctitas Sua ſatius duxit ſuperſedere, donec negotium ſuppreſſionis in Italia eſſet omnino abſolutum & conſummatum*, quin tamen quod factum poſtmodum fuerit, veſtigium adhuc reperiatur, vel difficultibus, quæ ſuppreſſionem in Italia cœptam comitabantur, id impedientibus, vel diverſitate, quæ Italiam inter—& alias Nationes viget, id diſſuadente. Hinc cum Reverendiſſimo P. Magiſtro Generali Bremond *tom.*8. *Bullar.Ord. Præd. fol.* 38. *num.* 8. concludo, *quod Innocentii Conſtitutio mox laudata* (conſequenter & connexum Decretum) *non loquatur de Conventibus extra Italiam, & Inſulas adjacentes* fundandis, & de re needum perſuaſos ad Fagnanum *loc. cit.* qui Sac. Congregationis noviter erectæ Secretarius fuerat, & Minutas ſeu ſynopſin Conſtitutionum & Decretorum confecit, remitto.

ALEXANDER VII.

Natione Hetruſcus, patriâ Senenſis, prius Fabius Chiſius, Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ ad Populum 7. Aprilis 1655. vices Chriſti in terris ſuſcepit, eaſque per annos 12. menſem 1. dieſque 16. geſſit: obiit 22. Maji 1667. & in Vaticana Baſilica quieſcit.

Nonnulla Sacrarum Congregationum Decreta, tum de officiis ſuper cadaveribus in Eccleſiis Regularium peragendis, tum de cadaveribus ad Regularium Eccleſias, monito prius Parocho, recto tramite deferendis, tum de Conſanguineis ad Exequias in Eccleſiis Parochialibus faciendas non cogendis &c. confirmat.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte dilecti Filii Antonii Franciſci Tholo, & Pirella Procuratoris Privinciæ S. Saturnini, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, in Sardinia, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardioalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium propoſitæ expoſito, quod dilecti pariter Filii Canonici, & Beneficiati Metropolitanæ Eccleſiæ Calaritanæ die nona Auguſti 1659. Conventum Sancti Mauri violeoter ingreſſi fuerunt, ad officiandum in illa Eccleſia contra Decreta diverſarum Congregationum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Rituum Congregatio juxta aliàs reſoluta reſpondit, officium ſuper cadaveribus in Eccleſiis Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos Defunctorum, & ita inpoſterum ſervari mandavit, non obſtante contrariâ conſuetudine, die vigeſima ſeptima Novembris 1638. O. Epiſcopus Portuenſis Card. Pius. Julius Cineius. Loco ✠ Sigilli. Neenon Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſita cenſuit, Defunctorum cadavera in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepelienda ab ædibus Defunctorum, ad eorumdem Fratrum Eccleſias, recto tramite deſferri licitè poſſe, monito tamen prius, & requiſito ac expectato proprio Defunctorum

Pa-

Parocho, à quo benedictionem, & ultimum vale recipere poſſent, quo venire expreſsè recuſante, poſſint iidem Fratres, etiam ipſo invito, dicta cadavera ad ſuas Eccleſias tranſportare, Conſanguinei verò talium Defunctorum, illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum, etiam Eccleſiis Cathedralibus nullo modo poſſint. Si quæ verò immemorabilis conſuetudo in contrarium ſuper præmiſſis exiſtere prætendatur, legitimè probetur, & interim præſens Decretum ad unguem ſervetur, prout eadem Sacra Congregatio ſervari mandavit. Romæ 14. 1639. Cardinalis Antonius Barberinus. C. Facchenetus. l. † s. Necnon Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit, quoties cadavera Defunctorum ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum & reliqua, quæ in hujuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, & peragi debere, H. B. Cardinalis Pamphilius, Franciſcus Paulutius, Sacræ Congregationis Secretarius. Loco † ſigilli. Necnon Sacrorum Rituum Congregatio juxta aliàs reſoluta reſpondit, electionem, & numerum Religioſorum, pro aſſociandis cadaveribus ad libitum Hæredum Defunctorum ſpectare, & pertinere, & ita ubique ſervari debere declaravit die 14. Januarii 1640. P. Card. Creſcentius, Julius Cincius Secretarius L. † s. Quodque in obſervantia Decretorum præinſertorum, & litterarum Apoſtolicarum vigeſima nona Auguſti ejuſdem anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi noni emanatarum, Fratres Eccleſiæ S. Mariæ Jeſu noluerunt permittere, ut Capitulum prædictæ Eccleſiæ Calaritanæ, dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ Jeſu ingrederetur, ipſum verò Capitulum, & Beneficiati, cadaver quoddam inde abripuerant, & ad Eccleſiam Sanctæ Eulaliæ tulerant. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod præſata Decretis præinſertis adverſentur, ideoque primodictæ Cardinalium Congregationi ſupplicato, ut decerneret cadaver hujuſmodi reſtitui, & dicta Decreta obſervari: & ſi fortè Canonici quoad ſecundum Decretum immemorabilem conſuetudinem prætenderent, hoc nihil obſtare, niſi legitimè probetur; emanavit & ab eadem Congregatione Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum præpoſita, attentis narratis, reque, partibus tam verbo quàm ſcripto informantibus auditis, Eminentiſſimo Santacrucio referente, diligenter, ac maturè examinatâ, & diſcuſsâ, cenſuit cadaver, de quo agitur, reſtituendum eſſe, prout unâ cum funerali pompa reſtitui mandat, & præcipit Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Jeſu Fratrum Minorum Obſervantiæ Sancti Franciſci. Nec Capitulo, & Clero Metropolitanæ Eccleſiæ Calaritanæ funeralia in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ, neque in Sancti Mauri eorumdem Fratrum exercere, & celebrare ſuper Defunctorum, ibidem ſepelienda cadavera licere, reſervato tamen jure eidem Capitulo, & Choro probandi prætenſam immemorabilem; & ita declaravit, & decrevit, prout præſentium tenore declarat, & decernit, in contrarium allatis minimè obſtantibus. Romæ 12. Martii 1660. M. Cardinalis Ginnetus.

Cum autem, ſicut dictus Antonius Franciſcus Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum proximè inſertum pro firmiori illius ſubſiſtentia & obſervatione Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret, Nos ipſum Antonium Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum die XII. Martii proximè præteriti emanatum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Salvâ ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub annulo Piſcatoris die XXX. Aprilis MDCLX. Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Bull. Ord. Prædic. tom. 6. fol. 195. alia & plura de hac re videſis ſuprà fol. 186.

Conſtitutionem Pauli PP. V. Superioribus Regularibus cujuſcunque Ordinis cauſis Sac. Inquiſitionis ſe ingerere prohibentem confirmat & ampliat.

Feria v. die 8. Julii 1660.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Mariam Majorem coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in univerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus, à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Licèt aliàs per Conſtitutionem ſel. rec. Pauli V. emanatam ſub die 1. Septembris MDCVI. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, fuerit diſtrictè prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut conſuetudinis, & præſcriptionis, etiam immemorabilis, aut alio in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus, ſe quoquomodo intromittere, aut immiſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas cognoſcere, aut terminare audeant; imò ex ejuſdem Conſtitutionis diſpoſitione eiſdem fuerit graviter injunctum, ut ſuos ſubditos, ac Religioſos, quos hæreſis labe infectos, vel de hæreſi ſuſpectos noverint, abſque alia conſultatione cum propriis ſuæ Religionis Superioribus, vel alia quavis perſona facienda, ſine mora Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient: Nihilominus animadvertens Sanctiſſimus Dom. N. Alexander VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem, adeo, ut nedum ſuos ſubditos non denuncient, verùm etiam fideles ad ipſos pro conſilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare, quæ audierunt, aut viderunt, ad ipſum Sanctum Officium ſpectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imò aliquando eoſdem perperam inſtruant, non teneri, nec ſub obligatione Conſtitutionum Apoſtolicarum comprehendi; & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum ſententiis confirmare tentantes, eoſdem in maximum fidei diſcrimen ab onere denunciandi retrahere conentur. Volens proinde Sanctitas Sua abuſum hujuſmodi ex ſui paſtoralis Officii debito coërcere, poſt maturam facti diſcuſſionem, auditis Votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, innovans Conſtitutionem prædictam à felic. record. Paulo V. emanatam, &, quatenus opus ſit, eam declarans, Hoc præſenti Decreto diſtrictè præcipit, & mandat omnibus & ſingulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpoſitis, aliiſque ejuſmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus, cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, ſive Mendicantium, ſive non Mendicantium, necnon Congregationis, & Societatis, Clericorum Regularium quorumcumque, etiam Societatis Jeſu, aliorumque quomodocumque exemptorum, vel non exemptorum, etiamſi eſſent ſpecialiter, & nominatim exprimendi, ut omnino dictæ Conſtitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoſcumque Religioſos, tam ſibi ipſis ſubditos, quàm non ſubditos, cujuſcumque dignitatis, gradûs, & conditionis exiſtant, hæreticos, vel de hæreſi quomodocumque etiam leviter ſuſpectos, deferant, & judicialiter denuncient Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus audeant ſe intromittere, neque ſuos ſubditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, moleſtare, vexare, vel alio quovis modo ſive directè, ſive indirectè avertere, retrahere, diſſuadere; imò prædictos ſuos ſubditos monere debeant, ut ipſi quoque eidem Decreto omnino pareant, & alios Chriſtifideles, etiam Confratres ſuos ad parendum pariter hortentur, & ſuadeant, rejectis penitus hujuſmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua, cum voto dictorum Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, tanquam pernicioſas, temerarias, & non conſiſtentes, & à mente Sanctitatis Suæ prorſus alienas reprobavit, & reprobat. Et quia quandoque etiam eorum ſubditi deficiunt in eo, quod ipſis implendum incumbit cum Religioſis ejuſdem, alteriusve Ordinis, aliisve quibuſcumque perſonis in fide ſuſpectis, cæteriſque petentibus conſilium in materiis ad Sanctum Officium ſpectantibus, ita ut nedum ipſimet denunciationes differant, vel ab illis prorſus abſtineant; verùm etiam multoties ab eiſdem alios à ſe conſilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel ſub fraternæ correctionis factæ vel faciendæ, aliove prætextu. Propterea idem Sanctiſſimus declaravit præfatos ſub-

Digitized by Google

ſubditos abſque ulla participatione, etiamſi nulla petita venia à Superioribus, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit omnino teneri, & obligatos eſſe accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum quoſcumque etiam Confratres, ac Superiores etiam primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Religionis, quos noverint eſſe de fide quomodolibet etiam leviter ſuſpectos: Ac propterea eoſdem debere omnes, & quoſcumque etiam alios à ſe conſilium, ut ſuprà, petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec poſſe illos à denunciando ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes tam Superiores, quàm ſubditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit, & declaravit ſubjacere omnibus cenſuris in dicta Conſtitutione Pauli V. expreſſis, necnon privationis quarumcumque Dignitatum, ſeu Prælaturarum, ſeu officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis, aliiſque Sanctitatis Suæ, ac ſucceſſorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, ſuſpenſionem, abſolutionem, vel diſpenſationem Sanctitas Sua ſibi ipſi, & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantùm expreſsè reſervavit. Et ne præmiſſorum prætendi poſſit ignorantia, idem Sanctiſſimus mandavit ſub eiſdem pœnis, ipſo pariter facto incurrendis, &, ut ſuprà, reſervatis, ut Superiores omnes præfati in quocumque loco, Conventu, vel Collegio ſui Ordinis, Decretum hoc ſemel ſaltem ſingulis annis Kalendis Martii in publica Menſa, vel aliàs in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, legi curent unà cum aliis Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ad Sanctum Officium Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem pertinentibus quotannis legi ſolitis, juxta Decretum fel. record. Urbani VIII. Et inſuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſerventur, ita ut ab iiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant, deque hujuſmodi lectione, & commonitione publico documento ab iiſdem Superioribus, Conventûs, vel Domûs ſubſcripto, unàque ab aliis duobus Religioſis ejusdem Domûs, vel Conventûs ſtatim certiorem facere Congregationem Sanctiſſimæ Inquiſitionis in Urbe, vel locorum Inquiſitores, ubi ſunt. Statuitque præterea Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ubique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. generali Ord. Arm. Doc. Authentica.

N O T A.

Lectio hujus Decreti aliàs Kalend. Martii ad menſam facienda, ad totum hunc menſem fuit poſtmodum à Clemente IX. prorogata Decreto ſequenti: *Die 7. Nov. 1668. Relata Sanctiſſimo Domino Noſtro inſtantiâ PP. Procuratorum Generalium Ord. Minorum de Obſervantia, & Eremitarum S. Auguſtini, & S. Pauli primi Eremitæ Regni Luſitaniæ, Sanctitas Sua prorogavit lectionem Decreti ſan. mem. Alexandri Papæ VII. incipientis* Licèt aliàs, *faciendam Kalendis Martii, per totum prædictum menſem.*

In feſtis duplicibus Miſſas defunctorum celebrari inhibet; eas tamen Miſſas, quæ quotannis in diebus obitûs Teſtatorum, etiam in duplici majore contingentis, cantari ſolent, non comprehenſas eſſe declarat, & per celebrationem Miſſæ de feſto currente obligationi Miſſam in Altari privilegiato celebrandi ſatisfieri decernit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Creditæ Nobis cælitùs diſpenſationis officium ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes, & quampluri-ma dubia in diverſis Mundi partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, deducta occaſione Decreti ejuſdem Congregationis die v. Au-

guſti 1662. editi, ac à Nobis approbati, de non celebrandis Miſſis de requiem in duplicibus tollere, atque dirimere cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus imprimis aliud Decretum prædictæ Congregationis editum in una Novarien. die XXII. Novembris 1654. quo declaratum ſuit, anniverſaria, & Miſſas cantatas de requiem, relictas ex diſpoſitione teſtatorum, quotannis in die ipſorum obitûs, etiam in duplici majori contingentis non comprehendi in dicto Deercto. Ulteriùs, quoad Altaria perpetuò privilegiata, & in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ ſint Miſſæ de requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædictis declaramus, per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cum eiſdem indulgentiis, perinde ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de requiem ad formam privilegiorum: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas &c. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, &c. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Apoſtolicæ Cancellariæ regula, de non concedendis indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium litterarum tranſumptis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Januarii MDCLXVII. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Exempl. in Arch. generali Ordin. Armar. Authentica.

N O T A

Decretum Sacræ Rituum Congregationis in hiſce litteris memoratum fuit tenoris ſequentis:

Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter in Viſitatione Eccleſiarum Urbis acceperit in pleriſque Eccleſiis abuſum irrepſiſſe celebrandi Miſſas privatas pro Defunctis, etiam in feſtis duplicibus, contro præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani: eumdemque abuſum Decreto Congregotionis eliminari præceperit, innotuerit verò Sacrorum Rituum Cougregationi hujaſmodi abuſum etiam iu aliis Eccleſiis ubique gentium exiſtentibus inductum pariter reperiri, Sacro eadem Congregatio, ut Miſſalis Rubricæ inviolatè ſerventur, diſtrictè præcipit omnibus & ſingulis Socerdotibas, tam Sæcularibas, quàm Regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societotis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, ut inpoſterum omnino dictam Rubricam ſerveut, ita ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeout, vel præſumaut. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidaut iu feſtum duplex, tunc miuimè trauſferantur in aliam diem nou impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectautibus detrimenta ſit, ſed dicantur de feſto currenti eum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum. Curentque Eccleſiorum Rectores, Socriſtæ, aliique, ad quos pertinet, ut hujaſmodi Decretum inviolatè ſervetur, & iu Sacriſtia affixum retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit. In eos autem, qui contrafacere auſi fueriut, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tum Sæculares, tum Regulares pro modo culpæ animadvertant. Die 5. Auguſti 1662.

Extenſionem Decreti vide hîc infrà à Clemente IX., & aliam à Ven. Servo Dei Innocentio XI. factam quære inter hujus Ven. Pontificis Conſtitutiones.

CLEMENS IX.

Natione pariter Hetruſcus, patriâ autem Piſtorieuſis, antea Julius Roſpiglioſus, Presbyter Cardinalis S. Sixti die 20. Juuii 1667. iu faſtigio Apoſtolico collocatus eſt. Vixit in eo per annos 2. menſes 5. dies juxta lapidem ſepulchralem 19. Obiit 9. Decemb. 1669. in Baſilica S. Mariæ Majoris ſepultus.

Decla-

Digitized by Google

Declarationem Alexandri Prædeceſſoris circa Altaria privilegiata perpetua, Miſſarumque in feſtis duplicibus dicendarum, ad Altaria nec perpetuò, nec quotidie privilegiata extendit.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm fel. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter dubia in diverſis Mundi partibus occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum die 5. Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati, de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritûs duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejuſdem Congregationis Decretum in una Novarienſi die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniverſaria, & Miſſas Defunctorum cantu ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis recurrente ipſorum obitûs die celebrandas, tametſi dies obitûs hujuſmodi in feſtum ritûs duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto Decreto: Ac ulteriùs quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro Animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie etiã in feſtis ritûs duplicis, celebrandæ eſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas Animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari perinde, ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs, prout in ejusdem Alexandri prædeceſſoris litteris deſuper in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cumque (ſicut ad aures noſtras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum litterarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrantur, locum habeat? Hinc eſt, quod Nos dubitationes hujuſmodi ex injunctæ Nobis cœlitùs paſtoralis ſollicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum, qui rem maturè perpenderunt, conſilio, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus. Et proinde, ut Miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſint, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, ita ut animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Septembris MDCLXIX. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. gener. Ord. Armar. Doc. Authentica.

NOTA

Digitized by Google

N O T A

DE Altaribus privilegiatis cum hic agatur, ſubnecto & nonnulla dubia deſuper excitata, & S. Congregationi Concilii ita propoſita:

Primò. *An abſentibus Religioſis ex cauſa prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventûs, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel funerum, vel ſimilium à Superioribus, ad celebrandum alibi tranſmittuntur, Indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro ea tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore?*

Secundò. *An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfato numero Miſſarum, ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quàm Sæcularium?*

Tertiò. *An pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente dicto numero Miſſarum, ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularium Canonicorum & Sacerdotum per aliquot dies & menſes?*

Die 30. Julii 1701. Sacra Congregatio cenſuit:

Ad primum. Quoad primam partem pro tempore Adventûs & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſos, non autem in reliquis, dummodo rarò contingat.
Ad ſecundum. Non remanere ſuſpenſas.
Ad tertium. Proviſum in prima.

C L E M E N S X.

Romanus, antea Æmilius de Alteriis, Epiſcopus Camerinus & Cardinalis, Galero tituloque necdum acceptis, ſummam Eccleſiæ Sedem 29. April. 1670. occupavit, in eaque per annos 6. menſes 2. & dies 24. ſedit. Vitâ defunctus 22. Julii 1676. in Baſilica Vaticana humatus eſt.

Canonizationem Beati Petri de Alcantara, Ordinis Minoritani Profeſſoris â Prædeceſſore Clemente IX. peractam per litteras Decretales publicat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanorum geſta Pontificum (præſertim majorem Dei gloriam, ac Sanctorum ejus laudes, & honorem concernentia) ſuper quibus illorum ſuperveniente obitu, literæ Apoſtolicæ confectæ non fuerunt, recenſeri juſtum reputamus, & rationi conſonum, ut illa univerſis Chriſtifidelibus innoteſcant. Dudum ſiquidem fel. rec. Clemens Papa IX. Prædeceſſor noſter devotæ conſiderationis indagine perſcrutans, quod inter cœleſtes heroes, quorum eximia vitæ ſanctitas rite comprobata, promeretur ſingularem Chriſtianæ Reipublicæ cultum, illis præcipuè Sancti nominis immortalitatem Apoſtolica Sedes decernere conſuevit, quorum honor cum eximia ſit populorum utilitate conjunctus, Hinc illi, qui peculiari alicui vitæ inſtituto ideam ſanctitatis exhibuerunt, & ſacrorum præſertim Ordinum Fundatores inſigni virtute, ac prodigiis illuſtres, libentiſſimè ad Sacras Aras accipiuntur, quibus junguntur ii, qui Religioſas Familias jam virtute florentes ad ſeveriorem diſciplinam revocârunt, & ad ſanctioris inſtituti ſtudium ab excelſa virtute commendati invitârunt: quorum merita exigunt, ut Sanctorum albo adſcribantur. Magna ſiquidem haud dubium eſt, in ſacram eorum militiam, atque in univerſam Eccleſiam commoda profectura, quam egregio exemplo ad ſanctitatem ardentiùs provocabunt. Quamobrem cum ſanctiſſimus, Deoque gratiſſimus vir Petrus de Alcantara optimè meritus ſit de Chriſtiana Republica, eò quod inculpatam religione & doctrina Sancti Franciſci familiam

fœtu novæ prolis adauxerit, eamque jam per Hiſpaniæ, & Indiarum Regna dilatatam, per ſemitas ſtrictiſſimæ paupertatis ambulare docuerit, & omnibus Chriſtifidelibus præbuerit exemplar incredibilis pœnitentiæ cum ſumma innocentia conjunctæ, deeſſe illi non debeat Sancti nominis gloria, & populo Chriſtiano inſigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutum incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens Prædeceſſor, qui ſibi hanc mentem inſpiràſſet decernendi ſupremos honores huic Viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur, & à quo ſalutarem opem in maximis hiſce infelicium temporum diſcriminibus, præſertim contra ſuperbiam, & ferociam Turcarum, implorabat. Ut autem celeberrima Petri ſanctitas teſtimonio etiam ſuo comprobaretur, & ejus eximias virtutes univerſis Chriſtifidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admiratione dignam, & laudabiliter tranſactam vitam explicaret, ſic proponere decreverat.

Exortus in lucem erat ſanctiſſimus hic Vir Norbæ Cæſareæ, vulgo Alcantaræ, in Bæturia Hiſpaniarum Regione, anno reparatæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, ex Parentibus genere, ac pietate nobilibus, Petro Garabito, & Maria Villela, idemque Petri nomen, quod in ſacra Familia perpetuum illi fuit, ſacro è fonte ſuſceperat. Ab ineunte ætate ambulans in innocentia, vitans lubrica, & voluptatibus obnoxia, & hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore cœleſtium incenſus, aliquando extra ſe raperetur; ideoque ſapientiâ creſcens, & gratiâ, menſuram ætatis moribus ſenilibus excedebat. Studium literarum ingreſſus, acri ingenio ingentem ſpem ſuis Parentibus, & Magiſtro indidit. Quia verò noverat ſapientem futurum, qui cum ſapientibus graditur, religioſorum Virorum conſortio delectabatur, ac divinæ præſertim inhians ſapientiæ, ſacros avidiſſimè quærebat libros, à prophanis abhorrens. Et quoniam ab infantia ſecum ereverat miſericordia, omnibus ſe charitatis operibus aſſiduè dabat. Infirmos proinde, in carcere poſitos, & egenos, quantùm poterat, ſublevabat. Cum autem in alios pius eſſet & miſericors, ſibi tamen ex tunc incipiebat eſſe auſterus. Nam non ſolùm ſingulari abſtinentia ſenſuales appetitus frænare, ſed & leviſſimos quoſcunque defectus flagellis aſperis conſueverat expiare. Licèt autem etiam dum in ſæculo verſaretur, animo Cœlum recoleret, magis tamen, ac magis abundans in ſcientia, & in omni ſenſu probavit potiora, & annum ætatis ſextum decimum ingreſſus, in Cuſtodia S. Evangelii, ſeu Extremaduræ (quæ nunc S. Gabrielis Provincia dicitur) Fratrum Minorum Diſcalceatorum Habitum, & Evangelicam vivendi formam ſuſcepit: Quod conſilium inſigni prodigio approbavit Deus. Cum enim feſtinanti ad religioſi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas eſſet, effuſus in preces, in altera ſe ripa divinitus conſtitutum extemplo reperit Petrus. In Cœnobio tam magnos in virtute ſtatim progreſſus fecit, ut initio tirocinii emeritis Chriſti militibus emineret; ad omnium tamen pedes mirabili demiſſione proſternens ſe. Præcinxit illum Deus virtute, & poſuit immaculatam viam ejus. Paupertate, religioſæ diſciplinæ rigore, rara oculorum modeſtia, incredibili ſiti cruciatuum magnam in omnibus excitavit admirationem ſui. Solemnem profeſſionem, expleto tirocinii anno, emiſit, & ſeſe elevans ſupra ſe, humana omnia tranſcendens, & anhelans ad cœleſtia, oculis tamen in terram ſemper dejectis, ignorabat, an Chorus Eccleſiæ (quem perpetuò adibat) fornice obductus eſſet, an laquesri, an cellula ſua ex lapidibus, an ex lignis conſtaret. Et exactis in quodam ſui Ordinis Cœnobio tribus annis, Fratres non ex vultu, ſed ex ſolo vocis cognoſcebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere ſtudens, per triennium quoſdam in ore lapillos detulit, ut vel ſic loquendi pruritum coërceret. Senili prudentia juventutem ſupergreſſus, vigeſimo ætatis anno præter ſacri Ordinis morem, Cuſtos Cœnobii S. Mariæ Angelorum renunciatus eſt, ubi tot chariſmatum dona cœlitus illi collata ſunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruſcaret. Cum enim annona omnis defeciſſet, ac Fratres egredi ad petendam eleemoſynam prohiberentur (altiſſimâ nive Conventum obſidente) conqueri de Petro cœperunt, qui etiam rigente hyeme ipſos cogitare de craſtino vetuiſſet, quicquid menſæ ſuperrerat, quotidie in pauperes diſtribuere conſuctus. At ille certò ſciens cutriendos eſſe, qui jactant cogitatum ſuum in Domino, juſſit ad oſtium querulos pergere, ubi ſuper acervum nivis poſtibus hærentem, prægrandecaniſtrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, & itinere alta nive obſito, nonniſi ab Angelis eò delatum: quam divinæ providentiæ curam aliis quoque vicibus eſt expertus. Sed mirabilior erat Petri vita, quæ ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad ſanctitatem. Pro quovis præconio ſufficeret referre illa, quæ de hoc Viro ſanctiſſimo dixit ſanctiſſima pariter Virgo Tereſia, Carmelitarum Reformatorum pa-

Digitized by Google

parens; videlieet ne momento quidem diei, ac noctis Petrum ab oratione ceſsâſſe, & ne ſomnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, sd ligni ſtipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Tereſia teſte, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non exçedebat; adeoque depreſſa erat, ut flexis genibus, & curvis ſemper humeris in illa hærere cogeretur. Per quadraginta annorum decurſum ſeſquihoram tantùm ſomno conceſſit, jejunium amavit adeo, ut ad triduum ordinariè, & ad octo aliquando dies inediam protraxerit: aſperrimo præterea cilicio armatus, bractea ſerrea per viginti annos pręfixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in ſe crudeliſſimè animadvertens, itinera quamvis longiſſima, atque aſperrima, eapite ſemper detecto, nudiſque pedibus per æſtus, & frigora ſuſcipiens, ita-ut cum nudum caput imbribus, & nivi exponeret, interdum eapilli gelu concreti deciderent, & æſtate præſervida, exurentibus ſolis radiis eapite vebementiſſime cruciaretur, reſpondere ſolitus interrogantibus, cur detecto capite ſemper incederet? neſas eſſe coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetuſtum, ac vilem ſaceum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hyeme ſeſe plerumque injiciebat. Præter bæc, ſamiliare illi erat hyeme ſumma, urgente nivis frigore, depoſito pallin ſeneſtram, & januam cellæ reſerare, ut frigidiſſimo excepto aêre, & gelu aeriùs torqueretur earo mox eximenda diris cruciatibus, cum ſeneſtram, & januam clauſiſſet; eò devenit hae ſæva maeeratione membrorum, ut ex narratione Sanctæ Tereſiæ arido & exangui corpore, radicum arboris ſpeciem exhibuerit: oculis autem in caveam recedentibus, & ſulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirsbile pœnitentiæ ſimulacrum videretur. Ex hae eximia vitæ ſanctitate vires hsuſit ad egregia quævis præſtanda in honorem divinitatis, eaque prodiginſo morum ſuorum exemplo aſſequi potuit. Latère ille quidem præoptâſſet, & paternam Sancti Franciſci humilitatem ſecutus regale Sacerdotium ſot midâſſet accipere, niſi ad illud ſuſcipiendum Superiorum imperio coactus ſuiſſet. Itaque non ſumens ſibi honorem, ſed vocatus à Deo, tanquam Aaron, Sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effuſus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus, viderentur ſons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Juſſus etiam eſt ſuggeſtum aſcendere, ac verbi divini panem ex tempore populis eſurientibus ſrangere: cumque de ore ejus erumperent quaſi ſagittæ poteotis acutæ, innumeros ſeliciſſimè ſauciatos eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii Dei. Præterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modò infimi & populares, ſed etiam nobiles ac principes Viri, quos mira ſuavitate & efficacia verborum sd ſalutarem pœnitentiam invitabat. Confeſſarii tamen munus apud Carolum V. Cæſarem declinavit, captus amore ſolitudinis & demiſſionis, ac metu diſcriminum Aulæ regalis. Plura Cœnobia ſui Ordinis ſanctiſſimè temperavit, videlicet illud Sancti Honupbrii in Provincia Sancti Gabrielis, Sancti Michaêlis Placentiæ, aliaque. Subinde Provineiæ Definitor & Cuſtos, ac deinde omnium ſuffragiis in Provincialem electus eſt Provinciæ Sancti Gabrielis, cujus regimini ſedulò incumbens, exemplis & verbis quaſdam edidit Conſtitutiones, qoibus ſtrictioris Obſervantiæ nitor in ea refloreret. In Luſitaniam quoque perrexit, ut naſeentem Arabidorum Provinciam juvaret & promoveret. Cum autem arctiorem ſui Ordinis diſeiplinam vigere deſideraret, & longiùs extendi, ſuperatis graviſſimis difficultatibus, divino munitus præſidio, & Apoſtolica ſretus auctoritate, primum novæ Reſormationis Cœnobium anguſtiſſimum & pauperrimum, ſub Immaculatæ Conceptionis titulo, prope Pedroſum, Caurienſis Diœceſis in Bæturia, vulgò Extremadura, Oppidum eonſtruxit; ubi eum paucis ſociis Apoſtolicam ſui Patris Franciſci vitam renovavit. Hinc à Paulo IV. Summo Pontifice ejuſdem Clementis, ac noſtro Prædeceſſore Commiſſarius Generalis novæ Reſormstionis inſtitutus, alios ædificavit Conventus; ex quibus & quibuſdam aliis ejus ſe regimini ultro ſubdentibus, Provinciam Sancti Joſephi ſundavit. Mox deſtinatis ad Regnum Valentiæ ſociis, Provinciæ Sancti Joannis Baptiſtæ ſundamentum jecit. Ae tandem illud ſtrictiſſimum vitæ genus in varias Hiſpaniæ Provincias ad Indias & Japponium uſque ſeliciter dilatatum eſt, ubi ex ipſa Reſormatione multi martyrio coronati ſunt. Sanctam quoque Virginem Tercſiam in ſtabilienda Carmelitarum Reſormatione indeſeſſus adjuvit, ita nt ipſamet teſtante, recentis illius propaginis ſit præcipuus promotor exiſtimandus. Et revera multas pro re tanta peregrinationes ſuſcepit, & labores tulit. Imò & abſenti opem & conſilium laturus aliquando miraculosè apparuit. Quàm gratum acciderit Deo ſtudium hoc Obſervantiæ ſtrictioris, & quanto haberi vellet in pretio Seraphicum zelum bujus Viri, Deus ipſe prodigiis ingentibus comprobsvit, cum non ſolùm rapidiſſimas Tagi, & alterius fluminis aquas ſiccis ipſe pedibus aliquando

tran-

Digitized by Google

tranſivit, ſed & puer, qui aſello inſidens, caniſtrum panibus refertum ad illum & Fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato, jumentum impulit in flumen, quod ſolidum ac tutum ſupra ſuas aquas ingreſſum eidem præbuit. Cum Joannes de Neira Petri in itinere ſocius, inedia & ſiti confectus penè decideret, in loco, ubi ad orandum Sanctus hic Vir ſe compoſuerat, fons illico erupit, & panis cum piſce ad eſum paratus apparuit. Infixus ab eo terræ aridus baculus in viridem ficulneam excrevit, cujus fructus etiam nunc ægris ſalutem redonant. Atrocem pertinacis mulieris injuriam non modò patientiſſimè toleravit, verùm etiam flexis coram ea genibus pro culpa, quam non patrârat, humillimè deprecatus eſt. Semel Crucem in horto Pedroſi devotis oculis contemplans ſurſum ferri, & in aëre coram ipſa ſuſpendi, & lucidiſſimos quoque ex oculis radios in eamdem Crucem emittere viſus eſt, candidaque nube caput ejus circumdari. Quemdam adoleſcentem benedictionem ſuam enixè efflagitantem, cum ab Urbe quamprimum recedere decreviſſet, de gravi diſcrimine, quod illi imminebat in hæreticam quandam opinionem incidendi, præmonuit. Scholarem alium reſpiciens, mundo quamprimum renunciaturum, ſacrumque Religionis Habitum ſuſceptunum, divinitus agnovit. In magna ſiccitate precibus ſuis copioſum à Deo imbrem obtinuit. Accenſum ignem in quodam Conventu per flammas ipſas innoxius incedens, ſine mora extinxit. Demerſum in puteo Infantem, cordâ, qua cingebatur, in eum loco demiſsâ, mirabiliter extraxit. Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, datâ ei benedictione, protinus illuminavit. Fœminam quamdam à Dœmone per multum temporis deceptam, de prava illa conſuetudine, quam cum maligno tentatore habuerat, commonefecit & liberavit. In reditu ad Conventum de Arenas à Civitate Abulæ obrutus fuiſſet nivibus, quarum vis ingens è Cœlo devolvebatur; niſi ejus precibus coercitæ in aëre pendulæ conſtitiſſent, & prodigioſum tabernaculi genus artificioſo fornice compoſuiſſent, quo incluſus Petrus ab aliarum læſione nivium prohibebatur. Imbres quoque copioſiſſimi eum madeſacere non ſunt auſi, quod etiam, dum auguſtum Miſſæ Sacrificium offerret, ipſi, & circumſtantibus ſemel evênit. Corporaliter videndum ſe præbuit plurimis procul diſtantibus. Prophetico lumine remotiſſima locorum & temporum ſpatio prædixit. Demum uſque adeo fuit in deliciis divinitati, ut omnium vota, quando Petrus interceſſorem exhiberet ſe, implenda eſſe profeſſus fuerit Sanctæ Virgini Tereſiæ, ut ipſamet ſibi ſemper accidiſſe fatetur. Et illius quidem preces adeo incenſæ erant igne divino, ut inter orandum brachiis in modum Crucis expanſis in altum ſæpiſſime ferretur; ac, dum Sacrum faceret, elevari in ſublime coram populo aliquoties conſpectus fuerit. Imò tanta ejus erat aſſiduitas orationis, ut nunquam ab ea ceſſaret, & intuentibus ipſum, homo alterius ſæculi videretur. Edoctus ergo etiam, dum in terris agebat, ad Cœlum evolare, tandem meritis plenus, ætatis anno ſexageſimo tertio in febrim, ac dolores moleſtiſſimos incidit. Augebatur ſimul cum ægritudine hilaritas Petri, prohibentis religioſam ſuam Familiam à lacrymis, in quas ob amittendum amantiſſimum Parentem agebatur. Eccleſiæ Sacramentis ritè ſuſceptis, ac prædictâ mortis horâ, non jacens, ſed humi erectus in genua, in altiſſimam extaſim raptus, ac deinde ſenſibus reſtitutus: *Lætatus ſum*, inquit, *in his, quæ dicta ſunt mihi: In Domum Domini ibimus*. Et manu Fratribus benedicens, ita illos eſt alloquutus: *Non intuemini, Fratres mei, Sanctiſſimam Trinitatem, & Dominam meam glorioſiſſimam Virginem Mariam, & Sanctum Joannem Evangeliſtam?* Quibus dictis, adhuc excepto genibus corpore migravit animo in Cœlum, & Sancta Tereſia procul diſtans ab Oppido de Arenas, in quo Petrus deceſſerat, illum vidit recto & lucido tramite delatum ad ſempiternam felicitatem; ac ſæpe poſtea eidem oranti apparuit plenus immenſa gloria, & puriſſimæ lucis radiis circumfuſus. Corpus verò pulcherrimum, cœleſti quodam colore perfuſum, oculis apertis, & miro ſplendore radiantibus, ſuaviſſimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione: atque fidelium adventantium devotioni ſatiſfieret, in eminentiori extra portam loco expoſitum fuit, ad cujus conſpectum populus ſuſpiriis ac vocibus *Sanctum* intus clamabat, auxilium ab eo petebat, & vel minimam Habitûs particulam pro ſummo quilibet bono reputabat. Inde proceſſum eſt ad funus, numeroſo populo, cum facibus ac candelis accenſis ſacrum Depoſitum comitante. Contigit autem inter cætera notabilia, quod Cœlum imbre ac vento furens, delato in medium corpore, ſubitò placaretur, dum in circuitu omnia ſtreperent & inundarent, ita ut à Valetudinario, in quo deceſſerat, uſque ad Conventum, duobus milliaribus diſtantem, quieto Cœlo omnes immadefacti proceſſerint, & ceram pro funere honorando accenſam in tanto ſpatio nihil imminutam repererint. Ejus Corpus in Eccleſia Fratrum Minorum Diſcalceatorum depoſitum, ſingulari populorum veneratione inviſitur,

ſitur. Exceſſit anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo decima octava die Octobris. Plurimis etiam poſt mortem miraculis coruſcavit. Alphonſus Sanchez ſaber lignarius fracti cruris integrandi mortalem omnem ſpem projecerat; ſed ad ſepulchrum Petri momento temporis convaluit: Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo, & à Medicis deſperatam, hauſtus aquæ, Reliquiarum Petri, contactu ſacræ, dicto citius integræ ſanitati reſtituit. Sacramento extremæ Unctionis munita jam erat Maria Velaſquez, quæ Petri opem expoſcens, illico ſurrexit incolumis. Franciſcus Ramirez ſexennis puer cruribus contractis, oleo lampadis ante Petri ſepulchrum lucentis inunctus repentè ſanatur. Balthaſſari Rodriquez ſexenni puero, fracto utroque latere, ac defluentibus inteſtinis penè confecto, effuſæ ante Petri ſepulchrum preces ſaluti fuerunt. Franciſca Martinez triennio claudicans, quæ deſperata fracti pedis ſalute, genibus & manibus reptaverat ad Petri ſepulchrum, & ſolido pede innixa, regreſſa eſt domum. Utraque aure ſurdus Bartholomæus Garzia, contactu aquæ, cui fuerant admotæ Petri Reliquiæ, recuperavit auditum: & eodem contactu viſum momento recepit Iſabella Gonzalez à tribus menſibus cæca: & fœdo apoſtemate laborans in dextero genu Joannes Puer bimus repentè convaluit. Jacuit autem Petri Corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat, ſed cum undique ad illud ex tota confluerctur Hiſpania, Epiſcopi Abulenſis auctoritate in locum decentiorem à Religioſis Conventûs de Arenas translatum eſt, & oleo ſimilem liquorem diſtillans repertum, candidis velis fuit involutum, retentâ quadam Reliquiæ particulâ, & in Arca prope Altare majus iterum muro incluſum. Gratias igitur immortales agebat Omnipotenti Deo idem Clemens Prædeceſſor, & in illo cor ſuum exultabat, quod nullis ejus ſuffragantibus meritis, ſed altitudine divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ hanc ſervi ſui Petri de Alcantara Canonizationis ſolemnitatem per ejus humilitatis miniſterium ad ſui nominis gloriam, & Catholicæ fidei exemplum voluerit celebrari.

Cum enim præter eximia prodigia, quibus Petri vita effulſit, poſt mortem etiam quamplurimis aliis miraculis ejus ſanctitatē teſtaretur Deus, aditus aperiebatur ad ſacros honores Petro deſerendos. Propterea crebreſcente fama ejus ſanctitatis, venerationis & miraculorum, editi ſuper his fuêre proceſſus auctoritate Apoſtolica & ordinaria: Et accedentibus precibus claræ mem. Philippi III. & IV. Catholicorum Hiſpaniarum Regum, necnon ferè omnium Hiſpaniæ Regnorum, cæteriſque de more peractis, ſacrorum Rituum Congregatio, cui ſupradictorum proceſſuum reviſionem injunxerat Gregorius Papa XV. etiam Prædeceſſor noſter, tunc ſuus, reſpondit, referente bon: mem: Marco Antonio tituli Sancti Euſebii Presbytero Cardinali Gozadino, juxta ſeriem relationis trium cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum pluries examinatam fuiſſe cauſam ſervi Dei Petri de Alcantara, ac pleniſſimè conſtare de validitate proceſſuum, ſama ſanctitatis, fidei puritate, cæterarum virtutum excellentia, reliquiarum ac ſepulcri veneratione, & plurimis tandem miraculis, ac propterea poſſe, ſi Summo Pontifici placuiſſet, eumdem Petrum *Sanctum*, ac in Cœlis regnantem, omnibus fidelibus ſolemni Canonizatione proponi venerandum; dum interim Epiſcopus Abulenſis in capellam quandam novam à ſe dedicatam, ſacrum ejus Corpus, odorem ſuaviſſimum ſpirans ſolemniter tranſtuliſſet, præſentibus nonnullis Hiſpaniæ Magnatibus, qui ferendis Reliquiis nobiles humeros ſubmiſerunt. Quapropter idem Gregorius XV. fel. record. Prædeceſſor noſter, tunc ſuus, annuit precibus ejuſdem Philippi IV. Regis, & Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum, atque Petrum *Beati* titulo inſignivit die decima octava Aprilis anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo; ac de eo tanquam de Confeſſore non Pontifice die decima nona Octobris, qua ipſius memoria celebrandam eſſe ſtatuit, ubique terrarum ab univerſo Ordine Minorum Obſervantium utriuſque ſexûs; in Oppido verò de Alcantara, ubi natus eſt, atque in altero de Arenas, ubi Corpus ejus requieſcere acceperat, ab omnibus tam Regularibus, quàm ſæcularibus Clericis recitari Officium poſſe, & Miſſam celebrari, datis deſuper literis in forma Brevis, conceſſit. In Provincia verò Sancti Joſephi, cujus auctor extitit Petrus à Fratribus Diſcalceatis de illo, veluti de Patrono, etiam cum octava Officium, ac Miſſam celebrari poſſe. Deinde verò novus proceſſus conditus eſt ob nova decreta ab Urbano VIII. edita, & fama ſanctitatis perſeverans, & creſcens fidelium veneratio reperta eſt. Alia deinde miracula à fel. rec. Innocentio X. Prædeceſſore noſtro, tunc ſuo, comprobata ſunt die octava Martii milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi, cum proceſſus novi ſuper his, quæ poſt Petri Beatificationem acciderant, formati ſuiſſent, inſtantibus inprimis iteratis ſupplicationibus Epiſcoporum, Principum ac Civitatum totius Hiſpaniæ. Repetito voto ſacrorum Rituum Congregatio die XII. Aprilis anno milleſimo ſexcenteſimo ſexa-

geſi-

geſimo cenſuit, poſſe tutò deveniri ad ſolemnem Petri Canonizationem, ac in Domino plurimùm expedire, ut diuturnæ mortificationis aſſiduus labor planè ad prodigii genus accedens, argumentum inſigne perfectiſſimæ charitatis in Deum cum ſalubri animarũ profectu, ſanè admirabili, Chriſtifidelibus colendus & imitandus omnino proponeretur, ſed interim ſuccedente interitu fel. rec. Alexandri VII. Prædeceſſoris noſtri, tunc ſui, quo annuente, decretum ſupradictum emanaverat ab eadem ſacrorum Rituum Congregatione, & eodem Clemente ad Sancti Petri Cathedram evecto, priores diligentiæ fuerunt inſtauratæ, & accedentibus novis Principum Catholicorum inſtantiis, præſertim verò Regis Catholici Caroli II., ſecretum Conſiſtorium fuit habitum die decima octava Martii anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono, in quo per venerabilem Fratrem noſtrum, tunc ſuum, Martium Epiſcopum Portuenſem S. R. E. Cardinalem Ginettum, ſtatus cauſæ beati Petri relatus fuit; & omnium Cardinalium, qui adfuerunt, ſuffragia dixerunt, placere eis, ut idem Clemens ad ſolemnem Canonizationem deveniret. Quapropter ſequente publico Conſiſtorio, in quo de Canonizatione dicti Beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Caprara, noſtræ, tunc ſuæ, Conſiſtorialis Aulæ Advocatus, & nomine præfati Caroli Regis, necnon Regnorum prædictorum, ac Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum, eidem Clementi Prædeceſſori fuit humiliter ſupplicatum. Idem Clemens Prædeceſſor noſter, in tam gravi cauſa orationibus, & jejuniis publicè indictis, & conceſſa pro hac fidelibus indulgentiâ, divinæ voluntatis beneplacitum explorare ſategit. In ſemipleno poſtmodum Conſiſtorio Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum (de quorum numero tunc eramus) ſcripta ſuffragia, Canonizationis ſolemnitatem approbantium, eidem Clementi Prædeceſſori diem Dominicum in Albis unanimiter innuerunt. Tandem, cum nihil aliud deſideraretur eorum, quæ ex ſanctorum Patrum auctoritate, ſacrorum Canonum decretis, S.R.E. antiqua conſuetudine, ac novorum decretorum præſcripto agenda & obſervanda erant, dicta die Dominica in Albis, quæ erat quarto Kalendas Maij anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono, Pontificatûs ſui anno ſecundo, in Sacroſancta Beati Petri Apoſtolorum Principis Baſilica, in qua ſolemni ritu cum ejuſdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus ſuis, Clero ſæculari & Regulari, ac maxima populi frequentia manè convenit; poſt repetitas pro Canonizationis decreto petitiones, nomine ejuſdem Caroli Regis à dilecto etiam filio noſtro, tunc ſuo, Jacobo tituli Sancti Xiſti Presbytero Cardinali, Roſpiglioſo nuncupato, poſt ſacros hymnos, litanias, aliaſque preces Spiritûs Sancti gratiam ritè imploratam; Ad honorem Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate D. N. Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac ejus, matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, Beatum Petrum de Alcantara Sanctum eſſe decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adſcripſit, ſtatuens ab univerſali Eccleſia quolibet anno, die decima octava Octobris, illius obitûs die, memoriam ejus inter Sanctos Confeſſores non Pontifices, pia devotione recoli debere in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen.

Poſtea idem Clemens Prædeceſſor noſter ejuſdem Sancti feſtum die decima nona Octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus Chriſtifidelibus, qui aliquam ex Eccleſiis univerſi Ordinis Sancti Franciſci tam Fratrum, quam Monialium, tam hactenus erectis, quàm impoſterum erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus viſitaverint, indulgentiam plenariam perpetuam conceſſit. Deo igitur Optimo Maximo, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, gratias agere eundem Clementem Prædeceſſorem decebat: qui benedixit hunc Servum ſuum in omni benedictione ſpirituali, ut eſſet Sanctus & immaculatus coram ipſo, & curreret in via mandatorum divinorum, dilatato corde ab eximia charitate; cumque illum divina pietas huic noſtro ſæculo indulſerit, qui antiquæ prodigia ſanctitatis inſtauraret, eundem ſingulari cultu proſequeretur, ejuſque auxilium in hiſce Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitatibus enixius imploraret. Ne autem de decreto, definitione, adſcriptione, ſtatuto, conceſſione, aliiſque præmiſſis, pro eo, quod ipſius Clementis Prædeceſſoris literæ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, quod decretum, definitio, adſcriptio, ſtatutum, conceſſio, aliaque præmiſſa à dicta die quarto Kalendas Maii ſuum conſequantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Clementis Prædeceſſoris literæ ſub data ejuſdem diei confectæ

fectæ fuiſſent, prout ſuperiùs enarratur; quodque præſentes literæ ad probandum plenè decretum, definitionem, adſcriptionem, ſtatutum, conceſſionem, & alia præmiſſa, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Cæterum, quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus exhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum voluntatum, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, quinto Idus Maii, Pontificatûs noſtri anno primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Bull. Rom. tom. 7. fol. 1. & Wadingh. tom. 9. fol. 381.

Privilegia Regularium quoad prædicationem Verbi Dei, & adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ declarat, & Decreta deſuper aliàs edita confirmat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUperna magni Patrisfamilias prærordinatione creditum Nobis univerſalis Eccleſiæ myſticum agrum circumſpecta providentia cuſtodire, atque excolere (quantùm ex alto conceditur) ſatagentes, animum in eas curas libenter intendimus; quibus valeant diſſidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus præcludi; ut, quibus una fides, una Mater Eccleſia, & unus Dominus, qui charitas eſt, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una; ſic etenim evulſis opportunè zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus; Quo benedicente meſſis multa fructu centeſimo cœleſte in horreum congregabitur.

Sanè; cum Sacri Concilii Tridentini decretis providè ſtatutum fuerit, ut Regulares cujuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur; Sine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint. Atque, ut nullus ſæcularis, ſive Regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis poſſit confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur; Et approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacunque non obſtantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe; ex quibus controverſiæ, & diſſenſiones permultæ in diem ſubſequi poſſent occaſione privilegiorum, quæ per Sedem Apoſtolicam Religioſis Ordinibus conceſſa fuerunt.

Nos attendentes, quod aliàs diverſis temporibus prædictæ dubitationes, & controverſiæ nonnullis Prædeceſſorum Noſtrorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus, earumque Declarationibus definitæ fuerint; Ejuſmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & inpoſterum firmior in agro Dominico pax Chriſti floreat, pro ſummo, quo fungimur, Apoſtolatûs officio, novis Apoſtolicis litteris muniendas duximus, & roborandas; Itaque de conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præſtantium, & matura deliberatione noſtra, atque

atque ex certa ſcientia, ac generali, & perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, & declaramns.

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; Prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem nedum non conceſſeris, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare; Eolque contravenientes ab illo, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis ſel. rec. Gregorii XV. Prædeceſſuris noſtri, incipientis, *Inſcrutabili Dei Providentia*, coerceri, & puniri poſſe. Epiſcopum tamen abſque juſta, & rationabili cauſa contradicere non debere: Et hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram Populo, vel in Eccleſiis, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni ſubjectarum, licèt clauſis janui & nullus Sæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare; Si ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit. Et licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licèt occultas, prędicationem tamen concernentes ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim probibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorũ Ordinum prædicent.

Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad Perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: Atque approbatus pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere, ſemel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis Anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque, etiam Infirmorum, confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem Infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipi: ſufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum Infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, *Omnis utriuſque ſexus*, quoad Confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad ejuſmodi confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem, ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari: aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi; ſeu licentias illi conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare; ſed Sedi Apoſtolicæ duntaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit. Porro ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam

ratam

Digitized by Google

ratam eſſe volumus, cum præcipna Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum boneſtas; utique eam caufam ad Confeſſionis Miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quominus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventûs Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regulsribus cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per Confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.

Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem, in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem Pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migrâſſe. Vigore ſupradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam ſatisfacta parte abſolvere Pœnitentes à cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quinimmo cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis Privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur, ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua; non eſſe ad Metropolitanum provocandum; ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere; dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio, prout aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris Noſtri fel. record. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendum.

Decernentes ſic & non aliàs per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos &c. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque quorumvis Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium &c. Conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione &c. præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis quoad ea, quæ eiſdem præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterùm, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad Valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes, quod earundem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decreti, Declarationis, Derogationis, Mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, undecimo Kalendas Julii, Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Bullar. Roman. tom.7. fol.30.

NOTA

N O T A.

Conſtitutio hæc firmat ſtatum & regulam quoad Concionatores, & Confeſſarios Regulares, tum eorum privilegiis, tum Decretis Conciliorum & Sacrarum Congregationum conformem & ita perfectam, ut pauca reperiam hic annotanda, iis exceptis, quæ ſequuntur:

Primò quidem, quoad Concionatores, relegantur circa examen Arbitrio Ordinariorum remiſſum ea, quæ tomus tertius hujus Bullarii fol. 186. continet. Illa verò, quæ ſactum miniſterium non parùm lædunt, ex ſciola verborum phraſi, quæſitoque eloquentiæ fuco adulterant, & Ven. Dei Servus Innocentius XI. vitari monuit, exprimunt illius encyclicæ ita datæ:

A pluribus Chriſtiani Orbis Provinciis graves frequenteſque Romam, atque ad ipſam S. Sedem adventant delationes ſeu querelæ adverſus præſentem prædicationis uſum, tanquam à primævo Apoſtolorum Inſtituto prorſus aberrantem. Ac quidam, cum Verbum Dei, quod, Apoſtolo teſte, omnino eſſe debet ſanum ac ſalutare, multiplici hæc per plures ex ipſis Evangelii Præconibus reddatur infectam; meritò Sanctiſſimus D. N. decrevit contagionem univerſo gregi tam exitioſam, longèque patentem, omni Apoſtolicæ auctoritatis conatu prorſus exſcindere; nam quæ peſtis eſſe, aut excogitari violentior eâ poteſt, quæ cibos ipſos ad vitæ præſidium inſtitutos, ipſaſque medicinas pro morbis depellendis inventas, in mortis inſtrumenta, & præſentiſſima venena converteret? Verbum profectò Dei eſt ille panis vitæ & intellectûs, quo cibari, & aqua ſimul ſalutaris, quâ potari Fidelium animas ab ipſis Religionis Chriſtianæ incunabulis, Redemptor noſter edocuit. At verò, ſi ſal, quod pro Dei Verbo à Sanctis accipitur, per futiles conciones evanuerit, in quo putreſcentium mortalium vitia condientur? Quinimo ſi ſal idem, quod Prædicatarei apertè ſignificat, per eloquentiam planè ſtultam infatuatum fuerit, revera non ultra valebit, niſi ut conculcetur, & utinam jam non conculcaretur ab hominibus. Quæ enim Miniſterio tam ſacro Majeſtas, qui decor, quæ Sanctitas, quæ utilitas ineſt, quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes, aut jocis tanquam hiſtriones, aut converſi ad fabulas, uti Poetæ, Auditores ſibi prurientes auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamiſtrato, ac meretricio planè ſtylo prædicationem fœdè corrumpunt? Mandat ergo Sanctitas Sua, zelo verè Apoſtolico accenſa, ut omnes Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cęterarumque Eccleſiarum Præſides, quorum præcipuum munus eſt, Verbum Dei adminiſtrare, gregemque paſcere, tantis corruptelis occurrant, euſque Concionatoribus opportunè ob oculos ponant, ut fugiant à facie tot peſtium potiùs, quàm colubrorum. Et præſertim univerſi intelligant, quod per Hieremiam Deus illis indixit: Propheta, qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè; quid paleis ad triticum? Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram? *Videlicet oportere, conciones non paleis refertas eſſe ad vanitatem, ſed igne veritatis ſuccenſas. Porro ſciant non levem eſſe culpam, ſed grande piaculum, graviſſimaque pœna mulctandum, ubi per ſcurrilitatem Verbum Dei, velut in ſcenum adducunt, atque Auditoribus deridendum traduxerint. Pręterea neque per quæſtiones curioſas, ac paradoxa vana, ita ſupra captum populorum eſſurgant, ut verè quærantur:* Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangerent eis. *Similiter neque per illecebras inanium verborum res non minus vanas obtrudant, & per oſtentationem memorię, atque pronunciationis prçcipitantiam, quaſi prçſtigiis Auditorum animos, aureſque ludificent. Quamobrem Antiſtites per ſe, ſi tempus vacaverit, tum in Cathedralibus, tum in aliis Eccleſiis ſeriò animadvertant, & in Diœceſi Vicariis Foraneis, aliiſque Miniſtris, probatiſque Viris, à quibus eâ ſuper re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac, ſi Concionatores normam hujuſmodi tranſgreſſos compererint, eos à Prędicationis munere ad tempus beneviſum ſuſpendant, aliave ratione pro modo culpæ plectere curent, ſubrogando interim alios, qui ſalutari modo Populo oſtendant vitia, quę eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam ęternam evadere, & cæleſtem gloriam valeant conſequi. Eminentia igitur veſtra in Civitate ac Diœceſi ejus curæ credita, SS. D. N. juſſibus, proprioque muneri ſatisfacere non gravabitur, idemque ſuis Suffraganeis, vel, qui Synodo Provinciali intereſſe conſueverunt, ſignificare &c. Romę 6. Julii 1680.*

Munus prædicandi dum in Eccleſiis Regularium juxta præmiſſa liberum conſtat, liberior quoque & in iis manet inſtitutio Doctrinæ Chriſtianæ, à nonnullis controverſa: expreſsè enim *Regularibus in ſuis Eccleſiis Doctrinam Chriſtianam docere, annuntiare populo feſta, & jejunia inter Miſſarum Solemnia prohibitum non eſſe*, Sacra Congregatio Concilii 7. Jul. 1618., teſte

teſte Nicolio *in flor. verbo Regularis num. 7. fol. mihi* 395. declaravit: quod idem ab eadem S. Congregatione in Florentina *tom. 3. reſolut. fol.* 291. *&* 296. relata fuit confirmatum, cum addito tamen, *dummodo Doctrina Chriſtiana non fiat in hora in qua fit in Parochia.*

Quoad Confeſſarios vero reperio unum duntaxat Decretum, relatione dignum:

Illud Paſſerinus *tom. 3. de Stat. fol.* 901. ex Fagnano ita refert. *Conquerentibus Regularibus Sancti Dominici Neritonen. quod, cum ſint prævio examine approbati ad confeſſiones ſecularium audiendas à Vicario Epiſcopi, cum Epiſcopus Romæ moraretur, nunc Epiſcopus ad ſuam Eccleſiam accedens, velit eos rurſus pro audiendis Confeſſionibus examini ſubjicere, Sacra Congregatio cenſuit, poſſe Epiſcopum examinare Confeſſarios Regulares à ſuo Vicario approbatos.*

QUod Famuli commenſales Monaſteriorum Regularium ad fidem Confeſſionis, vel Communionis Paſchalis Ordinariis exhibendam cogi haud poſſint, liquido conſtat ex Decreto à P. Bremond *tom. 7. Bull. Ord. Præd. fol.* 322. ita relato:

Nonnulli Epiſcopi & alii locorum Ordinarii prætendunt, perſonas Seculares Religioſorum habitum non ferentes, ſed tantùm ipſis Monaſteriis intra clauſtra, uti familiares, ſervientes, etiamſi maneant ibi, & commenſales ſint, teneri reddere rationem Parocho de adimpletione præcepti Communionis in Paſchate apud ſuam Parochiam, & hujuſmodi rationem, etiam ſub cenſuris exigunt, quod inſolitum eſt, & contra Mendicantium Ordinum privilegia. Ideo ſupplicat DD. VV. Illuſtriſſimis Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, ut dignentur ad excuſandas lites inter ipſos Epiſcopos, & Regulares, quid in hujuſmodi cauſa tenendum, quæ hujus Venerabilis Congregationis auctoritas eſt dicere, & declarare &c.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum cenſuit, ſi hujuſmodi laici verè ſint familiares, & continui commenſales Regularium, eiſque actu inſerviant, eſſe cum eis eodem jure cenſendos, ut ſcilicet ad Superiores, & non ad Epiſcopos pertineat enquirere ab eis, an præcepto Eccleſiæ ſatisfecerint.

Ingreſſum in Eccleſias Regularium, RR. DD. Parochis, cadavera aſſociantibus, inhibet.

CLEMENS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod eadem Congregatio die XVI. Dec. MDCLXI. ſuper controverſiis, quæ inter Parochus Civitatis Placentinæ, & Monachos Monaſterii S. Sixti Congregationis Caſſinenſis, Ordinis S. Benedicti occaſione funerum erant exortæ, inter alia decreverat, ſervanda eſſe decreta, & declarationes aliàs factas, ſcilicet, Parochia in aſſociatione, ſeu occaſione aſſociationis cadaverum, non licere ingredi Eccleſiam Monachorum prædictorum, ſed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Eccleſiarum, ibique ſolùm poſſe benedicere, & dare ultimum vale: officia verò & munia, quæ in hujuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Monachis peragi debere, non autem â Parochis, atque ita in præmiſſis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari præceperat.

Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod eædem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, ideoque ſupplicato, ut Congregatio præfata reſolutionem, ſive deciſionem hujuſmodi extenderet ad aſſociationem per Parochos fieri ſolitam cadaverum Defunctorum, quæ in Eccleſiis Fratrum hujus Ordinis ſepeliuntur, idque ad tollendas controverſias, quæ in aliquibus Parochiis ea occaſione inter Parochos, & Fratres hujuſmodi naſcuntur, non ſine ſcandalo, ac Fraternæ, & Chriſtianæ charitatis detrimento: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit Oratoribus dandam eſſe infra ſcriptam declarationem aliàs editam, nempe Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis cadaverum, non licere ingredi Eccleſias Regularium, ſed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Eccleſiarum, ibique ſolùm poſſe benedicere, & dare ultimum vale, officia verò & alia munia, quæ in hujuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmiſſis omnino deinceps fieri, & exequi præſentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ* XXVII. *Novembris* 1671. *F. M. Card. Brancatius. Loco † Sigilli.*

Cum

Cum autem, ſicut præfatus Procurator Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ſpecialem ipſi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate præfatæ Congregationis Cardinalium: Decernentes eaſdem præſentes litteras, ſemper firmas, validas &c. non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Januarii MDCLXXII. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. Rom. tom. 7. fol. 163.

N O T A.

SÆpius hoc idem quoad ingreſſum Eccleſiarum Regularium à Sacris Congregationibus prohibitum fuiſſe reperio, Decreta autem deſuper emanata brevitatis gratiâ omitto, ſolùmque ea, quæ cauſæ Mantuanæ 1699. diu & acriter agitatæ finem impoſuerunt, ingreſſumque in Eccleſias Regularium cum clauſulis conceſſerunt, adjungo, quæ ſunt.

Super controverſiis Civitatis Mantuæ in aſſociatione cadaverum exortis, propoſitis in Sacrorum Rituum Congregatione ab Emintiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinale Colloredo infraſcriptis dubiis, nempe.

Primò, an liceat Parochis in aſſociatione cadaverum ſuorum Parochianorum ingredi Eccleſias Regularium tumulantes in caſu &c. & quatenus affirmativè.

Secundò, an liceat ingredi cum Stola & ſuperpelliceo, ac Cruce erecta, ita tamen, quod in abſolutione funeris ſola deferatur Crux Eccleſiæ tumulantis?

Sacra eadem Rituum Congregatio reſpondit, ad primum & ſecundum affirmativè, abſque tamen facultate deferendi Crucem intra Eccleſiam. Et ita declaravit, & ſervari mandavit die 30. Maii 1699.

Hoc Decretum cum litem necdum plenè ſopiret, factus eſt novus ad eandem S. Congregationem recurſus, ut ſequitur:

Repropoſita ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Cardinale Colloredo in Sac. Rituum Congregatione cauſa Mantuana aſſociationis cadaverum inter Parochos ex una, & nonnullos Regulares ejuſdem Civitatis ex altera partibus aliàs deciſa, ſuper intellectu Decretorum in eadem cauſa editorum, Sac. eadem Rituum Congregatio reſpondit: quoad delationem Crucis in deciſis ſub die 30. Maii proximè præteriti: quò verò ad ingreſſum Parochorum, ita eſſe intelligendum, ut neque liceat eiſdem Eccleſiam proceſſionaliter circuire, neque functionibus exequialibus aſſiſtere, niſi tanquam quilibet de populo, & multò minus illas turbare cum aliquo cantu. Et ita declaravit, & ſervari mandavit die 21. Novembris 1699.

Exempl. utriuſque hujus Decreti Authent. in Arch. Generali Ordinis Armario *Documenta Authentica*.

Ab hæredibus Defunctorum, qui in Regularium Eccleſiis tumulantur, eleemoſynam aliàs conſuetâ majorem à DD. Parochis exigi vetat, & functiones funerales ſuper cadavera ad Regularium Eccleſias jam delata, ab his, & non à DD. Parochis perſolvi confirmat.

C L E M E N S PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte tunc exiſtentis Commiſſarii Curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Congregationi tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſi-

poſitæ ſupplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terræ de Peverano Brunduſinen. Diœceſis, omnibuſque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemoſynam pro Defunctis, qui ſepelirentur in Eccleſiis dictorum Fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipſorum Parochorum, & Presbyterorum Sæcularium Eccleſiis ſepeliebantur, emanavit die VII. Decembris MDCXL. ab eadem Congregatione Decretum tenoris ſequentis, videlicet: *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad tollendas indebitas exactiones, quæ, ut proponitur, in tumulandis Defunctorum corporibus fieri ſolent, cenſuit injungendum, prout præſentis decreti tenore injungit Archiepiſcopo Brunduſino, cæteriſque locorum Ordinariis, ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero Sæculari, majorem poſthac eleemoſynam ſibi attribui faciant ab hæredibus Defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium prædictorum ſepulturam ſibi elegerint, quam percipere poſſent, ſi in Parochiali, ſeu alia ipſius Cleri Sæcularis Eccleſia ſepeliri voluiſſent, contrariis quibuſcunque non obſtantibus &c. die* VII. *Decembris* MDCXL. Et ſubinde, cum tunc exiſtentes Fratres Provinciæ Dalmatiæ, dicti Ordinis, Congregationi præfatæ expoſuiſſent, functiones funerales Defunctorum, quorum cadavera in eorum Eccleſiiis ſepulturæ mandarentur, facere, ad eos, non autem ad Parochos ſpectare, Congregatio præfata die 31. Auguſti 1657. aliud Decretum edidit tenoris, qui ſequitur, videlicet: *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, attentis narratis, juxta aliàs reſoluta cenſuit, functiones funeralium ſuper cadavera Defunctorum, quæ in Eccleſiis Regularium contingit ſepeliri, poſtquam ad eaſdem Eccleſias pervenerint, ad ipſos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Eccleſiis circa præmiſſa ſervandum eſſe, prout ſervari mandat, & præcipit, contrariis non obſtantibus quibuſcunque die 31. Auguſti 1657.*

Cum autem, ſicut pro parte dilecti Filii Franciſci Mariæ à Caſtro Sancti Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis præfati, Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe decreta hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi Franciſco Mariæ Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibuſvis excomunicationis &c. abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decreta præinſerta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium, inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas &c. ſicque in præmiſſis, per quoſcunque Judices &c. judicari, & definiri debere, ac irritum & inane &c. non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Januarii MDCLXXII. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. Rom. edit. novæ tom. 7. fol. 162.

N O T A

Materiam funebrem (quartâ exceptâ) hic finio annectendo Declarationes à S. Congregatione ſub Pontifice Clemente X. 1675. editas, quæ vel jam aliàs ſancita confirmant, vel noviter in S. Congregatione propoſita dubia declarant, typis Romanis vulgatæ, ut ſequitur:

Pro parte Procuratoris Generalis Min. Obſerv. S. Franciſci expoſitum fuit apud Sac. Rituum Congregationem, quod in nonnullis Conventibus ſuæ Religionis vigent lites inter Parochos, & ſuos Religioſos occaſione aſſociandi Cadavera Defunctorum, ideoque ad evitandas diſſenſiones, & ſcandala, quæ in futurum oriri poſſent, idem Procurator ſupplicavit pro extenſione reſolutionum ſuper infraſcriptis Dubiis emanatarum in una Senogallienſi die 22. Junii proximi præteriti, etiam ad prædictos ſuos Conventus: & eadem Sacra Congregatio petitam extenſionem benignè conceſſit, & dubia reſoluta ſunt, ut infra, videlicet.

Primò. An Hæredes Defunctorum ſint cogendi ad retinendum Domi Cadavera uſque ad tempus illa ſepeliendi? An verò eiſdem Hæredibus liceat pro libito aſportare dicta Cadavera è propriis Domibus ad quamcunque aliam Eccleſiam per modum Depoſiti uſque ad horam illa tumulandi, etiamſi ſepelienda eſſent in Eccleſiis Regularium, non obſtante diſſenſu Parochi, ſeu prohibitione ab eodem facta, uti Vicario Foraneo?

Secun-

Secundò. An illatis Cadaveribus privatè ab hæredibus ad aliquam tertiam Eccleſiam per modum depoſiti, Regulares convenire, & congregari debeant in dicta tertia Eccleſia, aut in Parochiali, ad effectum illa aſſociandi ad Eccleſiam, ubi ſunt cumulanda?

Tertiò. An Cadavera ſepelienda in Eccleſiis Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & in ea permanere per aliquod tempus?

Quartò. An Regulares poſſint cogi ad aſſocianda Cadavera in eorum Eccleſiis tumulanda? An verò poſſint expectare in dictis propriis eorum Eccleſiis? Et an in caſu, quo Regulares non accedant ad aſſociandum dicta Cadavera, amittere debeant intortitia, uti Parochus prætendit?

Quintò. An Parochus teneatur aſſociare Cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda uſque ad Januas ejuſdem Eccleſiæ, etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus? Et an Parocho aſſocianti, liceat ingredi Eccleſias Regularium cum Stola, & Cruce?

Sextò. An ſi Parochus requiſitus intervenire recuſet funeralibus Defunctorum in Eccleſiis Regularium ſepeliendorum, poſſint Hæredes, imò & ipſi Regulares, aſportare Cadavera ad Eccleſiam ſepulturæ electæ, Parocho non interveniente, ac prædicti Regulares eadem Cadavera ſepulturæ trudere? Et an Parochus in funeralibus dictorum Defunctorum majorem eleemoſynam ſolitâ prætendere poſſit?

Ad primum. Sac. Congregatio reſpondit, quoad tempus humationis Cadaverum ſervandam eſſe Synodum. Et in reliquis petita, & etiam non obtenta licentia poſſe Cadavera deponi arbitrio Hæredum in qualibet Eccleſia uſque ad tempus illa proceſſionaliter deferendi ad Eccleſiam ſepulturę.

Ad ſecundum. Sac. Congregatio inhærendo aliis decretis reſpondit, Regulares debere congregari in illa Eccleſia tertia, ubi Cadaver fuit depoſitum, ut ſupra.

Ad tertium. Sac. Congregatio reſpondit, negativè.

Ad quartum. Sac. Congregatio reſpondit, Regulares non poſſe cogi ad exeundum à propriis Eccleſiis ad effectum aſſociandi Cadavera in eiſdem ſepelienda, ſed ſufficere, quod illa expectent ad Januas; Quoverò ad Intortitia, remiſit cauſam ad Judices ſuos.

Ad quintum. Sac. Congregatio reſpondit, Parochum teneri aſſociare Cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda; Quoverò ad ingreſſum Parochi cum Stola, & Cruce, diſtulit reſolutionem.

Ad ſextum. Sac. Congregatio reſpondit, Vocato Parocho, & ipſo renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc Regularibus licere abſque Parocho deferre Cadavera in eorum Eccleſiis ſepelienda; Quoverò ad emolumenta per Parochum pretenſa, nihil dandum ultra ſolitum. Et ita denuo declaravit, & ſervari mandavit. Hac die 13. Julii 1675.

Libros de Miſſionibus, vel rebus ad eas pertinentibus imprimi prohibet, licentiâ à Sacra Congregatione de Propaganda Fide in ſcriptis prius non obtentâ.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

CReditæ Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut, ſi quos in Eccleſia Dei abuſus pullulare, atque invaleſcere noſcamus, eos opportunæ ſanctionis ſarculo recidere, atque è medio tollere ſtudeamus.

Cum itaque, ſicut accepimus, licèt aliàs Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, juſtis de cauſis vetuiſſet, ne quis ſine ipſius licentia typis evulgaret libros & ſcripta, in quibus aliquo pacto de Miſſionibus ageretur; Nihilominus multi, vel ignari, quid eadem Congregatio decreverit, vel temerè Decretum ejus tranſgredientes, ſcripta edant & libros, ſæpe falſa & inepta continentes, non ſine piorum & Doctorum hominum offenſione, Nos his, aliiſque gravibus cauſis adducti, de memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium iterum prohibemus, ne quis cujuſcunque ſtatûs, gradûs, & conditionis, etiam Regularis, cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, licèt is eſſet, de quo ſpecifica & individua mentio facienda foret, ſine licentia in ſcriptis Congregationis eorumdem Cardinalium, quam in operis initio imprimere teneatur, libros & ſcripta, in quibus de Miſſionibus, vel de rebus ad Miſſiones pertinentibus agatur, per ſe, vel per alium edat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nemo à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi

poſſit, ac privationis officii, & vocis activæ & paſſivæ, necnon operum ſuppreſſionis pœnis ipſo facto incurrendis.

Hoc autem denuntiari volumus omnibus & ſingulis Superioribus Generalibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, qui ſub eiſdem pœnis, ut ipſi, præſentes litteras ſervent, & à ſubditis ſuis curent omnino ſervari: ac præcipimus ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, ut quolibet anno teneantur Superiores præfati eaſdem præſentes litteras, ſive earum tenorem in Capitulis legere, ſeu legi curare, ne aliquis ſub prætextu ignorantiæ ſe excuſare poſſit.

Decernentes ipſas præſentes litteras ſemper firmas &c. Non obſtantibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Aprilis MDCLXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Bull. Rom. tom. 7. fol. 212.

Undecim FF. Minores de Obſervantia, & alios octo, in odium Fidei Brilæ occiſos, & Martyres Gorcomienſes nuncupatos Beatorum nomine nuncupâri indulget.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAnctorum Martyrum, quos à charitate Chriſti, non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſecutio, non gladius ſuperavit, ſed Fidei, dilectioniſque vigor inter cruciatuum certamina, Agonotheta Chriſto adjuvante, victores præſtitit, & conſummato paſſionis curſu, ad cœleſtis Coronæ gloriam evexit, agones, & triumphos in Sancta Dei Eccleſia celebrari, ac condignis laudum præconiis, atque venerationis honoribus decorari decet, ut, qui ſanguinis ſui pretiu immortalitatem emerunt, illuſtriaque invictæ virtutis ſuæ exempla reliquerunt, de noſtra ſint ſolliciti, qui de ſua ſunt ſaluto ſecuri; & pia potentique apud Imperatorem noſtrum, qui in fortiſſimorum pugilum ſuorum honoribus honoratur, & cui ipſi in ſtolis candidis die, ac nocte ſerviunt in Templo ejus, interceſſione imbecillitati noſtræ inter ſæculi tentationes laboranti cœleſtis gloriæ munera impetrent, quibus & nos rectum vitæ curſum tenere, & propoſitum nobis æternæ beatitudinis bravium conſequi mereamur. In hanc nos curam ex debito Paſtoralis officii, quod infirmitati noſtræ credidit divina dignatio, propenſis ſtudiis incumbentes, flagitantia idipſum Chriſtifidelium vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ſicut ad gloriam Omnipotentis Dei, ad exaltationem Catholicæ Fidei, ſpiritualemque fidelium conſolationem, atque ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

Cum itaq; maturè, diligenterque diſcuſſi, & perpenſi fuerint per Congregationem Ven. FF. noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum proceſſus de hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia confecti ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii novemdecim Dei Servorum Gorcomienſium nuncupatorum, undecim quidem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, videlicet, Nicolai Pichi, Gorcomienſis Guardiani, Hieronymi Werdani, Vicarii, Theodorici Emdeni Amersfortii, Nicaſii Joannis Hezii, Willehadi Dani, Godefridi Mervellani, Antonii Werdani, Antonii Hornarienſis, Franciſci Rodii Bruxellenſis, Sacerdotum, & Petri Aſcani, ac Cornelii Wicani Laicorum; & aliorum octo, nempe; Joannis Sacerdotis Ordinis Prædicatorum, & Adriani Becani, ac Jacobi Lacopii Aldenardenſis amborum Ordinis Præmonſtratenſis, & Joannis Oſterwicani Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini, ac Leonardi Vecchelii Buſcoducenſis, Nicolai Poppelii Weldani, Godefridi Dunei Gorcomienſis, & Andreæ Walteri Sacerdotum, & Parochorum ſæcularium, qui omnes ſimul in odium Catholicæ Fidei, Primatûs Romanæ Eccleſiæ, & Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti poſt atrociſſima tormenta Brilæ in Hollandia Anno MDLXXII. interfecti, Palmam Martyrii accepiſſe aſſerebantur, ac ſuper ſignis, prodigiis, & miraculis, quæ ad manifeſtandam Mundo finalem eorum perſeverantiam à Deo edita, & patrata fuiſſe dicebantur; factaque demum coram Nobis omnium, quæ in hac Cauſa geſta ſunt, plena, & diſtincta relatione, præfata Congregatio Cardinalium, auditis etiam Conſultorum Suffragiis, cenſuerit poſſe, quandocumque Nobis videretur, ad ſolemnem eorumdem Dei Servorum Canonizationem tutò deveniri, interim verò indulgeri, ut in univerſo terrarum Orbe Beati nuncupentur. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Leopoldi Romanorum Regis Illuſtris, in Imperatorem electi, aliorumque

Prin-

Principum, ac diverſorum, præſertim Belgii Antiſtitum, necnon Ducatûs Brabantiæ, & Comitatûs Flandriæ Ordinum, ac dilectorum Filiorum Franciſci Mariæ à Cremona, Miniſtri Generalis, & totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, & ſignanter Ignatii de Broeyer ejuſdem Ordinis Profeſſoris, & Secretarii Generalis, ac Nationis Germano-Belgicæ Ordinis hujuſmodi in Romana Curia negotiorum Geſtoris, ſeu Agentis Generalis, hujusque Cauſæ Procuratoris, ſupplicationibus Nobis, & huic Sanctæ Sedi ſuper hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut præfati Servi Dei, Nicolaus Pichus, Hieronymus Werdanus, Theodoricus Emdenus, Nicaſius Joannes Hezius, Willehadus Danus, Godefridus Mervellanus, Antonius Werdanus, Antonius Hornarienſis, Franciſcus Rodius, Petrus Aſcanus, Cornelius Wicanus, Joannes, Adrianus Becanus, Jacobus Lacopius, Joannes Oſterwicanus, Leonardus Vecchelius, Nicolaus Poppelius, Godefridus Duneus, & Andreas Waltherus, inpoſterum Beatorum nomine nuncupentur, eorumque Corpora, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur: Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eis quotannis die felicis eorum tranſitûs recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Communi plurimorum Martyrum juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infraſcriptis, videlicet, in tota Hollandia ab omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, & in Eccleſiis tam Fratrum, ſeu Canonicorum Regularium, quàm Monialium omnium Ordinum, quos memorati Servi Dei ſuo Martyrio illuſtrârunt, & quantùm ad Miſſas attinet, etiam à Sacerdotibus ad Eccleſias hujuſmodi confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno à datis hiſce litteris, & quoad Indias, à die, quo eædem litteræ illuc pervenerint, inchoando in Eccleſiis Hollandiæ, & Ordinum præfatorum reſpectivè, Solemnia Beatificationis eorumdem Dei Servorum cum Officio, & Miſſa ſub Ritu Duplici majori die ab Ordinariis reſpectivè conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, quam ad rem diem XXIV. currentis menſis Novembris aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Novembris MDCLXXV. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Exemp. Romæ impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Doc. Authent.

Venerabilis Dei Servus

INNOCENTIUS XI.

Natione Lombardus, Patria Neo-Comenſis, antea Benedictus Odeſcalcus, Presbyter Cardinalis tit. S. Onuphrii de Epiſcopatu Novarienſi ad ſupremum Apoſtolicæ poteſtatis Solium 21. Septembris 1676. evectus eſt; tranſactiſque in eo annis 12. menſibus 10. ac diebus 11. reddidit animam beatam Creatori ultimo Julii 1689. & in Baſilica S. Petri ſacrum corporis honorem exſpectat.

INNO-

Digitized by Google

Indulgentias, jam aliàs in feſtis SS. P. Franciſci, Antonii, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, Bernardini, necnon S. Claræ perpetuò Eccleſiis omnium FF. Minorum conceſſas, confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm à primæva inſtitutione Regulæ Beati Franciſci, tam ob illius, & Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon S. Claræ, aliorumque ejuſdem Ordinis ſequacium ſanctitatem, & miraculorum multitudinem, quàm etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum merita, ingens ubique Chriſtifidelium multitudo, ſingularem erga quemcumque dictorum Sanctorum gerat devotionis affectum, Nos, ut ipſorum fidelium devotio hujuſmodi nonmodò conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus etiam dilecti Filii, Joannis Franchini Mutinenſis, Ordinis FF. Minorum Conventualium Procuratoris Generalis ſuper hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capucinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratribus & Monialibus, quàm cæteris utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui verè pœnitentes & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti, diebus feſtis SS. Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, ac Bernardini prædictorum eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, Capucinorum, & de Obſervantia, necnon die Feſtivitatis S. Claræ Monialium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias tam erectas, quàm erigendas, vel earum aliquam à primis Veſperis uſque ad Occaſum Solis eorumdem dierum ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus &c. Ut autem præſentes litteræ &c..

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Auguſti MDCLXXX. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Bullar. Rom. tom. 7. fol. 146.

Conſtitutionem Alexandri VII. circa Altaria privilegiata perpetua editam, & aliam Clementis IX. ad hujuſmodi Altaria temporanea &c. extenſam, pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, intelligendam eſſe declarat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs, poſtquam fel. rec. Alexander PP. VII. Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditas litteras dubiis in diverſis Mundi partibus occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum die v. Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro approbati, de non celebrandis Miſſis defunctorum in feſtis ritûs duplicis exorta dirimere cupiens, inter cætera quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in feſtis ritûs duplicis celebrandæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas animabus fidelium defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde, ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum: rec. me. Clemens Papa IX. pariter Prædeceſſor noſter aliam ſubinde ortam dubitationem, utrum ſcilicet dictarum Alexandri Prædeceſſoris litterarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privlegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, ſimiliter tollere deſiderans, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud breviùs, vel lon-

longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, tunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolica extendit; & proinde, ut Miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ defunctorum celebrari non poſſent, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrandæ eſſent, ſuffragarentur, ita ut animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequerentur in omnibus & per omnia, periode ac ſi Miſſæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, eadem auctoritate conceſſit, & indulſit, & aliàs, prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris litteris, etiam in forma Brevis die XXIII. Septembris 1669. deſuper expeditis, quarum, & præfatarum Alexandri Prædeceſſoris litterarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem poſtmodum, ſicut accepimus, novum circa præmiſſa excitatum fuerit dubium, videlicet, an ſupradictæ Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes ſibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt à feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ defunctorum juxta ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus omnimum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervatâ cæteroquin dictorum privilegiorum formâ, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur: Noſque dubium hujuſmodi Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum examinandum commiſerimus, ac eadem Cardinalium Congregatio re maturè diſcuſſa nuper per ſuum Decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, reſponderit. Hinc eſt, quod Nos, ex commiſſæ Nobis cœlitus diſpenſationis munere, fidelium defunctorum animarum in Purgatorio exiſtentium ſuffragiis peramplius conſulere cupientes, Decretum hujuſmodi à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate vigore præſentium confirmamus, approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas &c. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis Indulgentiis, aliiſque Conſtitutionibus &c. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die IV. Maji, milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Bullar. Rom. tom.8. fol.518.

ALEXANDER VIII.

Venetus, Petrus Cardinalis Othobonus antea dictus, Epiſcopus Portuenſis, 6. Octob. 1689. Sacroſancti Apoſtolatûs Officium ſuſcepit, quod tamen nonniſi per annum, menſes 3. ac dies 26. obiit. Abiit ad ſuperos 1. Februarii 1691. relicto S. Petri Baſilicæ cadavere.

INNO-

INNOCENTIUS XII.

Neapolitanus, Antonius Pignatellus prius vocatus, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii, ac Archiepiſcopus Neapolitanus 12. Julii 1691. univerſali militantis Eccleſiæ regimini præſedit, ejuſque vigilias per 9. annos, 2. menſes, & dies 17. continuatas, 28. Septembris 1700. abſolvit, in Vaticano tumulatus.

Canonizationem B. Paſchalis de Baylon Ord. Minorum Diſcalceatorum ab Alex. VIII. peractam promulgat, & viſitantibus ejus Sepulchrum indulgentias largitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, tunc in Romana Curia commorantium, unanimi conſilio decreta, definita, & ſtatuta fuerunt, licèt ipſius ſuperveniente obitu Literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. record. Alexander Papa VIII. Prædeceſſor noſter, pia ſecum meditatione conſiderans, quod Unigenitus Dei Filius, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, qui pro lapſi medela hominis in utero Virginis caro factus, ſemetipſum exinanivit, obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ut genus humanum tam ineffabili excitatum exemplo per humilitatis ſemitas ſecum ad æternæ gloriæ exaltaret conſortium, haud rarò infirma, ignobilia, & contemptibilia Mundi eligit, ut fortia quæque confundat, & non glorietur omnis caro in conſpectu ejus, ac propterea paupertatem divitiis, ignobilitatem nobilitati, & ſimplicis animi demiſſionem elationi cogitantium ſublimia præponens, ſapientiam, & gloriam hujus Sæculi, ejuſque Principum deſpicit, humili ſpiritu, & ſincero cordis delectatus affectu. Inter alios autem ex hujuſmodi conditione ſelectos, quibus Eccleſiam ſuam, quam humilitate vult erecſcere, fecundavit, anteacto Sæculo præſtantiſſimum exaltatæ humilitatis exemplar erexit in ſuo fideli Servo Paſchale Baylon, Laico, ſeu Converſo expreſsè profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Diſcalceatorum nuncupatorum, quem humilibus genere, & loco natum, cuſtodiendiſque ovibus addictum, ſuſtulit de gregibus ovium, & de poſt fœtantes accepit, implevitque Spiritu Sapientiæ, & intellectûs, ut, quem ſuſcitârat de terra inopem, collocaret in Cœlo eum Principibus Populi ſui. Quibus de rebus certior factus idem Alexander Prædeceſſor ex proceſſibus diligenti inquiſitione confectis & ſedula diſcuſſione examinatis, ex quibus de illius vitæ ſanctitate, & miraculis ad ejus interceſſionem patratis evidenter conſtare perceptit, Beatum Virum Sanctorum albo ſolemniter adſcripſit, animo ex tunc revolvens hujuſmodi vitæ, miraculorum, & actorum ſummam Catholicæ Eccleſiæ notam facere, quod, cum ipſe, morte præventus, non expleverit, Nos, qui Divina diſponente Clementia in ejus locum ſucceſſimus, hujuſmodi ſeriem ex memoratis proceſſibus breviter deſumptam, in hunc, qui ſequitur, modum, ad perpetuam rei memoriam duximus enarrandam.

§. 2. Anno à Partu Virginis 1540. Sacro recurrente Feſto Pentecoſtes, natus eſt Dei Servus in Oppido *Turris Formoſæ*, Diœceſis Seguntinæ in Regno Aragoniæ, ex Catholicis, ſed pauperibus Parentibus, ablutuſque fuit aqua Baptiſmatis, & procedente tempore Sacro Chriſmate.

§. 3. A teneris annis inſigne futuræ Sanctitatis ſpecimen dedit, dum adbuc puer quaſcumque mundi illecebras, & innoxios etiam ejus ætatis, & conditionis ludos, & exercitationes aſpernabatur. Abiens poſt veſtigia gregum, quorum cuſtodiæ paterna illum inopia deſtinaverat, ſedulò ſatagebat, ne illæ alienis agris, vel paſcuis damnum aliquod inferrent. Virtutum cultor eximius orationi, abſtinentiæ, pudicitiæ, & ſilentio deditus, à juramentis, mendaciis, detractionibus, ac vanis, & otioſis verbis penitus abſtinebat, ac ſocios ad odium peccati, Deique Religionem, & amorem, ac in Deiparam pietatem, quà verbo, quà exemplo ſuaviter

viter excitabat, adeo ut omnes tantæ innocentiæ, & ſingularium virtutum admirationes jam tum præviderent, magnos hujus Servi Dei futuros in Sanctitate progreſſus, quem in ætate puerili adeo innocentem vitam agere dignoſcebant.

§. 4. Simplex, rectus, & timens Deum ætate ſimul, & virtutibus creſcebat Paſchalis humilitate, charitate, modeſtia, morumque ſuavitate, ſic eorum, qui ipſum noverant, conciliabat affectus, ut ſancta monita, & conſilia libenter excipientes, & ipſum diligerent, ac in ejuſdem converſatione magnopere delectarentur. Id quod præſertim accidit prædiviti cuidam ejus hero, qui prole carens, eundem adoptare, & ſuorum bonorũ hæredem deſignaverat inſtituere, ſed gnarus Paſchalis, quod quicunque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei, accipientes ſpiritum adoptionis, in quo clamant Abba Pater, adoptivam heri filiationem, ac hæreditatem deſpexit, ſperans tum ſe beatiùs ſore Filium, & hæredem Dei, cohæredemque Chriſti, cum paupertate, humilitate, ſuique corporis mortificatione Chriſto ipſi compateretur.

§. 5. Ardore itaque Religioſi Inſtituti, quod paupertate, & obſervantia præſtaret, ab ineunte ætate ſuccenſus, circa annum ſalutis 1564. voti compos efficitur, ex paſtore ovium in gregem Domini adſcitus ſub Regula S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ in Provincia Sancti Joannis Baptiſtæ, Regni Valentiæ, ubi ſummo fervore, & gaudio, Habitu Minorum Diſcalceatorum ſuſcepto, ritèque emiſſa Regulari Profeſſione, iis cumulatus virtutibus ſtatim apparuit, & diſciplina Religionis inſtructus in illis ita profecit, ut tanquam lucerna ardens iis, qui in Domo Dei, & Religioſo conſortio vivebant, præfulgeret.

§. 6. Sancti Inſtitutoris ſui exemplo pauper, & humilis, volens excelſam fabricam virtutum conſtruere, de fundamento prius cogitavit humilitatis, quâ in abjectiſſimis Conventûs officiis ſeſe libenter exercuit, & ſi quando ab illis propter vitæ ſanctitatem, vel ætatem juſſu Superiorum retrahebatur, ſupplices, humileſque preces non intermittebat, donec eorumdem exercitio ſimul cum aliis Laicis, & juvenibus Fratribus reſtitueretur. Sui contemptor eximius quidquam in propriam laudem, neque audire voluit, neque retulit. In loquela, inceſſu, vultu, oculis, omnique actionum genere profundam oſtendebat humilitatem, quin de ſe ipſo adeo demiſsè, & viliſſimè ſentiebat, ut cum præclaræ Vir Sanctitatis haberetur, ipſe tamen nullis ſe præditum meritis, magnum peccatorem reputaret, & affirmaret. Rogatus, ut manus imponeret ſuper ægros, priſtinæ ſe valitudini per ejus merita reſtituendos fore ſperantes, ſumma animi demiſſione ſe comiter excuſabat, donec vel obedientiæ præcepto compulſus, vel poſtulantium precibus motus, eos ſigno Crucis aliquando obſignaret, frequentiùs verò ſuaderet iiſdem, ut ſua ſe manu ſignarent, quo reddi corporis ſanitatem, & robur in Crucis virtute perciperent.

§. 7. Paupertatis non in ſæculo ſolùm, ſed etiam in Religione amantiſſimus, ejuſdem S. Inſtitutoris imitator egregius, unicâ tantùm induebatur tunicâ, eaque aſpera, anguſta, abjectiſſima, multiſque fruſtis refecta, ratuſque ſupervacaneum eſſe munditiem in cilicio quærere, eadem femoralia deſtructa prorſus, & lacera, ac quibus poterat fragmentis reſarcta, ad decem, & octo annos pertulit.

§. 8. Nec carnis mortificationem in ſola, & extrinſecâ indumenti aſperitate continuit, ſed eandem, ne unquam noxiè moliretur in ſpiritum, continua maceravit inedia, & perenni afflictatione ſubegit. Parciſſimo ejus cibo frequens ſuccedebat in pane, & aqua jejunium, & quotidiano ejus victui neceſſaria rigidè ſubtrahens, alendo ſervabat pauperi. Plerumque vino abſtinens, nigriora, & duriora panis fragmenta, ac deteriora, & ab aliis Fratribus derelicta edulia, quando poterat, ſibi deligebat. Nudam humum, aut rudes tabulas pellibus ſuperimpoſitis aliquando ſtratus pro lecto habebat, fruſtumque ligneum, vel ſaxum pro pulvinari, ibique jacens, vel parieti innixus breviſſimum carpebat ſomnum, reliquâ nocte orationi datâ. Nudis incedebat pedibus, etiam longum, vel arduum iter agens. Duris flagellationibus, variis & aſperrimis ciliciis, ferreaque catena, bis, terque circumducta corpus dilanians, illud in adeo diſtrictam ſervitutem redegit, ut in eo ſpiritus pacificè dominaretur, nihilque vel minimum tum in ſæculo, tum in Clauſtro uſus fuerit peragere, vel dicere, quod ipſius caſtitatem unquam offenderet, vel adumbraret.

§. 9. Religioſis paupertatis, & caſtitatis virtutibus indiviſibilem earum comitem obedientiam adjunxit, quam ita exactè, ita ſtudiosè colendam ſuſcepit, ut totus à Superiorum nutibus pendens, ne quid minimum unquam petens, vel deſiderans, omnia licet dura, & ardua ab illis demandata, reverenti ſemper gaudio ſuſceperit, & alacri promptitudine impleverit, præſertim verò religioſæ obedientiæ, cujus ſtudio exardebat, ſimul ac Catholicæ Fidei, cujus zelo flagrabat, inſigne præbuit experimentum, cum à Superioribus juſſus longum, & aſperum iter per terras plerumque hæreſis labe

fœdatas peragere, juſſa capeſſere cunctatus non eſt, eaque hilaritate, qua injunctum emenſus eſt iter, contumelias, probra, minas, & lapidationes ab hæreticis Catholicæ Religioni, præſertim Regularium Ordini apprime inſenſis, patienter, & fortiter pertulit, illorumque impiè de fide ſentientium audaciam retundens publicè, & palam Catholicam Doctrinam, & Fidem profeſſus eſt, à quibus perſequutionibus, & anguſtiis licèt Dei miſericordia tandem evaſerit, deſuit tamen ei potiùs martyrium, quàm ipſe martyrio.

§. 10. Nullam penè dio noctuque labi ſinebat horam, quâ non eſſet in preces effuſus, ſeu mente elevatus in Deum. Quidquid temporis ſibi ea obedientiæ præſcripto muneribus, proximorum ſaluti, breviſque ſomni tormento potiùs, quàm quieti ſupererat, totum id orationi, & contemplationi ubique impendebat, & Dei præſentiam, in ipſis exterioribus actibus non oblitus, jugi cum attentione, & interna oratione venerabatur. Pervigil ſemper nocte intempeſta, nocturnis horis aderat, & quamvis perpetuis laboribus, atque afflictationibus fatigatus, & penè fractus, nonniſi poſt auroram revertebatur in cellulam, toto eo tempore in Choro, vel Eccleſia inter meditandi delicias traducto.

§. 11. Zelator animarum, quas alloquebatur ad compunctionem, & expiationem peccatorum, Deique, & virtutum amorem mira diſponebat dulcedine, Doctrinam Chriſtianam docebat ignaros, Religioſos ad perfectionem ſuavi excitabat eloquio, corda antiquis odiis ad vindictam accenſa, & aliorum, pietate, vel auctoritate præſtantium ſuaſionibus inflexibilia, paucis verbis ſedabat, & veniæ interceſſionem ad pacem, & meliorem frugem revocabat.

§. 12. Hinc Altiſſimus, qui ſapientiam præbet diligentibus ſe, juſto huic, quem deducebat per vias rectas, abſconditos ſapientibus, & prudentibus hujus ſæculi ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ theſauros cælitus revelavit. Homo enim literarum planè rudis, nulloque mortalium magiſtro eruditus, adeo excelſo ſcientiæ dono meruit illuſtrari, ut altiſſima Catholicæ Fidei myſteria de Trinitate, Incarnatione, Prædeſtinatione, Gloria cœleſti, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & alia hujuſmodi, necnon difficillimos Sacræ Scripturæ ſenſus, etiam diſputando, cœleſti ſublimitate tractaret, parique dilucidatione explicaret arduas quæſtiones à doctiſſimis etiam Theologis propoſitas, quos tamen non tenebat admiratio, quoquomodo literas ſciret cum non didiciſſet, quia in eo infuſæ divinitus ſcientiæ donum ad evidentiam dignoſcebant.

§. 13. Prophetico etiam ſpiritu afflatus nonnulla futura, & præſertim ægrotis integram valetudinem, ſanis infirmitatem, ſibique, & aliis mortem prædixit.

§. 14. Traducto itaque, & conſummato Sanctæ Vitæ curriculo per arduas pœnitentiæ, & aliarum virtutum ſemitas, quibus per Dei gratiam Regno Cœlorum vim inſerre, illudque violentus rapere ſtudebat, poſt glorioſa Mundi hujus certamina, Sacramentis Eccleſiæ ritè, ſanctèque munitus, die 17. Maji anni 1592., quâ prædixerat horâ, in Conventu Oppidi Villæ Regalis Dertuſen. Diœceſis in Regno Valentiæ beato fine quievit, quique ab infantia ſpiritu ſemper vixit, ſpiritu & ambulavit, ac deſideria carnis non perfecit, eodem illapſi olim ſuper Apoſtolis Spiritûs Sancti recurrente die, quo natus fuerat in terris, meruit æternum triumphaturus renaſci & in Cœlis.

§. 15. Statim ac Beati Viri obitum fama vulgavit, ad illius venerationem mira undique populorum multitudo confluxit, quæ antiquam Sanctitatis opinionem, eo vivente excitatam, etiam in ejus cadavere confirmari mirata fuit, dum iſtud licèt exanime, quo fervidus, quem in vita habuerat erga Euchariſtiæ Sacramentum demonſtraretur affectus, viſum eſt in illius elevatione oculos aperire, mox & in depoſitione occludere, quod pariter in elevatione, & depoſitione Calicis renovavit.

§. 16. Piæ multitudinis obſequio, & devotæ ægrotantium ſpei opus fuit triduana Cadaveris expoſitione indulgeri, nec eam ſpem fefellit eventus, liquore quodam ex ejus vultu, & collo tunc temporis manante, quo aliqui perliniti integram ſanitatem receperunt. Inter quos Catharina Simonis pluribus affecta tumoribus, iiſque uno excepto perforatis, ac Medicorum, & Chirurgi judicio poſt biennalem curationem inſanabilibus, hujuſmodi delibuta liquore ab omni morbo, & tumoribus, cicatrice dumtaxat remanente, illico convaluit; id quod omni, vel cicatricis abolito veſtigio obtigit etiam Urſulæ Maſcarellæ, eodem liquore perunctis inveteratis fœmorum ulceribus, quibus excruciata fuerat, poſt triennales medelas incaſſum ſemper adhibitas.

§. 17. Ex iis etiam, qui expoſitum cadaver deoſculantes, Servi Dei opem intimâ devotione implorârunt, Baptiſta Cabillin, & Iſabella Cano prorſus attracti, ille crure, & ſic claudus, ut ſine fulcimento non valeret incedere, iſta brachio, & manu per ſeſquiannum, ut ejus ſanationem Chirurgi jam deſperâſſent, ad eorumdem membrorum priſtinum robur, & uſum, ac ſi nunquam læſa fuiſſent, repentè revocantur.

§. 18.

§. 18. Joanna Dominica cum ſexageſimum tertium ætatis ſuæ annum ageret, ex alto delapſa, talem oſſis ſacri fracturam, & alterius oſſis in fœmore luxationem paſſa fuerat, ut genua flectere, & ſine fulcimentis incedere prorſus nequiret, ſed quinto ægritudinis ſuæ anno adhuc inſepulti Servi Dei manum ubertim fluentibus lachrymis oſculata, illiuſque interceſſionem ex corde deprecata, cum ſe fulcimentis niteretur attollere, repentè vehementi dolore, os fractum conſolidari, & luxatum ſenſit reponi, ſtatimque expeditè, & ſine ullis fulcimentis ambulavit, & incolumis effecta eſt.

§. 19. Cæcilia Sorli in altero corporis latere ſeptemdecim menſibus fuerat eâ correptâ paralyſi, ut inibi nullus prorſus motus, vel ſenſus carnis, à qua pungenti ferro tentata, nec ſanguis exibat, remanſiſſet, brachio, & crure pendentibus, manu attracta, digitis immobiliter aduncis, carneque ejuſdem lateris adeo conſumpta, ut ſolam, & ſiccam pellem oſſibus ſuperinductam haberet, meritis Beati Paſchalis in ſpem ſalutis erecta, ad ejus ſepulchrum curavit afferri, ſtatimque ac ſingulis membris læſis applicabatur catena, quâ Dei ſervus in vita præcingebatur, ſenſus, motus, robur, caro, inceſſus, & priſtina ſalus redibant, donec Cæcilia ingenti perfuſa gaudio, citato per Eccleſiam gradu exiliens diſcurrit.

§. 20. Ob quoddam ſanguinis profluvium, nec pupillæ, nec ulla earum veſtigia remanſerant Michaëli Gabaldo, qui à ſexto ætatis menſe ad ſeptimum annum vitam duxerat non cæcitate ſolùm, ſed ſuperveniente ſurditate deplorabilem; emiſſo per afflictam matrem voto, Sepulcrum Beati Paſchalis adeundi, ejuſque ope ferventiùs invocatâ, è veſtigio puer videns & audiens ad illam feſtivus occurrit, perfectumque utriuſque ſensûs uſum jugiter exinde retinuit.

§. 21. Extrema unctione jam delibutus, & deſperantibus ſalutem Medicis agebat animam Petrus Gil, qui magnis febribus, vomitibus, aliiſque accidentibus ſeptem, vel octo menſium ſpatio fuerat afflictatus, graviſſimum exhalans fœtorem, corruptis præ morbi gravitate viſceribus, vix mœſtiſſima Uxor votum inviſendi Beati Paſchalis Sepulcrum, & parata funeri deferendi emiſerat, cum Vir nulla mora ſurrexit incolumis, & Uxore comite Votum emiſſum perſolvit.

§. 22. Fama igitur Sanctitatis B. Paſchalis miraculis, & gratiis ad ejus invocationem, & interceſſionem obtentis, in dies percrebreſcente, poſt varias probationes ordinaria auctoritate receptas, ſupervenit delegatio Apoſtolica, cujus vigore, confectis quinque proceſſibus, iiſque primùm à tribus Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, qui accuratam, & diſtinctam edidêre relationem, & poſtmodum in Congregatione tunc Sacris Ritibus Præpoſitorum Cardinalium bon. mem. Roberto Tit. S. Mariæ in Via, dum vivebat, Presbytero Cardinale Bellarmino nuncupato referente, diligenter examinatis, & maturè diſcuſſis, piæ mem. Paulus PP. V. etiam Prædeceſſor Noſter, humilibus ſupplicationibus univerſi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum, clar. mem. Philippi III. tunc in humanis agentis Hiſpaniarum Regis Catholici, bon. mem. Franciſci Cardinalis Lermæ nuncupati, & totius Regni Valentiæ Procerum inclinatus, de eorumdem Sacris Ritibus Præpoſitorum Cardinalium conſilio, ut præfatus Dei Servus inpoſterum Beatus nuncupari, atque de eo ſingulis annis die 17. Maji, quâ obdormivit in Domino, à Fratribus ejuſdem Ordinis in Regno Valentiæ commorantibus, tanquam de Confeſſore non Pontifice, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, Officium recitari, & Miſsa celebrari, necnon in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis Oppidi Villæ Regalis in eodem Regno Valentiæ exiſtentis, ubi ejus corpus requieſcere aſserebatur, ab omnibus Presbyteris tam Sæcularibus, quàm Regularibus Miſsa ſimiliter celebrari liberè, & licitè valeret, Apoſtolica auctoritate per ſuas in forma Brevis die 29. Octobris anni 1618. deſuper expeditas literas, conceſſit, & indulſit, & hujuſmodi Indultum per ſimiles in forma Brevis literas die 10. Februarii anni 1620. ad omnes utriuſque ſexûs Religioſos d. Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in Regnis Caſtellæ, & Aragoniæ commorantes, pari auctoritate ampliavit, & extendit, atque ut in Villæ Regalis, ubi ejuſdem Beati Paſchalis corpus requieſcere, & Turris Formoſæ, ubi idem Beatus natus, ac educatus aſserebatur, Oppidis prædictis, ab omnibus utriuſque ſexûs Regularibus, ac etiam Presbyteris, & Clericis Sæcularibus de eodem Beato Paſchali, juxta Rubricas Breviarii, & Miſsalis Romani hujuſmodi de communi Confeſsoris non Pontificis Officium recitari, & Miſsa celebrari reſpectivè valeret, eadem auctoritate conceſſit pariter, & indulſit.

§. 23. Reaſsumptâ poſtmodum in ſtatu, & terminis causâ, in vim ſpecialis Commiſſionis, manu rec. mem. Innocentii Papæ X. ſimiliter Prædeceſsoris Noſtri ſignatæ, poſt novos Proceſsus interpolatis temporibus confectos, eadem Congregatio Sacris Ritibus Præpoſitorum S. R. E. Cardinalium, ut de cultu B. Paſchali auctoritate Apoſtolica in vim præfati Indulti ejuſdem Pauli Prædeceſ-

Digitized by Google

ſoris exhibito, & de validitate Proceſsuum hujuſmodi ſuper iis, quæ poſt indultam Beatificationem ſupervenerunt, ritè confectorum, ſatis conſtitit, tandem in Congregatione die 27. Septembris anni 1673. habita coram ejuſdem mem. Clemente PP. X. etiam Prædeceſſore Noſtro, diſcuſſis pleriſque Miraculis, quæ Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, interceſſione Servi ſui dignatus eſt operari, duo, & ſanè celebriora ad relationem bon. mem. Camilli Tit. S. Euſebii, dum vixit, Presbyter Cardinalis de Maximis nuncupati, ex unanimi Conſultorum ſententia, & præfatorum Sacris iiſdem Ritibus Præpoſitorum Cardinalium ſuffragio, uti omnibus probationis calculis abſoluta, comprobata fuerunt. Primum nempe Franciſci de Bargas, cui index ſiniſtræ manûs ſecuris ictu ita præciſus, ut vix cutis particulæ cohæreret, ſtatim conſolidatis oſſibus, nervis, & cute omnino validus reſtitutus eſt. Et quartum Dominici Perez agricolæ, qui ope Beati imploratâ ad primum ligonis ictum ex aridiori terræ ſitu perennis, & numquam, vel exereſcentis, vel deficientis aquæ fontem exilire obtinuit, quo publica Loci, & Armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus, quæ felic. rec. Urbani Papæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri Decreta exigebant. Idem Clemens Prædeceſſor, accitis iterum Conſultoribus, eorum unanimen ſententiam, & Cardinalium præfatorum ſuffragia probavit, poſſe videlicet quandocunque tutò deveniri ad ſolemnem memorati B. Paſchalis Canonizationem, juxta Ritum S. R. E., & Sacror. Canonum inſtituta, eumque definiri cum Deo regnantem in Gloria Sanctorum, & eorum Catalogo adſcriptum toti Eccleſiæ colendum proponi.

§. 24. Interim verò eodem Clemente, & ſimilis recordationis Innocentio Papa XI. etiam Prædeceſſoribus Noſtris viam univerſæ carnis ingreſſis, ultima manu huic Canonizationis negotio nondum admotâ, cum aliæ preces memorato Alexandro Prædeceſſori à Chariſſimis in Chriſto filiis Noſtris Leopoldo Romanorum Rege in Imperatorem electo, & Carolo Hiſpaniarum Rege Catholico, porrectæ fuiſſent, & ſubinde Ven. Frater Noſter, tunc ſuus, Flavius Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Card. Chiſius nuncupatus, vice Venerabilis etiam Fratris Noſtri, tunc ſui, Alderani Epiſcopi Oſtienſis ejuſdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati præfatæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, in Conſiſtorio ipſius Alexandri Prædeceſſoris ſecreto ſummam proceſsûs, ſuamque, & aliorum Collegarum ſuorum d. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum ſententiam expoſuiſſet, cæterique in eodem Conſiſtorio præſentes Cardinales, & unanimi ſuffragio adhæſiſſent; & poſtea in alio publico Conſiſtorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in Urbe commorantes, ac Dilecti Filii Romanæ Curiæ Prælati, ipſiuſque Alexandri Prædeceſſoris Familiares convenerant, dilectus etiam Filius Alexander Caſalius Noſtræ, tunc ſuæ, Conſiſtorialis Aulæ Advocatus de Vita, virtutibus, & miraculis d. B. Paſchalis dixiſſet, atque præfatorum Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Hiſpaniarum Regis Catholici, & univerſi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nomine ſupplices preces pro ejuſdem Canonizatione detuliſſet, dictus Alexander Prædeceſſor hujuſmodi preces effuſo cum exultantis animi ſenſu excepit, & attendens, quod ad Eccleſiæ Catholicæ gloriam etiam numerus, & excellentia Sanctorum, qui illam illuſtrârunt pertineat, gaviſus ſummopere fuit ab eximiis prædicti, & aliorum Beatorum virtutibus, meritiſque in eodem Conſiſtorio relatis, præſtantiſſimum ſibi præberi argumentum ejuſdem Eccleſiæ gloriam amplificandi, firmam præſertim in ſpem adductus, fore, ut fideles tunc ejus ſupremæ cuſtodiæ commiſſi, ad tam præclara ſequenda veſtigia vehementer excitarentur.

§. 25. Ut autem difficillimum opus ritè conficere valeret, à memoratis Fidelibus juxta præſcriptas jam à ſe ſalutares pœnitentias, pia ferventique nuncupari vota impensè in Domino flagitavit, ut ſupernorum luminum Pater, caligantis humanitatis velo reſciſſo, Divinum beneplacitum, ſine prævia cujus intelligentia, infirma fuiſset qualibet deliberatio, ſibi oſtenderet. Quin etiam ad omnes accuratiſſimi Judicis partes implendas, antequam ſuper re tam magni momenti decerneret, advocavit in conſilium præfatos Ven. Fratres Noſtros, tunc ſuos, dictæ S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos tunc in Urbe commorantes, qui poſtmodum in Conſiſtorio ſemipublico ad hunc effectum indicto, præſentibus etiam Noſtris, tunc ſuis, & Sedis Apoſtolicæ Notariis, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus ex eis, quæ ab eo propoſita, & ex proceſſu relata fuerant, B. Paſchalem Canonizandum eſſe apertis ſuffragiis unanimiter cenſuerunt.

§ 25. Cum itaque nil aliud deſiderare tur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, præfatæ S. R. E. antiqua conſuetudine, ac Decretorum ejuſdem Urbani Prædeceſſoris præſcripto agenda, & obſervanda erant, idem Alexander Prædeceſſor adveniente prædeſtinata die 16. Octobris anno præterito

Digitized by Google

rito 1690. Pontificatûs ſui I. in Sacroſancta B. Petri Apoſtolorum Principis Baſilica, quo ſolemni Ritu eum Venerabilibus Fratribus Noſtris, tunc ſuis, ejuſdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus ſuis, Clero Sæculari, & Regulari, & maxima Populi frequentia manè convenerat, iteratis primo, ſecundo, & tertio pro Canonizationis Decreto petitionibus per dilectum Filium Noſtrum, tunc ſuum, Petrum S. Laurentii in Damaſo Cardinalem Otthobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, poſt Sacros Hymnos, Litanias, aliaſque Preces, & poſt Spiritûs Sancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac ſua matura deliberatione præhabita, & Divina ope ſæpius implorata, ac de præfatorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, tunc in Urbe exiſtentium conſilio, B. Paſchalem Baylon, unà cum Beatis Laurentio Juſtiniano, Jo: à Capiſtrano, Joanne de Sancto Faeundo, & Jo: de Deo, Sanctum eſse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adſcripſit, ſtatuens ab Eccleſia Univerſali quolibet anno die 17. Maji, qua obdormivit in Domino, memoriam ipſius inter Sanctos Confeſsores recoli debere. *In Nomine Patris, & Filii Spiritûs Sancti. Amen.*

§. 26. Quibus peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris Sempiternum Filium, ac Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus veneratus, Sacroque Hymno *Te Deum* ſolemniter decantato, peculiari Oratione, etiam per dicti Beati Paſchalis merita precatus fuit, atque Miſsæ ad Altare B. Petri Apoſtoli, cum ejuſdem B. Paſchalis commemoratione à Venerabili Fratre Noſtro, tunc ſuo, Petro Epiſcopo Sabinen. ejuſdem S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato, ſolemni ritu celebratæ, interfuit, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſit. Viſitantibus autem quotannis in præfato die feſto ejuſdem B. Paſchalis Sepulcrum, in quo ejus Corpus requieſcit, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit in forma Eccleſiæ conſueta.

§. 27. Ne autem de Decreto, Definitione, Adſcriptione, Statuto, Conceſſione, Relaxatione, aliiſque præmiſſis, ex eo, quod ſuper illis ipſius Alexandri Prædeceſsoris Literæ, ejus ſupervenientc obitu, confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæſitari, Volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod Decretum, Definitio, Adſcriptio, Statutum, Conceſſio, Relaxatio aliaque præmiſsa à dicta die 16. Octobris anni 1690., ſuum conſequantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Alexandri Prædeceſsoris Literæ ſub datum ejuſdem diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes Literæ ad probandum plenè Decretum, Definitionem, Adſcriptionem, Statutum, Conceſſionem, Relaxationem, aliaque præmiſſa ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 28. Cæterum, quia difficile foret præſentes noſtras Literas ad ſingula loca, ubi opus eſset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſsent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum voluntatis, & Decreti infringere, eique auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo primo, Idibus Julii, Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Bull. Rom. tom. 9. fol. 126.

Faeul-

Facultates Protectorum Ordinum coarctat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CHriſtifidelium, qui ſpretis ſæculi hujus illecebris ſub ſuavi Religionis jugo Divini Numinis ſeſe mancipârunt obſequiis, ſalubriori regimini, & felicioribus in Domino progreſſibus, quantùm Nobis ab Alto conceditur, proſpicere ſatagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obſidemur, ad illam quoque noſtræ conſiderationis aciem dirigimus, per quam hujuſmodi Religioſorum Ordines S. R. E. Cardinalium protectioni commiſſi, ita ejuſdem protectionis perfruantur ſubſidio, ut clauſtralis diſciplinæ vigor illibatus permaneat, Inſtitutique obſervantia ſarta tecta ſervetur, ac propterea, quæ curæ hujuſmodi Protectorum, & quæ cenſuræ Superiorum Regularium reſpectivè, & magis aptè conveniunt, congrua diſtinctione ordinentur, ſeu potius, quæ reſpectu alicujus Ordinis, per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros providè deſuper ordinata noſcuntur, quoad illum confirmationis noſtræ munimine conſtabiliantur, & quoad eumdem, & alios Ordines præfatis Protectoribus, ſive ſimiliter, ſive diſſimiliter commendatos, pro una, eademque regula, ad limites tamen præſentium, pariformiter conſtituantur.

Sanè, licèt Sanctus Franciſcus de Aſſiſio in ejus Regula, per Sedem Apoſtolicam confirmata, hiſce verbis præceperit. Per obedientiam ad hoc injungo Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis, ut ſemper ſubditi, & ſubjecti pedibus ejuſdem S. R. E. ſtabiles in Fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus. Nihilominus nonnulli Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, Protectoris hujuſmodi facultates declarandas, fineſque, quibus illæ concludi deberent, præſcribendos eſſe, in Domino exiſtimârunt, ſuiſque deſuper editis litteris decreverunt.

Cum enim aliqui eorumdem Protectorum ſuam poteſtatem nimium extendiſſe dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes, & ſcandala ſuiſſent exorta, felic. rec. Gregorius Papa XI. Prædeceſſor Noſter ſuis ſexto Kalendas Junii Pontificatûs ſui anno tertio expeditis litteris, ut idem Ordo in ſua primæva quiete permaneret, de virtute in virtutem iret aſſiduè, & quibuslibet amotis præpedimentis, eradicatiſque ſpinis, & tribulis, fructum non ſolùm conſuetum, ſed etiam uberiorem afferret, ad radicalem ſubmotionem turbationum, & ſcandalorum ejuſmodi jam exortorum, &, ne orirentur inpoſterum, providere, ac ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentibus Protectoribus tranſgreſſionis ſuæ poteſtatis occaſionem tollere, efficaci remedio cupiens, Auctoritate Apoſtolica eiſdem Protectoribus diſtrictiùs inhibuit: ne præſumerent quæcumque ordinata, ſtatuta, ſive diſpoſita, aut ordinanda, ſtatuenda, ſeu diſponenda per generalia, vel provincialia, aut cuſtodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, ſuſpendere, aut diſpenſare ſuper ipſis, ſeu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, niſi contra præmiſſos articulos in præfata Regula, ut præfertur, poſitos, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſtè.

Aut quemcumque Prælatum, ſeu Officialem dicti Ordinis, ſeu alicujus loci ejuſdem, quocumque nomine nuncuparetur, ponere, ſeu inſtituere, aut deponere, deſtituere, ſeu privare, aut à ſuo officio ſuſpendere, ſeu impedire ſuper ejus libero exercitio quovis modo.

Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, ſeu ſtudium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, ſeu etiam revocare.

Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, ſive alicui Fratrum eorumdem eundi ad quodcunque Monaſterium, vel locum alium, vel Domum, vel aliquam perſonam, licentiam impartiri.

Et ne inſuper quemvis ſingularem Fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine, vel delicto punire, vel à pœna, ſeu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare.

Aut etiam alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel ejus uſui deputare.

Aut quemcunque per Prælatos ejuſdem Ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere.

Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, niſi in caſibus præmiſſis contentis in præſata Regula, ſeu eorum aliquo ſe aliquatenus intromittere quovis modo, ita ut dictus Ordo, ſeu Fratres ejuſdem Ordinis in nullo ſubeſſent futuris Prote-

te-

tectoribus, niſi in caſu, in quo ipſorum Fratrum Communitas, vel Generale Capitulum (quod abeſſet) à prædictis articulis, vel eorum aliquo deviâſſent, alioquin ſi ſecus feciſſent, id decrevit irritum, & inane.

Et nihilominus Fratres, qui contra ejuſmodi inbibitionem quidquam impetrâſſent, ſeu poſt inbibitionem ejuſmodi uſi fuiſſent, etiam per alios impetratis, punirentur illis pęnis, quibus fuiſſent pro gravibus culpis ſecundùm ſtatuta dicti Ordinis puniendi, & nibilominus eſſent actibus privati legitimis, & à ſuis, ſi quæ habuiſſent, ſuſpenſi officiis ipſo facto.

Cæterùm memoratus Gregorius Prædeceſſor eoſdem futuros Protectores hortatus ſuit attentiùs, quod per ſacti efficaciam ſic nominis ſui officii procurarent effectum, ut Ordo ipſe per eos non læderetur in aliquo, ſed potiùs ab adverſis, pro tempore forſan imminentibus, ſuo opportuno defenſionis clypeo protegeretur, & à noxiis præſervaretur: ſic acturi providè, & æquitatis, ac modeſtiæ limites ſervaturi, ut non traheretur ad noxam, quod proviſum fuerat ad ſalutem, ſed ea charitativis geſtis eorum Ordo præfatus quietem, & conſolationem præciperet, & ipſi Protectores magnum apud Deum præmium ſortirentur, & ſuper contrario non oporteret dictæ Sedis providentiam aliud remedium adbibere.

Succeſſivè rec. mem. Sixtus Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, qui eum ſibi in minoribus conſtituto memorati Ordinis generalis cura, & adminiſtratio incubuiſſet, ſaluberrimum, opportunum, & neceſſarium dicto Ordini ſuiſſe conſpexerat, ut Protectores ultra præfixum, ab ejuſdem Ordinis Regula, auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat, & viderat, quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda præſato Ordini, & Fratribus ejuſdem ex firma, & inconcuſſa præfatarum litterarum dicti Gregorii pariter Prædeceſſoris obſervantia provenerant, quæ, & quantæ perturbationes, jacturæ, incommoda, damna, & gravia ſcandala in dicto Ordine ſuſcitata fuerant, quoties illius Protectores ſuæ auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejuſdem cauſis, & negotiis ſe intromittere, & uſurpata ſibi auctoritate ea videre, cognoſcere, judicare, & decernere voluerant: Cupiens, ut Religio, & Ordo præfatus, quem affectuoſiſſima charitate complectebatur, utpotè quia in eo à teneris annis enutritus, & doctrina, ac regularibus diſciplinis, & moribus inſtitutus fuerat, quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus, & meritis augeretur, & multiplicaretur, ut Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Reipublicæ augmentum, & multiplex, ac ſolidum fundamentum ex ejuſdem Ordinis Fratrum operibus, & exemplis ſapientia, & ſplendore, ac fructuoſis ſtudiis, & prædicationibus provenirent, promptiſſimo, & liberali animo uti dignum cenſuit, & debitum, ut ea, quæ pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & proſperitate à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus providè ſtatuta, & ordinata fuerant, illibata perdurarent, ſuæ approbationis munimine ſolidavit, interpretatus ſuit, & declaravit, prout ipſius Ordinis tranquillitati conſpexit ſalubriter expedire.

Præmiſsâ igitur dictarum memorati Gregorii Prædeceſſoris litterarum inſertione, ac prævia hujuſmodi narrativa, idem Sixtus Prædeceſſor, ut de cætero ipſius Ordinis Profeſſoribus omnis evagandi extra Religionem occaſio tolleretur, & vera ſuis Prælatis obedientia, in qua Religionis verum, & ſolidum firmamentum, & robur conſiſtit, exhiberetur, præfatique Ordinis, & Fratrum ejuſdem negotia, & cauſæ non alibi, neque per alios, quàm in ipſo Ordine, & per ipſius Prælatos tractarentur, agitarentur, judicarentur, & determinarentur, tunc exiſtentis Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius Generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinatus, inhibitionem, & litteras præſatas memorati Gregorii Prædeceſſoris auctoritate Apoſtolica, ſuarum tenore litterarum approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit.

Et per eas Protectori præſato pro tempore exiſtenti, niſi in illis caſibus, & articulis in Regula dictorum Fratrum expreſſis, & præfati Gregorii Prædeceſſoris litteris declaratis, neque in illis, dum non univerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis Profeſſores in quovis numero à Fidei unitate, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia deviarent, vel Regulam præſatam non ſervarent, ſed de eorumdem deviantium, & non obſervantium Regulam correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet cauſis, & negotiis dicti Ordinis ſe intromitteret, inhibitum fuiſſe, dicta auctoritate decrevit, & declaravit.

Hortatuſque fuit illum, qui ad officium Protectionis hujuſmodi, quod tunc per obitum bo: mem: Beſſarionis, Epiſcopi Sabinenſis, dicti Ordinis, dum viveret, Protectoris, vacabat, aſſumi, & deputari contigiſſet, & ipſius ſucceſſores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo inhibuit, ne extra prædictos articulos, & caſus in Regula præfata contentos, & expreſſos, nec etiam in illis, cum non univerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars,

Digitized by Google

vel ſpeciales perſonæ errarent, ipſorum Fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis, & negotiis contra litteras, & declarationes hujuſmodi intromittere ſe quoquo modo præſumerent, ſed curarent, vigilarent, & intenderent, uti erat eorum officium, & prædicti Sancti Franciſci, & præfatæ Sedis intentio fuerat, ipſum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico ſtatu conſervare, & augere, & ab impugnantibus, moleſtantibus, & perturbantibus protegere, defendere, & tueri, ne ſecus agendo Ordinem præfatum non ſolùm non protegerent, conſervarent, & exaltarent, ut tenebantur, ſed in animarum ſuarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum, & ſcandalum perturbarent, deſtruerent, & confunderent, ut in ejuſdem Sixti Prædeceſſoris Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, quinto Kalendas Februarii, Pontificatûs ſui Anno Secundo expeditis litteris continetur.

Quas, ac alias præfatas memorati Gregorii Prædeceſſoriis literas piæ mem. Julius Papa II. etiam Prædeceſſor noſter, qui in minoribus conſtitutus, Cardinalatûs honore fulgens, dicti Ordinis Protector viginti ſex annis, & ultra fuerat, dictoſque Fratres tanquam peculiares filios in viſceribus charitatis gerens, eadem commoda, & tranquillitatem ſinceris affectibus exoptabat, præviâ ambarum præfatarum inſertione, aliis ſuis literis ſub Dat. anno Incarnationis præfatæ milleſimo quingenteſimo octavo, idibus Octobris, Pontificatûs ſui anno quarto, approbavit, ac earumdem ſuarum literarum patrocinio communivit.

Cupientes itaque, ut pluries animo attentè revolvimus, etiam in hac parte Apoſtolicę ſolicitudinis ſtudium apponere, ac nolentes ſalutaris proviſionis remedium jamdiù à Nobis præmeditatum, ac etiam à quampluribus diverſorum Ordinum Regularibus ſuppliciter petitum, diutiùs differre, dictorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum uſu præſtantium ad hunc effectum de mandato noſtro congregatorum conſilio, præfatas memoratorum Gregorii, Sixti, & Julii Prædeceſſorum literas tenore præſentium approbamus, confirmamus, innovamus, & ad primævum ſtatum, priſtinumque uſum reducimus, & reintegramus, illiſque in omnibus, & per omnia perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Inſuper, ut in omnibus, & ſingulis quorumcunque Regularium Ordinibus memoratorum Protectorum curæ commiſſis, ſeu committi conſuetis, una, eademque, & pariformis, hujuſmodi protectionum ſit, & perpetuò eſſe debeat regula, & diſciplina, omnia, & quæcunque tam in præfatorum Prædeceſſorum, ut præfertur, confirmatis, quàm in præſentibus noſtris literis contenta, in omnibus, & ſingulis, ſive Sancti Franciſci, ſive cujuſcunque alterius Regulæ, vel inſtituti, ac quomodocunque erectis, reformatis, ſeu exiſtentibus, ac erigendis, reformandis, ſeu futuris, & quomodolibet nuncupatis, ſeu nuncupandis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, vel Reformationibus tam virorum, quàm mulierum, curæ Protectorum Ordinis, cujus illi, ſeu illæ exiſtunt, generaliter commiſſorum, ſeu commiſſarum, obſervanda, attendenda, ac omnimodæ exequutioni demandanda eſſe, & fore, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus, & mandamus. Et nihilominus, ne hujuſmodi Protectores in aliquibus negociis, cauſis, ſeu rebus, quæ univerſum Ordinem, ſeu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacunque cauſa, occaſione, titulo, ſeu prætextu ſeſe quoquo modo intromittant, ſeu ingerant, etiam tenore præſentium penitus prohibemus, ſtatuimus, atque decernimus.

Hinc, cum retento præfatarum à Nobis confirmatarum, & ad omnes Ordines Regulares extenſarum, ac præſentium noſtrarum literarum themate, congruere, & in conſequentiam venire videatur, ut memorati Protectores etiam à cognitione, & definitione cauſarum, ſeu litium, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, jura, domos, aliaque, ut præfertur, particulariter concernentium pariter, ſeu magis abſtinerent: Vice autem verſâ cauſæ, lites, inſtantiæ, petitiones, vel negotia hujuſmodi, ſive ex indultis, privilegiis, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive ex Regulis, vel Statutis, ſeu Ordinationibus aliquorum Ordinum, ſive ex declarationibus, vel decretis dictæ S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus præpoſitorum, ſive ex uſu, vel quacunque conſuetudine, in aliqua inſtantia, ſeu gradu cujuſcunque appellationis, vel recurſus à memoratis Protectoribus, ſeu eorum aliquibus haſtenus cognita, examinata, ſeu judicata fuerint, vel cognoſci, examinari, ſeu judicari potuiſſe, vel debuiſſe dignoſcerentur, ſeu prætenderentur: propterea, ut modus, forma, & ordo in præfatis confirmatis, & extenſis, ac præſentibus noſtris literis conſtituti, ſuum plenarium, & conſimilem etiam

in

in hac parte ſortiantur effectum, omnibus, & ſingulis præfatis Indultis, Privilegiis, Conſtitutionibus, Regulis, Statutis, Ordinationibus, Declarationibus, Decretis, uſibus, & conſuetudinibus, quorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habemus, pleniſſimè, & ampliſſimè motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus, illis aliàs in ſuo robore, permanſuris, ac quamcunque inſtantiam, ſive gradum cujuſcunque appellationis, vel recursûs coram Protectoribus, ſeu ad Protectores hujuſmodi, removentes, tollentes, ſeu reſecantes, quamcunque toſtantiam, prout de jure, & juxta Ordinis inſtituta relinquimus, & cujuſcunque appellationis, ſeu recursûs gradum, quem ſingulis Cardinalibus Protectoribus tenore præſentium omnino, & abſolutè adimimus, ipſis Cardinalibus, inſimul tamen in Congregatione negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita convenientibus, earundem tenore præſentium reſtituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur, ſeu veriùs utrumque, ſeu duplicem appellationis gradum, qui ſuper præmiſſis prius ad Cardinales Protectores præfatos, & ſucceſſivè vel reſpectivè, omiſſo medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eadem Congregatione conſolidamus, annectimus, & unimus, & ad unum cognitionis, ſeu appellationis gradum reducimus.

Ad hæc, cum pariter ex Indultis, Privilegiis, ſeu Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel ex Regulis, Statutis, ſeu Ordinationibus, ſive ex uſibus, & conſuetudinibus, vel aliàs quoquo modo, aliqua nonnullos Prælatos, Superiores, ſeu alios in aliquibus Ordinibus eligendi, ſeu deputandi, vel alia quæque facultas, ſeu auctoritas nonnulla quæcunque gerendi, committendi, mandandi, demandandi, ſeu ordinandi præfatis Protectoribus, ſeu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commiſſa, commendata, ſeu demandata ſpecialiter, vel generaliter contra formam præfatarum Gregorii, & Sixti Prædeceſſorum literarum exiſtat; Hinc Nos hujuſmodi electiones, ſeu deputationes ad limites Sacrorum Canonum, ſeu Regularum, & Inſtituti, vel ad modum, & formam in Comitiis generalibus, ſeu per Nos auctoritate Apoſtolica ſtatuendum, & ſtatuendam reducimus, & reductas eſſe volumus, & mandamus: Quò verò ad cætera, facultatem, ſeu auctoritatem, quam iiſdem ſingulis Cardinalibus Protectoribus in præmiſſis, & circa ea penitus adimimus, eorumdem Cardinalium Congregationibus, juxta cujuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, ſimiliter reſtituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur; ſub ea tamen moderatione, ſeu declaratione, ut præfatæ Congregationes in illis dumtaxat, quæ ad Protectores hujuſmodi ex Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ex Statutis, Regulis, vel Conſtitutionibus cujuslibet reſpectivè Ordinis, non autem ex uſu, conſuetudine, vel aliàs ſpectârunt, loco eorumdem Protectorum ſubrogentur, & ſubrogatæ ſint, & intelligantur.

Quia verò ſæpe ſæpiùs contingit, ut in cauſis, ſeu negotiis, quæ in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur ſuper expoſitis informatio, ac quandoque etiam votum, ſeu delegetur reſolutorum exequutio, eamdem proportionem, ſeu diſtinctionem, quam præmiſimus, etiam in hac parte ſervari mandamus, ut nimirum in reſpicientibus totum Ordinem Protectorum curæ, ut præfertur, commiſſis, ſeu relictis, iiſdem Protectoribus; In cæteris verò cauſis, & negotiis, Superiori Generali, ſive Procuratori Generali, & in utroque, ſeu alterutro caſu, etiam Congregationi ſive Aſſiſtentium, ſive Definitorum, ſive Conſultorum, ſive aliter quomodocumque nuncupatæ hîc in Urbe, vel in alio Italiæ loco exiſtenti, in qua Ordinis negotia tractantur, ſeu tractari ſolent, vel debent, & quoad illos Ordines, in quibus hujuſmodi inſimul, & continuè conveniens Congregatio non exiſtit, ſeu exiſtit, ſed extra Italiam, eidem Procuratori Generali vel ſoli, vel inſimul etiam nonnullis aliis ejuſdem Ordinis Superioribus ſeu Prælatis, tametſi in diverſis locis in Italia ſeu extra eam reſpectivè, ut præfertur, commorantibus, arbitrio ſemper cujuslibet ex præfatis Cardinalium Congregationibus, juxta rerum, locorum, & perſonarum qualitates, & circumſtantias reſpectivè, informatio, & Votum, ut præfertur, necnon exequutio hujuſmodi, congrua congruis referendo, & ſervata cæteroquin quoad ſingulos Ordines forma propriæ Regulæ, ſtatutorum, ſeu Inſtituti, remittatur, delegetur, ſeu committatur.

Perpendentes etiam Chriſtianæ Reipublicæ præ cæteris expedire, ut Ordinibus Regularibus Prælati inculpatæ vitæ, morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientia præſtantiores, & aptiores præficiantur, & ad hunc effectum omnimodam, & ab humanis reſpectibus undequaque immunem, & ſacroſanctam libertatem in illorum electionibus, non modum mirabiliter conferre, ſed requiri, memoratos Protectores in Domino hortamur, & enixè obſecramus,

mus, ac Electoribus pariter in Domino, & in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, ſeu hortationes, obſecrationes, & præcepta hujuſmodi renovamus, ut in Comitiis, præſertim generalibus, quibus eoſdem pro tempore præſidere, & reſpectivè intereſſe contigerit, nedum inter ſe, & aliis intra clauſtra degentibus, ſed exteris ipſis quibuſcunque, etiam Laicis, quacunque majeſtate, præeminentia, gradu, & dignitate fulgentibus, propriæ indifferentiæ, ac unici in Dei gloriam, & Religionis bonum reſpectûs, ita ſe præbeant ſingulare ſpecimen, & exemplar, talemque hujus rectæ intentionis, & melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes, & importunas commendationes, ubi Spiritus Paraclitus ſpirat & præſidet, inutiles, & incongruas eſſe, ſeu fore, certiùs agnoſcentes, ab iiſdem prorſus abſtineant, ſeu deſiſtant, indeque tam intrinſecus, quàm extrinſecus, omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humaniſque finibus eliminaris, & exploſis, integra, illibata, & intacta Vocalibus remaneat eligendi facultas, & tam Superioris Generalis, quàm aliorum reſpectivè Prælatorum, undequaque libera, optima, & canonica ſequatur electio, ad quam eum Voto, ſi quod, & eo modo, quod Protectori juxta cuiuſque Ordinis Regulas, Statuta, vel aliàs competit, Deum, ejuſque honorem & gloriam dumtaxat præ oculis habens, concurrat. Nolumus tamen abſentium vota, nec Protectoris, nec cujuſcunque alterius, nec ipſarum Cardinalium Congregationum auctoritate ſuppleri, ſeu alios Vocales eorumdem abſentium loco, ſeu vice ſubrogari, deputari, ſeu eligi, ſed jus eligendi in ſolis, juxta juris, & Inſtituti regulas ad hunc effectum aſſumptis, & in deſtinatis loco & tempore convenientibus conſolidari, ſeu aliàs, prout de jure, permanere omnino volumus, & mandamus.

Ut autem præmiſſa omnia & ſingula eò magis debitum conſequantur effectum, & exequutioni demandentur, ac ad majorem cautelam, ſeu declarationem, omnia quæcunque & ſingula, quæ in præmiſſis confirmatis, ac extenſis, & præſentibus noſtris litteris ſunt quoquo modo explicitè, vel implicitè memoratis Protectoribus interdicta, inpoſterum annullamus, caſſamus, & irritamus, ſeu potiùs nulla, caſſa, inania, irrita, nulliuſque roboris, & momenti ipſo jure, & facto omni meliori modo declaramus, atque decernimus. Mandantes iiſdem nunc & pro tempore in futurum exiſtentibus Protectoribus, ne cuncta, vel ſingula præmiſſa quoquo modo injungant, faciant, mandent, committant, permittant, ſive tollerent; necnon quibuſcunque Regularibus utriuſque ſexûs, tum Superioribus, etiam Generalibus, tum ſubditis, ne iiſdem omnibus, & ſingulis, ut præfertur, præmiſſis pareant, obediant, morem gerant, adhæreant, ſeu illa tollerent, vel permittant, ſive omnia, vel ſingula præmiſſa, quæcunque fiant, ſeu attententur per ſententias, vel decreta, ſive in forma judiciali, ſive extrajudiciali, tam per patentes, quàm per privatas litteras, ſeu epiſtolas, ſive per ſeipſos, ſive per quoſcunque alios, nedum per viam præcepti, juſſionis, mandati, vel commiſſionis, ſed etiam commendationis, & ſive palàm, ſive ſecretè, tum in quibuſcunque ſcriptis, tum oretenùs, & tam directè, quàm indirectè, mediatè, vel immediatè, ac aliis quibuſcunque formis, & modis, nihil penitus omiſſo, præfatorum omnium conſcientias deſuper onerantes.

Propterea omnes, quaſcunque, & ſingulas facultates, auctoritates, & juriſdictiones quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, tam in genere, quàm in ſpecie omnibus, & ſingulis antehac, ſive nunc exiſtentibus Protectoribus hujuſmodi, & tam eorum perſonis, quàm gradui, muneri, vel officio conceſſas, & attributas, vel communicatas, ſeu ab illis quoquo modo exerceri conſuetas, etiam ſpeciali, & individua mentione, moderatione, ſeu revocatione dignas, earumdem omnium & ſingularum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, in omnibus, & ſingulis, quæ præmiſſis adverſantur, moderamur, reformamus, & ad limites, modum, formam, & tenorem præſentium reducimus, & pro ſic moderatis, reformatis, & reductis haberi, cenſeri, & intelligi volumus, & decernimus; Sicque pariter, & non aliàs quàm ſervata forma omnium, ac ſingulorum in illis contentorum facultates, juriſdictiones, & auctoritates hujuſmodi, necnon deputationes eorumdem Protectorum inpoſterum quomodocumque concedendas, attribuendas, ſeu communicandas, & reſpectivè faciendas, obſervari, attendi, intelligi, & exequi omnino volumus, & mandamus.

Quocirca præfatæ Congregationi memoratorum negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum Cardinalium, & dilecto Filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus omnibus, & ſingulis præmiſſis ſemper ſalvis, & in ſuo robore permanentibus, Congregatio, vel Auditor præfati præſentes literas in ea parte, quæ prædictam moderationem, ſeu limitationem facul-

cultatum Protectorum hujuſmodi, ac in contrarium deſuper ab iiſdem Protectoribus gerendorum nullitatem, ſeu irritationem dumtaxat concernunt, ubi, & quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque deſuper intereſſe habentium Congregatio, vel Auditor præfati fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque deſuper efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes in dicta parte dumtaxat firmiter obſervari, & ſingulos, quos eædem litteræ in dicta parte concernunt, illis pacificè gaudere, non permittentes eos quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Decernentes, eaſdem præſentes litteras &c. Sicque, & non aliter per quoſconque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſcumque Nuncios, & Cardinales &c.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, &, quatenus opus ſit, noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, & ſignanter illa de jure quæſito non tollendo, & alia, quod Cardinales in Conſtitutionibus, & Regulis per Nos edendis non comprehendantur, niſi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipſæ edendæ Conſtitutiones de illorum, ſeu majoris partis eorum conſilio editæ fuerint, aliiſque quibuſcunque, etiam in Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus &c. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi &c. ad præmiſſorum effectum harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè, ac pleniſſimè & ampliſſimè derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionum, reintegrationis, ſanctionis, mandatorum, prohibitionis, ſtatuti, decretorum, derogationum, voluntatum, ademptionum, reſtitionum, conceſſionum, conſolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obſecrationis, præcepti, renovationis, annullationis, caſſationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis, & reformationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, quartodecimo Kalendas Martii, Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Bullar. Roman. tom.9. fol.344.

DECRETO

Auctoritate Sanctiſſimi edito.

Circa incorrigibiles annus pœnitentiæ ad ſex menſes reſtringitur; facultas Generalibus Ordinum de conſilio ſex graviorum Religioſorum tales ejiciendi ad Provinciales extenditur proceſſus juxta ſtylum cujuſcunque Ordinis confici indulgetur, ac Decreta omnia de hac re edita bis in anno legi, ſub pœnis mandatur.

INſtantibus Procuratoribus Generalibus Religioſorum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apoſtatis, & Ejectis editorum à Sacra Congregatione Concilii, & à ſa: me: Urbano Papa VIII. anno 1624. confirmatorum, ut facilior modus Incorrigibiles ejiciendi præſcribatur, Sacra Congregatio à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Papa XII. ſuper præmiſſis particulariter deputata, Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Caſanate, Mariſcotti, de Norfolcia, de Lauræa, de Aguirre, & Colloredi, perpenſis eorumdem Procuratorum Generalium votis, ne conſortio morbidarum pecudum cæteræ corrumpantur, & remedia hucuſque ad ſanitatem oblata malè affectis officiant magis, quàm proſint, maturo examine, zelo Regularis diſciplinæ conſervandæ, cenſuit, ſtatuit, & auctoritate ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri ſibi ſpecialiter attributâ, hæc impoſterum ſervanda decrevit.

1. Quod firmis, ac in ſuo robore ſemper manentibus prædictis Decretis de Apoſtatis, etiam ſecundùm eam partem, ubi agitur de Ejectis, & Ejiciendis, tamquam Sacris Canonibus, & communiori Sanctorum Patrum menti conformibus quoad Ejectos eadem ſerventur, quæ in alio ſimili Decreto hac præſenti die emanato de Apoſtatis, & Fugitivis ſtatuta ſunt, & indulta; Quodque ad præſcriptam legem ſa: mem: Gregorii IX. in *c. final. de Regul.* annuatim Fugitivi requirantur, & reſpectivè cogantur ad Clauſtra reverti.

2. Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præſcribitur in pœni-

tentia, & jejunio ad ejiciendos Incorrigibiles, ad ſex tantùm menſes continuos inpoſterum coarctetur, & reſtringatur.

3. Quod facultas Generalibus Ordinum de conſilio, & aſſenſu ſex ex gravioribus Religioſis in ſingulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus ad cauſas Ejiciendorum eligendis, attributa, extendatur etiam ad quoſcumque Provinciales, qui, electis pariter in Congregationibus Provincialibus ſex gravibus ex propria Provincia Religioſis à Generali confirmandis, de illorum conſilio, & aſſenſu cauſas hujuſmodi cognoſcant, & ad effectum ejiciendi Incorrigibiles ſuæ Provinciæ, & Ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, definiant, ſalvâ ſemper Sanctæ Sedis, & Sac. Congregationis Concilii in caſu recursûs, & appellationis auctoritate.

4. Quod inpoſterum proceſſus conficiantur juxta Regulas, Conſtitutiones, Ordinationes, & ſtylum cujuſque Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit à Sacra Congregatione proviſum.

5. At, quia nimia ſine delectu facilitas recipiendi quoſcunque Religionis ingreſſum petentes, & à Religione forſan alienos, duram ſatis tractu temporis neceſſitatem parit eoſdem è Clauſtris ejiciendi, ne hujuſmodi ſemina, quæ à principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus uſque ad incorrigibilitatem ſuccreſcant in paleas, eadem Sacra Congregatio, annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro ſub interminatione Divini Judicii, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac Dignitatum, & Officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem inpoſterum obtinenda, quibuſcumque prædictorum Ordinum Superioribus diſtrictè præcipit, & mandat, omnia & ſingula Decreta ſa: me: Clementis VIII. regiſtrata poſt Decretum ſa: mem: Urbani VIII. de Apoſtatis, & Ejectis incipien. *Regularis*, *Sanctiſſimus*, & *Nullus*, unà cum aliis ſubſequentibus decretis, proviſionibus, ordinationibus, & reſpectivè moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem ſervari, pœnas in eiſdem contentas innovari, & Capitibus Ordinum intimari, ne hujuſmodi Decretorum tranſgreſſores, qui in lege glorientur, per prævaricationem legis Deum inhonorent; & ne militiæ Chriſti adſcripti, tam de facili fiant deſertores, ac profugi.

Datum, & publicatum Romæ die 24. Julii 1694.

Exempl. Authent. in Arch. generali Ordin. Arm. Doc. Authentica.

N O T A

HUic Sacræ Congregationis Decreto unitur & illud ab ea aliâs & prius editum, ac ab Urbano VIII. confirmatum, ita ſonans.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Regularium ejectorum, & fugitivorum ſtatui conſulere, illorumque ſcandala ſummovere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæ pretium exiſtimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum Sanctiſſimo Domino Noſtro Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò, ut infecta ſemina, è quibus pravi ejuſmodi fructus potiſſimùm prodeunt, deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit eſſe innovanda, & Sanctiſſimi auctoritate innovat Conſtitutiones, & Decreta generalia ſan. me. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictèque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exactè obſervent, atque, ut obſerventur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in iiſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum cenſuit, caput illud, quo decernitur, ut in Conventibus, ſeu Monaſteriis ad Novitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu inpoſterum deſignandis & approbandis, Novitii ad Habitum ullatenus recipi poſſint, niſi priùs à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis expreſsè, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem Decreti obſervatione Sacra Congregatio juſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſolvendos, prout auctoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri, abſolvit, atque eximit.

Deinde, ut apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis rectà ſe transferat ad arctiorem. Quod ut re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia invigilet.

Rurſus

Rurſus ſtatuit, ut fugitivi, & Apoſtatæ, ſive Habitum Regularem deferant, ſive non, poſſint, ac debeant ab Epiſcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus conſignari, ſecundùm Regniaria inſtituta puniendi: utque ipſi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; ſalvâ tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa Decreto Concil. cap. 3. ſeſs.6. Quod ſi Apoſtatæ hujuſmodi citra montes infrà quatuor, ultra montes verò infra octo menſes à præſentis Decreti publicatione ineboandos, ſua ſponte ad ſuam quiſque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipſis propter Apoſtaſiam inflictarum, aut infligendarum remiſſionem, atque impunitatem aſſequantur: Ita tamen, ut debeant à Superiore abſolutionem humiliter petere, & coram ea culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò econtra benignè illos teneatur excipere, ab hujuſmodi pœnis abſolvere, & paterna charitate complecti.

Ad hæc, ut inpoſterum è Religionibus nullus legitimè Profeſſus ejici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte Statutis, & Conſtitutionibus cujuſque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis: verùm etiam unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres in qualibet ſaltem Provincia. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perſeveraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantùm de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus; tumque nonniſi inſtructo ſecundùm eorum ſtylum, & Conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Interea tamen uſque ad primum Generale Capitulum, ſeu Congregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex juſtis, & neceſſariis cauſis expellere oportebit, ejectio fieri poſſit à Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, ut ſuprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis Decreti publicatione, ſervatâ tamen in reliquis formâ ſuperiùs præſcriptâ. Sic verò ejecti, quandiu non redierint ad Religionem, in Habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci juriſdictioni, & obedientiæ ſubſint, proindeque Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Jeſu Chriſti viſcera obteſtatur, ut memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam graviſſimum, atque extremum expulſionis remedium experiantur. Idque eò magis, quod ſubditorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in ſupremo Dei judicio de eorumdem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

Præterea ſtatuit, ut iidem Superiores nemini ex Religioſis expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Item, ut ejecti extra Religionem degentes, ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublatâ Ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.

Ac poſtremò cenſuit, eſſe innovandam, & Suæ Beatitudinis auctoritate innovat Conſtitutionem fel. rec. Gregorii IX. relatam in c.final.extra de regul. ac præterea declarat, eam Conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſervandamque eſſe, qui juſtè, diffinitivèque, ac juris ordine ſervato expulſi fuerint: dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis, ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii, cujus conſcientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio ſeriò oneravit.

Ne qua verò difficultas in ſupraſcriptis Decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctiſſimo Domino Noſtro annuente, atque approbante, univerſis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium ubique locorum exiſtentium injungit, ſeriòque mandat, ut illa diligenter obſervent, atque obſervari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monaſteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium ubique locorum exiſtentibus, efficiantque, ut tam Decreta ſupradicta fel. rec. Clementis VIII. quàm præſentes Ordinationes in ſingulis ejuſdem locis bis, ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si

Si quis verò ipſorum adverſùs ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa inpoſterum obtinenda, pœnoque hujuſmodi ſit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſervata, iiſdemque Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta, & nihilominus ſit irritum, & inane quicquid ſecus, à quoquam actum extiterit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quorumcunque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monaſteriorum, Conventuum, Domorum, & locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, vel titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individuo, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ ſupradictis quomodolibet adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſè, Sanctitatis Suæ auctoritate, derogat, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ die 21. *Septembris* 1624.

Manum ad hanc materiam extendere, ſupervacaneum judico, tum, quod alii Scriptores pleno calamo illam tractent, tum, quod ea, quæ nobis Capucinis à Sede Apoſtolica deſuper indulta ſunt, primus Bullarii tomus *fol.* 207. exhibeat. Sique ibi citati Auctores de hac re agentes non ſufficiant, Matthæucccius *in ſuo officiali Curiæ verbo Apoſtata fol.* 15. *& verb. Incorrigibiles fol.* 170. Thomas del Bene *tom.* 2. *de offic. Inquiſitionis fol. mihi* 536. Paſſerinus *tom.* 3. *de ſtatibus qu.* 189. *art.* 8. *num.* 123. *pag.* 488. *& fol.* 520. aliique ab his citatis legantur, dum ego totum claudo Decretis ſubnexis, & ex Bullario Ordin. Prædic. *tom.* 7. *fol.* 308. exſcriptis:

Procurator Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, mediante interceſſione Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo Protectoris, ſupplicat pro ſuo, ut inquit, & aliorum Superiorum Regularium inſtructione per hanc Sacram Congregationem reſponderi ad infraſcripta ſuper Decreto de Apoſtatis, & Ejectis, juſſu Summi Pontificis, ex ſententia ejuſdem Sacræ Congregationis, edito anno 1624. *& impreſſo in Bullario novo* tom. IV. pag. 267. verſ. *Ad hæc.*

Primò. *An Regularis conſtitutus in carceribus ſpatio unius anni in jejunio & pœnitentia, ad finem, ut tanquam incorrigibilis à Religione ejiciatur, ſi è carceribus fugiat (dicto incarcerationis anno nondum expleto) & deinde ſit captus, poſſit tunc uti incorrigibilis ejici, an verò quid aliud faciendum ſit?*

Secundò. *An Regularis, pluribus interpollatis vicibus pro iteratis delictis in diverſis temporibus commiſſis, in carceribus detentus, poſſit uno carcerationis anno (ut ſuprà interpollatè expleto) tanquam incorrigibilis à Religione ejici, ſi poſt dictum annum carcerationis interpollatum, animo indurato in ſua pertinacia perſeverans iterum delinquat?*

Tertiò. *An Generalis Ordinis poſſit delegare facultatem ejiciendi à Religione Provincialibus pro eorum Provinciis, ſeu Commiſſariis, vel Vicariis Generalibus, & an delegatio ſit à Generale ſocienda in quolibet caſu, an verò indefinitè in omnibus caſibus?*

Quartò. *An ſex Patres, de quorum conſilio, & aſſenſu ejectio fieri debet, ſint intelligendi de tota Religione, an potiùs ſufficiat ex qualibet Provincia, ſeu Regno?*

Quintò. *Quod ſi à Religione hujuſmodi ſex Patres non fuerint electi in Capitulo ſeu Congregatione Generali, quid faciendum ſit uſque ad primum Capitulum Generale?*

Sextò. *An ſufficiat, ut Prælatus Conventualis, ſeu Provincialis conficiat proceſſum, ſtylo Religionis ſervato, & illius ſummarium tranſmittat Generali Ordinis, ſeu*

illius

Digitized by Google

illius Delegato, qui adhibitis ſex Patribus electis, quilibet illorum videat eumdem proceſſum, & tranſmittat votum ſuum per litteras eiſdem Generali ſeu Delegato?

Septimò. *An Generalis ſeu Delegatus poſſit ferre ſententiam ejectionis à Religione, quando à tribus ex ſex Patribus electis, ſeu ab illorum majori parte, dicta ſententia approbatur? An potius ſit neceſſarium, ut omnes ſex dent votum, ita ut defectu voti, etiam unius, non poſſit ſententia validè fieri?*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, omnibus maturè perpenſis, die 21. Junii 1653. reſpondit.

Ad primum, Regulares delinquentes, ut incorrigibiles, ejici non poſſe à Religione, anno carcerationis nondum expleto.

Ad ſecundum, non ſufficere annum carcerationis interpollatè expletum, ſed requiri ſpatium unius anni continuum & integrum.

Ad tertium, Generalem Ordinis non poſſe delegare facultatem ejiciendi à Religione Provincialibus pro eorum Provinciis, ſeu Commiſſariis vel Vicariis Generalibus.

Ad quartum, inhærendo declarationi aliàs factæ die 11. Auguſti 1625. à ſan. mem. Urbano VIII. approbatæ, reſpondit, ſex Patres eligi poſſe in unaquaque Provincia, ſeu Regno.

Ad quintum, recurrendum eſſe ad Sacram Congregationem in ſingulis caſibus.

Ad ſextum, proceſſus eſſe conficiendos juxta ſtylum, & Conſtitutiones Religionis, & illorum tranſumptum authenticum eſſe tranſmittendum ad ſingulos ſex Patres electos, qui per litteras poſſint votum dare.

Ad ſeptimum, ſententiam ejectionis à Religione fieri debere ſaltem de voto majoris partis ſex Patrum electorum.

DECRETO

Sacræ Congregationis ſuper Diſciplina Regulari.

Sancita aliàs pro vita Regulari & communi in Italia conſervanda, confirmantur.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro paterna charitate, quâ Religioſos Ordines multis, magniſque in Eccleſiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apoſtolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conſervationi, & propagationi conſulere, ſimulque ex injuncto ſibi cœlitus Paſtoralis officii debito providere, ut regularis in iis Diſciplina ad Religioſorum ſalutem, & totius Chriſtiani Populi ædificationem, utilitatemque, ſarta tecta cuſtodiatur, ac vigeat, & ſic ubi collapſa eſt, adjuvante Domino reparetur, conſtituit, & declaravit, ſe licentiam recipiendi Novitios in ſingulis approbatis Ordinibus benignè conceſſurum, ut volentibus è periculoſis ſæculi fluctibus ad Religionis portum confugere facilis, tutuſque aditus aperiatur; dummodo tamen ea, quæ pro Regulari vita rectè inſtituenda tam à Sacroſancta Tridentina Synodo, quàm à Prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, præcipuè verò fel. rec. Clemente VIII. in Decretis generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, & Profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta ſunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus ſit, confirmat, & renovat (ſalvis tamen in hac parte ſingulorum Ordinum ſtatutis, ſeu aliis Ordinationibus ab Apoſtolica Sede in forma ſpecifica poſt eadem Decreta forſitan approbatis, aut editis) exactè, & inviolatè ſerventur.

Quocirca Sacra Congregatio ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monaſteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura eſt, ut omnibus præfata ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri mens pateat, ac plenius & celeriùs innoteſcat, de mandato Sanctitatis Suæ præſentis Decreti tenore denuntiat omnium ſingulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, quocumque nomine nuncupentur, cæte-

teriſque, ad quos ſpectat, & in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adjacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum uniuſcujuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipuè verò exactæ vitæ communis ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Profeſſi educandi ſunt, morabuntur, omnino ſervandæ. Poſtquam verò Regularem Obſervantiam, & ſignanter quoad exactam vitam communem cum effectu ſtabilitam ſuiſſe, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quàm Præpoſiti, & Fratrum in præſatis Conventibus degentium jurejurando firmato teſtimonio, necnon per ſecretas informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apoſtolicos Viſitatores ad hoc ſpecialiter deputandos, eidem Sacræ Congregationi ſufficienter conſtiterit, tunc Sanctitas Sua antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit, Novitios ibi recipiendi benignè concedet, & locum ad Profeſſos pietate, & litteris inſtituendos uſque ad Sacerdotium, vel aliàs juxta Conſtitutiones, & laudabiles cujuſque Ordinis conſuetudines, in iiſdem Conventibus, non autem in aliis, niſi fuerint ejuſdem Obſervantiæ, deſtinabit.

Quæ quidem omnia, quò faciliùs, & durabiliùs ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate committit, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit præſatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in ſupradictis Conventibus non collocent, niſi Religioſos graves, devotos, exemplares, Regularis Obſervantiæ, & puritatis Regulæ ſtudioſos, orationi præſertim, ac mortificationi, ſine quibus non poteſt Religioſa vita conſiſtere, addictos, quique conſentiant exactè ſervare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam Sanctæ Ordinationi contradicere, ſeu verbis, aut ſactis quoquomodo ſeſe opponere audeant.

Ut autem tam laudabilis vitæ inſtitutum, & Regulari Profeſſioni maximè proprium Religioſi alacriùs abripiant, omniſque excuſatio infirmioribus præcludatur, eadem Sacra Congregatio ſimiliter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (imploratâ etiam, ubi opus fuerit, Apoſtolica auctoritate) præfici omninò curent Viros non ſolùm diſciplinæ zelo, ſed etiam charitate, & morum ſuavitate præditos, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, quorum regimini libenter alii ſe ſubmittant. Studeant verò præcipuè, ut ea omnia, quæ tam ad victum, & veſtitum, quàm ad reliquas vitæ neceſſitates pertinent, ſingulis Religioſis promptè ſubminiſtrentur, ac præſertim ægritudinis tempore nihil alicui deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat: Ac propterea Religioſos in iiſdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus, & conſuetis communibus, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſque quibuſcumque obventionibus pariter in commune conferendis valeat commodè ſuſtentari. Eos verò, qui ſemel præſatæ Obſervantiæ, & exactæ vitæ communi libenter, ut verè Religioſos viros decet, ſeſe ſubjecerint, & in ea laudabilitèr perſeverent, nullatenus à memoratis Conventibus nolentes transferant, niſi fortè ad alia Monaſteria, ubi ſimilis Obſervantia vigeat, iiſque pariter de omnibus ad vitam neceſſariis poſſit commodè provideri.

Quod ſi reddituum, & eleemoſynarum tenuitas hujuſmodi exactæ vitæ communis obſervantiæ alicubi videatur obſiſtere, liceat eiſdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic neceſſitati proſpicere, vel ab Apoſtolica Sede per ſuppreſſionem alicujus Conventûs minùs utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior viſa fuerit, remedium poſtulare.

Sciant verò Superiores prædicti, eos, qui præſata omnia ſedulò, ut par eſt, adimplere curaverint, ſpecialem à Sanctitate Sua, & Sede Apoſtolica inituros gratiam, & protectionem, atque in iis præcipuè, quæ ad antedictam obſervantiam ſtabiliendam pertinent, ſavorem omnem, & auxilium experturos; qui verò econtra negligentes, aut (quod abſit) contumaces reperti fuerint, gravibus pœnis pro modo culpæ, & etiam privationis Officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia inpoſterum obtinenda puniendos fore: Præſatæ autem obſervantiæ nihilominus ſtabiliendæ per alios Superiores, vel per Commiſſarios Apoſtolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem aſſumendos, à Sancta Sede efficaciter providendum; omnemque interim, ubi eadem obſervantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam denegandam.

Porro ne Regularis diſciplina, dum in Conventibus jam erectis ſtatuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte conſtruitur, ſimul ex altera deſtruatur, Sacra Congregatio, Sanctitate Sua ſimiliter approbante, ſtatuit, atque decernit, nulla inpoſterum Monaſteria, Collegia, Domos, Con-

ven-

Digitized by Google

ventus, aut alia Religioſorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo inſtitui debere, niſi ſub expreſſa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus Religioſis ibi commorantibus perpetuò, & inviolatè ſervandæ; ac propterea nullas deinceps admittendas hujuſmodi fundationes, niſi, præter alia ad id requiſita, priùs legitimè conſtiterit, adeſſe annuos redditus, vel certam eleemoſynarum ſpem, quibus duodecim ſaltem Religioſi in exacta vita communi commodè valeant ſuſtentari.

Non obſtantibus circa præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quorumcumque Ordinum Statutis, conſuetudinibus, privilegiis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti ſint, Sanctitatis Suæ verbis, ſeriò admonet, & in Domino obteſtatur, ut omni morâ poſtpoſita, ſicuti filios Obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant, Decretiſque Apoſtolicis pro æterna illorum ſalute editis ſincerè, ac fideliter pareant, nec ab eorum obſervantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excuſandas excuſationes in peccatis, abduci ſe ſinant; ſed Profeſſionis ſuæ memores, qua ſe totos Dei obſequio mancipârunt, ſuſceptum Chriſtianæ perfectionis iter, arduum quidem, ſed Divinæ charitatis dulcedine aſperſum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter proſequantur: Nimis enim turpe eſſet, eos ad ſæcularia deſideria, quibus ſemel, aſpirante Domino, renunciârunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, ſe ad peculiatem Salvatoris Noſtri ſequelam vocatos, qui, cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, veteremque illorum Fidelium glorioſos imitatores, ac veluti hæredes eſſe, quorum erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis vitæ, ac præcipuè Sanctæ Paupertatis, quæ eſt parens quædam generatioque virtutum, propoſito perſeverent, omnem ſolicitudinem ſuam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes reſpiciunt, qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed dives in miſericordia centuplum, & vitam æternam, propter nomen ſuum relinquentibus omnia, repromiſit.

Datum Romæ die 18. Julii 1695.

Exemp. Romæ impreſſum in Arch. gen. Ord. Armario Autbent.

DECRETO

S. Congregat. ſuper Diſciplina Regul.

Juvenes emiſsâ profeſſione in locis, in quibus perfecta Regularis obſervantia non ſervatur, collocari in Italia inhibetur.

Cum Sacræ Congregationi ſuper Diſciplina Regulari innotuerit, quamplures Religioſos variorum Ordinum poſt emiſſam in Conventibus Regularis obſervantiæ, & exactæ vitæ communis profeſſionem, ad alia poſtmodum loca translatos eſſe, ubi eâdem obſervantia non vigente, vel infirmiorum Fratrum exemplo, vel etiam rerum neceſſariarum defectu, paulatim â ſuſcepto regularis Vitæ tenore deflectunt adinſtar Evangelici ſeminis, quod natum aruit, quia non habebat humorem; qua de re complures Religioſi Viri, Regularis obſervantiæ zelatores etiam apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum conqueſti ſunt: eadem Sacra Congregatio, ne recta juvenum inſtitutio, quæ in Religioſis Ordinibus tanto ſtudio procuratur, inutilis evadat, & eluſoria, ſi, quod ædificari cœptum eſt, conſummari non poſſit, & propheticum illud eveniat: Seminâſtis multum, & intuliſtis parum; utque omni pernicioſæ relaxationis occaſione præcluſa, eadem Regularis obſervantia quotidie magis benedicente Domino ſtabiliatur, & creſcat, inhærendo Decretis aliàs ſub die 18. Julii 1695. editis, in virtute Sanctæ Obedientiæ mandat, & præcipit omnium, & ſingulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in præfatis Decretis excipiuntur) Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, aliiſque, ad quos pertinet, ne deinceps ullum ex Religioſis, qui in Conventibus, ſeu Monaſteriis intra Italiam, Inſulaſque adjacentes pro omnimoda Regulari Obſervantia, & exactæ vitæ communis cuſtodia, ab eadem Sacra Congregatione ſpecialiter deſignatis, aut approbatis hactenus profeſſionem emiſerunt, & inpoſterum emittent, ad alios Conventus, ſeu Monaſteria, in quibus eamdem prorſus obſervantiam, præſertim quoad exactam vitam communem, rerumque ſingulis Religioſis neceſſariarum promptam ſubminiſtrationem vigere, ipſius Sacræ Congregationis judicio, ac ſpeciali deſuper expediendo Decreto non conſtiterit, ſub quovis prætextu transferre audeant, vel præſumant, eâdem Sacra Congregatione inconſulta:

Superiores, qui contra fecerint, privationem Dignitatum, & Officiorum, ac

perpetuam ad eadem, aliaque inpoſterum obtinenda inhabilitatem, Subditi verò, qui ad loca, ut præfertur, non approbata tranſierint, non obtentâ priùs Sacræ Congregationis licentiâ, privationem vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto, & abſque alia declaratione ſe noverint incurriſſe.

Superiorum itaque eorumdem curæ, ac diligentiæ erit præfata loca ad normam ſæpius dictæ regularis Diſciplinæ compoſita opportunè præparare, ut ad eadem Religioſi nuper ad profeſſionem admiſſi, & in futurum admittendi, ſuo tempore transferri, ibique provectorum, & puritatis Regulæ zelo præſtantium Religioſorum inſtitutione, & exemplo pietatis, ac literarum ſtudiis juxta cujuſcunque Ordinis Conſtitutiones, & laudabiles conſuetudines exerceri valeant, ſimulque in ſuſcepto Regularis obſervantiæ propoſito confirmari; aliàs ſciant ulteriorem pro ſuſcipiendis Novitiis licentiam, donec prædicta ſe adimpleviſſe docuerint, ſibi penitus denegandam, & nihilominus negligentiam ſuam ejuſdem Sacræ Congregationis authoritate modis omnibus fore ſupplendam.

Præſens verò Decretum Sanctiſſimo Domino Noſtro relatum, Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia benignè laudavit, & approbavit, voluitque in ſolitis Urbis locis affixum, & publicatum, omnes, & ſingulos, ad quos pertinet, perinde afficere, ac ſi cuilibet eorum fuiſſet perſonaliter intimatum.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſingulorum Ordinum Regularium Statutis, Conſuetudinibus, Privilegiis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ die 2. Octobris 1698.

Exempl. Romæ impreſſum loco prædicto.

N O T A

UT habeantur completa, quæ â Congregatione ſuper ſtatu Regularium pro Italia ſancita ſunt, ſubjungo & Decretum, aliàs jam ſub Clemente X. emanatum, quo Tertiarios impuberes, Oblatos &c. è Monaſteriis ejici præcipitur, & deinceps eos vigeſimo ætatis anno nondum completo ad clauſtra recipi prohibetur, & quod ita ſonat:

Etſi Decretis Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. jàm pridem editis pro Novitiis recipiendis, ſtatutum ſit, ut omnes, qui ad habitum probationis ſe recipi poſtulaverint, diligenter examinentur, ac per vota ſecreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint ætate, aliiſque requiſitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac Statutorum Ordinis, nec quiſquam cenſeatur habilis ad hujuſmodi habitum ſuſcipiendum ut Clericus, niſi annum ætatis ſuæ decimumquintum, neque ut Converſus, niſi annum vigeſimum expleverit: nihilominus in pluribus Religionibus Italiæ, & inſularum adjacentium aliquibus abhinc annis introductum eſt, ut recipiantur adoleſcentes Laici, non quidem pro Converſis, ut annum probationis incipiant, & finito tempore Novitiatûs admittantur ad Profeſſionem; ſed pro Tertiariis, vel Oblatis, ſeu Donatis, eiſque tradatur Habitus, ut vocant, ſine caputio, illis dari conſueto, ut ſic inſerviant alicui Religioſo particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter, & multoties pueri, & adoleſcentuli recipiantur in Monaſteriis, non, ut Novitii, ſed ut hoſpites, ſeu poſtulantes ſe recipi pro Clericis ad habitum probationis, & parva veſte induti plures menſes, quinimmò & annos ſic detinentur intra clauſtra, donec compleverint annum ætatis decimumquintum Clericis, ut ſuprà, præſcriptum, ad annum Novitiatûs inchoandum, idque eo prætextu, ut interea fiat experimentum de ipſorum indole, & aptitudine ad Religionem, & aliquando etiam in eadem veſte iidem pueri, & adoleſcentuli admittantur in Novitiatibus, & cum Novitiis degunt, ad hoc, ut eorum voces puériles in Choro cum vocibus Profeſſorum miſceantur, dum divina peraguntur officia. Quoniam verò ſecundùm canonicas ſanctiones, & juris regulas, cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, & memorati abuſus irrepſerint in fraudem legis, & eluſionem Decretorum, ut ſuprà editorum, in Religionum diſpendium, ac non ſine multorum admiratione, & ſcandalo; Idcirco eadem Sacra Congregatio, ut in dies creſcat in Eccleſia Dei ſacrarum Religionum ſplendor, & veneratio ex ſpeciali mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini Clementis Divina Providentia Papæ X. hoc præſenti Decreto in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit omnibus, & ſingulis Superioribus Generalibus, Provincialibus, & Localibus quocumque nomine, & titulo appellatis quorumcunque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, ut de cætero neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, ſeu Donatis, aut Commiſſis, vel Servientibus, nec pro hoſpi-

Digitized by Google

hoſpitibus, ſeu poſtulantibus, vel Cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quovis habitu indutis, vel induendis ſub quovis prætextu, vel cauſa, aut quæſito colore recipiant, ſeu admittant ad habitandum intra clauſtra, niſi vigeſimum ætatis ſuæ annum expleverit, omneſque ſic receptos, ſeu admiſſos (iis tantùm exceptis, qui completa ætate annorum quindecim pro Clericis, ſeu Choriſtis in habitu Novitiorum annum probationis agunt) à Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus omnino amoveant, & ejiciant infra terminum duorum menſium, inchoandum à die intimationis præſentis Decreti faciendæ Procuratoribus eorumdem Ordinum, & Congregationum in Romana Curia exiſtentibus. Quod ſi prædicti Superiores præſenti Decreto per omnia non paruerint, aut in aliqua ejus parte contravenerint, pœnam privationis dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia inpoſterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto, abſque alia declaratione incurrant. Non obſtantibus quoad omnia ſupraſcripta privilegiis, indultis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 16. Maji 1675.

Exempl. Romæ impreſſum in Arch. Gen. Ord. Arm. *Authentica*.

Decreta Sacræ Congregationis Concilii Tridentini ſuper celebratione Miſſarum noviter edita confirmat, & Decreta aliàs ab eadem Congregatione auctoritate ſan:me: Urbani VIII. deſuper edita tum innovat, tum declarat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

Aliàs ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, necnon ſuper earundem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium non habendo, emanàruot ab hac Sacra Congregatione S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributâ, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

Cum ſæpe contingat in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum. *Reſiduum* *vide ſuprà fol.390.*

Cum autem ſuper præmiſſis diverſi irrepſerint abuſus, illorumque occaſione, quamplures querelæ, & recurſus ad Apoſtolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujuſmodi deteſtabiles abuſus è Chriſtiana Republica pro viribus evellere, ac opportunè providere, ut ſublatis fraudibus, ac emendata negligentia piæ Diſponentium, ſeu Benefactorum voluntati fides illibata ſervetur, Defunctorum animabus integra, & prompta præſtentur ſuffragia, itidemque Deo major gloria, & Eccleſiis præſtantior cultus reddatur, prævia auctoritate per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Innocentium Divina Providentia Papam XII. ei ſpecialiter attributâ, infraſcripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & poſtea in generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè diſcuſſa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinſerta decreta cum præmiſſis illorum declarationibus pleniſſimè, & ampliſſimè approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & ſingula ibidem contenta, & expreſſa iterum omni meliori modo decernit, ſtatuit, ac ab omnibus & ſingulis, etiam ſpeciali, & individuali nota, ſeu expreſſione dignis penitus obſervari, & omnimodæ executioni demandari decernit, ſancit, & præcipit.

Inſuper, ut in re tanti momenti conſultiùs, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur, ſi qui forſan fuerint, vel ſint, qui ſuis pravis, & erroneis intentionibus, ſeu opinionibus blandiri volentes, Miſſarum celebrationem omittunt ſub malitioſa, vel irrationabili ſpe earumdem condonationem, vel reductionem à Sede Apoſtolica, vel compoſitionem à Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eoſdem, tum quoſcumque alios, qui poſthac in adeo deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos eſſe voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, non-

nonniſi ex rationabili cauſa, ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones verò à dicta Fabrica utente ſuis facultatibus, & privilegiis, nonniſi ex cauſa pariter rationabili, & cum clauſulis opportunis, & præſertim cum illa: *dummodo malitiosè non omiſerint animo habendi compoſitionem, aliàs gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe, & ſolere; quapropter, ut locus omnis inpoſterum hiſce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniooes, ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto, ſive in parte verſiones in alium, quàm præfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem, & quaſcumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, ſeu circumventiones declarat prorſus irrationabiles, injuſtas, illaſque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur; caveant omnes, & ſinguli Rectores, Superiores, & Miniſtri quarumcunque tum ſæcularium, tum Regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera, ſeu Miſſas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant; utque idipſum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, ſemperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium litteris perſpicuis, & intelligibilibus deſcriptorum, quorum implemento, ſi moraliter, & intra præſcriptum, ſeu breve tempus ſatisfacere non poſſe, ſeu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere poſſe crediderint, ſeu credere debuerint, alias Miſſas, ſive perpetuas, ſive temporales, ſive manuales per ſe, vel per interpoſitas perſnoas quoquomodo recipere, ſeu acceptare omnino deſiſtant, ſeu abſtineant, & ulteriùs tali caſu in eadem Tabella ſimiliter exprimant ſeſe propterea aliis Miſſis acceptandis, & celebrandis impares eſſe.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero ſingula onera perpetua & temporalia; in altero autem Miſſas manuales, & tam illorum, quàm iſtarum adimplementum, & eleemoſynas diſtinctè, & diligenter annotare, & annotandas, ſeu annotanda curare, ſingulíſque annis de ſupradictis adimplementis, eleemoſynis, & oneribus pariter exactam rationem ſuis Superioribus reddere, ac omnes, & ſingulas rationes hujuſmodi in præfatis reſpectivè libris ſimili diſtinctione, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, deſcribere, ſeu annotare, ſive deſcribendas, vel annotandas reſpectivè curare.

Quibus ſemper ſalvis, debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes & quaſcumque eleemoſynas tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iiſdem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum coram Patribus Diſcretis, ſeu Conſiliariis, vel alio ſimili modo nuncupatis, ſingulis menſibus diſtrictam rationem exigere, & reſpectivè reddere.

Quod ſi prædicti, ad quos cura Tabellæ, capſæ, & librorum præfatorum reſpectivè pertinet, ſeu pertinere debet, ſuam operam præmiſſis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores, tum Sæcularium, tum Regularium Eccleſiarum rationem prædictam non exegerint, ſeu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, ſuo muneri, ut præfertur, ſatisfaciant, in ſingulis reſpectivè caſibus Sæculares pœnam ſuſpenſionis incurrant; Regulares verò voce activa, & paſſiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipſo facto, & abſque ulla declaratione privati ſint, & intelligantur, necnon ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda ſimiliter inhabilitentur, & inhabilitati ſint, & intelligantur.

Porro, ne ullo unquam tempore omnia, & ſingula decreta prædicta in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Rectores, Superiores, ſeu Capitula Eccleſiarum Sæcularium illa retineant publicè expoſita in eorum Sacrario; Superiores verò Locales cujuſcumque Monaſterii, Conventûs, ac Domûs Regularis curare, & efficere teneantur ſub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt, feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventûs, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti omnes, & ſingulæ præmiſſæ tum inſertæ, ſeu confirmatæ, tum in præſens factæ Ordinationes unà cum dictis declarationibus in publica Menſa perlegantur.

Meminerint igitur, & ſatagant Ordinarii, ut à perſonis, & in Eccleſiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini ſibi ſubjectis, Miſſæ eâ, quâ par eſt, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta & ſingula decreta hujuſmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum juſtitiam recurrentibus, ſeu inſtantibus reddentes,

tes,

tes, ſed ex officio tum in Viſitationibus, tum in aliis actibus & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & ſingulis Decretis adverſetur.

Caveant etiam reſpectivè omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicumque nedum locales, ſed etiam Provinciales & Generales, ne Miſſarum celebratio, & omnium decretorum præmiſſorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Miſſæ ſunt applicandæ, & cum magno Chriſtifidelium ſcandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, ſeu pervertantur, alioquin ultra propriæ conſcientiæ onerationem, pœnam privations vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda prorſus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes & ſingulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & promptè, etiam per inquiſitionem animadvertere; & inſuper teneantur omnes & ſinguli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, ſeu Congregationibus exhibere atteſtationem, ſeu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventûs, Monaſterii, ſeu cujuſcumque Domûs Regularis ſubſcriptam, & juratam, quod omnibus & ſingulis tum perpetuis, tum manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationibus ad limites, & tenorem præſentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter ſatisfactum, vel deficiente aliqua modica ſatisfactione, poſſit etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum diſtinctè referendarum, intra breve tempus moraliter ſatisfieri, eâ adjectâ, & omnino adimplendâ conditione, quod ante præfatæ atteſtationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Capitulis, ſeu Congregationibus omnino habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii, & Viſitatores Provinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante oſtendere, quòd executioni præſentium Decretorum ſedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus & ſingulis Conventibus, ſeu Monaſteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, ſeu Congregationis de omnibus & ſingulis oneribus, & obligationibus, ac inſimul ſatisfactionibus Miſſarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem reſpectivè pœnarum in decretis contentarum proceſſerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmiſſis ad ipſos ſpectant, legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Cæterùm, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hoſpitalia, Altaria, Capellas, Oratoria & Eccleſias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, ſeu regimini, aut adminiſtrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradûs, ſtatûs, conditionis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Eccleſiaſticorum, & Laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa, ſeu quomodocumque commiſſa, vel attributa ſunt, onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manualium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; Hinc ſalvis ſemper iis, quæ in præinſertis Decretis continentur, omnes & quicumque hujuſmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum & Eccleſiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, ſeu Adminiſtratores, vel Directores, & alii hujuſmodi Officiales, necnon ii, ad quos cura Tabellæ, & librorum in præmiſſis ſpectat, Tabellam, libros, & hæc decreta reſpectivè juxtà modos ſuperiùs expreſſos, ſimiliter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, & eleemoſynis dictarum Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpectivè iis, ad quos pertinet, reddere ſub pœnis arbitrio, & in ſubſidium, excommunicationis, teneantur.

Poſtremò omnibus & quibuſcumque tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque Ordinis, ſtatûs, gradûs, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis exiſtant, quàm Laicis quocumque bonore, ac poteſtate prædictis omnia & ſingula præmiſſa decreta interpretandi, necnon Eccleſiaſticis prædictis pœnas in hujuſmodi Decretis relaxandi, ſub quoquo modo circa præmiſſa diſpenſandi, omnis & quæcumque facultas ſit penitus interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in hujuſmodi Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet

bet alterius Inſtituti, etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam ſæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſſè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 23. Novemb. 1697.

Joſeph Card. Sacripantes Præf.

Ferdinandus Nuptius S. Congr. Secret.

Quocirca, cum dilectus Filius noſter, Joſeph Tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ, S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta Nobis retulerit, Nos conſiderantes eadem omnia & ſingula Decreta, eâ, quâ decet, maturitate digeſta, & examinata, ac in vim Apoſtolicæ auctoritatis, eidem Congregationi ſpecialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore cenſentes, illaque propterea perpetuò, & inviolabiliter obſervari, necnon Conſtitutionis noſtræ munimine roborari volentes: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præinſerta Decreta, omniaque & ſingula in eis contenta tenore præſentium auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimo motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia & ſingula in ſupradictis Decretis contenta, de novo ſtatuimus, decernimus & ordinamus, ac ab omnibus & quibuscumque, etiam ſpeciali, & individua nota dignis, omnino exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſancimus & mandamus.

Decernentes præſentes litteras, cum omnibus & ſingulis inibi contentis, ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari; ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus & ſingulis, quæ præfata Congregatio auctoritate per ejuſdem rec. mem. Urbanum PP. VIII., & reſpectivè per Nos illi ſpecialiter attributa, decrevit non obſtare, quæ pariter, & iterum Nos tenore præſentium non obſtare decernimus & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ & affixæ, omnes & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Pariterque, ut earumdem præſentium tranſumptis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſen-

ſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, decimo Kalendas Januarii, Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Exempl. Romæ impreſſum loco prædicto.

CLEMENTI XI.

Urbinati, Joanni Franciſco Albano antea nuncupato, S. R. E. Cardinali tit. S. Silveſtri in Capite, Annus Jubilæus 1700. *die* 23. *Novembris, Pontificatûs Claves; dies octavus Decembris ſubſequi, Conceptioni B. V. M. Immaculatæ Sacer, Coronam; & dies decimus nonus Martii* 1721. *cultui Divi Joſephi dicatus, poſt* 20. *annorum*, 3. *menſium, &* 25. *dierum regimen, requiem æternam dedit; cujus, eeu ſui olim Canonici, Venerabiles exequias Baſilicæ Vaticanæ Chorus, dolens excepit, & gaudens conſervat.*

Cenſuras ab Archiepiſcopo Aquenſi latas contra Regulares Viſitationi ejus ſe ſubjicere nolentes ſuſpendit.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Egerunt apud Nos enixis precibus dilecti Filii, Religioſi Viri, Superiores infra ſcriptorum Ordinum, videlicet, Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Minorum Conventualium, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Minimorum, ac Recollectorum iſtius Civitatis, ac ejuſdem ſuburbinrum, necnon Prioriſſæ, ac Moniales Sancti Bartholomæi, Ordinis Sancti Dominici, & Sanctæ Claræ Ordinis Sancti Franciſci, quibus omnibus Profeſſores Ordinis Prædicatorum pro eorum jure etiam adhæſerunt appellantes, ac reſpectivè reclamantes adverſùs ordinariam paſtoralemque viſitationem, quam Fraternitas tua peragere ſategit menſe Octobris proximè præteriti tam Eccleſiarum, Capellarum, chori, vaſorum ſacrorum, quàm aliorum in iis exiſtentium, aſſertis privilegiis & exemptionibus præfatorum Regularium, etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Conciliorum Generalium auctoritate munitis, minimè attentis, quatenus mandaremus aboleri cenſuras, & interdictum removeri, ob hujuſmodi viſitationis recuſationem inflictas, ac in eorum Eccleſiis reſpectivè appoſitum à Fraternitate tua, eaque omnia irrita, & inania eſſe declararemus.

Nos itaque rei gravitatem expendentes, ac meritò ſolliciti, ne occaſione hujuſmodi Eccleſiaſticarum pœnarum ullum divino cultui, ac ſpirituali populi iſtius ſaluti detrimentum inferatur, aut alia ſcandala ſuboriantur, his omnibus providè occurrendum eſſe ducimus, Te tamen prius audito, quàm ſuper ea re, quidquam definitivè ſtatuamus. Interim verò præfatas cenſuras, memoratumque interdictum, per quatuor menſes à prima die proximè venturi menſis Julii inchoandos, cum reincidentia tamen poſt ipſos elapſos, ſuſpendimus. Quamobrem paſtoralis tui zeli, ac vigilantiæ erit non tam cenſurarum, & interdicti inflictarum, & reſpectivè appoſiti ſuſpenſionem executioni ſtatim demandare, quàm diſtinctè intra eundem terminum Nos de omnibus, quæ ad eamdem controverſiam pertinent, inſtruere, ut rationibus ab utraque parte deducendis maturè penſatis, illud, quod æquitati conſonum judicabimus, cum Domino decernere valeamus, dum Nos Fraternitati tuæ perpetuum benevolentiæ noſtræ pignus, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die decima quarta Junii

Junii anni milleſimi ſeptingenteſimi primi, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Ex tomo primo Epiſt. &c. hujus Summi Pontificis edit. Romanæ pag. 60.

Viſitationem prædictam Eccleſiarum Regularium, ab Archiepiſcopo contra exemptionis privilegia attentatam, cum omnibus actis, interdicto, cenſuris &c. nullam declarat.

Venerabili Fratri, Danieli, Archiepiſcopo Aquenſi.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolicæ libertati, & ſinceræ in Domino charitati, imprimis verò debito muneris, quod humilitati noſtræ inſcrutabile Dei judicium impoſuit, conſentaneum eſſe ducimus, ea diuturniore ſilentio minimè prætetire, quæ ad cuſtodiendam, ut par eſt, hujus Sanctæ Sedis dignitatem, atque authoritatem, quam maximè pertinere intelligimus. Noſtro itaque obſequentes officio ita hæc ad Fraternitatem tuam perſcribimus, ut non dimiſsâ ea, quam de tua pietate conſtanter gerimus, opinione, nequaquam refrigeſcat charitas illa, quâ Te proſequimur, imò quò magis perſuaſum habemus, Te zelo pro Dei Eccleſia incendi, & conſilio, atque doctrinâ præſtare, eò Te propenſiorem fore confidimus in id omne, quod veritate, & juſtitia dictante, Tibi explicare cogimur, cum præſertim Te latêre non poſſit lædi honorabile Eccleſiæ membrum in ipſo capite, ubi ea, quæ providè Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, conſtituerunt, everti, aut ſuo fruſtrari effectu contingat.

Cum itaque apud omnes compertum ſit, Ordinum Regularium Mendicantium Eccleſias, Monaſteria, loca, ac Perſonas ab Ordinariorum juriſdictione per Apoſtolicam Sedem exempta eſſe, & ejuſdem Sedis authoritati immediatè ſubjici, nec cuiquam licere privilegia hujuſmodi immutare, quinimò nec poſſe Regulares ipſos, niſi de Romani pro tempore exiſtentis Pontificis licentia eiſdem renuntiare; propterea non tam grave, quàm mirum Nobis accidit ea audire, quæ Fraternitas Tua in iſta Civitate ac Diœceſi jam pridem attentaverat, dum præfatorum Regularium Ordinum Eccleſias, quibus cura animarum non ſubeſt, ac Sedes Confeſſariorum in eis exiſtentes, necnon Sanctiſſimam Euchariſtiam, ac Tabernaculum, pixidemque, in qua eadem ſervari ſolet, fruſtra reclamantibus, & ſua ſatis nota privilegia allegantibus Regularibus ipſis, viſitare voluiſti, quaſi in hoc Concilii Tridentini Te tueretur authoritas, aut, quam invaluiſſe in quibuſdam Diœceſibus aſſeverabas, ejuſmodi actum validare poſſet conſuetudo, ſuppoſitis præterea Eccleſiaſtico interdicto illorum Eccleſiis, qui ſimilibus juribus freti, viſitationi hujuſmodi reſtiterant, ſublatâque eorundem Perſonis facultate excipiendi confeſſiones Sæcularium, ac populo Verbum Dei de more annuntiandi.

Ejuſmodi itaque rerum ſerie à Nobis perceptâ, etſi celeri, ac publica opus eſſe reparatione intelligeremus, non tamen animum ſtatim convertimus ad ea conſilia, quibus eadem parari poſſet, ſed ejus exemplo & monitis, quantùm patitur infirmitas noſtra, inhærentes, cujus vices, licèt immeriti, gerimus, rem Tecum in ſpiritu lenitatis agi voluimus, ac proinde injunximus Venerabili Fratri, Philippo Antonio, Epiſcopo Immolenſi, Nuntio apud Chriſtianiſſimum Regem noſtrum, ut de ejuſdem rei gravitate ea, quâ par erat, diligentia cum Fraternitate tua differeret, noſtraſque in ſimili forma Brevis litteras, quibus eum inſtruximus, Tibi redderet, confiſi Te, pro ſpectata tua prudentia æquitati ipſi, votiſque noſtris non ægrè adhæſurum. Verùm non multò poſt ab ea ſpe decidimus, cum necdum Te codem conſtitiſſe veſtigio intelleximus, ſed ulterius etiam progreſſum fuiſſe, ac viſitationem pariter in Eccleſia Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo, adjunctâ Tibi Sæculari poteſtate, effractiſque (quod planè dolentes dicimus) ſacri illius loci foribus habuiſſe.

Quanto hæc omnia, & quàm intimo dolore Nos compleverint, verbis vix conſequi poſſumus; imò non ambigimus, quin Tu ipſe, ubi rem ſeriò velis expendere, probè agnoſcas, quàm pravi exempli, quàm gravis apud Fideles, & plebem Tibi commiſſam offenſionis, atque periculi occaſio fuerit eò rem videre adductam, ut Tu ipſe homines retraheres à Sacrificio Domini: validos ac fortes, robur panis, & robur aquæ à Jeruſalem nova auferres: conductos à Patrefamilias Operarios, ſtrenuèque laborantes ab ipſius vinea, eo inconſulto, removeres, ac demum adversùs Filios Matris tuæ poneres ſcandalum. Cæterùm, quia palam ac publicè læſa fuiſſe videmus tum privilegia Regularibus ob multa atque præclara in Eccleſiam Dei promerita, ab Apoſtolica Sede indulta, tum

tum jura ipſius Sanctæ Sedis, ad quam, tanquam ad conditorem, judicium circa eadem privilegia pertinet, ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat, liberum non eſt Nobis, integrâ conſcientia noſtra, ulterius requieſcere.

Cum itaque ſatis conſtet, iis, qui in partem ſollicitudinis noſtræ, non in plenitudinem poteſtatis, vocati ſunt, minimè licere in illis, quæ Apoſtolica Sedes ſibi reſervavit, manum apponere, niſi, quatenus eidem Sanctæ Sedi viſum fuerit id ſpecialiter committere: cumque illud, quod Fraternitas Tua in præfatis Regularium Eccleſiis attentavit, neque Concilii Tridentini Decretis relaxatum ſit, neque Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus aut Decretis commiſſum fuerit, neque uſu, ſeu potius abuſu, contra jus, & authoritatem Sedis Apoſtolicæ induci potuerit; idcirco de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio declaramus, atque decernimus, non licuiſſe Fraternitati Tuæ, neque licere in Eccleſiis Regularium exemptorum, quibus non incumbit cura animarum, Sedes deſignatas ad audiendas Fidelium confeſſiones, pixidem, & Tabernaculum, ac Sanctiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum, neque ipſas Eccleſias viſitare, ac propterea viſitationem ipſam, interdictum, cenſuras, aut prohibitionem audiendi confeſſiones Perſonarum Sæcularium, & annuntiandi populo Verbum Dei, aliaque forſan contra exemptionis privilegia attentata, & quæ impoſterùm attentari contigerit, omnia fuiſſe, eſſe, ac reſpectivè fore nulla, atque irrita, nullumque ex viſitatione, aliiſque memoratis actibus præfatorum Regularium Ordinibus adverſus notoriam illorum exemptionem præjudicium illatum fuiſſe, nec inferri potuiſſe, ideoque in dictis Eccleſiis poſſe, ut priùs, divina officia celebrari, ac eoſdem Regulares liberè ac licitè miniſtrare. Quæ dum per hæc Apoſtolica ſcripta Fraternitati tuæ nota facimus, Eandem enixè hortamur, ut, ſicut in iſta crediti ſibi Dominici gregis parte muneri ſuo reſpondere ſatagit, ita ab iis, quæ Apoſtolica Sedes ſibi reſervavit, abſtinendum eſſe intelligat, ne à capite diſcrepare videatur; id quod ne cogitare quidem de perſpecta virtute ac zelo tuo patitur animus, quo in te ſumus, ſed imò perſuaſum Nobis eſt, Te recti amatorem, noſtræque in Te charitatis eximiæ memorem, ſinceræ tuæ in Nos, & eandem Sedem, addictæque voluntatis argumenta daturum eſſe, quibus ab hac gravi cura, præter multiplices, quibus circumdamur, quamprimum exolvamur, & Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIII. Februarii MDCCIII. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Ex tomo primo Epiſtolarum &c. Clem. XI. edit. Rom. fol. 143.

N O T A.

QUam odioſa ſemper accidat Sedi Apoſtolicæ prætenſa Eccleſiarum Regularium viſitatio, non tam ipſa præmiſſarum litterarum emphaſis, quàm & ipſa Sacrarum Congregationum Decretà, ante has emanata, quibus vulneri tum exemptioni Regularium, tum & ipſius Sanctæ Sedis juribus illato ſemper proviſum fuit, luculenter denotant. Inter hæc, & præter alia, in aliis Bullarii tomis comprehenſa, ſubjungo ad ſuperabundantiam, quæ ſequuntur: *Congregatio Concilii cenſuit, Epiſcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cujuſvis Decreti ejuſdem Concilii nullam habere facultatem quovis tempore in Monaſteriis, Domibus, & Eccleſiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum Perſonarum Sæcularium, viſitandi Sacriſtias, Paramenta, vaſa ſacra, Altaria, & cætera hujuſmodi, aut etiam Tabernaculum, ſeu Pixidem, in qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur*. Romæ 1602., fuitque Decretum hoc typo Camerali vulgatum, de quo exemplar in Arch. Generali Ordinis.

Dedit & S. Congregatio Concilii ad Archiepiſcopum Januenſem anno 1619. de hac materia litteras ſequentes:

Perilluſtris, ac Reverendiſſime Domine, uti Frater. Cum actum fuerit in S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, an liceat Amplitudini Tuæ pergere in quaſi poſſeſſione Eccleſias Regularium viſitandi? Illuſtriſſimi Patres, perſpectis ſcripturis huc ab Amplit. Tua, non ita pridem delatis, cenſuerunt, Eam debere abſtinere ab ejuſmodi viſitatione Monaſteriorum atque Eccleſiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum Perſonarum Sæcularium non imminet; itemque Monialium iiſdem Regularibus ſubjectarum, in his, quæ ad ipſarum clauſuram non pertinent. Reliquum eſt, ut Amplitudo Tua S. Congr. reſponſo promptè, quod ſuis litteris pollicetur, adhæreat, & diu valeat in Domino, quem ei propitium ex animo precamur. Romæ 16. *Jan.* 1619. Exemp. auth. loco præd.

Digitized by Google

Sacra itidem Congregatio Epiſcnp. & Regularium edidit in eadem materia Decretum tenotis ſequentis:

Sacra Congregatio Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. &c. negot. & conſultat. Epiſcoporum & Regul. præpoſita ſæpius declaravit, non licuiſſe, nec licere Ordinariis viſitare Eccleſias, ſeu Conventas Regularium, auc ibidem jariſdictionem aliquam exercere in præjudicium eorum exemptionis, ſeu privilegiorum, & Jurium hujus Sanctæ Sedis, ac propterea irritum & inane, quidquid ſecat fuerit attentatum. Ex regeſto Archivi S.Congr. menſis & anni prædicti.

Plura qui ambit, ea quærat, præſertim in Theſauro *reſolut. S. Congregat. Concilii*, & quidem *tom. 1. in cauſa Aſculana fol.* 159. *&* 162. legat & in *tom. 3. ejuſdem theſauri* poſitionem cauſæ Lycien. *fol.* 179. §. *hac quoad Eccleſias Regulares*. Legar & ea, quæ firmata ſunt per Rotam in Firmana juriſdictionis *ſuper modo viſitandi* 20. *Martii* 1702. §. 4. *& ſeq. coram Molines*, & in Burgenſi Juriſdictionis ſeu Viſitationis 3. *Jal.* 1713. §. *quoad reliqua*, *&* 19. *Jan.* 1714. §. *reſpectu verò* coram Barbadico.

Plerumque error prætenſæ viſitationis provenire videtur ex Concilio Tridentino malè intellecto, dum enim hoc *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. præſcribit, quod *locorum Ordinarii Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur*, nonnulli Ordinarii liberam viam ſibi pandunt viſitandi ſine differentia Eccleſias exemptas, & Regulares, non reflectentes, quod diſpoſitio Conciliaris tangat Eccleſias exemptas Sæculares, uti expreſſiſſimè Sac. Congregatio Concilii declaravit Decreto à Fagnano *in* 3. *ad cap. Nullus de Parochis num.* 34. ita relato = *Decretum* in cap. 8. ſeſſ. 7. *quod tribuit facultatem Ordinariis viſitandi Eccleſias quomodolibet exemptas, vindicare ſibi locum in Eccleſiis Sæcularibus dumtaxat, non autem Regularibus; & Regulares cenſeri etiam Monaſterio unitas, ſi eis à Regularibus deſerviatur*.

Hinc generatim aliæ Eccleſiæ Regularium viſitari nequeunt, niſi illæ, quibus cura animarum Perſonarum Sæcularium incumbit, vel quibus, à Regularibus dependentibus, per Sæculares deſervitur, vel quæ ſunt commendatæ, & in quibus Regularis Obſervantia non viget. Imò etiam Regularis Obſervantia in iis non vigeat, ſi tamen ſuorum Ordinum capitibus ſubſint, à viſitatione Epiſcopali manent immunes, prout idem Sacrum Concilium *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 20. declarat = *Quæ cum Ordinum ſuorum Capitibus ſubſunt, declarat Sancta Synodus, in iis, quæ aliàs de viſitatione Monaſteriorum commendatorum definita ſunt, non eſſe comprehenſa*. Auctoritas autem tributa Epiſcopis *capite* 8. *ſeſſionis* 7. viſitandi, ut ſuprà, Eccleſias exemptas, eſt delegata, uti ex textu colligitur, & advertit Fagnanus *in cap. cum Dilectus num.* 43. *de Religioſis domibus*, dum econtra aliæ Regulares non curatæ, aut quæ ſunt de menſa Monaſterii, ſeu ſubjectivè Monaſterio unitæ, nec jure Ordinario, nec delegato, juxta prædictam cauſæ Lycienſis poſitionem poſſint viſitari.

Regularibus æquè, ac Epiſcopis, diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini N. Jeſu Chriſti, aliiſque diebus ſolemnioribus, in Indulto Apoſtolico exceptis, vel diebus, quibus Miſſa unica conceſſa celebrata jam fuerit, plures in Oratoriis privatis celebrandi facultatem adimit: ac privilegium Regularibus in Domibus privatis & in Altari portatili celebrandi per Summos Pontifices aliàs conceſſum, per Concilium Tridentinum ſublatum eſſe, declarat.

QUoniam Sancta ſanctè tractanda ſunt, ac præſertim tremendum incruenti Sacrificii Myſterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum eſt; propterea ſuper obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum in Sacroſanctis Œcumenicis Conciliis, ac præſertim Tridentino, ſub cap. unico ſeſſ. 22. inter cætera ſtatutum eſt, ut tantum Sacrificium ſolummodo in Eccleſiis, aut Oratoriis Divino tantùm cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Epiſcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in Domibus, atque omnino extra Eccleſiam peragi paterentur; Ac ſubinde Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium ipſius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpoſitorum ſæpe ſæpiùs per opportuna Decreta obrepentes abuſus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctiſſimo Domino Noſtro, quod nonnulli Epiſcopi, ſub prætextu Privilegiorum, Capellis Epiſcopalibus competentium, & complures Regulares,

ſub.

Digitized by Google

ſub prætextu Privilegiorum, quæ ipſis à Sancta Sede indulta noſcuntur, per hujuſmodi Privilegiorum dilatationem, ſeu potius exceſſum, & abuſum in nonnullis Diœceſibus, præſertim Regni Neapolitani, ac in ipſa Neapolis Civitate, ea ſibi licere putant, quæ permiſſa non ſunt, quinimmo prohibita; Siquidem nonnulli Epiſcopi, etiam in aliena Diœceſi, & extra Domum propriæ habitationis, in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare; Regulares verò in quibuſdam Magnatum, ſeu aliarum Nobilium Perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſis à S. Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quàm in ipſis celebrare ſit indultum, vel abſque præſentia Perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas, & poſt meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Conſtitutiones Diœceſanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipſiſmet Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari poſſit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in ſanctarum ſanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo Miniſterio debitam, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus aliàs hac de re editis, expreſsè declarat, Epiſcopis, & his Majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatûs dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu Privilegii clauſi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra Domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare; Atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem, demandando propterea ulteriùs, ac declarando in omnibus hujuſmodi caſibus, Perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: Quoverò ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit licentias, ſeu Privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in cap. in his de Privil., & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis Decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto ſeſſ. 22. uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributâ etiam eiſdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac ſi per S. Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet, Et ità Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat.

Romæ hac die xv. Decembris 1703.

Exempl. Romæ impreſſum in Archiv. gen. Ord. Arm. Doc. Authentica.

N O T A

PUgnat hoc Decretum præcipuè contra duo FF. Minorum privilegia; primò quidem contra id, quo per litteras Honorii III. corpori juris *tit. de privil. cap. in his*, inſertas, & Conſtitutione Sixti IV. *incip. Regimini*, ac aliàs *Mare Magnum* Minorum nuncupatâ confirmatas, in Oratorio cum Altari portatili ſacram Miſſam celebrare fuit conceſſum: ſecundò autem contra illud, quo cum Altari pariter portatili in quocunque loco honeſto & congruo celebrare iiſdem fuit indultum.

Separatim hic de utruque agi eò magis neceſſarium videtur, quò erebrior redit materiæ hujus quæſtio. Dignè quoque ſermo ſcinditur in duas partes, cum privilegium unum, ut Cardinalis Petra, *tom.2. Comment. fol. mihi* 276. *num.*19. advertit, ab alio differat, & privilegium celebrandi in quocunque loco honeſto univerſaliùs pateat privilegio, ad Oratorium reſtricto: dumque Oratorium ſupponit Altare & locum pro hypotheſi fixum, privilegium econtra Altaris extenditur ad locum quemcunque, vagum quidem, ſed honeſtum.

Dicturus inde primò de Oratoriis, noto & ſuppono, Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium aliàs nonniſi in loco ab Epiſcopo ſacrato celebrari debere, uti ex *Can. nullus de conſec. diſt.*1. conſtat = *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps eſſe voluerit Sacerdotii*; quod & *Can. ſicut. can. Miſſar. ead. tit. & diſt.* confirmatur. Hinc jam in primo Eccleſiæ ortu Miſſam ſemper in templis, lociſque Deo conſecratis, ſi unquam data fuiſſet copia, celebratam fuiſſe, eruditiſſimus P. Azevedo *lib.*1. *de Ss. Miſſæ Sacrificio cap.*1. *fol.*4. tum ex hiſtoria Eccleſiaſtica, tum à locorum ſacrorum exemplo probat. Fuitque contemptus in celebrante judicatus, ubi eam in loco profano celebrari contigiſſet, quemadmodum S. Baſilius *lib. de Baptiſmo cap.*8. teſtatur = *Nobis periculum eſt malè obiti mandati, ſi loci dationem neglexerimus, propterea quod ea res indicium haberet contemptûs in celebrante, offendiculum quoque generaret*: imò contra legem agi Cyrillus Alexandrinus *lib. adverſus Anthropomorphitas cap.*12. ſcripſit = *donum ſive oblatio, quam myſticè celebramus, in ſolis Orthodoxorum templis offerri debet, neque alibi omnino: qui ſecus faciunt, apertè legem violant* = & plura alia videri poſſunt apud eundem P. Azevedo *loc. cit. fol.*6. ac Durantum *de rit. Eccl. lib.*2. *c*6. Manſitque ſanctio hæc juxta plures uſque ad tempus Concilii Triburienſis, in quo *cap. concedimus de conſec. diſt.* 1. relato, celebratio Miſſæ in capellis non conſecratis, cum tabula tamen conſecrata, ex motivo Eccleſiæ combuſtæ fuit permiſſa: imò & in tentoriis, ſeu ſub dio ex cauſa itineris, vel etiam ex diſtantia Parochialis Eccleſiæ, limitatè quidem ad feſtivitates minores, remanente obligatione Miſſam præcipuis feſtivitatibus audiendi in Eccleſia Parochiali, & ſuppoſitâ Epiſcopi licentiâ, prout tum ex dicto *Can. Miſſarum de conſecrat. diſt.* 1. tum ex ſexta Synodo *can.*31. relato in *Can. Clericos eadem diſt.* conſtat. Ex quo erecta ſunt Oratoria privata, in quibus Epiſcopi celebrandi facultatem ſine contradictione dederunt, uti Navarrus, à Cardinale Petra *tom.*2. *fol. mihi* 275. citatus, docet; quæ autem poſtmodum à Tridentino juxta alios ad prægnantiſſimos caſus dumtaxat reſtricta, aut ſublata eſt, uti infrà ex Sac. Concilii declarationibus patebit.

Sacra Sedes, ut ſua erga naſcentes in Eccleſia Dei Regulares Ordines benevolentiæ ſenſa pateſaceret, his quoque privilegium celebrandi in Oratoriis privatis, quarto & quinto ſæculo Monachis juxta *Hoſtien. cap. in his num.* 11. *de privil.* & aliis conceſſit, prout clarè quoad FF. Minores Decretalis Honorii III. ſupradicta probat. Motivum autem gratiæ Card. Petra *loc. cit.* aſſerit fuiſſe = *ne cogerentur Eccleſias Parochiales, in quibus præcepto audiendi Miſſam tantùm ſatisfiebat, adire &c.* aliàſque tunc Eccleſias proprias non haberent: hæc autem Oratoria omnibus non patuiſſe, ſed iis dumtaxat, qui erant de Monaſterio, notat Gangius in Gloſſario *verb. Oratorium*, & ex eo Vaneſpen. *Juris Eccleſiaſ. univ. part.*2. *tit.*16. *cap.*2. *fol. mihi* 432. *num.*6. idem refert.

Suppono ſecundò, duplicem eſſe Oratoriorum ſpeciem, videlicet publicorum, & privatorum: Oratoria publica ſunt illa, quæ in locis à Parochiali Eccleſia remotis auctoritate Epiſcopi eriguntur, ad cultum divinum dote fundatâ deſtinantur, habent janua in via publica, communi acceſſui patent, ad uſus prophanos converti non poſſunt, & juxta *cap audientiam*, Eccleſiæ nuncupantur, in quibus Miſſam ſervatis ſervandis celebrari poſſe certum eſt. Privata ſunt illa, quæ aut in privatis Domibus eriguntur, & domeſtica vocantur, dependentia ab arbitrio Domini, ita ut, quæ hodie ſunt Oratoria, cras videantur triclinia, aut cameræ; vel quæ etiam in agris, & ſolo privato, auctoritate pariter privata conſtruuntur, quæ juxta Cardinalem Petram *tom.*1. *Comment. pag.*394. & Fagnanum *cap. auctoritate tit. de cenſ.* privata dicuntur, quamvis ratione loci ſint publica.

Porro in Oratoriis privatis Miſſam celebrare inhibuit S. Synodus Trid. *ſeſſ.*22. *c. de obſ.* = *Neque patiantur privatis in Domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab iiſdem Ordinariis deſignanda, atque viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à Sæcularibus aut Regularibus peragi* = & in hoc concordat Auctorum ſenſus; cum Oratorium privatum non ſit locus ſacer, ac religioſus ex eo, quod qualitas ſacra ac religioſa vi juris Canonici non eruatur, niſi à Benedictione Epiſcopali vel ab erectione, auctoritate Epiſcopi facta, juxta *Cap. ad hæc de Relig. Dom.* quæ in Oratoriis privatis non reperitur: nec ex eo etiam, quod in iis auctoritate vel licentia Pontificia Miſſa dicatur, lo-

cus

Digitized by Google

cus ſacer eſt, prout notat Del Bene *de immun. cap.2.dub.2.ſect.8.num.*15. *& cap.*16.*dub.*9. *ſect.*1. *num.*4. *& ſect.*12. *num.*2. hinc & immunitate non gaudent: uti Sacra Congregatio ſæpius declaravit.

An autem & per hanc Concilii diſpoſitionem ſit abrogatum privilegium Regularibus, & in ſpecie Minoribus conceſſum, ac in corpore juris clauſum, ita ut in Oratoriis privatis Ædium ſæcularium celebrare amplius nequeant, acriùs inter ſe diſputant Auctores. Integram catervam eorum, qni id ſublatum eſſe negant, Pignatellus *tom.*6. *conſult.*12. *fol. mihi* 39.*num.* 1. citat: nituntur illi hac potiſſimùm regula, qund privilegia corpori juris inſerta per clauſulas generales non revocentur, ſpeciali eorum mentione deſuper non factâ; hinc & Epiſcopis privilegium Altaris portatilis per Concilium non infirmatum cenſent, eum hoc corpori juris, videlicet *cap final. de privilegiis in* 6. inſertum, reperiatur.

Privilegium econtra abſolutè revocatum affirmat alter Doctorum cœtus, & numero & ratione celebris. Numero illorum non inhæreo, ſed pro illo videndo Lectorem ad dictum Pignatellum *tom. & loc. cit. fol.*40. *num.*8. remitto, eidemque ex variorum Ordinum Auctoribus conſtitutn, dumtaxat addo Paſſerinum *tom.* 3. *de ſtat. hom. quæſt.*189. *art.*10.*fol.mihi* 903. *col.*1.*n.*81.& cum eo Bremond *tom.*8.*Bull.fol.mihi* 314. necnon Emin. Card. Lambertinum, nunc in Cathedra Petri glorioſè ſedentem *inſtit.*34.*de ſacro Miſſæ Sacrificio f.mihi* 170.*col.*1. & cum eo P. Azevedo in ſchola Conimbricenſi *de Miſſ.Sacrif.lib.*3. *cap.*6.*fol.*289. *n.*4. ita loquentem = *hujuſmodi privilegium Regularibus ademit S. Tridentina Synodus, quod ſæpe ſacra ejus interpres Congregatia declaravit.* Ratio autem, quâ hæc opinio ſuffulcitur, principalior eſt, quod csuſa finalis, ob quam privilegium fuit conceſſum, & quæ, uti ſupra dictum eſt, in defectu Eccleſiarum propriarum conſiſtebat, jam ceſſaverit, & Minores ſeu Regulares quicunque, ſuas jam habeant Eccleſias: hinc ceſſante cauſa, ob quam privilegium fuit conceſſum, ceſſat & ipſum privilegium *arg. cap. etſi. Chriſtus de jurejur.* & *cap. cum ceſſante de appell.* &c.

Media via incedunt alii, contendentes privilegium non eſſe abſolutè reciſſum, ſed dumtaxat vulneratum, & ad conditinnem reſtrictum, ita ut illo uti non liceat Epiſcopo contradicente. Fulciunt hi opinionem ſuam, tum in Concilii Tridentini intentione, quâ tantùm abuſus, qui in Oratoriis circa Miſſas vel jam irrepſerant; vel irrepere potcrant, tollere voluit, tum in miti ſonu verborum Concilii = *neque patiantur* = per quæ abſolutam revocationem non importari arguunt.

A' prima opinione recedo, & quidem, quò apertiùs claudicant adductæ Auctorum pro ea contendentium rationes: Prima enim ex auctoritate deprompta enervatur auctoritate Doctorum non ſolùm æquivalente, ſed etiam contrariam longè ſuperante: ſecunda verò allegata ex eo, quod privilegium eo ipſo, quod ſit corpori juris inſertum, à Concilio non ſit revocatum, & conſectariò in ſuo robore perſiſtat, ruit inde, quod privilegium per hoc, quod ſit inſertum corpori juris, juxta Pignstellum *tom.*6 *conſult.* 12. *fol. mihi* 40. *num* 9. non ceſſet eſſe privilegium, & conſequenter, dum Concilium omnia privilegia indefinitè revocavit, revocaverit & ea corpori juris inſerta. Ad paritatem autem privilegii Epiſcopalis reſpondet idem Pignatellus cum aliis, quod illud hodiedum non ampliùs ſit privilegium, ſed jus commune, fundatum in decentia, quâ Epiſcopi, aliique in ſublimiori Eccleſiſticæ Hierarchiæ grsdu conſtituti juxta Trident. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *& cap.* 1. *ſeſſ.*25. virtutis exemplo aliis prælucere debent, & ideo Miſſam in via ab iis omitti non congruit; Imò illud non eſſe ſublatum à Tridentino, declaravit Sac. Congregatio apud Barboſam *de Epiſc. alleg.*13. *num.*1. & ex libro Decretorum 12. *pag.*120. conſtat = *Sacra Congregatio &c. cenſuit, Cardinales non ſecus ac Epiſcopos ſine ulla Epiſcopi Diœceſani licentia uti poſſe privilegio Altaris portatilis ad præſcriptum Conſtitutionis fel. rec. Bonifacii VIII. quæ incipit*: Quoniam Epiſcopi, *nec hujuſmodi privilegium ſublatum fuiſſe Concilii Decreta cap. unic. cap.*22. = Et quantumvis illud per præpoſitum Clementis XI. Decretum ob abuſus inductos fuerit coarctatum, nihiluminns poſtmodum ab Innocentio XIII. per Bullam *Apoſtolici Miniſterii*, à ſa: me: Benedicto XIII. confirmatam, ad primum valorem fuit reductum. Jam verò, cum par Sac. Congregationis declarstio pro FF. Minoribus non adſit, illorum privilegium Epiſcopali non debet æquiparari. Si & Minorum privilegium, uti collectioni Canonum illatum, hand aliter ac Epiſcopale, juris communis rationem habere qnis replicet, & ideo ſpecialem in illius revocatione mentionem requiri prætendat, libenter quidem ego Minoriticum privilegium ante Tridentinum jus commune conſtituiſſe concedo, hoc autem per ſanctionem Tridentinam revocatum eſſe ex eo infero, quod hæc poſterior priori deroget; Nec fuit ad hoc neceſſaria ſpecialis illius mentio, cum plura obvient hinc inde Regularium privilegis, quæ ceu in Codice Legum Eccleſiaſticarum poſita, olim jus commune conſtituerunt, & hodie communiter jam revocata habentur, quan-

tumvis

Digitized by Google

tumvis ſpecialis illorum in revocatione facta non fuerit mentio; tale eſt (ut pluribus à Pignatello *loc. cit.* deductis ſuperſedeam) privilegium, confeſſiones ſæcularium ſine Ordinariorum approbatione excipiendi, à Clemente V. in Concil. Viennenſi FF. Minoribus &c. conceſſum, & in Clementina *Dudum de ſepulturis* expreſſum, quod autem à Concilio Tridentino *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. revocatum eſt, & revocatum tenetur, quantumvis nulla ſpecifica in dicto Tridentini capite illius facta ſit mentio. Inde dum omnis primæ opinionis collapſa eſt virtus, illam ut caducam rejicio, dicendo, privilegium Minoriticum à Concilio Tridentino quoad Ædes privatas & Oratoria eſſe revocatum. Nam, cum in fine Decreti *de obſervat.* Concilium deroget, *omnibus privilegiis*, *exemptionibus*, *appellationibus*, *ac conſuetudinibus quibuſcunque*, Privilegio Minoritico eoipſo derogatum eſt, quod Concilium utatur dictione univetſali *quibuſcunque*: hæc enim ejus eſt naturæ, ut juxta *cap. ſolitæ verb. quodcunque ligaveris de major. & obed. cap. ſi tibi abſenti &c.* omnia comprehendat, & ideo etiam Minoriticum in univerſali Concilii revocatione concludi tenendum eſt. Quod totum firmatur ex eo, quod privilegium Minorum ſupponat uſum Altaris portatilis in hujuſmodi Oratoriis, utpote ſibi in quocunque loco honeſto conceſſi; nam non ideo jam celebrarent in Oratoriis privatis, quia Oratoria prohibita ſunt, ſed quia privilegiatum Altaris portatilis uſum in loco quocunq; honeſto prætendunt; Dum autem & hunc in ſecunda hujus notę, ſeu digreſſionis parte revocatum demonſtravero, privilegium quoque celebrandi in privato Oratorio à Concilio ademptum eſſe, patentiùs confirmatum manebit.

Notandum proin eſt, quod per Altare videatur denotari alta res; hinc & Ethnici locum à terra elevatum, ſuper quo Diis ſuperis victimas immolabant, juxta Lotter. *de re benef. quæſt.* 30. *lib.* 1. *num.* 4. Altare nuncupabant. Uſum Altarium pro Sacrificiis jam in lege Noe viguiſſe, *in lib. Gen. cap.* 8. 22. *&* 35. reperimus. In lege autem ſcripta Altaria ad immolanda holocauſta pro peccatis, & ad offerendas hoſtias pacificorum in oblationem odoris, ſacræ paginæ variè commemorant: in lege autem gratiæ, in qua Chriſtus factus eſt hoſtia, uſum Altaris legimus 1. *ad Corint.* 9. & ad *Hebr. cap.* 13., aguntque de eo Auguſtinus *l. contra Fauſtum cap.* 21. Ambroſius, Tertullianus, Hieronymus & alii à Card. Petra *tom.* 4. *in conſtit.* 2. *Urbani V. fol. mihi* 148. *col.* 2. citati. Superſtque hujus majeſtas veterum reverentiam, tum ex parte hoſtiæ, quâ Patri cœleſti incruentum Corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium in eo offertur, tum ex parte ſignificati, cum hoc crucem & ſepulturam Chriſti repræſentet.

Jsm verò, ut ad finem meum propius deſcendam, duo Altarium genera à Doctoribus communiter recognoſci reperio: ſtabile unum & firmum, quod ſumitur pro tota menſa, in qua Sacrificium offertur; alterum autem portatile, geſtatorium, vel viaticum, juxta Durandum *lib.* 1. *ration. cap.* 6. ita dictum = *quod per viam portetur*; hinc & in Ordine Romano *tabula itineraria* vocitatur. Uſum porro hujuſmodi Altarium Mabillonius *in præfat. ad ſæcul.* 3. *Ord. S. Benedicti fol. mihi* 119. *num.* 78. ad tempora S. Wlſramni, Epiſcopi Senonenſis, qui Oceanum trajiciens ſacrum cum miraculo, à D. Antonino *par.* 2. *cap.* 2. *tit.* 14. §. 2. fusè relato, ſuper Altare portatile, feciſſe perhibetur, contra alios, uſum hunc nonniſi ſæculo XI. incepiſſe autumantes, rejicit.

Ex recepto jam Eccleſiæ uſu debet tabula eſſe lapidea, ut expreſsè ſancit Rubrica Miſſ. §. 20. ubi hæc habentur = *Altare, in quo Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium celebrandum eſt, debet eſſe lapideum*, cum enim aut Sepulchrum Domini, quod exciſum erat de petra, aut Chriſtum ipſum, qui Petra erat, repræſentet, ex petra & ipſum conſtitui convenit: nec debet eſſe ex duobus petiis compactum, ſed ex uno, ut unicam in Chriſto Perſonam denotet: forma autem ejus quadrangularis, & ejus quantitatis eſſe debet, ut calicem cum patena, vel ſaltem majorem illorum partem, abſque periculo lapsûs capiat: hinc Sac. Congregatio Epiſcoporum, latitudinem ejus palmo minorem eſſe non debere, teſte Nicolio *in floſc. verb. Altare num.* 5. §. *dummodo fol. mihi* 18. cenſuit. Uſum horum Altarium induxit neceſſitas, nam dum ſæviente tyrannide locus permanens ſd celebrandum Chriſtianis non eſſet, Altaria viatica hi adbibuêre, facilè de loco ad locum translata; quod non obſcurè ex Epiſtola S. Cornelii Papæ ad Lupicinum Epiſcopum Viennenſem conjicitur, in qua hæc leguntur = *Scias, Frater chariſſime, Arcam Dominicam vento perſecutionis acerrimè commoveri ..... nam ad hoc in Urbe Romana Imperator conſtitutus eſt, ut nec publicè, neque in cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis liceat.* Reddita dein Eccleſiæ ſub Conſtantino pax uſum hunc reddidit rariorem, dum S. Silveſter Papa Altaria juxta quoſdam ex lapide vel muro conſtrui juſſit. Reſuſcitavit illum poſtea Romanorum Pontificū benevolentia, eumq; crebriorem denuo effecit horum gratia, nam, ut Regularium meritis gratificarentur, ac illorum commodis conſulerent, ex privilegio hujuſmodi uſum conceſsê-

re,

re. Ita Urbanus V. conceſſit Monachis Carthuſienſibus, Honorius III. Minoritis &c. Stetit quoque intactum privilegium uſque ad Tridentini Concilii tempus, quo per ſanctionem = *neque patiantur &c.* = Altaris portatilis privilegium extra Eccleſiam & Oratoria &c. fuit ſublatum. Declarârunt hoc tres Summi & doctiſſimi Pontifices, videlicet Gregorius XIII. Clemens XI. & Benedictus XIV.

Declaravit id Gregorius Conſtitutione ſua, *incip. Uſum*, quâ RR.PP. Societatis Jeſu privilegium quoad loca Miſſionum reſtituit, dicendo = *Uſum Altaris viatici Societati veſtræ à fel. rec. Paulo III. conceſſum, deinde à Concilio Tridentino univerſè ſublatum, vobis eatenus reſtituimus, ut inter Miſſiones &c.* Notentur hic verba = *uſum Altaris viatici . . . . à Concilio Tridentino univerſè ſublatum . . . . reſtituimus*, & ſignetur latens in iis myſterium, & ſenſus, univerſalem privilegii revocationem involvens, ex ipſo quoque verbo *reſtituimus* confirmatam.

Declaravit idem Clemens XI. per Decretum ſuprapoſitum, & paragraphum in eo contentum ſequentem = *quò verò ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus ſupradictis cenſuit* (Sac. Congregatio) *licentias ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in cap. in his de privileg. & per aliquos Romanos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & ideo Regulares monendos, ne illis utantur* = Tale in his Pontificiis verbis commendatus univerſim, & præſertim in Curia Romana, R.P. Reiffenſtuel invenit pondus, ut, poſtquam in ſua Theologia Morali privilegium Altaris portatilis, etiam poſt Tridentinam Synodum, illibatum ſtatuiſſet, hanc ſuam opinionem *lib. 3. Decret. tit. 41. fol. mihi 592, num. 2.* retractaverit. Quod doctæ ac Religioſæ modeſtiæ exemplum plures alii Scriptores, ſi iis ſcribendi tempus rediret, hodiedum viſo Decreto Clementino certiùs ſectarentur.

Declaravit tandem & illud Benedictus XIV. in ſuis inſtitutionibus Eccleſiaſticis, tempore, quo Pontificatum Bononienſis Eccleſiæ geſſit, ab ipſo italicè editis, & tempore, quo Cathedram Petri occupavit, à R. P. Ildephonſo à S. Carolo, Clerico Scholarum Piarum, & Collegii Urbani de Propaganda Fide Rectore in latinum idioma tranſlatis, in quarum illa, quæ trigeſima quarta eſt, *cap. 3.* hæc verba reperiuntur = *at omnis inpoſterum falſa ſpecies dimoveatur, ſingulis notum facimus, geſtatorias Aras, quæ permiſſæ antea fuerant, Concilii Tridentini Decreta ſublatas penitus fuiſſe, quod Sac. Congregatio, unica ejuſdem interpres, non ſemel adjudicavit* = Ad nauſeam uſque forſan prolixus forem, ac otio abuterer, ſi plura hujus Sac. Congregationis Decreta hîc producerem: efficaciora dabo, ut pauciora ſufficiant.

In Toletana ad dubium = *utrum licentiæ ſeu privilegia conceſſa aliquibus Regularibus in cap. in his de privil. & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, revocata ſint per Sacrum Concilium ſeſſ. 22. cap. unic. de obſerv. & vit.?* Sac. Congregatio 4. Junii 1672. cenſuit *affirmativè*.

Ubi hoc Decretum Card. Petra *tom. 4. Comment. fol. mihi* 150. *ex lib. Decret. p* 406. exſcriptum refert. Ibi quoque in *Poſnanien.* 7. Maji 1674. Idem pro reſponſo datum eſſe memorat.

In Meſſanen. verò 20. Septemb. 1698. declaravit Sac. Congregatio, Altare portatile non poſſe erigi à Regulari in Domo privata, ut ibi Sacrum peragat, & Viaticum alteri Regulari infirmo adminiſtret.

Ex quo dum uſum Altaris viatici prohibitum patenter infertur, etiam privilegium Minoriticum cum hujuſmodi Altari, vel in Ædibus privatis, vel in aliis locis honeſtis celebrandi ſuppreſſum concluditur, ita quidem, ut nec cum licentia Epiſcopi in iis celebrare queant, cum hanc, ex diſpoſitione Canonis Miſſarum *de conſec. diſt. 1.* olim Epiſcopis conceſſam, jam (abſq; urgentiſſima ſaltem cauſa) revocatam eſſe pateat ex reſcripto S. Congregationis Concilii, dato Card. Paleotto olim petenti, *an poſſet* dare licentiam Domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur, quod erat = *nonniſi in Oratoriis Miſſas celebrandas* = Plura alia particularia Sac. Congregationis Decreta adjicere non vacat, dum hæc litteris publicis & generalibus ſub Pontificatu Pauli V. editis, & Ordinariis locorum intimatis, ſuam in hoc regulam & legem patefecit; harum autem tenor fuit ſequens.

Perilluſtris ac Reverendiſſime Domine, uti Frater. Tametſi Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, optimis innixa rationibus ſæpiſſimè reſponderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis, nonniſi à Sede Apoſtolica eſſe concedendas; Compertum eſt tamen per plures Antiſtites, ejuſdem Concilii verba in alium ſenſum detorquentes, paſſim illas, ac nullo prope delectu, impertiri. Qua quidem facilitate nedum ipſi Pontificiam ſibi auctoritatem adſciſcunt, aliarumque Eccleſiarum & frequentiam minuunt & di-

Digitized by Google

& dignitatem; verùm etiam (quod ſummè dolendum eſt) tremendum iſtius Myſterium, quo nullum aliud opus adeo ſanctum atque divinum, à Chriſtifidelibus tractari poteſt, intra domeſticos parietes plerumque cum tanta irreverentia peragitur, ut nihil fere inter prophanam, & divinam Domum intereſſe videatur. Quod ſanè teterrimum exemplum, ut de Chriſtiana Republica evellant Illuſtriſſimi Patres, Amplitudini Tuæ, cæteriſque Archiepiſcopis, atque Epiſcopis univerſis, Sanctiſſimi Domini Noſtri juſſu, ſignificandum duxerant, facultatem hujuſmodi licentias dandi, ipſius Concilii Decreto, unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam: proindeque Amplitudini Tuæ abſtinendum eſſe ab illis, utcunque tribuendis, ac ſi quas hactenus, vel à Tuis anteceſſoribus, aut aliàs quoquomodo, quàm ab ipſo Summo Pontifice conceſſas, repereris, nullas, atque irritas eſſe, quamprimum decernas, atque enixè curandum, ne ulla illarum ratio inpoſterum habeatur. Quam quidem Sac. Congregationis, atque adeo Sanctitatis Suæ voluntatem, libenter Amplitudo Tua perficiet, harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad ſingulos iſtius Provinciæ Epiſcopos &c. Romæ die 10. Martii Anno MDCXV. Ex libro 10. litterarum Arch. Sac. Cong. fol. 183.

Quod idem fuit repetitum & confirmatum in præpoſito Decreto Clementino, quod die 8. Januarii 1704. in Monte Citatorio Curiæ Innocentianæ, aliiſque ſolitis Almæ Urbis locis affixum & publicatum fuiſſe apud eumdem R.P. Bremond *loc. cit. fol.* 316. legitur: fuitque & idem à ſ.m. Bened. XIII. in Concilio Romano *tit.* 15. *cap.* 2. ita confirmatum = *Quod à fel. rec. Clemente XI. ſuo lato Decreto ſub die 15. Decemb. 1703. in allegata ipſa Appendice proferendo, opportunè mandatum fuit circa uſum Altaris portatilis, & Miſſarum celebrationem in Oratoriis domeſticis, volumus, Eccleſiarum omnium Epiſcopi in ſuis Diœceſibus publicent quamprimùm, & exequutioni demandent; cuivis inſuper in privatis, ubi dormiri ſolet, cubiculis celebrandi facultate ſublatâ. Hæc ut ab omnibus, Regularibus præſertim, ſerventur, invigilent; adverſuſque contravenientes, ſpeciali adhuc privilegio exemptos, Epiſcopi ipſi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, cenſuris etiam Eccleſiaſticis procedant; indultis aut conſuetudinibus quibuſcunque non obſtantibus.*

Ex quo non ſolùm prætenſa libera Epiſcoporum facultas, ſed etiam ſententia media manifeſtè collabitur, ita ut huic diutius ventilandæ eò minus immorari debeam, quò certiùs mihi videtur effectivè eſſe idem, privilegium abſolutè revocatum, vel privilegium ſub conditione Epiſcopi non contradicentis conceſſum, quando hic ſemper contradicturus prævidetur, & tum per Concilium, tum per Decreta Sac. Congregationis ſuprapoſita contradicere jubetur, necnon cenſuris Regulares coërcere ei conceſſum eſt à Sac. Congregatione Concilii in recenſita Mediolanen. dum ad dubium 2. *An poſſit Ordinarius in hoc & ſimilibus caſibus procedere contra Regulares, etiam ad cenſuras?* reſpondit *ad ſecundum affirmativè, ſed in præſenti caſu non moleſtandam*, prout *lib.* 48. *Decret. pag.* 471. reperitur.

Dictum ſupra cum ſit, privilegium Altaris viatici RR. Patribus Societatis Jeſu poſt Concilium Tridentinum à Gregorio XIII. reſtitutum eſſe per verba = *uſum Altaris viatici Societati veſtræ à fel. rec. Paulo III. conceſſum, deinde à Concilio Tridentino universè ſublatum, vobis catenus reſtituimus, ut inter Miſſiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri veſtri, ſervatâ aliàs formâ dictæ conceſſionis, Miſſæ Sacrificium licitè valeant celebrare ſuper hujuſmodi Altare ubique gentium*, prout in Bull. nova Rom. *tom.* 4. *p.* 3. *f.* 416. legitur. Ex quo illud à Regularibus, aliàs communicationem privilegiorum habentibus, indefinitè participari, cum aliis Peyrinus *ad conſtit. Pyrrhi* §. 7. *num.* 34. aſſerit. Ad aſſenſum hoc me non movet, cum enim cauſa finalis Miſſionum, ob quam reſtitutio privilegii dictis RR. Patribus obtigit, in aliis Regularibus extra Miſſiones non reperiatur, hi favorem ad Miſſiones reſtrictum, ſibi communem & univerſalem aſtruere non debent. Si autem Regulares in Miſſionum locis conſiſtant, privilegii hujus participatione non indigent, cum illud ipſis directè cum aliis facultatibus à Sac. Congregatione de Propaganda Fide, juxta ſolitam jam formulam, concedatur = *celebrandi Miſſam quocunque loco decenti, etiam ſub dio, ſub terra, una hora ante Auroram, & aliam poſt Meridiem &c.* = Necdum inde favet communicatio privilegii Societati J. ad Miſſiones reſtrictum, ſed econtra inconcuſſa manet illatio, privilegium Altaris portatilis in loco quocunque honeſto, ac conſectariò & illud celebrandi in privatis Domibus per Concilium Tridentinum eſſe revocatum, & ideo illud ante hoc habitum ad aliud non ſerviat, quàm ad puram facti memoriam.

Hiſce verò ita ſtabilitis, filum traho ad quæſtionem huic materiæ connexam, & ſcitu neceſſariam. Oritur hæc ex inveterata benè ordinatorum Monaſteriorum conſuetudine, unum aut plura Oratoria ob infirmos ſenes, aut aliàs copioſum Regularium numerum intra Monaſteria erigendi, quæ & ſæpius Summi Pontifices indulgentiis juxta nova & vetera exempla exornant, aut aliàs, indulgentias Eccleſiæ in iis lucrari Religioſis indulgent,

quem-

Digitized by Google

quemadmodum Oratoria ſeu Capellæ in Valetudinariis noſtri Ordinis Capucini extantia hujuſmodi indulto, juxta reſcriptum Pontificium, *tomo primo fol.* 168. videndum, conceſſo gaudent. Solidiùs jam ut reſpondeatur, repetendum eſt, à Sac. Concilio Tridentino verbatim prohiberi Sacra peragere *omnino extra Eccleſiam, & ad Divinum cultum tantùm dedicata Oratoria, ab iiſdem Ordinariis deſignanda, atque viſitanda.* Quo ſuppoſito, in prædictis Oratoriis cum Ara mobili celebrari poſſe legitimè infertur, cum ſub nomine Eccleſiæ in jure comprehendantur Monaſteria, Conventus, & Clauſtra, uti patet *ex cap. Alma Mater de ſentent. excomm. in 6.* cum ſua gloſſa *in verb. Monaſteriis: & cap. Abbatis §. hæc autem diſt.* 24. & conſentiunt Doctores *in rubr. de rebus Eccl. non alien.* Joan. Andr. *in cap.* 1. *de in integrum reſtit.* Panormitanus *in cap.* 2. *de conſuet.* hinc & Monaſteria, & Clauſtra hujuſmodi, ea, quâ ipſorum Eccleſiæ pollent, immunitate gaudent. Ex quo Oratoria talia non *omnino extra Eccleſiam*, ſed intus Eccleſiam, ſeu Monaſterium conſtituta, & conſequenter in prohibitione Tridentina non comprehenſa cenſeri debent: vel cum Paſſerino *tom.* 3. *de ſtat. hom. art.* 10. *fol. mihi* 903. *col.* 2. concludendum eſt = *non eſſe contra Concilium Tridentinum, ſi hujuſmodi Oratoria vel Capellæ de licentia Prælatorum Regularium, ad quos illam dare pertinet, erigantur, & in eis Miſſa celebretur in terminis privilegiorum, quæ in hac parte non ſunt revocata:* imò hoc ipſum jam priùs Sac. Congregatio declaravit Decreto à Fagnano *in cap. iis num.* 8. *de privil.* allegato, & ita ſonante = *Oratoria exiſtentia in Monaſteriis vel Hoſpitalibus ordinariâ, vel Apoſtolica auctoritate fundatis non comprehendi in prohibitione Concilii* verſ. *Neve patiantur* = Non inficior quidem, quod hæ Capellæ intrent categoriam Oratorii, imò, quod Oratoria ſint, & ita ab ipſis Regularibus nuncupentur; malè verò exin deduceretur, quod ab Epiſcopo debeant juxta Tridentinum deſignari & viſitari. Tangit enim hæc Sac. Synodi ſanctio eos dumtaxat Regulares, qui poſt hanc privilegium vel non obtinuerunt, vel obtentum ab aliis non communicant. Potioribus autem Regularibus aſſiſtit privilegium almæ Societati Jeſu à Gregorio XIII. per Conſtitutionem *Decet* poſt Concilium Tridentinum ita conceſſum = *Volumus, ut in Oratoriis & Capellis, quæ ipſius Societatis Provinciales per ſe in Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad Divinum tantùm cultum deputaverint, Miſſas & alia Divina officia, alterius licentiâ minimè requiſitâ celebrari poſſint* = Ex quo & hoc ipſum privilegium iis Regularibus, qui aliàs privilegia Societatis Ieſu participant, commune eſſe Thomas Tamburinus *de Sacrif. Miſſæ cap.* 6. §. 3. *num.* 2. Aſcanius Tamburinus *de jure Abb. tom.* 2. *diſput.* 5. *quæſt.* 7. *num.* 4. Cardinalis Petra *tom.* 2. *ad Conſtitut.* 8. *Honorii III. fol.* 278. *num.* 47. noſter Bonagratia in ſummula *verb. Altare*, Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decr. tit.* 41. *fol. mihi* 594., & alii multi, à Paſqualigo *quæſt.* 484. *num.* 4. citati, appoſitè deducunt: quibus Reverendiſſimus Abbas & Canonicus Lateranenſis, Domnus Io. Baptiſta Gattico Novarienſis accedit, ſpeciali nota dignus, cum *de Oratoriis domeſticis & de uſu Altaris portatilis*, veterem & recentem Eccleſiæ diſciplinam tantò eruditè, quantò accuratè noviſſimè ad librum contraxerit, hunc Romanis formis editum, Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. nuncupaverit, ac materiam de hac re in aliis libris diſperſam concinnè univerit, & (ut ita dicam) exhauſerit. Porro clariſſimus Abbas in dicto ſuo libro *fol.* 192. communicationem hujus privilegii *in cauſa Granciæ Turricis* à RR. PP. Carthuſianis 1735. pro ſe allegatam id effeciſſe memorat, ut gl. mem. Clemens XII. per Apoſtolicas litteras *tom.* 14. *Bull. Romani fol.* 190. inſpiciendas, toti & inclyto Carthuſianorum Ordini conceſſerit = *ut non ſolum erigi poſſint & valeant Oratoria, Capellæ, & Altaria in Granciis & Domibus Religioſis, in quibus reſidebant ejuſdem Ordinis Sacerdotes, atque in illis celebrare valeant Miſſæ Sacrificia . . . . . ſed etiam illud* (Decretum) *ampliando & extendendo, quod ad hujuſmodi effectum ſatis ſit, & ſufficiet, quod dicta Oratoria, Capellæ, & Altaria viſitata fuerint & approbata à Patribus Viſitatoribus ejuſdem Ordinis* = Et *fol.* 185. *col.* 2. univerſaliter & ita concludit = *hinc omnes Regulares . . . . ex Apoſtolicæ Sedis conceſſione de Societatis ejuſdem privilegiis participantes hoc præcipuè privilegio in Domibus propriæ reſidentiæ utuntur, quò faciliùs ac tutiùs privata Oratoria Sacrificio apta erigant* = Per folia autem ſubſequa, tum alias hujuſmodi Oratoriorum prærogativas, videlicet de pluribus Miſſis in iis, etiam à Sacerdotibus ſæcularibus, dicendis, de communione diſpenſanda &c. recenſet, tum & alia de his ad prophanos uſus non ampliùs reducendis, de Auguſtiſſimo Sacramento ſine ſpeciali licentia non aſſervando &c. annotat, quem in caſu conſuluiſſe, neminem unquam pœnitebit.

Concludo denique caſu practico & quæſtione, an duo Regulares, itineris ſocii, in Domo Nobilis pernoctantes, & ſummo manè iter ſuum proſequi volentes, poſſint in privato Oratorio ibi exiſtente, pro eorum commoditate Sacrum celebrare? Planè inſiſtendo rigori,

quem Exclefiaſtica Œconomia impræſentiarùm tenet, unus, præſente Nobili, aut Perſonâ privilegiatâ, ſine contradictione celebrare poteſt: hâc Perſona autem deficiente, nec unus, nec alter commodo hoc uti debet; non unus, cum privilegium non ſit ad illorum, ſed ad Patroni favorem conceſſum, & ideo non locale, ſed perſonale: non alter, cum in Diplomate privilegii una Miſſa tantùm conceſſa ſupponatur, & ideo ſine nova Pontificia conceſſione, ſecunda ibi eodem die celebrari non poſſit. Imò Tamburinus in methodo celebrandi Miſſam *lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 19. Gobat *tract.* 5. *num.* 384. *&c.* Sacerdotem extra neceſſitatis caſus, quos à jure communi conceſſos, reſtrictiva unius Miſſæ clauſula non excludit, ſecundam Miſſam ibi dicentem, gravis peccati reum pronuntiant, dum alii Regularibus vi privilegii id ſaltem per modum actûs licitum autumant.

INNOCENTIUS XIII.

Romanus, Michael Angelus de Comitibus antea vocatus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, tit. SS. Quirici & Julitæ, Epiſcopus Viterbienſis 8. Maji 1721. ad Sacram B. Petri aſſumptus eſt Sedem, cujus gloriam poſt 2. annorum, & 10. Menſium ſpatium cum vita 8. Martii 1724. finivit, ad Pontificios Manes in Vaticano translatus.

Decretum Congregationis Sacrorum Rituum de cultu immemorabili Beati Andreæ de Comitibus, Ordinis Minorum, confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolicæ ſervitutis officium, quod inſcrutabilis Divinæ Sapientiæ, ac bonitatis altitudo humilitati, atque infirmitati noſtræ credere dignata eſt, ad ſpiritualem Fidelium ædificationem ſalubriter exequi, adſpirante ſuperni favoris auxilio, jugiter ſatagentes, Servorum Dei, qui, deſpecta ſæculi vanitate, jugum Domini in ſancta humilitate aſſumpſerunt, & virtutum omnium præſidio muniti, decurſo feliciter mortalis vitæ ſtadio, immarceſcibilem gloriæ coronam in Cœlis accipere meruerunt, cultum & venerationem in terris libenter promovemus, ſicut Dei gloriæ, Populorumque pietati convenire conſpicimus. Cum itaque aliàs ad relationem Venerabilis Fratris noſtri, Fabritii, Epiſcopi Albanen. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Paulutii nuncupati commiſſio introductionis Cauſæ Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Andreæ de Comitibus, Beati nuncupati, Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Sancti Franciſci, in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris ritibus præpoſitorum habita die xxv. Septembris proximè præteriti ad miſſa, & à Nobis poſtmodum ſignata fuiſſet; ſubinde verò inſtante dilecto Filio, Ioanne Baptiſta Lamberti de Aſte, Fratre expreſsè Profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci, Conventualium nuncupatorum, in Sacra Theologia Magiſtro, hujuſmodi Cauſæ Poſtulatore, Proceſſus in Curia Epiſcopali Anagnin. ſuper cultu ab immemorabili tempore ipſi Beato præſtito, ſive ſuper caſu excepto à Decretis fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædeceſſoris Noſtri in Congregatione Sanctæ Inquiſitionis editis, auctoritate ordinaria conſtructus, in quo Venerabilis Frater Ioannes Baptiſta Epiſcopus Anagnin. ſententiam ſuper præfato cultu protulerat; in eadem Congregatione Cardinalium, die xi. Decembris noviſſimè elapſi examinatus, ſimulque à dicto Fabritio Epiſcopo, & Cardinale propoſitum fuerit dubium = *An ſententia prædicti Joannis Baptiſtæ Epiſcopi Anagnini lata ſuper caſu excepto à decretis ipſius Urbani Prædeceſſoris, ſive ſuper Cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato præſtita eſſet confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agebatur?* = Auditoque deſuper tam in voce, quàm in ſcriptis, dilecto Filio, Magiſtro, Proſpero Lambertini, in utraque Signatura noſtra Referendario, ac Fidei Promotore, necnon omnibus in enarrato Proceſſu contentis ſuper caſu excepto diligenter examinatis, ac maturè diſcuſſis, memorata Congregatio Cardinalium reſcribendum cenſuerit, affirmativè. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis ejuſdem Ioannis Baptiſtæ votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eumque ſpecialibus

fa-

Digitized by Google

favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequentium harum ſerie abſoventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod ſcilicet de caſu excepto à Decretis præfati Urbani Prædeceſſoris, ſive de cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato Andreæ præſtito conſtet, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore &c. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum litterarum tranſumptis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xv. Februarii MDCCXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Bullar. Rom. tom. XI. *fol.* 277.

BENEDICTUS XIII.

Romanus, Ordinis Prædicatorum, Fr. Vincentius Maria Urſinus antea vocatus, S. R. E. Cardinalis, tit. S. Sixti, Epiſcopus Portuenſis, & Archiepiſcopus Beneventanus, die 29. Maji 1724. ſuper univerſas Orbis Eccleſias conſtitutus eſt. Præfuit iis per annos 5. menſes 8. dies 24. vitâ functus 21. Febr. 1730. & de tumulo Vaticani ad Ædes S. Mariæ ſuper Minervam translatus.

Canonizationem B. Joannis à Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia, à gl. me. Alexandro VIII. jampridem peractam promulgat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut, quæ Romanus Pontifex in plenario Conventu Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, unanimi eorum conſilio communicato, ſanxit & definivit, licet poſtea ob ejuſdem Pontificis obitum litteræ Apoſtolicæ de his conſcriptæ non fuerint, ſuum tamen conſequantur effectum.

A largitore omnium bonorum in ſummo Eccleſiæ faſtigio conſtitutus felicis recordationis anteceſſor noſter Alexander Papa VIII. pro ſua paſtorali vigilantia illud unum præ omnibus ſibi incumbere animadvertit, ut pro domo Iſrael ſpeculatoris officium impendens, populos ſibi commiſſos duceret in vias Domini. Hoc autem ſe præſtiturum putavit, ſi ex ritu & diſciplina S. R. E. recognitis & approbatis eorum virtutibus, qui vitæ ſanctimonia cæteris antea præluxerant, pietatis ardorem eò magis in Chriſtifidelium cordibus accenderet, quò vitam à viris juſtis piè actam in univerſa Eccleſia luculentius ſpectandam aperiret. Itaque cum aliis Dei ſervis, qui moribus verè Chriſtianis jamdudum venerandi habebantur, Joannem à Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui à Regulari Obſervantia nuncupantur, multis magniſque virtutibus & ſignis ubique percelebrem, ritè in Sanctorum Canonem ſibi referendum exiſtimavit.

Capiſtrani, Marſorum Oppidi, in Agro Aquilano, inque Epiſcopatu Sulmonenſi ortus eſt Joannes anno Chriſti Domini 1385. In gymnaſio Peruſino Chriſtianis & liberalibus diſciplinis inſtructus, aliquando rempublicam geſſit; ſed poſtea Dei monitu ad ſanctius miniſterium vocatus, in eadem Civitate Ordinem Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui à Regulari Obſervantia nuncupantur, ab ſe ferventiſſimis votis expetitum, quamvis repulſus, duriſque & publi-

Digitized by Google

cis quoque experimentis probatus, maximè alacris amplexus eſt anno Chriſti Domini 1414. In divinis litteris magiſtro uſus eſt Beato Confeſſore Bernardino Senenſi, quem pro ſacratiſſimo nomine Jeſu calumniis traductum, coram piæ memoriæ anteceſſore noſtro Martino Papa V. in Baſilica Beati Petri Principis Apoſtolorum ſtrenuè defendit; eumdemque ipſe, & ſodalis Jacobus à Marchia per inclytæ recordationis deceſſorem noſtrum Nicolaum V. in Sanctorum Confeſſorum Canonem poſtea referendum curavit, uterque deinceps in eumdem Sanctorum Canonem, & Jacobus quidem, à nobis quamprimum, favente Domino referendus. Joannes doctrinæ, aſperrimæ pœnitentiæ, & ſanctitatis fama in dies creſcente, ad multas variaſque Provincias, Italiam, Germaniam, Sarmatiam, & Pannoniam, Chriſtianos mores diſciplinamque verbo & ſcriptis, quæ plurima edidit, inſtauraturus, ab anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ablegatur. Idem, quem diximus, Martinus V. ad compeſcendam verbo & ſcriptis Fraticellorum ſectam illum unà cum Jacobo à Marchia Inquiſitorem inſtituit: de quibus Joannem feliciter triumphantem, contra omnes hæreticos Generalem Inquiſitorem creat. Reatinos & finitimos populos inter ſe odiis armiſque certantes eloquii ſuavitate componit. In terris S. R. E. citra Pharum, Joannâ II. Regina flagitante, Judaici fœnoris pravam licentiam evellit. Deceſſorum noſtrorum, Martini dormitionem, piæque memoriæ Eugenii IV. ſucceſſionem prædicit, à quo pro magnis Eccleſiæ negotiis ad Inſubres, Siculos, & alios mittitur. Recuſato Aquilano Epiſcopatu, munus prædicandi Evangelium obire non ceſſat, inque plenario Florentinorum Patrum Conventu velut ſol quidam fulget. Romæ Judæorum ſynagogæ magiſtrum cum quadraginta ſectatoribus ad veritatis profeſſionem reducit. Ut hæreticos in ſinum Eccleſiæ, & Principum animos in concordiam redigat, Friderico III. Imperatore poſtulante, in Germaniæ partes à prædicto Nicolao V. mittitur.

In Germania, Boemia, Sarmatia, & Pannonia ſexennali peregrinatione Huſſitis, Adamitis, Taboritis, Hebræiſque innumeris ad Chriſtianam veritatem doctrinæ, ſanctitatis, & miraculorum luce converſis, Dei gloriam mirificè auget. Ægros quamplurimos ſanat, mortuos ſuſcitat, mutis loquelam reſtituit. Denique totam Chriſtianorum Rempublicam periclitantem ab immaniſſimo Turcarum tyranno defenſurus, ſe pro domo Iſrael murum opponit. Dum piæ memoriæ deceſſor noſter Caliſtus Papa III. Joanne potiſſimum deprecante, Chriſtianorum militum ſigno Crucis illuſtrium expeditionem in Turcas Europæ incubantes decernit, ſtatimque Joanne Pannoniam, Tranſilvaniam, Moldaviam, Vallachiam, inſtar fulguris pervolante, ſeptuaginta millia Chriſtianorum conſcribuntur, cruciſque vexillum ipſo per arma fidei protecto præferente, de centum & viginti millibus hoſtium, toto Orbe mirante, victoria reportatur: cujus nuncio Romam allato VIII. idus Auguſtas, idem Caliſtus ejus diei memoriæ ſolemnia Transfigurationis Chriſti Domini perpetuò conſecravit.

Joannes his atque aliis ſempiterna memoria digniſſimis præclarè geſtis, ex corporis fatigatione lethali morbo contracto Villacum, Pannoniæ inferioris Oppidum, in agro Sirmienſi defertur, ubi à Ladislao Rege, aliiſque viris Principibus viſitatur, Sanctiſque Eccleſiæ Sacramentis maxima Religione ſuſceptis, & multis, quæ ſuper ventura erant, prænunciatis, Principes Viros, Ladislaum Regem, Matthiam Corvinum, alioſque ad tuendam Religionem Chriſtianam hortatus, vir Apoſtolicus, & voluntate martyr piè in Domino obiit anno ſalutis 1456. decimo Kalendas Novembris. Defuncto triduanæ exequiæ in Pannonia, Germania, atque Italia univerſa perſolvuntur. Poſt obitum æquè ac in vita multis magniſque miraculis claruit. Pro eo in Sanctorum Canonem referendo ad Sedem Apoſtolicam undique ſcriptum eſt: ab Italiæ Civitatibus, Bononia, Patavio, Tarviſio, Aſculo. Fridericus III. Auguſtus, & Caſimirus Poloniæ Rex à Pio II. felicis memoriæ anteceſſore noſtro id poſtulaverunt: qui quidem Pius, adhuc Æneas Silvius, perinſignium Joannis virtutum locuples teſtis, eodem Friderico III. rogante, illum à Nicolao V. in Germaniam mittendum impetraverat. Ad hæc Joannes & Sigiſmundus, Comites Palatini ad Rhenum, Rupertus Dux Bavariæ, Albertus Marchio Brandenburgicus, Conradus Dux Sileſiæ, Petrus S. R. E. tituli Sancti Vitalis Presbyter Cardinalis, Auguſtanus nuncupatus, in univerſa Germania Apoſtolicæ Sedis Legatus, Epiſcopi Miſnenſis, Eiſtettenſis, aliique: Matthias Rex, & Eliſabeth Pannoniæ Regina, plurimæque illarum partium Civitates ab Apoſtolica Sede idem popoſcerunt. Quare tot tantiſque Viri Dei præconiis, una voce ad Sanctam Romanam Eccleſiam undique allatis & confluentibus permotus felicis memoriæ anteceſſor noſter Leo Papa X. per Bernardum S. R. E. Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Porticu, Bibienam nuncupatum, conceſſit anno ſalutis 1515. ut Joannis piæ dormitionis dies feſtus perpetuis futuris temporibus à Clero

Sæ-

Sæculari & Regulari apud Capiſtranenſes quotannis celebrarentur.

Poſtmodum alius deceſſor noſter, felicis quoque memoriæ, Gregorius Papa XV. Beatorum faſtis Joannem adſcripſit, inqne ejus die natali Officium duplex, & ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in ejuſdem honorem, toti Ordini Regularis Obſervantiæ Beati Franciſci, & ſæculari etiam Clero in dicti Ordinis Eccleſiit celebrari permiſit. Mox ſub piæ memoriæ alio anteceſſore noſtro Urbano Papa VIII. eximiis & multis viri Dei virtutibus & miraculis ad Apoſtolicarum Conſtitutionum ritus, & Canones in examen vocatis, atque omnium approbatione & præconio receptis, etiam ſub felicis memoriæ anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente X. tandem à ſanctæ memoriæ deceſſore itidem noſtro Innocentio XI. de beato viro in Sanctorum Canonem referendo ſancitum eſt, repetitis precibus id etiam poſtulantibus illuſtris memoriæ, Leopoldo, electo Romanorum Imperatore, Carolo II. Hiſpaniarum Rege, & Coſmo III. in Etruria ſibi ſubjecta Magno Duce.

Quum autem re infecta idem Innocentius, jubente Domino, ex hac vita piè migrâſſet, felicis mem. Alexander Papa VIII. eidem ſuffectus, ex Romanorum Pontificum auctoritate, Ritualibus Conſtitutionibus, Canonibus & Decretis ritè ſervatis, de Joanne Sanctorum Canoni adſcribendo providè cogitavit. Quare XVII. Kalendas Novembris anno ſalutis 1690. ſui Pontificatûs ſecundo, in Sacroſanctam Principis Apoſtolorum Baſilicam ſumma celebritate totius Eccleſiæ Romanæ profectus eſt, ubi ſemel, iterum, & tertiò in plenario conventu Venerabilium Fratrum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum iteratis pro Joanne in Sanctorum Canonem referendo ad Deum precibus unanimi omnium acclamatione & ſuffragio poſt gratiam Paracliti Spiritûs ſumma religione invocatam, idem Alexander VIII. auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtiani nominis amplificationem, Beatum Joannem â Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci â Regulari Obſervantia nuncupatorum, de cujus virtutum, & prodigiorum magnitudine cumulatè conſtiterat, unà cum aliis Beatis Viris, Laurentio Juſtiniano, Confeſſore & Pontifice, Joanne â Sancto Facundo, Joanne de Deo, & Paſchale Baylonio Confeſſoribus, non Pontificibus, Sanctum Confeſſorem eſſe decrevit, & definivit, in Sanctorum Confeſſorum catalogum & canonem retulit, eumdemque inpoſterum in tota Eccleſia, tanquam verè Sanctum colendum, invocandum, honorandumque ſancivit: ad ejus honorem ſacras Ædes, atque Altaria, in quibus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium Deo offeratur, conſtrui ac dicari, & quotannis X. Kalendas Novembris, quo die Vir ſanctus obdormivit in Domino, illius memoriam, ut Sancti Confeſſoris non Pontificis, piè recoli poſſe pronunciavit. Mox Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ, Chriſtum Dominum, ejus ſempiternum Filium, ſanctumque Paraclitum Spiritum in trinis perſonis nnum Deum & Dominum Alexander magna religione veneratus, & peculiari oratione per Joannis Confeſſoris merita precatus, cum ejus & cæterorum commemoratione ad aram maximam ſupra Confeſſionem Beati Petri ſolemnem Miſſam celebravit, univerſis Chriſtifidelibus, qui aderant tantæ cæremoniæ, plenariam peccatorum indulgentiam, & remiſſionem largitus.

Ne verò de hujuſmodi Alexandri Papæ VIII. decreto Apoſtolico, definitione, ſanctione, adſcriptione, relatione, conceſſione, cæteriſque præmiſſis, propterea quod ab eodem, aut ab ejus ſucceſſoribus Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. piæ memoriæ Romanis Pontificibus anteceſſoribus noſtris, de more litteræ Decretales conſcriptæ non fuerint, deinceps unquam poſſit quomodolibet hæſitari; Nos, qui, meritis licet imparibus, diſponente Domino, in Cathedra Beati Petri iiſdem ſucceſſimus, volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut decretum, ſanctio, relatio, adſcriptio, cæteraque hactenus recenſita, à jam dicta die XVII. Kalendas Novembr. anni 1690. ſuum undequaque, & plenarium conſequantur effectum, ac ſi ab eodem Alexandro VIII. litteræ decretales revera eadem die conſcriptæ, & de more promulgatæ fuiſſent, ut ſuperiùs enarratur.

Volumus autem, ut præſentes litteræ ad probandum decretum, definitionem, ſanctionem, adſcriptionem, relationem, ſtatutum, conceſſionem, cæteraque præmiſſa ubique omnino ſufficiant, neque alterius cujuſcumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea, quia difficile foret, has noſtras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impreſſa, manu publici Notarii ſubſcripta, ſigilloque alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ noſtræ obtinerent, ſicubi eas exhiberi, vel oſtendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat

hanc

hanc paginam noſtri decreti, definitionis, ſanctionis, adſcriptionis, relationis, ſtatuti, conceſſionis infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, pridie nonas Junias, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Bull. Rom. tom. 11. fol. 297.

Canonizationem B. Felicis à Cantalicio, Ordinis Min. Capucinorum, à s. m. Clemente XI. peractam publicat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit, & conveoit æquitati, ut, quæ Romanus Pontifex in plenario conventu Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum. *Proſecutionem Bullæ primus Bullarii tomus pag. 164. exhibet.*

In Italia, Inſuliſque ei adjacentibus, Parochis Defunctorum, in quacunque Regularium Eccleſia ſepeliantur, Quartam funeralem ſolvi mandat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, æqui bonique ſupremus Aſſertor, auctoritatem à Chriſto per Beatum Petrum, Apoſtolorum culmen, ſibi traditam intelligens, ut in Agro Dominico pro temporum neceſſitate noxia evellat, & deſtruat, utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdum, quæ à Prædeceſſoribus ſuis ob rationabiles & juſtas cauſas olim ſancita fuerunt, ubi in grave aliorum præjudicium & detrimentum redundare cognoſcit, atque diſſidiis, & contentionibus fomentum præbere animadvertit, maximè inter Dei & Eccleſiæ Miniſtros, quorum eſt evangelizare pacem, & quibus à Domino non aliud frequentiùs, neque eximiùs commendatur, quàm ut pacem, ac unitatem diligant, moderari & immutare, aliaſque Paſtoralis Officii ſui partes deſuper interponere ſolet, prout rerum, locorum, temporumque circumſtantiis maturè penſatis, diſcordiarum extinctioni, Eccleſiaſticorum Miniſtrorum quieti, fidelium animarum ſaluti, divinoque cultui conſpicit ſalubriter expedire.

Sanè quamplures Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri multiplicia, ac planè inſignia conſiderantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Eccleſiam fortiſſimis omni tempore auxerunt præſidiis, Viris nempe vitæ ſanctitate, doctrinæ laude, ac Orthodoxæ Religionis zelo præſtantibus, eidemque in Cœlis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipſos Ordines, eorumque Profeſſores, plurimis ſatis amplis indultis, & privilegiis benignè decorârunt, ac inter alia iis illud conceſſerunt, ut canonicam portionem, ſeu quartam funeralium emolumentorum partem pro perſonis, quæ in eorum Eccleſiis ſepulturam ſibi eligerent, Parochis perſolvere minimè tenerentur; ac ad majorem ejuſmodi privilegii firmitatem, ſanctioni etiam à fel. rec. Clemente V. Prædeceſſore noſtro editæ in Concilio Viennenſi, & relatæ in Clementinâ = *Dudum de Sepultur.*, necnon Concilii Tridentini Decreto relato in *cap. 13. ſeſſ. 25. de reformat.*, prædictam Quartam Funeralem Parocho apertè reſervantibus, non ſemel ampliſſimè derogârunt; Unde non acerbæ modò Parochorum querelæ, ſed innumeræ etiam contentiones, atque lites inter eos, & Regulares ſuper ſolutione ejuſdem Quartæ diverſis temporibus excitatæ fuerunt, quæ coram Ordinariis locorum, & deinde in variis quoque almæ Urbis noſtræ Tribunalibus, præſertim verò in Auditorio Palatii noſtri Apoſtolici, & in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, præfati Concilii Tridentini Interpretum, magno partium ſtudio, nec minori ſumptuum incommodo diſcuſſæ, ſicut accepimus, aliquando ad fa-

vo-

vorem Parochorum, aliquando autem ad ſavorem Regularium, pro diverſis cauſarum circumſtantiis, atque vario judicantium ſenſu, deciſæ ac definitæ fuerunt. Hæc porro judicatorum, ſententiarumque diverſitas, cum nullam, certam, ac determinatam conſtituerit regulam in evenientibus caſibus obſervandam, magnum planè fomentum, & anſam relinquit, imò & latam ſternit viam ulterioribus inter prædictos Regulares & Parochos litibus, & controverſiis, ex quibus ipſi, qui in Domo Dei ambulare debent cum conſenſu, novis de cetero perturbari diſſidiis, noviſque prægravari diſpendiis poſſunt cum Divini cultûs detrimento, & ſcandalo plurimorum.

Quocirca Nos maximè expedire cenſentes, ut ejuſmodi controverſiæ, & lites ab Eccleſia Dei penitus arceantur, ac inſuper, licet univerſos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipſi plurium annorum ſpatio verſati ſumus, ſpeciali paternæ charitatis affectu proſequamur, eoſque, uti de Eccleſia, Catholica Fide, & Sede Apoſtolica optimè meritos, præcipuo ſemper in honore, ac pretio habuerimus, & habeamus; nihilominùs conſiderantes exemptionem à ſolutione Quartæ Funeralis præfatis Ordinibus à dicta Apoſtolica Sede conceſſam modò vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monaſteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & conſuetudinem Fidelium, ſepulturam eligendi in Eccleſiis prædictorum Regularium; ac proindè non modò conſentaneum, ſed etiam neceſſarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus cæteroquin Sacri Canones, & priſca Eccleſiæ diſciplina apertè ſuffragantur, indemnitati opportunè conſulatur, & antedicta Apoſtolica Privilegia ad æquitatis limites reducantur. Hinc igitur eſt, quod Nos omnia & ſingula memorata Privilegia esemptiva à ſolutione Quartæ Funeralis, quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, ac Inſtitutis Regularibus ab Apoſtolica Sede, ut præſertur, quandocumque, & quomodocumque conceſſa præſentibus pro plenè, & ſufficienter espreſſis habentes, ac de eorum tenore, & ſubſtantia ſatis ſuperque inſtructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrurum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanæ Curiæ Prælatorum à Nobis ad id ſpecialiter deputatorum conſilio, ſuadentibus etiam Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis in præſenti Sacro Concilio congregatis, ac inſuper Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, præmiſſa omnia Privilegia quoad Quartam Funeralem tantùm pro locis inſra exprimendis moderamur, reſormamus, ad viam juris reducimus, &, quatenus opus ſit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps ſuffragari poſſe, vel debere decernimus.

Præterea motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſancimus, ſtatuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, à die publicationis præſentis Conſtitutionis in ſuturum Parochis Deſunctorum, qui in Eccleſiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur, perſolvatur, & cum effectu tradatur Quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, necnon omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A' prædicta tamen Quarta Funerali exceptæ intelligantur & ſint, Candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus aſſociantes, manualiter per viam accenſas deferent. Quod ſi funus non fieret in die tumulationis, ſed ad diverſam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus aſſignetur Quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipſamet peracti funeris die in Eccleſia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Coenotaphium, ſeu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejuſdem Eccleſiæ, accenſa fuerint. Hæc porro omnia locum habeant, & exactè inpoſterum obſerventur, quotieſcumque Defunctus extra ſuam Parochialem Eccleſiam tumuletur, vel exponatur, ſive, quia in Eccleſia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, ſive, quia ibidem ſepulchrum habuerit gentilitium, ſive tandem, quia in ea ſepulturam elegerit. Cæterùm ſub prædicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus, imò expreſsè ab ea excipimus, legata Miſſarum, & Anniverſariorum, hiſque ſimilia pia relicta ad ſavorem Eccleſiæ tumulantis, vel exponentis à Deſuncto diſpoſita; Circa quæ, ac omnia & ſingula alia, de quibus in præſenti Conſtitutione mentio facta non ſuit, Privilegia prædictis regularibus Ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſa ſalva prorſus, illæſa, ac inviolata perpetuò permanere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inconcuſsè, ac irreſragabiliter obſervari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi verò conſuetudines legitimæ

Digitized by Google

timæ probatæ, conventiones, concordiæ, vel ſtatuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis ſaverent, illiſque pinguiorem prædictâ Quartâ emolumentorum ſuneraliũ portionem aſſignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis, inconcuſsè ab omnibus obſervari, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, ſancimus, præcipimus, & jubemus.

Decernentes pariter præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictorum Ordinum Regularium Superiores, vel quicumque alii in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati &c. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſeumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum dicti Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos &c.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſq; Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus &c. Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros eiſdem Ordinibus, ut præfertur, illorumque Superioribus, & Profeſſoribus quibuſcumque ſub quibusvis verborum tenoribus &c. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi &c. expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla, ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, conceſſionis, aſſignationis, præcepti, ſanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, quarto Kalendas Maji, Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Bull. Rom. tom. XI. *fol.* 394.

N O T A

INter primas naſcentis Eccleſiæ curas fuit illa inter primas, ut vireſcentem fidei agrum, quem aper ſuperſtitionis depaſcere, & conculcare adnitebatur, ab exotico Ethnicæ inſaniæ cultu purgaret: hine inter alia & ſatuas cæremonias, & ambitionis expenſas, quibus cadavera Defunctorum ad ſepulturam ducebantur, proſcripſit, & tum veteris legis exemplis, tum Beatorum Apoſtolorum, ac Sanctorum Patrum regulis inſtructa, religioſos, & pietatem ſpirantes ritus inſtituit, in ſepeliendis mortuorum cadaveribus ſervandos, ordinavitque, ut Sacerdos, Clerus, populuſque cum cantu, precibus, candelis, ceris ardentibus, aliâque lugubri pompa illa comitarentur. Non tam, ut ex pio hoc cultu animæ defunctorum ſuffragium reciperent. quàm ut & ipſi vivi ſolatium exin haurirent, animaſque à corpore ſeparatas in lumine fidei objiſſe, & immortalitatis dono gaudere firmâ ſpe reminiſcerentur, quemadmodum ex D. Auguſtino *lib. de agenda cura pro mortuis*, SS. Hieronymo, Ambroſio, & aliis *caput non æſtimandum* 19. & *caput animæ* 22. deducunt, ac Card. Bellarminus *lib. 2. de funer. cap. 9. &* 10. latè explicat.

Attento jam hoc veteri uſu jus ſepeliendi mortuos, ſolùm ad Sacerdotem Parochum ſpectâſſe certum eſt, & quidem ratione Eccleſiæ, quæ eoipſo, quod in Parochialem erecta ſupponatur, habebat & habet proprium territorium, populum, & cœmeterium, & conſequenter & annexum jus tumulandi, Parocho proprium.

Ex quo & huic obveniebant ea, quæ cum funere ad Eccleſiam vel ſepulturam deſerebantur, uti erant candelæ, panis, pannus &c. non quidem, uti pretium & compenſatio laboris in funere à Parocho impenſi, cum (ut Reverendiſſimus P. Bremond *tom. 8. Bull. fol. mihi* 379. *col.* 1. *num.* X. advertit, ſepulturæ uſus, & officium funeris, cenſeantur res ſpirituales, quæ abſque ſimoniæ labe pretio juxta *cap. abolendæ de ſepultura*, acquiri non poſſunt, ſed per modum eleemoſynæ & ſtipis, ut, qui altari ſerviunt, de altari & vivant, juxta *cap. ad Apoſtolicam de Simonia*.

Succeſſu temporis & Regularibus conceſſa eſt libera in ſuorum Ordinum Eccleſiis ſepultura, ita, ut quicunque Sæculares eam ſibi in vivis ſelegiſſent, in ea poſt mortem

tu-

tumularentur. Et quantumvis Fagnanus *in cap. Fraternitatem de ſepult. num. 5. & 6.* Paſſerinus *tom. 2. de ſtat. hom. quæſt. 187. art. 4. num. 137.* Bordonus *reſolut. 51. num. 6.* ex juris communis diſpoſitione eam Regularibus competiviſſe aſſerant, ſolidiùs tamen illam ex Sedis Apoſtolicæ privilegio iis conceſſam eſſe, ex variis & pluribus juris textibus concluditur.

Tale Ordini Minoritano à diverſis Pontificibus conceſſum eſſe tum ex pluribus horum litteris, quarum non paucæ in hoc ipſo tomo continentur, præſertim verò ex iis Sixti IV. incipientibus *Regimini*, & *Mare Magnum* nuncupatis, tum ex Rota Romana *deciſ. 179.* coram Rojas, & *dec. 263. part. 15. recent.* manifeſtè liquet. Ne tamen hujuſmodi privilegium antiquato Parochorum juri in totum præjudicaret, illius conceſſioni plerumque apponebatur clauſula = *ſalvâ illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur, juſtitiâ*, in portione emolumentorum conſiſtente.

Portio hæc dicitur canonica, cum ſit per SS. Canones inducta & approbata, ac Parocho ex iis, quæ Regularibus ob ſepulturam Sæcularium in eorum Eccleſiis peractam obveniunt, debita. Diſſimilis eſt tum quoad res, tum quoad quotam. Res portionis canonicæ fuerunt olim legata, Miſſæ, edulia, ſtrophiola, cera, candela &c. jam verò, ſecluſo legitimo uſu, reſtringuntur potiſſimùm ad ceram, quæ cum funere ad Eccleſiam defertur, vel etiam ad caſtrum doloris &c. accenditur, prout ex Conſtitutione S. Pii V. *Etſi Mendicantium verb. Quanta* conſtat, & ſæpius à Sac. Congregatione Concilii deciſum reperitur. Circa quotam, Clementina *Dudum de ſepult. in 6. §. verùm*, quartam partem emolumentorum à Regularibus Parocho dari ſancivit, hinc & portio hæc quarta vocatur: eam econtra Benedictus XI. *in extravag. inter cunctas de privil.* ad medietatem extendit; quæ adhuc Romæ ex Decreto Sac. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ die 5. Octobris 1629. emanato, & ab Urbano VIII. approbato, adhuc ſolvitur, conſuetudine tamen hac, utpote locali, ad alia loca, juxta Donatum *prax. reg. tom. 3. tract. 11. q. 12. n. 2.* & Pignatellum *tom. 1. conſult. 52. num. 5.* non tranſeunte. Alibi autem tertiam partem Parochis dari vel conſuetudo, vel conventio induxerat. Hinc Antonellus *de regim. Eccleſ. lib. 1. cap. 13. num. 7.* Canones in quota non concordare notat.

Porro jus clarum, ex parte Parochorum, & privilegium ex parte Regularium pariter clarum, varias tum circa jus, tum circa quotam portionis excitavit tricas, & contentiones, quas, ut Sacra Tridentina Synodus dirimeret, *ſeſſ. 25. cap. 13. de reform.* decrevit, ut, *quibuſcunque in locis, ſi ante annos 40. quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocunque privilegio aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem proportione, quæ antea ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis, aut aliis quibuſcunque.*

Vigore hujus Sanctionis tria ſequuntur: Primò, quod quartam funeralium Eccleſiæ & Monaſteria, quæ 40. annis ante Concilium, computandis à die prima Maji 1524. ad 1. Maji 1564. quo Concilium juxta Conſtitutionem Pii IV. omnes obligare cœpit, eam ſolvere conſueverant, nullo in contrarium obſtante privilegio, ſolvere teneantur: Secundò, quod Eccleſiæ & Monaſteria, quæ per 40. annos Concilii ad illam ſolvendam non tenebantur, nec poſt Concilium eam ſolvere debeant: & tertiò, quod Monaſteria de novo ædificata intra 40. annos Concilii, & quocunque tempore poſt Concilium, ad eam ſolvendam non teneantur, ſi ſint illorum Ordinum, quibus exemptio à Sede Apoſtolica eſt conceſſa; quod jam in Conſtitutione S. Pii V. *Etſi Mendicantium &c.* expreſſum, inſuper S. Congregatio Concilii ſæpius declaravit, præſertim Decreto in una Pampelonenſi edito, à Matthæuccio *in ſuo officiali Curiæ verb. quarta fol. mihi* 338. præter alia relato, & ita ſonante = *Sacra Congregatio cenſuit, caput 13. ſeſſ. 25. non comprehendere Monaſteria ædificata à 40. annis citra, aut, quæ in dies ædificabuntur, præſuppoſito, quod hujuſmodi Monaſteria ejus ſint Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, ut quartam funeralem ſolvere non teneantur.*

Necdum tamen ad hæc tam providè ſancita confuſi inter RR. Parochos & Regulares clamores ceſsârunt, hinc ſa. me. Benedictus XIII. omni litigio terminum in Italia, & Inſulis adjacentibus poſiturus, privilegia Regularium præmiſſâ Conſtitutione reformavit, ad terminos juris communis reduxit, Regulares indiſcriminatim ad quartam ſolvendam obligavit, & quantitatem ac qualitatem quartæ dandæ, reſervatâ ad favorem RR. DD. Parochorum conſuetudine præſcripſit, ita ut nec jam nobis Capucinis in Italia &c. altiſſima paupertas amplius patrocinetur, prout conſtat tum ex cauſa Piſaurenſi *tom. 2. Bull. fol.*

218. relato, tum ex Oritana ſunerum, 12. Februarii 1729. edita, tum ex Sarzauenſi, quam ex theſauro reſolutionum dictæ Sac. Congregationis *tom. 8. fol. 83.* ita exſcribo.

Lunen. Sarzanen. Quartæ Funeralis.

DEtrectantibus Fratribus Capucinis Civitatis Sarzanæ præſtare Capitulo Eccleſiæ Cathedralis quartam partem ceræ, quam occaſione funeris Catharinæ Bernuaei, Parochiali jure dictæ Eccleſiæ Cathedrali ſubjectæ, & in eorumdem Fratrum Eccleſia tumulatæ debitam ſibi aſſerit præſatum Capitulum, proponitur infraſcriprum dubium, quo nedum præſens, ſed & aliæ id generis controverſiæ, quæ deinceps exorlri poſſent, ſapientiſſimo Eminentiarum VV. judicio dirimendæ ſubjiciuntur.

Notiſſima eſt Conſtitutio incipiens *Romanus Pontifex*, quâ ſ. m. Benedictus XIII. ſublatis quibuſeumque Regularium privilegiis, ac exemptionibus, veterem Sacrorum Canonum ſanctionem circa Quartæ Funerariæ ſolutionem redintegravit in hęc verba = *Parochis Defunctorum, qui in Eccleſiis quorumcunque Regularium prædictorum tumulabuntur, perſolvatur, & cum effectu tradatur Quarta pars omnium intorticiorum & candelarum, quibus Defuncti cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, necnon omnium intorticiorum & candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur* = quemadmodum æque compertum eſt, ſub generali hujus Pontificiæ Conſtitutionis lege comprehendi quoque Fratres Capucinos, uti declaravit ſupremum hoc Tribunal in Piſauren. 15. Maii 1728. & in Oritana Funerum 12. Febr. 1729.

At binæ â Fratribus Capuccinis Conventûs Sarzaneuſis coram Epiſcopo adductæ ſunt exceptiones; altera nempe, quod ipſi ex funere prælaudatæ Catharinæ nihil perceperint, ſed omnia intorticia, completo funere, ad Hæredis domum fuerint delata, ac penes ipſum adhuc remaneant, quodque proinde memoratum Capitulum pro aſſequenda aſſerta Quarta funerali actionem ſuam debeat contra dictum Hæredem inſtituere: altera verò, quod enunciata Conſtitutio Benedictina non fuerit Genuæ, & in ejus ditione promulgata, neque ibidem ſit recepta.

Contra verò, Capitulum primam ex relatis exceptionibus ſatis confutari putat ex facto, per Epiſcopum in ſua relatione expoſito, juxta quod habetur, memoratos Fratres Capucinos re ipſa recepiſſe controverſa intorticia, ſed poſtmodum omnia reſtituiſse Hæredi, ut ea juxta mandatum Epiſcopi, donec lis inde exorta abſolveretur, depoſiti loco retineret; Ad rejiciendam verò ſecundam, allegat reſolutionem S. Congregationis Epiſcoporum & Regul. negotiis præpoſitæ in una Aquen. 19. Septembris 1732. ubi ad VI. Dubium reſcriptum fuit *Fratres Capucinos teneri Quartam funeralem perſolvere Parocho Oppidi Ovadæ*, quod intra Januenſis Ditionis limites reperitur, ac præterea magnopere innititur teſtimonio Epiſcopi, qui poſt rejectam primam exceptionem, quoad alteram ſic habet = *Secunda pariter exceptio nec in facto, nec in jure ſubſiſtit. Non in facto, nam Conſtitutionem ſan. mem. Benedicti XIII. venalem publicè expoſitam, ibique impreſſam egomet poſt ejus editionem Genuæ emi, quod, ſicuti ſufficientem ejus publicationem etiam in Genuenſi dominio demonſtrat, ita non leve præſtat argumentum, quod nihil in contrarium occurrat Reipublicæ Adminiſtratoribus pro obſervantia dictæ Conſtitutionis, quæ punctum meræ diſciplinæ ab Eccleſiaſticis ſervandæ reſpicit. Ulteriùs, quidquid in Civitate Genuæ ſervetur etiam poſt dictam Conſtitutionem ob peculiarem conſuetudinem ab immemorabili ibi vigentem contribuendi Parocho proprio Defuncti idem funus, quod in Eccleſia tumulante peragitur, ipſimet PP. Capucini in dicta Aquen. ſuperiùs ennunciata ad VI. Dub. condemnati fuerunt ad ſolutionem Quartæ Parocho Ovadæ, quæ eſt Oppidum Genuenſis Ditionis. Inſuper PP. Minimi loci Spediæ Genuenſis Dominii, & hujuſmet Diœceſis, cum privilegiorum prætextu recuſarent Quartam funerum in medietate emolumentorum funeralium juxta conſuetudinem quoad alios Regulares ibi vigentem, Parocho dicti loci perſolvere, ad eam perſolvendam in hac mea Curia condemnati fuêre per ſententiam, quæ in gradu appellationis confirmata fuit ab A. C. Meſmer die 12. Maii anni 1731., in cujus judicati executionem mox ſub die 7. Junii ejuſdem anni dicti PP. Minimi ad traditionem medietatis dictorum funeralium emolumentorum devenerunt, ut ex inſtrumento publico mihi exhibito. Tandem (PP. Capucinis exceptis) cæteri Regulares omnes hujus meæ Diœceſis etiam in Genuenſi ditione antea â Quartæ ſolutione exempti, eam poſt Conſtitutionem jam dictam, abſque controverſia Parochis contribuunt. Minus ſubſiſtit in jure, cum Pontificiæ leges ob acceptatione ſubditorum non pendeant, & licèt per contrariam conſuetudinem, imo fortè per ſolam deſuetudinem aliquando vim obligandi amittant, tamen ultra tempus annorum 40. requiritur ſcientia, & patientia legiſlatoris.*

Deci-

Decidendum igitur erit.

An Fratres Capucini teneantur tradere Parochis Quartam ceræ accenſæ in aſſociatione cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & intorticiorum, quæ accenduntur circa cadaver in eorum Eccleſia expoſitum in caſu &c.

Die Prima Junii 1737. à Sacra Congregatione Concilii reſponſum fuit, ac deciſum.

Affirmativè &c.

Mente firma autem lector retineat, quod hæc Benedictina Conſtitutio loca extra Italiam & Inſulas adjacentes non apprehendat, & proinde privilegia ibi Ordini Minoritano, vel aliis Regularibus à Sede Apoſtolica conceſſa illæſa perſiſtant, ita ut RR. DD. Parochi contra ea agentes, notatas in Conſtitutione Sixti IV. incipiente *Regimini* latæ ſententiæ pœnas contrahant, & exemplum Superiorum Regularium, qui vel per eorum ignorantiam, vel aliàs per timorem quartam aliquando ſolviſsent, iis non præjudicet, cum pauci actua non inducant legalem conſuetudinem, & Monaſterium unum, privilegio totius Ordinis, quale eſt illud quartam non ſolvendi, præjudicare haud poſſit.

Privilegium deim non ſolvendi quartam ad Moniales quoque, ſecluſâ conſuetudine contrariâ, extendi certum eſt, & ex declaratione S. Congregationis Concilii *in una Albiganenſi* 16. Martii 1652. edita, & à Pignatello *tom.* 1. *conſult.* 381. relata conſtat.

Apotheoſin B. Jacobi à Marchia, Ord. Minor. de Obſervantia, promulgat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoiam.

SUmmi Dei gloria maximè poſtulat, ut Romanus Pontifex, auditis magnis virtutibus & miraculis, quæ Chriſtus Dominus per ſervos ſuos operari dignoſcitur, illorum memoriam ſuper candelabrum totius Eccleſiæ collocari decernat, unde univerſis Chriſtifidelibus clara lux effundatur, quâ per viam ſalutis tutò ambulantes, eorumdem exemplis & patrocinio in ſuperna tabernacula perduci mereantur.

Itaque Nos animo revolventes, Beatum Virum, Iacobum à Marchia, Chriſtianis virtutibus, ſigniſque, Omnipotentis Dei manu per merita ejus patratis, excelluiſſe, quem in Piceni agro Aſculano ortum Anno Chriſti Domini 1391. pièque educatum, inter ſuos excepit Ordo Fratrum Minorum, qui à Regulari Obſervantia nuncupantur, in hanc deliberationem maturo conſilio devenimus, ut eum, cœleſtium donorum copia ſpectatiſſimum, aſpero vitæ genere inſignem, & compluribus Legationibus pro re Chriſtiana ſuſceptis de Eccleſia præclarè meritum, ac jamdudum Beatis adnumeratum, in plenario Conventu, Sanctorum Confeſſorum Canoni adſcriberemus. Etenim Dei Virum, Beati Bernardini Senenſis diſcipulum, inque avertendis ab agro Dominico, ingruentium contagionum afflatibus, Beati Ioannis à Capiſtrano ſocium, magna quæque commendant; quippe quem ut vitæ ſanctimonia percelebrem, à Cæſaribus, Regibus, & Principibus pro Religionis cauſa expetitum, ſeptemque deceſſorum noſtrorum piæ recordationis Romanorum Pontificum, Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Callixti III. Pii II. Pauli II. & Sixti IV. Legationes contra hæreticos Fraticellos, Manichæos redivivos, Patarenos, Huſſitas, Thaboritas, & Turcas ipſos, magna doctrinæ, & zeli Apoſtolici laude in Italia, Pannonia, Germania, Bohemia, Sarmatia, per innumera vitæ pericula, obeuntem, univerſa Eccleſia mirata eſt. Quare probatiſſimum Virum, qui multis magniſque meritis plenus VI. Kalendas Decembres Anno 1475. Neapoli in Campania obdormivit in Domino, perplura miracula nutu divino per eum patrata, ſacris illius exuviis in Æde Sanctæ Mariæ Novæ corruptionis expertibus, ac ſuavi, & perenni odore perfuſis, undequaquaque inclytum reddiderunt: quas quidem exuvias Nos ipſi, adhuc in minoribus conſtituti, hiſce manibus contrectantes, chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Philippo V. Hiſpaniarum Regi Catholico venerandas oſtendimus. Hinc factum, ut Carolo V. Romanorum Imperatore, apud felicis memoriæ anteceſſorem Noſtrum Clementem Papam VII. flagitante, de Iacobo inter Sanctos re-

Digitized by Google

ſerendo actum fuerit; atque iterum Philippo III. Hiſpaniarum Rege Catholico adnitente apud ſimilis memoriæ Deceſſores Paulum V. & Urbanum VIII. qui Iacobi virtutibus, & miraculis comprobatis, officium de eo recitare, Miſſamque in ejus honorem, univerſo Ordini Fratrum Minorum, ac toti Civitati, & Diœceſi Neapolitanæ, cujus Patronus electus fuerat, decreto Apoſtolicum celebrare permiſit.

Deinde novis miraculis poſt Iacobi Beatificationem per Venerabiles Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales coram Nobis in examen adductis, Deceſſorumque noſtrorum Conſtitutionibus reſpondere omnino repertis, inque tribus Conſiſtoriis, & plenario Conventu eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum nobiſcum Romæ præſentium ritè perpenſis, unanimi eorumdem ſententia per Sedis Apoſtolicæ Notarios coram nobis excepta, quum pro Beato Iacobo Sanctorum Confeſſorum faſtis adnumerando Regum, & Principum Chriſtianorum ſupplicationibus Sanctæ Apoſtolicæ Sedi porrectis, etiam Ordo Fratrum Minorum cum Neapolitana, & Aſculana Civitatibus ſuas adjunxiſſent, ſolemni cæremoniæ, & maximo ritui de more complendis die indicta, peṫque orationes, jejunia, & eleemoſynas, ope Omnipotentis Dei ferventiſſimè implorata, ac univerſis, quæ ex S. R. E. diſciplina peragenda erant, religioſè peractis, tandem hac die in honorem anteceſſoris noſtri Pontificis, & Martyris, Melchiadis, Deo ſacra, qua etiam Incarnati Verbi Myſterium in annua Tranſlationis almæ Domûs Lauretanæ memoria recolitur, Nos ipſi unà cum iiſdem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac utriuſque Cleri, & Populi frequentia in Sacroſanctam Baſilicam Principis Apoſtolorum Deo ſupplicantes convenimus, ubi ſemel, iterum, & tertiò pro Viro Dei, Iacobo à Marchia, in Sanctorum Confeſſorum Canonem referendo, per Venerabilem Fratrem noſtrum, Franciſcum, S.R.E. Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, Barberinum nuncupatum, repetitis precibus poſt cantatas de more orationes, & Spiritûs Sancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, nobiſcum in plenario Conventu Baſilicæ Vaticanæ præſentium, conſilio, & unanimi conſenſu, Beatum Iacobum à Marchia, Ordinis Fratrum Minorum, de cujus Sanctitate, Fidei ſinceritate, & cæterarum virtutum ac miraculorum excellentia planè conſtabat, & conſtat, unà cum BB. Thuribio Archiepiſcopo Limano, Confeſſore Pontifice, & Agnete Politiana Virgine, noſtri Ordinis Prædicatorum, Sanctum eſſe definivimus, Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Canoni adſcribendum decrevimus, prout præſentium tenore definimus, decernimus, & adſcribimus, eumdemque per omnes Chriſtifideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes, ut ab Eccleſia Univerſali in ejus honorem Ædes ſacræ, & Altaria, in quibus incruentum ſacrificium Deo offeratur, ædificari, & conſecrari, & quotannis iv. Kalendas Decembres, quo die ad cæleſtem Patriam evolavit, ejus feſta ſolemnia, ut Sancti Confeſſoris non Pontificis, celebrari poſſint.

Inſuper eadem auctoritate, omnibus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eodem die feſto in memoriam Beati Jacobi à Marchia quotannis ad ejus exuvias viſitandas acceſſerint, annum, & quadragenam: iis verò, qui in octava ejuſdem Feſti, quadraginta dies de injunctis, ſeu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus.

Poſtremò gratiis Deo actis, quod Eccleſiam ſuam inſigni hoc novoque luminari illuſtrare dignatus fuiſſet, cantata in honorem Sanctorum Jacobi à Marchia, Thuribii Archiepiſcopi Limani, & Agnetis Politianæ ſolemni oratione, in Ara maxima ſupra confeſſionem Principis Apoſtolorum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebravimus, cum ejuſdem Confeſſoris, & cæterorum commemoratione, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam conceſſimus.

Decet igitur, ut pro tam peculari inſignique beneficio cœlitus nobis conceſſo omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui eſt honor, & gloria in ſæcula, aſſiduis precibus ab eo poſtulantes, ut per interceſſionem electi ſui Jacobi à Marchia, à peccatis noſtris indignationem ſuam avertens oſtendat nobis faciem miſericordiæ ſuæ, immittatque timorem ſui ſuper gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoſcant, quia non eſt alius Deus, niſi Deus noſter.

Cæterùm, quia difficile foret præſentes no-

noſtras litteras ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet, adſerri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, relationis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, quarto Idus Decembres, Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Bull. Rom. tom. 12. fol. 157.

Sicut & illam B. Franciſci Solani, ejuſdem Ordinis Minorum de Obſervantia.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad fidelium Dei ſervorum gloriam in terris manifeſtandam, undecultus divinus maximè augeri, & frigeſcentia corda hominum ad veræ pietatis opera, præclaris eorum exemplis inflammari, atque erigi poſſint, libenti, & pervigili animo intendimus; quoniam Chriſtum Dominum in ſanctis ejus laudare jubemur. Hinc Beatum Dei Servum, Franciſcum Solanum, ex Ordine Fratrum Minorum, qui à regulari Obſervantia nuncupantur, Chriſtianarum virtutum præſtantis, & miraculorum numero illuſtrem nacti, magnum populis noſtræ ſollicitudini creditis præſidium nos allaturos putavimus, ſi eum ſolemni S. R. E. cæremonia hac die, in honorem Beati Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ Deo ſacra, Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Canoni adſcriberemus.

Montiliæ, in Hiſpaniæ Bæticæ Oppido ſub Eccleſia Cordubenſi, quam complures Chriſti Martyres nobilitârunt, Franciſcus Solanus, voluntate martyr futurus, lucem vitalem adſpexit 6. Idus Martias anno reparatæ ſalutis MDXLIX. ingenuis, piiſque parentibus ortus, qui filium timorem Dei, virtuteſque Chriſtiano homine dignas, ſollicitè docendum curârunt, quibus ipſe animo accenſus in Fratrum Minorum, qui à Regulari Obſervantia nuncupantur, ſacram familiam adoleſcens cooptatus eſt. In eximiis, & multis ſeverioris diſciplinæ, Chriſtianæque humilitatis argumentis eluxit, diu noctuque divinæ pietatis, aſſiduæque pœnitentiæ exercitiis intentus, beatos etiam illos Patres, Benedictum, & Franciſcum imitatus, qui ſe nudos inter pungentiſſimas ſpinas projecerunt, ut omnem vim ſenſuum domarent. His, aliiſque præclaris animi dotibus ex ejus admirando tenore vitæ identidem prodeuntibus, ſacris ipſe concionibus, quas ardentiſſima charitas, cæteræque eximiæ virtutes in eo fulgentes ornabant, animas lucrifaciens, *Sancti* elogium paſſim conſecutus eſt, præſertim, ubi ægri pueri corpuſculum, totum ulceribus tectum, amotis linteis, lambens, ſanitati reſtituit.

Sed lue crudeli graſſante in Hiſpania Bætica, maximam ſuam charitatem Dei famulus morbo peſtifero tabeſcentibus patefecit, ubi humano, & ſpirituali ſolatio deſtitutis in tanta calamitate opem laturus, pereuntium animabus corporibuſque curandis, nulla mortis formidine territus, ſummam operam dedit; imò & ipſe mortali contagione infectus, & manu Dei ſoſpes redditus, in priſtino miniſterio uſque ad lethalis morbi finem ſe alacriùs exercere perrexit.

Per ora omnium Solani ſanctitatis fama percrebreſcente, vir modeſtiſſimus, qui Dei, non ſuam, gloriam quærebat, ſe ei clam ſubducere cogitavit. Quare martyrii pro Chriſto ſubeundi percupidus, hanc ſibi gratiam à majoribus dari humillimè flagitavit, ut in Africam, verbum Dei prædicaturus, trajiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad remotiſſimos Indos evangelicâ doctrinâ imbuendos cum aliis verbi Dei præconibus navigaret. Animarum ſalutem multis, iiſque graviſſimis maris terræque periculis Vir Dei præferens, non ſine prodigio ad vineam ſibi à Domino paratam laborioſè excolendam

cum

cum ſociis applicuit, atque oves errantes ex lupi faucibus ereptas ſummo paſtori ſervaret, nullis incommodis, & vigiliis pepercit. Alienas ærumnas ſuas ratus, Deique amore, & proximi æſtuans, linguâ gentium divinitus perceptâ ſuaviſſimos ſermones habens, Dei gratia id præſtitit, ut Barbari, depoſitâ feritate, ad Solanum inſtruendi ultro, & certatim accurrerent: unde factum, ut innumeram eorum multitudinem ſacro Fonte regeneraret: tanti apud omnes habitus, ut ipſe ab iis facilè obtineret, quæ alias pœnarum metus, & rigor extorquere non poterant. Quantum ejus præſentia, piique ſermonis vis apud Indos poſſet, tunc maximè patuit, quum multa millia Infidelium Chriſtianis, de more, in Dominicæ Paſſionis myſteriis recolendis feria v. in Cœna Domini ſanctè occupatis, cruentam cœdem jamjam allatura, ipſe Dei verbo exarmavit, diverſæque, ac ſibi ignotæ linguæ barbaros homines uno idiomate allocutus, non ſolùm pacem ſuaſit, ſed ad Chriſti fidem ſupra novem millia convertit. Pervulgatâ Franciſci fama, miris geſtis identidem aucta, ipſe ad latibula confugiens, eam declinare conabatur, nec niſi Majorum imperio obtemperans, munera ſibi impoſita obivit, donec Limam, Orbis Americani Principem Civitatem miſſus, Incolarum animos ad pœnitentiam cohortatus, ni agant, alter Jonas, extremam cladem interminatur. Nec mora, omnes ad ſeriam criminum ſuorum pœnitentiam agendam perduxit.

Interim ſummis pro Dei gloria amplificanda laboribus confectus, ſupremæ vocationis diem ſibi imminentem agnoſcens, ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis muniri voluit, & pridiè Idus Julias anno Chriſti 1610. in honorem Beati Eccleſiæ Doctoris Bonaventuræ, cujus patrocinio ſe olim addixerat, Deo ſacra, manibus in crucis figuram compoſitis, pias oratiunculas recitans, ſemperque in Domino fixus, in cœnobio Limano Sanctiſſimi Nominis Ieſu expiravit. Franciſci animâ in Cœlum recepta, ſacræ ejus exuviæ antea ſubnigræ, mox pulchræ, & candidæ apparuerunt, ſuavique odore perfuſæ, undique ad eas venerandas concurrentibus populis, ejuſque veſtium particulas ſibi pro ſacris reliquiis ſervandas parare contendentibus. Solani poſtea virtutibus, & miraculis omnium præconio ubique diffuſis, & apud hanc Sanctam Apoſtolicam Sedem probatis, piæ memoriæ Anteceſſor noſter Clemens Papa X. nono Kalendas Februarias anno ſalutis 1675. Franciſcum Solanum ritu S. R. E. Beatis adſcripſit.

Poſtmodum verò per Venerabiles Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales novis miraculis, à tempore ejus Beatificationis patratis, in præſentia noſtra æquè diſcuſſis, inque tribus Conſiſtoriis, & plenario Conventu eorumdem Venerabilium Fratrum S.R.E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum nobiſcum Romæ præſentium ritè perpenſis, unanimi eorumdem ſententia per Sedis Apoſtolicæ Notarios coram Nobis exceptâ, Regumque, ac Principum Chriſtianorum, totiuſque Ordinis Fratrum Minorum pro Beato Franciſco Solano in Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Canonem referendo, precibus nobis enixè porrectis, poſt tantæ rei perficiendæ ſolemnem diem indictam, perque orationem, jejunia, & eleemoſynas Omnipotentis Dei opem ferventiſſimè imploratam, demum univerſis, quæ ex Anteceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, & S.R.E. diſciplina agenda erant, omni Religione peractis, hac die in honorem Beati Ioannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ Deo ſacra, unà cum iiſdem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac utriuſque Cleri, & populi frequentia in Sacroſanctam Baſilicam Principis Apoſtolorum Deo ſupplicantes convenimus, ubi ſemel, iterum, & tertiò pro Viro Dei, Franciſco Solano in Sanctorum Confeſſorum Canonem referendo, per Venerabilem Fratrem noſtrum Laurentium, S. R. E. Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum, Corſinum nuncupatum, precibus repetitis, poſt decantatas ſacras orationes, & Spiritûs Sancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtiani nominis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, de eorumdem Venerabilium FF. noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, nobiſcum in plenario conventu Baſilicæ Vaticanæ præſentium, conſilio, & unanimi conſenſu, Beatum Franciſcum Solanum, Hiſpanum, Ordinis Fratrum Minorum, qui à Regulari Obſervantia appellantur, de cujus ſanctitate, Fidei ſinceritate, & cæterarum virtutum, & miraculorum excellentia plenè conſtabat, & conſtat, unà cum Beatis Viris, perinde Confeſſoribus non Pontificibus, Peregrino Latioſo à Foro-Livii, Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & Joanne à Cruce, Ordinis Fratrum Excalceatorum Beatæ Mariæ Virginis à Monte Carmelo, Sanctum eſſe definivimus, Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Canoni ad-

Digitized by Google

adſcribendum decrevimus & definivimus, prout præſentium tenore decernimus, definimus, & adſcribimus, eumdemque per omnes Chriſtifideles, tamquam verè Sanctum, honorari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes, ut ab Eccleſia Univerſali in ejus honorem Ædes ſacræ, & Altaria, in quibus incruentum ſacrificium Deo offeratur, conſtrui poſſint, & quotannis pridiè Idus Julias, quo die ad cæleſtem patriam evolavit, ſolemnia ejus natalitia, ut Sancti Confeſſoris non Pontificis, celebrari poſſint.

Inſuper eadem auctoritate Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eodem ſolemni die natalitio in memoriam Beati Franciſci Solani quotannis ad ſacras ejus exuvias venerandas acceſſerint, annum, & quadragenam: iis verò, qui in octava ejusdem Feſti, quadraginta dies de injunctis, ſeu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus.

Poſtremò gratiis Deo actis, quod Eccleſiam ſuam inſigni hoc novoque luminari illuſtrare voluiſſet, cantata in honotem Sanctorum Franciſci Solani, Peregrini Latioſi, & Joannis à Cruce ſolemni oratione, in Ara maxima ſupra Confeſſionem Principis Apoſtolorum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebravimus cum ejuſdem Confeſſoris, & cæterorum commemoratione, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam conceſſimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis conceſſo omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, & bonorum omnium Auctorem, cui eſt honor, & gloria in ſæcula, aſſiduis precibus ab eo flagitantes, ut per interceſſionem electi ſui Franciſci Solani, à peccatis noſtris indignationem ſuam avertens, oſtendat nobis faciem miſericordiæ ſuæ, immittatque timorem ſui ſuper gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoſcant, quia non eſt alius Deus niſi Deus noſter.

Cæterùm, quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, relationis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, ſexto Kalendas Januarias, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Bull. Rom. tom. 12. fol. 166.

Ven. Dei Servum, Joannem de Prado, Ordinis Minorum de Obſervantia Excalceatorum beatificat.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

GLorioſos Chriſti Athletas, qui virtute præcincti ex alto, bonum certamen certârunt, curſum conſummârunt, fidemque ad estremum ſervantes, ſtolas ſuas in Sanguine Agni lavare meruerunt, ſicuti immarceſcibili juſtitiæ corona donat in Cœlis æternus, ac juſtus Judex, ita devoto cultu in terris honorari, eorumque agones, & triumphos condigna laude, & veneratione celebrari decet; ut de noſtra ſolliciti, qui de ſua ſunt ſalute ſecuri, piâ, potentique apud Patrem miſericordiarum, ac Deum totius conſolationis, cui die, ac nocte ſerviunt in templo ejus, interceſſione, imbecillitati noſtræ inter ſæculi procellas æſtuanti, cœleſtis gratiæ munera impetrent, quibus & nos rectum vitæ curſum tenere, & propoſitum nobis æternæ Beatitudinis bravium conſequi valeamus. In hanc Nos curam ex debito Paſtoralis Officii, quod infirmitati noſtræ commiſit divina dignatio, propenſis ſtudiis incumbentes, flagitantia idipſum Catholicorum Regum, & aliorum Chriſtifidelium vota libenter exaudimus, ſicut ad gloriam Omnipotentis Dei, & exaltationem Fidei Catholicæ, ſpiritualemque Fidelium conſolationem, atque ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque maturè diligenterque diſcuſſis, & perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E.

Car-

Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum proceſſibus, de hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia confectis, ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii Dei Servi Joannis de Prado Sacerdotis expreſsè profeſſi, ac primi Miniſtri Provincialis Provinciæ Bæticæ S. Didaci, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Excalceatorum nuncupatorum, qui olim à tunc temporis exiſtentibus ejuſdem S.R.E. Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpoſitis, ad annunciandum Chriſti Evangelium, & docendas gentes Regnorum Fezzæ, & Marochii miſſus, in odium Catholicæ Fidei poſt atrociſſima, & immaniſſima tormenta anno 1631. trucidatus palmam Martyrii accepiſſe aſſerebatur, ac ſuper ſignis, prodigiis, & miraculis, quæ ad manifeſtandam mundo finalem ejus perſeverantiam à Deo edita, & patrata fuiſſe dicebantur; prædicta Congregatio Cardinalium coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, cenſuerit poſſe, quandocumque Nobis videretur, eumdem Dei Servum, donec ad actum ſolemnis illius Canonizationis deveniatur, publicè Beatum nuncupari cum ſolitis indultis. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Philippi, Hiſpaniarum Regis Catholici, aliorumque Principum, necnon quamplurium ex Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis Capitulis, & Canonicis Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum Regnorum eorumdem Hiſpaniarum, totiuſque Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, atque dilecti Filii Ioannis Diaz à Conceptione illius profeſſoris, & Fratrum ejuſdem Ordinis Excalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum Ultramontanæ familiæ Procuratoris Generalis, hujuſque Cauſæ Poſtulatoris ſupplicationibus Nobis, & Sanctæ Sedis prædictæ ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratæ Congregationis Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut præfatus Dei Servus, Ioannes de Prado, inpoſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferendæ) exponantur, imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis ejus tranſitûs, ſeu alia die non impeditâ illam immediatè ſequenti, recitetur Officium, & Miſſa celebretur de communi unius Martyris juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus dumtaxat in univerſo Ordine Minorum Sancti Franciſci utriuſque ſexûs, quem idem Dei Servus ſuo Martyrio illuſtravit, in Oppido Mogrobejo Legionen. Diœceſis in Hiſpania, in quo ortum habuit, ac etiam in Regno Marochitano, ubi Martyrium paſſus eſt, ab omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, & quantùm ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus feſtum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno à datis hiſce litteris, & quoad Indias à die, quo eædem litteræ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Ordinis, Oppidi, & Regni Marochii præfatorum ſolemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpectivè conſtitutâ, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem ſolemnia, pro qua re diem XXIV. currentis Menſis Maji utpote illius obitûs, & Martyrii anniverſariam aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Maji MDCCXXVIII. Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Bull. Rom. tom. 12. fol. 279.

ANIMADVERSIO.

PLures alias Conſtitutiones, Ordinem Minoritanum concernentes, edidit Sanctiſſimus hic Pontifex, inter quas & illa incipiens *Summè decet*, & plures Anteceſſorum Pontificum litteras referens reperitur, qua potiora privilegia Ordini præfato conceſſa, cum ſolita tamen jam clauſula, *quatenus eſſent in uſu, & Decretis Tridentini Concilii non adverſentur*, confirmavit. Cum autem hæc Conſtitutio poſtliminiò à gl. me. Clemente XII. per litteras incip. *Romanus Pontifex* fuerit revocata, ſeu privilegia Ordinis Minoritani in illa contenta ad terminos juris communis, ſeu ad eum vigorem, quem ante enuntiatam Benedicti Conſtitutionem habebant, fuerint reducta, conſultò hìc omittitur: cum plures Conſtitutiones in illa relatæ ſparſim huic tomo reperiantur inſertæ, & in Bullario Romano quoque omiſſa advertatur.

CLE-

CLEMENS XII.

Florentinus, antea Laurentius, S. R. E. Cardinalis Corſinus, Epiſcopus Tuſculanus, 12. Julii 1730. Supremi Sacerdotii Solium attigit, in eoque ſedit per annos 9. menſes 6. dies 25. Obiit 6. Februarii 1740. cujus corpus primò ad S. Petri Baſilicam delatum, poſtmodum in Capella S. Andreæ Corſini, ab ipſo vivente in Baſilica Lateranenſi magnificè conſtructâ repoſitum fuit.

Indulta, gratias, & facultates expreſſas, quibuſcunque, etiam Regularibus, à Summis Pontificibus anteceſſoribus, vel per vivæ vocis oracula, vel reſcripta conceſſas, invalidas, ac in utroque foro nullas declarat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex gregis Dominici curæ ſibi divinitus commiſſæ more ſeduli Paſtoris jugiter advigilans, nonnulla, quæ à Prædeceſſoribus ſuis conceſſa noſcuntur, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, quibus præſertim Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationi, animarum Chriſtifidelium ſaluti, ac recto rerum ordini conſulitur, pro Apoſtolici muneris ſui ſollicitudine moderatur, revocat, & immutat, ſicuti omnibus debitæ conſiderationis trutinâ perpenſis conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Itaque de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula infraſcripta indulta, facultates, & gratias, quæ tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, vivæ eorum vocis oraculo, vel per reſcripta propria illorum, aut de eorum mandato cujuſvis S. R. E. præfatæ Cardinalis, alteriuſve ipſorum Prædeceſſorum, vel Sedis Apoſtolicæ Officialis, & Miniſtri manu ſignata, quibuſcumque utriuſque ſexûs perſonis Sæcularibus, vel Regularibus cujuslibet ſtatûs, gradûs, conditionis, præeminentiæ, ac dignitatis ſive Eccleſiaſticæ, ſive temporalis exiſtentibus, etiamſi de iis ſpecialis, ac individua mentio, & expreſſio neceſſariò facienda foret; Communitatibus quoque, Univerſitatibus, Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Conventibus, & Monaſteriis, cujuſvis Ordinis, Congregationis, Militiæ, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, ac Inſtituti, & Societatis etiam Ieſu, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, exemptorum, & non exemptorum, ac quovis tandem privilegio ſuffultorum, nullis prorſus exceptis, quandocumque, & qualitercumque conceſſa fuerunt, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocata, caſſata, ſublata, abrogata, irrita, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, ac perpetuò fore, neque de cætero cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere decernimus, & declaramus.

Indulta autem, facultates, & gratiæ hujuſmodi ſunt, quæ ſequuntur, videlicet:

I. Excipiendi Confeſſiones, ſive Sæcularium, ſive Regularium, etiam Monialium, aut aliarum quarumvis perſonarum in Conventibus, Monaſteriis, ſeu Conſervatoriis degentium abſque expreſſa Ordinariorum, ac Superiorum illorum, ad quos pertinet, facultate; necnon eligendi ſibi Confeſſarium ab iis reſpectivè non approbatum.

II. Abſolvendi quoſcumque ſive Sæculares, ſive Regulares utriuſque ſexûs à peccatis, pœnis, & cenſuris in Litteris die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari conſuetis, vel aliàs Sedi Apoſtolicæ, Locorumve Ordinariis, aut Superioribus Regularibus quoquo modo reſervatis: prout quoque eligendi Confeſſarium etiam ex legitimè ad audiendas Confeſſiones approbatis, qui à peccatis, pœnis, ac cenſuris ſic reſervatis abſolvat.

III. Eximendi, ſeu abſolvendi quemlibet de obligatione denunciandi in caſibus, quibus denunciatio juxta præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſeu aliàs fieri debet.

IV. Utendi quibuſcumque facultatibus etiam

etiam generaliter conceſſis quoad alitercumque dictæ Sedi, vel etiam ipſi Romani Pontifici reſervata, ſive per eos majori, vel minoribus Pœnitentiariis attributis, durante Iubilæo, vel Miſſionum, Exercitiorum ſpiritualium, Quadrageſimæ, Adventûs, aut alio quovis anni tempore; ſicuti etiam utendi facultatibus, quæ ab Officio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ aliquando impertiri ſolent.

V. Relaxandi juramenta quælibet, etiamſi de nullo cujuſquam agatur damno, ſeu præjudicio.

VI. Diſpenſandi, ſive commutandi Vota quæcumque, licèt ſimplicia dumtaxat, aut juramento minimè confirmata.

VII. Diſpenſandi cum quibuſvis perſonis Sæcularibus pariter, vel Regularibus ſuper qualibet irregularitate, & inhabilitate quomodocumque ex delicto, vel defectu etiam prorſus occultis proveniente, tam pro exercendis ſuſceptis, quàm pro ſuſcipiendis quibuſvis Ordinibus, ac retinendis, & aſſequendis quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis.

VIII. Diſpenſandi ſuper quocumque impedimento, quantumvis occulto, matrimonium dirimente, ſive agatur de matrimonio contrahendo, ſive de convalidando jam contracto.

IX. Convalidandi titulos Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſimoniacè, vel ex alio quovis capite invalidè obtentorum, ac condonandi fructus qualitercumque indebitè perceptos, aut componendi ſuper iiſdem fructibus.

X. Celebrandi Miſſam itineris, aliâve occaſione in quocumque loco ſuper Altari portatili, ſive extra tempus ab Eccleſia definitum, vel non ſervandi omnia, & ſingula ab ipſa Eccleſia præcepta, & ordinata circa celebrationem Miſſæ, & adminiſtrationem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti.

XI. Officium divinum abſque legitima cauſa non recitandi, illudve commutandi in alias preces, vel opera pia, ſive recitandi unum Officium pro alio, aut extra tempus ab Eccleſia ſtatutum, vel ſuper præmiſſis cum aliis diſpenſandi.

XII. Indulta quæcumque à Regularibus utriuſque itidem ſexûs obtenta, votum paupertatis quomodolibet lædentia, aut Regulari Obſervantiæ, Apoſtolicis Conſtitutionibus, propriique Ordinis, ſeu Inſtituti ſtatutis contraria, vel adverſantia.

XIII. Facultas Regularibus alloquendi Moniales etiam conſanguineas, aliaſque perſonas, intra Clauſuram degentes, abſque peculiari Superiorum, ad quos quomodocumque ſpectat, licentia.

XIV. Indulta, facultates, & gratias mox relatas, eorumve aliqua in toto, vel in parte, indefinitè, vel ad tempus, & in caſu particulari, ſeu alio quovis modo aliis communicandi.

Quæ quidem omnia, & ſingula, etiamſi ſub quibuslibet aliis, quantumvis amplis verborum formis, & tenoribus conceſſa, & impetrata fuerint, quoad utrumque forum, ac generaliter, ſive res ſit de caſu occulto, ſive de publico, revocata, & abrogata eſſe; ac intelligi, & cenſeri debere ſtatuimus.

Diſtrictè propterea prohibemus, nequam deinceps indultis, facultatibus, & gratiis ſic per Nos revocatis, & abrogatis ullatenus uti audeat, ſeu præſumat, ſub pœna excommunicationis, ac privationis Officiorum, Dignitatum, & quorumvis Beneficiorum obtentorum, vocis activæ, & paſſivæ, necnon inhabilitatis ad audiendas confeſſiones, & ad Officia, Dignitates, & Beneficia hujuſmodi in futurum obtinenda, ipſo facto abſque ulla alia declaratione per tranſgreſſores reſpectivè incurrenda, à qua nonniſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquàm quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis, diſpenſationis, ſeu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.

Noverint inſuper Pœnitentes, & alii fideles, abſolutiones, diſpenſationes, relaxationes, commutationes, convalidationes, compoſitiones, & ejuſmodi, ſi quæ inpoſterum contra hanc noſtram prohibitionem obtinuerint, nulla fore, nulliuſque roboris, ac momenti.

Cæterùm per præſentes non intendimus revocare ſupradicta indulta, facultates, & gratias, quæ per quaſvis litteras Apoſtolicas, etiam in ſimili forma Brevis expeditas, vel reſcripta à S. R. E. præfatæ Cardinalium, aut Romanæ Curiæ Prælatorum, aliiſve Almæ Urbis Congregationibus edita, & ab eiſdem Prædeceſſoribus approbata, necnon per dictum Officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ quandocumque conceſſa fuerint, ſeu emanaverint, quæ ſalva, ac firma remanere volumus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta &c. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, &c. Quibus omnibus, & ſingulis &c.

Ut autem eædem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, &c.

Datum

Digitized by Google

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Februarii MDCCXXXII. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. Rom. tom. 13. fol. 255.

Nonnullas Conſtitutiones à Prædeceſſore immediato Benedicto XIII. ad ſavorem Regularium editas revocat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, quem cœleſtis Paterfamilias Vineæ ſuæ cuſtodiendæ præpoſuit, diu noctuque operarios, impigrè in ea laborantes, circumſpicit, congruam, imò amplam mercedem eis largiturus, ut Vinea probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare poſſit.

Sanè felicis recordationis Prædeceſſor noſter, Benedictus Papa XIII. ſtrenuas Ordinum Regularium & Mendicantium cohortes hanc Domini Vineam, atque agrum Eccleſiæ indeſinenter conſpicatus, ac paterno erga eos animo affectus, quo etiam Nos ipſi utique afficimur, plura eis privilegia conceſſit, ratus, ea pari voluntate univerſim excipienda: quod tamen ſecus eveniſſe, Nos ad ſupremi Sacerdotii apicem, diſponente Domino, evecti, ægrè intelleximus, inde nimirum præter omnem expectationem noſtram variis litibus & controverſiis exortis, ac niſi, opportunè occurratur, fortaſſe inpoſterum exorituris. Quare nonnullis ex hujuſmodi Litteris & Conſtitutionibus Apoſtolicis maturè perpenſis, ad ſedandos rumores propterea excitatos, mutuamque & verè Chriſtianam inter Epiſcopos & Regulares Familias, ac etiam Sæculares Ordines & ſodalitates, publicaſque Univerſitates, & benevolentiam & pacem ubique in Eccleſia ſervandam, de conſilio nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus noſtræ S.R.E. Cardinalibus in hanc ſententiam devenimus, ut ſubſequentibus litteris & Conſtitutionibus Apoſtolicis, eodem Pontifice Benedicto ſedente vulgatis, moderationem aliquam, auctoritate noſtra adhibendam eſſe decerneremus. Literæ verò ipſæ & Conſtitutiones, Ordinibus Regularibus pridem conceſſæ, hæ ſunt.

Editæ IV. Idus Decembris anno Domini MDCCXXV. quæ incipiunt: *Paterna*.

Aliæ IX. Kalendas Iunias anni MDCCXXVI. quæ incipiunt: *Ratio Apoſtolici Miniſterii*.

Aliæ III. nonas Iulias ejuſdem anni quæ incipiunt: *Singularis devotio*.

Aliæ VIII. Auguſti ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Exponi nobis nuper fecerunt*.

Aliæ Kalendis Septembris ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Vitæ & morum integritas*.

Aliæ Kal. Ianuarii anni MDCCXXVII. quæ incipiunt: *Libenter*.

Aliæ V. nonas Martias ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Loca ſancta*.

Aliæ Kalendis Aprilis ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Ex quo Sedes*.

Aliæ V. nonas Aprilis ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Summè decet*.

Aliæ VI. Kalendas Iunias ejuſdem anni, quæ incipint: *Pretioſus*, unà cum declarationibus ſub die XXVIII. Septembris anni MDCCXXVIII. ab eodem Pontifice factis ſuper quibuſdam dubiis, circa intelligentiam rerum, in ipſa Conſtitutione contentarum exortis.

Aliæ XXI. Martii anni MDCCXXIX. quæ incipiunt: *Exponi nobis fecit*.

Aliæ demum VII. Kalendas Aprilis ejuſdem anni MDCCXXIX. quæ incipiunt: *In Sede*.

Quamvis autem hæc omnia & ſingula ex ejuſdem recolendæ memoriæ Benedicti pia & laudabili erga Regularium Familias voluntate profecta fuerint, quos ipſe ob eorum zelum de ſalute animarum, Religionis ſervorem, doctrinam, & regularis diſciplinæ obſervantiam, magna ac verè paterna dilectione proſequebatur, Noſque ipſi æquè proſequimur, conceſſa, extenſa, decreta, confirmata & declarata fuerint; Nos tamen, qui poſt varias altercationes, & difficultates de iiſdem Litteris & Conſtitutionibus excitatas, optatam Sancti Dei Eccleſiæ tranquillitatem præ oculis habemus, volentes, ut univerſis Dominici gregis paſtoribus, ac præſertim Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in partem ſollicitudinis noſtræ vocatis, liberum Iurium ſuorum, quæ ſummi Dei gloriam & animarum ſalutem reſpiciunt, in illorum Diœceſibus exercitium ſervetur, quæque illud quomodocumque impedire & lædere fortaſſe poſſunt, pro virili noſtra penitus amovere cupientes, quemadmodum aliàs Romani Pontifices anteceſſores noſtri ſæpius egerunt; Nos quoque ad præſervandam

iiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac quibuſcumque aliis Ordinibus, ac cœtibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſuorum Jurium exercitium & poſſeſſionem, amovendamque quarumcumque diſſenſionum & litium occaſionem, ex conceſſa Nobis divinitus Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eorumdem anteceſſorum noſtrorum Pontificum Romanorum veſtigiis inhærentes, ſtatuimus & decernimus, de omnibus & ſingulis prædictis litteris & Conſtitutionibus, quæ ab eodem anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus & declarationibus, in iiſdem contentis, eam deinceps deciſionem ac judicium, etiam in foro conſcientiæ, habendum, quod ſive ex Jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive aliàs, legitimè habebatur, antequam eædem litteræ & declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet, acſi illæ non emanâſſent: ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum ac terminum omnia ſuperiùs enunciata, omnino reducimus & reducta eſſe volumus, ita ut, in poſterum ſupradicti Ordines Regulares earumdem litterarum, & Conſtitutionum uſu, commodo & effectu penitus carere debere intelligantur.

Hinc ad præmiſſorum effectum pro nullis & infectis haberi volumus omnia decreta irritantia, prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque in litteris & Conſtitutionibus prædictis quomodolibet appoſita, atque alia eorumdem occaſione facta, huic reductioni, Decreto & voluntati noſtræ quomodocumque adverſantia, quibuſcumque ea eſſent concepta formulis, ac præſervationibus, declarationibus, modificationibus, reſtrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque validiſſimis, efficaciſſimis & inviolabilibus clauſulis, præſertim, quod ſemper in data cuicumque Conſtitutioni, illarum revocatoriæ, in poſterum edendæ, poſteriores cenſeantur; etiam motu proprio, & poteſtatis pari plenitudine, ac ex certa ſcientia; etiam conſiſtorialiter, etiam pro conſervatione ſtatûs regularis, etiam in vim contractûs & ſtipulationis, inter Sedem Apoſtolicam & Ordines prædictos initæ, quam ad hujuſmodi effectum reſcindimus, & ex nunc reſciſſam, nulliuſque roboris & momenti eſſe volumus & decernimus; ideoque omnes diſſenſiones, altercationes & lites coram quibuſcumque Judicibus ordinariis, extraordinariis & Commiſſariis, etiam cauſarum Palatii noſtri Auditoribus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, etiam de latere Legatis, necnon quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, prædictarum litterarum & Conſtitutionum occaſione jam motas, nec dum deciſas aut finitas, vel etiam, quæ jam deciſæ eſſent, ſi modò tractum habeant ſucceſſivum, eaſque rurſus inpoſterum excitari contingat, juxta Juris communis, Concilii Tridentini Decretorum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac præſentem hanc noſtram diſpoſitionem, nec aliter, decidendas eſſe præcipimus. Futura verò dubia & difficultates, ubicumque & quandocumque oriantur, ad Nos & Sedem Apoſtolicam, ad quam Pontificiarum Conſtitutionum atque Eccleſiaſticarum ſanctionum interpretatio pertinet, referenda eſſe decernimus.

Itaque omnia & ſingula hactenus memorata, necnon præſentes, etiam ex eo, quod cauſæ, ob quas emanaverint, comprobatæ, expreſſæ & verificatæ; aut in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, citati & auditi non fuerint, neque iiſdem conſenſerint, vel aliàs ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel cauſâ, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſive alio quovis defectu notari & impugnari, argui, infringi, retractari, in Jus vel controverſiam vocari, ad terminos Juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe; Sed eas, ac omnia & ſingula &c.

Volumus autem, ut eædem præſentes in valvis Baſilicarum Sancti Joannis in Laterano, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, quoſcumque illæ reſpiciunt, &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, decreti, voluntatis, moderationis, & reductionis infringere, vel auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo, tertio Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. Rom. tom. 13. *fol.* 221.

BENE-

BENEDICTUM XIV.

Bononienſem, antea Proſperum, S. R. E. Cardinalem Lambertinum, & Patriæ Archiepiſcopum, in Sacroſancti Pontificii vertice conſtitutum eſſe, Eccleſia Dei à decimoſeptimo Auguſti anni 1740. *lætatur, Eumque haud aliter, ac Paſchalis Papa II. de Magno Gregorio ad Epiſcopos, & Regem Angliæ ſcripſit,* Chriſtiani populi Paſtorem, & Doctorem in omnibus meritò veneratur, *ac tum illi, tum ſibi longævam Regiminis periodum precatur.*

Pœna contra Confeſſarios, in confeſſione ſollicitantes cum præcepto illos denuntiandi innovat, Calumniatores beneficio abſolutionis, ſoli Papæ reſervatæ, extra mortis periculum privat, & Sacramentum Pœnitentiæ complicibus adminiſtrandi hujuſmodi Sacerdotibus facultatem adimit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcramentum Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncupârunt, Nos licet immerentes, ad univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati, omne ſtudium, & paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod poſt amiſſam baptiſmi innocentiam datum eſt divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perversè utentium malitiam, naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium; &, quod in ſalutem & curationem animarum à Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili quorumdam ſceleſtorum Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore noſtro per ſuas litteras in forma Brevium ſub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXX. Auguſti MDCXXII. Pontificatûs ſui anno ſecundo, Sapienter proviſum fuit contra quoſcunque Sacerdotes audiendis confeſſionibus deputatos, ad turpia & inhoneſta ſollicitantes; & dein ſucceſſivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura ſubinde à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium adversùs hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum ſub die 11. menſis Februarii anno Domini 1661. prodierunt Decreta, & à recol. mem. Alexandro Papa VII. pariter Prædeceſſore noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die 24. Septembris 1665. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet, & ſeptima huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. Nos itaque maturè perpendentes, quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exactè obſervari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant, ſed animo ſecum recolentes, ſe à Chriſto Domino Præſides & Judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, præfatas litteras hujuſmodi, ac omnia & ſingula Decreta prædicta, ad illorum interpretationem & declarationem emanata, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, atque etiam, quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & Dominiorum, & locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpectivè Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito, inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes, tam Sæculares, quàm Regu-

gulares, quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectos, quorumcunque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, Congregationum, & cujuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio, & indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque Perſona illa ſit, vel in actu ſacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediatè poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, eum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint. Et quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & circumſtantiis, ſeverè animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus: dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum, remaneat ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs in præfata Conſtitutione tributam, procedendi cum teſtibus, etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari ſuos Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſuprà, ſollicitatos, ſedulò monere, juxta occurrentium caſuum circumſtantias de obligatione denuntiandi Inquiſitoribus, ſive locorum Ordinariis prædictis, perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem validè impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minimè præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit, aut ſollicitatio à Confeſſario non pro ſeipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, Delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi homines quidam reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel aliâ indignâ causâ commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contemptâ, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falsò ſollicitationis inſimulant. Ut igitur tam nefaria audacia, & deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur, quæcunque perſona, quæ execrabilis hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſeipſam innocentes Confeſſarios impiè calumniando, ut id ab aliis fiat, à quocunque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate & dignitate munita, præterquam à Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ quam Nobis, & ſucceſſoribus prædictis reſervamus, perpetuò careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicii, & ſacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, ac Eccleſiæ injuriam longè ſubmovere, & tam ſeditioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, &, quantùm in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam, Dæmonis potiùs, quàm Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac noſtro reconciliandi, majore peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè ſubmergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hâc noſtra in perpetuum valitura ſanctione, quemadmodum à pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus, omnibus & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcunque Ordinis, & dignitatis, tametſi alioquin ad confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis privilegio, & indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota & mentione digna ſuffultis, auctoritate Apoſtolica, & noſtræ poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublatâ propterea illi ipſo jure quacunque auctoritate & juriſdictione ad qualemcunque perſonam

ab

ab hujuſmodi culpâ abſolvendam; adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tanquam impertita à Sacerdote, qui juriſdictione ac facultate ad validè abſolvendum neceſſariâ privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus. Et nihilominus, ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, noſtriſque ſucceſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat.

§.5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcunque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ nuncupatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet indulti, confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique ſacramentalem abſolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, & in hoc caſu nullus Confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccati & pœnitentis genere, juriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate à Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi univerſalis & plenarii, necnon quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum ac Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis: quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hâc vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

§.6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes locorum Ordinarii tam præſentes, quàm futuri pro tempore exiſtentes in approbatione Confeſſariorum tam prædictam Conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris, quàm præſentem hanc noſtram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè obſervari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut ſacrum Miniſterium ipſorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei. Memores prætérea ſint, ſe locum tenere, ac vices obire ſummi, atque æterni Sacerdotis, qui ſanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi. Sedulò igitur ſtudeant, diligenterque caveant, ne quærentibus & pulſantibus eorum culpâ cœlum claudatur; ne deperditæ oves ad ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi Filii egentes & ſaucii, ad cœleſtem Patrem revertentes, nefariâ eorum probitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via ſunt, confodiantur.

§.7. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illa ſeu earum eſempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis &c.

§.8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati & derogationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctam Majorem Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo, primo Kalendas Junii, Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Bullar. hujus Summi Pontificis tom. 1. *pag.* 50.

Conſtitutionem præfatam declarat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Apoſtolici muneris partes in procuranda præcipuè rerum ſacrarum pura illibataque penitus adminiſtratione verſari debere probè intelligentes, non modò & aſſiduis hortationibus, & juſtâ, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque Miniſtris ſancta ſanctè tractentur, quantùm cum Domino poſſumus, providere ſtudemus, verùm etiam leges ipſas, ut fortè ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportunè communire ac roborare pro earudem tuendo vigore, cum occaſio popoſcerit, non prætermittimus. Sanè, cum Nos aliàs per quamdam noſtram Conſtitutionem, cujus initium eſt = *Sacramentum Pœnitentiæ* = Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingente-

teſimo quadrageſimo primo Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri, Anno primo editam omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus interdiximus, & prohibuimus, ne aliquis eorum, extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere auderet; Ita ut abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla, atque irrita omnino eſſet, tamquam impertita à Sacerdote, qui juriſdictione, & facultate ad validè abſolvendum neceſſaria ipſi per Nos vigore ejuſdem Conſtitutionis ademptâ privatus exiſteret, & aliàs, prout in memoratâ Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſo & inſerto haberi volumus, uberiùs dicitur contineri.

Cum Nos ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quaſdam exortas fuiſſe accepimus, quarum reſolutionem privato cujuſque judicio relinquendam, minimè exiſtimamus, ne Lex incertis conjecturis & opinionibus jactata in ſenſus à mente Noſtra alienos forſitan diſtrahatur, ejuſque vigor paulatim langueat, atque enervetur; Hinc eſt, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantùm cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memoratam Conſtitutionem noſtram cum omnibus & ſingulis in ea contentis tenore præſentium, quatenus opus ſit, confirmamus, illamque integrè, penitus & omnino, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari præcipimus, & mandamus.

Præterea habita ſuper his cum Venerabili Fratri Noſtro Vincentio, Epiſcopo Præneſtino, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Petra nuncupato, Pœnitentiario Noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu Noſtro maturè perpenderunt, deliberatione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſuprà, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa ritè contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, ita interdici re ipsâ & prohiberi prædicto modo tunc audire & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamſi fortè iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive aliàs ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertire: Porro, ſi casûs urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſeriò animadvertat, fore ſe re ipsâ coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adversùs prædictam noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imò intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri, cuivis Sacerdoti locus pateat illius confeſſionis abſque illius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ Conſtitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtrictè mandamus, & præcipimus. Quod ſi idem Sacerdos aut quovis modo ſeſe nullâ gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ ſacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri nullâ, ſicut præmittitur, neceſſariâ causâ cogente præſumpſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones à Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hâc ipsâ occaſione aliquis pereat; nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque planè modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurrat,

prout

prout illum eoipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus omnibus & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Februarii MDCCXLV. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Bull. præd. tom. 1. fol. 489.

N O T A

PRæter alias pœnas, in Pontificiis Conſtitutionibus notatas contrahunt ſollicitantes hujuſmodi & illam in ſequenti S. Inquiſitionis Romanæ Decreto ſtatutam.

Feria v. die 5. Auguſti 1745.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Benedicto divina providentia Papa XIV. & Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus Dominus noſter ſollicitè animadvertens, quàm grave ſit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, ac ſalutaris pœnitentiæ Sacramento ad animarum reparationem à Christo Domino inſtitutis, in illarum perniciem & damnationem abutuntur, decrevit, quod inpoſterum Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares, cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia ſollicitantes, vel ſacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia, præter pœnas à jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter ſa. me. Sixti V. & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati ſacrificii celebrationem. Quodque ejuſmodi Decretum ſignificetur ſingulis cujuſcunque Ordinis ſuperioribus ac præpoſitis, ad hoc, ut de illo, ſicuti & de prædictis, aliiſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus juxta præſcriptum in generali Decreto Supremæ Inquiſitionis diei 15. Decembris 1633. ſemel ſaltem in anno feria 6. poſt octavam Aſſumptionis B. Mariæ Virginis in publica Menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, ac inſuper in quocunque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato congreſſu ſuos ſubditos, ac religioſos commonendos curent, ejuſdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum teſtimonium exhibeant.

Bullar. prædict. tom. 2. fol. XLVI. in Appendice.

Abuſus circa Miſſarum ſtipendia ſub pœna cenſurarum quoad Eccleſiaſticos & Sæculares damnat, abſolutione ab his Summo Pontifici pariter reſervatâ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUanta cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſolùm omni Religionis cultu ac veneratione celebretur; verùm etiam, ut à tanti Sacrificii dignitate cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quàm poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, e medio tollantur, nemo eſt ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. Verùm eouſque tandem progreſſa eſt, ſicut non ſine ingenti cordis noſtri mœrore undique accepimus, nonnullorum ſive Eccleſiaſticorum, ſive Laicorum Virorum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut eleemoſynas quidem ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem juxta locorum conſuetudines, vel Diœceſanarum Sy-

Synodorum ſanctiones in ſubſidium alimentorum uniuſcujuſque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præſcripta colligant, Miſſas verò celebrari curent alibi, ubi eleemoſynæ ſeu ſtipendia vel conſuetudine, vel Synodali lege pro ſingulis Miſſis attributa ſunt minoris pretii, quàm illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quàm abſonum ſit atque alienum ab ipſa ſive expreſſa, ſive tacita piè offerentium voluntate, omnes planè intelligunt; nec aliter exiſtimandum eſt; in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas quiſque vult, ad quam religionis & pietatis ſtimulis ductus eleemoſynas confert, aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quàm in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota. Quod ſanè veluti mercaturis faciendis à turpis lucri cupiditate inductum non ſolùm ab avaritiæ ſuſpicione & vitio, verùm etiam à furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune, in cauſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi, ab eleemoſynis ad celebrandas Miſſas amplius offerendis ſeſe abſtineant. Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices, Prædeceſſores noſtri, de conſilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum decretum voluerunt, nimirum à quolibet Sacerdote ſtipendio ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ à quocumque accepta non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium ſeu eleemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti & conſentienti, ſe majoris pretii ſtipendium ſeu eleemoſynam accepiſſe indicâſſet. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii, & ſollicitudinis noſtræ partem adſcitos rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes vigilias ſuper gregibus veſtris, enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed, ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam à radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt à Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritiâ quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectioniſque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum poſthabere, ac ſervire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti & Dei. Quod ſi hæc in Laicis hominibus minimè toleranda, atque adeo legibus coërcenda, quid in Eccleſiaſticis Viris, qui terrenis rebus nuntium miſerunt, qui in ſortem Domini vocati, qui Deo mancipati ſunt? Quid, quod non per mundana lucra, ſed per Altaris miniſterium tam ſordidè, & cum ſanctiſſimarum legum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite, igitur, Venerabiles Fratres, quibus Chriſti ovium cura demàndata eſt, non ſolùm, ut verbo & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde populi veſtigia veſtra ſequantur; verùm etiam, ut Eccleſiaſticos primum, deinde Laicos Viros ab infectis vitiorum paſcuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cœleſte Ovile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis faciliùs obtemperetur, per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum affigendumque univerſis notum facite, quemcumque, qui eleemoſynas ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia ſtatuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem ſeu Sæcularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum verò, ſive quemcumque Sacerdotem pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere; à quibus nullus per alium, quàm per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit. Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ, poſthac bene conſultum velit animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges cenſuraſque Eccleſiaſticas parvipendat. Interea Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam Benedictionem in populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis ſive exemplis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Junii MDCCXLI. Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Bullarium præd. tom. 1. fol. 56.

Conſtitutiones à Romanis Pontificibus tam ante—quàm poſt Trid. Concilii Decreta ſuper clauſura Monaſteriorum Virorum Religioſorum innovat, indulta & licentias deſuper conceſſas revocat, Nobilibus tamen Fœminis, legitimo titulo, conſuetudine, ac Apoſtolica cõceſſione ingreſſu Clauſuræ gaudentibus, per haſce ſuas litteras nihil derogatum declarat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regularis diſciplinæ obſervantiam ante etiam, quàm & Generalium ac particularium alicujus Nationis, aut Provinciæ Conciliorum decretis confirmaretur, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum legibus ſanctionibuſque præſcriberetur, quoad vetitum Mulieribus quibuſcumque, etiam conſanguineis intra quorumcumque Religioſorum Virorum Clauſuram ingreſſum tam integerrimè cuſtoditam fuiſſe conſtat; ut, ne dum fęminis quibuſcumque, ſed maſculis quoque, non tam ad Monaſteriorum clauſtra ſeu ſepta, quàm ad ipſa eorumdem Monaſteriorum Oratoria & Eccleſias nullus patuerit aditus & acceſſus; quin imo ſub graviſſimis pœnis fuerit interdictus; ne ſcilicet, ut inquit S. Gregorius Papa I. Prædeceſſor noſter, in Servorum Dei ſeceſſibus occaſio præbeatur popularibus conventibus, & ſimpliciores ex hoc animas plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat. Hujuſmodi autem regularis diſciplinæ obſervantia, pro temporum varietate ac neceſſitate tot tantaſque ſubiit vices, ut iidem Prædeceſſores noſtri aditum & acceſſum ad publicas Monaſteriorum Eccleſias dumtaxat, ſive maſculis, ſive fęminis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiendi, Prædicationibus Verbi Dei intereſſendi, & Sacramentum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendi, ac peccata ſua confitendi cauſâ, ſine tamen Parochorum præjudicio, interdum conceſſerint; viciſſim tamen ipſi Prædeceſſores noſtri tam ante Concilii Tridentini Decreta, quàm poſt eorumdem Decretorum promulgationem denuntiationemque providis ſaluberrimiſq; Conſtitutionibus Ordinationibuſque ſub pœna, etiam excommunicationis latæ ſententiæ, fęminis quibuſcumque aditum ingreſſumque hujuſmodi intra Monaſteriorum clauſuram interdixerunt. Quoniam autem, ſicut dolentes accepimus, alii quidem Apoſtolicas leges ac præcepta hujuſmodi vel auſu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, fęminis quibuſcumque aditum ingreſſumque tam manifeſtè, ac tanta ſolemnitate vetitum permittunt; alii verò privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto excogitatas conceſſiones ſibi, ſive à jure, ſive ab homine factas & impertitas, ſeu facta & impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas ſeu debita arrogantes, prætendentes, obtendenteſque, fęminas quaslibet intra Monaſteriorum clauſtra, ſepta, cænacula, cubicula, aliaſque officinas aut admitti, ac recipi ſinunt mandantque, aut unà ſecum ducunt; alii denique ſub pietatis ac religionis prætextu, cum ſupplicationes ſive cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſive eum ſacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus per clauſtra, ſepta & alia Monaſteriorum loca de more, ut afferunt, habentur, ſine ullo prorſus diſcrimine maſculos & fęminas ſupplicationes hujuſmodi per eadem loca ſequi & comitari licitum, quin imo, ut Indulgentias lucrari valeant, neceſſarium eſse obtendunt: Hinc eſt, quod Nos, qui, dum in minoribus eſsemus, quamplurimos hujuſmodi abuſus compertos habebamus, in hac ſublimi Sacroſancti Apoſtolatûs ſpecula conſtituti, non tam aſſiduis nonnullorum aliarum Eccleſiarum Antiſtitum documentis, quàm juſtis etiam Superiorum, aliorumque Virorum ex religioſis Ordinibus Dei honorem & inſtituti ſui diſciplinam zelantium expoſtulationibus de antedictis ſimilibuſque abuſibus in dies admonemur, ut opportunum ac ſalutare iiſdem abuſibus tollendis, quantùm eum Domino poſsumus, remedium afferamus; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, primum quidem omnes & ſingulas Conſtitutiones Sanctioneſque à Romanis Pontificibus Prædeceſsoribus noſtris tam ante—quàm poſt Concilii Tridentini Decreta ſuper Clauſura Monaſteriorum quorumcumque Religioſorum Virorum editas renovamus & confirmamus, necnon inpoſterum ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ſub iiſdem pęnis in Conſtitutionibus Sanctionibuſque eorumdem Prædeceſsorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & Decretis ejuſdem Concilii Tridentini contentis inviolabiliter obſervandas eſſe ſtatuimus, decernimus, præcipimus atque mandamus. Deinde motu proprio, & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine earumdem præſentium tenore omnia & ſingula indulta, privilegia, præ-

prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas conceſſiones, omnibus & ſingulis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis qnacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia ac juriſdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ſive ſingnlis, ſive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de latere Legatis, ſive, qui Provinciis & Legationibus Statûs noſtri Eccleſiaſtici pro tempore præſunt, ſive, quos ad chariſſimos in Chriſto Filios noſtros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges & Reginas illuſtres, aliaſque ſummas Poteſtates, prout rerum conditio poſtulaverit, mitti & ablegari contigerit; ſive, qui, licèt aliarum inſignium Eccleſiarum Antiſtitum, tamen tamquam Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis Legati de latere aliàs nuncupati & babiti ſunt, & fortaſſe habentur, aut haberi & eſſe prætendunt, & inpoſterum habendi ſunt; ſive Ordinarii, ſive Extraordinarii noſtri & ejuſdem Apoſtolicæ Sedis ubicumque etiam ad ipſos Imperatores, & Reges, ac ſummas Poteſtates Nuntii, ſive Inter-Nuntii reſident; ac demum quibuſcumque aliis quocumque nomine & expreſſione nuncupatis perſonis quocumque tempore à quibuſvis, etiam ab ipſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quacumque de cauſa, occaſione, titulo, colore, & prætextu per quaſcumque Apoſtolicas, ſive in ſimili forma Brevis, ſive Plumbo expeditas litteras ſub quibuſcumque verborum formis facta, data, conceſſa & impertita, ſive factas, datas, conceſſas & impertitas ſuper hujuſmodi acceſſu & ingreſſu revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus, necnon à datarum earumdem præſentium die revocata, abolita, annullata & irrita, ac nullius prorſus momenti ac vigoris eſſe, & fore, neminique cuilibet quocumque tempore ſuffragari ſtatuimus, decernimus & declaramus quemlibet omnium antedictornm, etiam ſpeciali mentione dignorum quacumque facultate hujuſmodi temerè uti audentem ipſo facto abſque ulla alia declaratione pœnas & Eccleſiaſticas cenſuras, à quibus, præterquam à Nobis & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi poſſit, incurrere & incurſum eſſe, licentiamque hujuſmodi cuicumque conceſſam nullo modo ſuffragari, atque nullius momenti perinde ac, ſi minimè conceſſa fuiſſet, ipſo facto fore, & haberi, ac pœnas & cenſuras Eccleſiaſticas ipſo etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri & incurſas eſſe. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod &c.

Cæterùm per præſentes non intendimus derogatum eſſe iis conceſſionibus, quæ ad favorem quarumcumque Nobilium fęminarum ex eo, quod ſive earumdem Majores, ac pro tempore exiſtentes de familia fuerint & habeantur Fundatores vel inſignes Benefactores illius Monaſterii, intra cujus clauſtra vel ſepta fęminas etiam de familia ingredi, vel conceſſum vel cautnm eſſe ſibi voluerunt, & de conceſſione hujuſmodi confirmatinnem ab Apoſtolica hac Sancta Sede obtinuerunt; ſive fęminæ hujnſmodi ſint Conſanguineæ & Affines eorum, qui ſunt Domini in temporalibus locorum, in quibus Monaſteria ſita reperiuntur, & quacumque legitima tituli vel conſuetudinis cauſa & occaſione ingreſſu hujuſmodi de præſenti gaudent, factæ & impertitæ fuerunt; dummodo conceſſiones hujuſmodi per Apoſtolicas in ſimili forma Brevis, vel ſub Plumbo deſuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas & impertitas fuiſſe prius Ordinariis locorum Antiſtitibus vel Præſulibns per legitima & authentica documenta conſtare fecerint; & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, aliaque loca & officinas diſcurrendi causâ, ſed ad Eccleſias accedendi, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia & opera exercendi ſtudio ingrediantur; & dummodo de earum adventu & ingreſſu interdiu & opportunè faciendo Superiores pro tempore exiſtentes prius certiores fiant, ad hoc, ut abſque Fratrum incommodo & offenſione, recto tramite ad Eccleſiam pergatur, & alia de jure ſervanda ſerventur.

Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſns fides in judicio & extra illud ubique locornm habeatnr, quæ haberetur ipſis præſentibns, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apnd Sanctam Mariam Majorem ſub Annnlo Piſcatoris die 11. Januar. MDCCXLII., Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Bull. prædict. tom. 1. fol. 103.

San-

Sanctiones Eccleſiaſticas circa Clauſuram Monialium antea editas confirmat, & facultates ſpeciales permittendi ingreſſum & egreſſum é Monaſteriis revocat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoiam.

SAlutare in Catholica Eccleſia inſtitutum ab ipſa antiquitate ſuſceptum, ac tanta cum ſollicitudine & paſtorali zelo cuſtoditum, ut flos ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti, Sacræ Virgines, quarum, quò ſublimior gloria eſt, major & curaeſt, intra Monaſteriorum ſepta & clauſtra vigili ſollicitaque cuſtodia ſervarentur, tam ante, quàm poſt Tridentinæ Synodi Decreta Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri tot ſanctiſſimis legibus, & initis Apoſtolicæ providentiæ charitatiſque conſiliis communire & confirmare ſtuduerunt; ut, quæ ſe Chriſto dicaverint, & à carnali concupiſcentia recedentes, tam carne, quàm mente ſe Deo voverint, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinatum. Quoniam autem, etſi providas hujuſmodi Sanctiones Conſtitutioneſque, ſi ea, qua decet, regularis diſciplinæ obſervantia cuſtodirentur, ſatis eſſe ſcimus, ut Virgines ea, quæ cæleſtis eorumdem Sponſi Jeſu Chriſti ſunt, cogitantes, ſint ſanctæ & corpore & ſpiritu; longa tamen experientia edocti, & aſſiduis Venerabilium Fratrum aliarum Eccleſiarum Antiſtitum querelis admoniti, ſupremas Apoſtolicæ auctoritatis providentiæque partes requiri, ut abuſibus quampluri-mis ex nimia quorumcumque, aut ſibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, aut obtendentium facultatem, aliàs ſibi quomodolibet ſive à jure, ſive ab homine conceſſam, vel demandatorum munerum ratione debitam eſſe, ut ſive ipſi, ſive alii ingredi clauſuram Monialium, aut ipſæ Moniales è clauſura ob quaſcumque etiam non legitimas cauſas egredi, & extra clauſuram hujuſmodi commorari poſſint, licentiam concedendi, indulgentiâ ſenſim invectis opportunè occurratur: Hinc eſt, quod Nos pro ſuprema omnium Chriſtifidelium procuratione imbecillitati noſtræ in univerſalis Orthodoxæ Eccleſiæ regimine divinitus impoſita opportunum abuſibus hujuſmodi remedium, quantùm cum Domino poſſumus, adhibere ſatagentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium omnes & ſingulas Conſtitutiones à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris tam ante—quàm poſt Concilii Tridentini Decreta ſuper clauſura Monialium editas renovamus & confirmamus, necnon inpoſterum ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ſub iiſdem pœnis in Conſtitutionibus eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & Decretis Concilii Tridentini præfati contentis inviolabiliter obſervandas eſſe ſtatuimus, decernimus, præcipimus atque mandamus.

Præterea motu proprio & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris,deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine earumdem præſentium tenore omnia & ſingula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas conceſſiones omnibus & ſingulis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac juriſdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſive ſingulis, ſive eorumdem Cardinalium Congregàtionibus, etiam de latere Legatis, ſive qui Provinciis & Legationibus Statûs noſtri Eccleſiaſtici pro tempore præſunt, ſive quos ad chariſſimos in Chriſto Filios noſtros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges & Reginas illuſtres, aliaſque ſummas Poteſtates, prout rerum conditio poſtulaverit, mitti, & ablegari contigerit; ſive qui, licèt aliarum inſignium Eccleſiarum Antiſtites, tamen tamquam Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis Legati de latere aliàs nuncupati & habiti ſunt, & fortaſſe habentur, aut haberi, & eſſe prætendunt, & inpoſterum habendi ſunt, ſive Ordinarii, ſive Extraordinarii noſtri, & ejuſdem Apoſtolicæ Sedis ubicumque, etiam apud ipſos Imperatores & Reges ac ſummas Poteſtates Nuntii, ſive Inter-Nuntii reſident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iiſque omnibus Superioribus, quibus tamqnam Ordinariis & ordinaria juriſdictione utentibus Monialium Monaſteria ſubjecta & addicta ſunt, in caſibus tamen neceſſariis, & ſervatis aliis de jure ſervandis, & non aliter omnino) ac demum quibuſcumque aliis, quocumque nomine & expreſſione nuncupatis perſonis quocumque tempore à quibuſvis, etiam ab ipſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quacumque de cauſa, occaſione, titulo, colore & prætextu per quaſcumque Apoſtolicas, ſive in ſimili forma Brevis, ſive ſub Plumbo expeditas litteras ſub quibuſ-

cum-

eumque verborum formis facta, data, conceſſa, & impertita, ſive factas, datas, conceſſas, & impertitas ſuper hujuſmodi ingreſſu revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus; necnon à datarum earumdem præſentium die revocata, abolita, annullata & irrita, ac nullius prorſus momenti, ac vigoris eſſe & fore, neminique cuilibet quocumque tempore ſuffragari; ac quemlibet omnium antedictorum, etiam ſpeciali mentione dignorum quacumque facultate hujuſmodi ſive pro ſe, ſive pro aliis temerè uti audentem, ipſo facto abſque ulla alia declaratione pœnas & Eccleſiaſticas cenſuras contra Violantes Clauſuram Monialium inflictas, à quibus, præterquam à Nobis & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi poſſit, incurrere & incurſum eſſe; licentiamque hujuſmodi conceſſam nullo modo ſuffragari, atque nullius momenti perinde ac, ſi minimè conceſſa fuiſſet, ipſo facto fore, & haberi, ac pœnas & cenſuras Eccleſiaſticas, ipſo etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri & incurſas eſſe ſtatuimus, decernimus & declaramus. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac uſibus & ſtylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis prædictis, aliiſque quibuslibet perſonis, etiam quacumque Eccleſiaſtica vel mundana dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis &c. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Januarii MDCCXLII., Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. præd. tom. 1. fol. 106.

N O T A:

CUm acceſſus ad collocutoria, Crates, Rotas, vel alias Monaſteriorum Monialium partes juxta Declarationem Sacræ Congregationis die 17. Junii 1605. in cauſa Januen. editam ſit materia pertinens ad Clauſuram, cujus ingreſſum & egreſſum præmiſſa prohibet Conſtitutio, ſubjungo hic & pauca Decreta Sacra, quæ enuntiatum acceſſum coarctant, Regulares expreſsè tangunt, & ſpecialem aliquibus in locis memoriam requirunt, & quidem

Die 11. Maji 1669. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, habitâ notitiâ, quod nonnulli Regulares abſque licentia Crates Monaſteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non eſſe interdictum per breve tempus, etiam uſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliaſque Perſonas in clauſura exiſtentes alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirment, diſſeminent, & forſan etiam ſcriptis evulgent, proprias autem illaqueantes conſcientias, & ſcandala confoventes, ad hujuſmodi pernicioſos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, rejiciens ac damnans, declaravit Regulares cujuſcumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſtituti, etiam de quibus ſpecialis mentio foret habenda, qui ad Monaſteria Monialium, quamvis ab Ordinarii juriſdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipſis Regularibus ſubjecta, vel aliàs ſpeciali mentione digna, abſque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium, cum Monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, privationis vocis activæ & paſſivæ, aliiſque contra Regulares, accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium, ſtatutis pœnis, poſſe ab Ordinario, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, coërceri. Et die

7. Junii

7. Junii ejuſdem anni, factâ relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua præſentem declarationem approbavit, ac typis dari, & mandari juſſit.

Nec cauſa rationabilis acceſſum excuſat, nec accedentem à reatu mortali liberat, quemadmodum eadem Sac. Congregatio in Neapolitana reſolvit, ita propoſitâ.

Etſi Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſub die 11. Maji 1669. apertè declaraverit, Regulares, qui ad Monaſteria Monialium abſque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, hancque declarationem Sanctiſſimus Dominus approbaverit, ac typis dari ſervarique juſſerit; quia tamen nonnulli ſunt, qui declarationem hujuſmodi perperam interpretantes, verumque ſenſum ſubvertentes, varia confingendo ſophiſmata, aſſerunt accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, & declarationem præfatam non obligare ſub mortali contendunt, ad omnem tollendam dubietatem, reſolvendum:

Primò. *An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus ſine licentia Epiſcopi peccent mortaliter?*

Secundò. *An peccent mortaliter ſaltem ſtante dicta declaratione Sac. Congregationis Concilii cum approbatione Sanctiſſimi?*

Die 26. Novembris 1672. eadem Sacra Congregatio ad utrumque reſpondit Affirmativè, etiamſi ex rationabili cauſa, quando non adeſt licentia &c.

Sed & nec hac reſolutione fallaci, & excuſationes in peccatis quærenti ingenio fuit ſatisfactum, hinc & eidem Eminentiſſimo conſeſſui ſubjuncta dubia fuerunt expoſita:

Editâ vix lege, ſtatim illam eludere malitia excogitat; non ita pridem emanavit generale Decretum arctiſſimè prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando jam ſuper eo variæ interpretationes confingi cœperunt, aliæque nunc Bergomi ſuboriuntur: pro quarum reſolutione ſupplicant Confeſſarii Monialium, quærendo.

Primò. *An Regularibus miſſis ad crates Monialium pro munere prædicationis obeundo, prohibitum ſit ſub peccato mortali, cenſuris & pœnis &c. immediatè poſt eum ipſis Monialibus, abſque expreſſa licentia ad colloquendum, immiſcere ſermones cum quæſtionibus, vel dubiis ſpiritualibus, aut materiis ipſius Concionis?*

Secundò. *An talis prohibitio intelligatur, tam de collocutione cum aliquibus Monialibus, quàm cum una tantùm (omnibus tamen aliis audientibus) immediatè poſt concionem?*

Ad quæ die 21. Maji 1678. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad utramque reſpondit Affirmativè.

Tria hæc Decreta refert Monacellus *part. 1. form. tit. 15. pag. mihi 436. & 437.* & aliud commemorat *part. 2. num. 17. fol. 26.* ubi ad quæſitum = *An Regulares ad dicta Monaſteria accedentes, & cum Abbatiſſa loquentes incurrant pœnas in eiſdem Decretis inflictas, quas incurrunt Regulares, qui accedunt & loquuntur cum ejus Monialibus?* Sacra Congregatio reſpondit = *Regulares loquentes cum Abbatiſſa incurrere eaſdem pœnas.*

Sanctiones à Summis Pontificibus circa abſolutionem in Bullæ Cruciatæ prætenſam renovat, opinionem aliter ſententiam reprobat, & dictas Sanctiones ad quæcunque alia indulta, aliàs ab omnibus peccatis, cenſuris, ac caſibus reſervatis abſolvendi, extendit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolica Indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum diſpenſatione conceſſa, ad Chriſtiani Populi profectum, & promovendam animarum ſalutem plurimùm conferre non dubitemus; ſi tamen eorum interpretatio ingeniorum liberiùs opinantium licentiæ permittatur; unde in ſenſus à mente & voluntate concedentium alienos detorqueantur; eadem in Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimentum, & ipſorum Fidelium periculum atque perniciem, perverſo hominum abuſu, traduci poſſe veremur. Quapropter, pro ea, quam Dei nutu ſuſcepimus, ſanctiſſimarum Eccleſiæ Legum cuſtodia, & flagranti, quo tenemur, ſtudio, de univerſo Chriſti grege ad æternæ beatitudinis metam ſecuriùs dirigendo, non ſolùm rectè conſtitutas à Patribus agendi regulas in dies magis magiſque conſtabilire ſa-

ſatagimus; nullam prætermittentes occaſionem intemeratæ diſciplinæ obſervantiam Catholicis omnibus præſcribendi & commendandi, verùm etiam Indultorum ab hac eadem Apoſtolica Sede benignè conceſſorum certos indicare limites, & tutam ipſorum formam uſumque præfinire, juxta noſtram & Prædeceſſorum noſtrorum, quorum auctoritate prodierunt, mentem, & voluntatem, opportunum in Domino judicamus.

Sanè hanc providentiam, ſi quod aliud Indultum, illud in primis poſtulare videtur, quo Sedes Apoſtolica vel cunctis Chriſtifidelibus, per univerſalis Jubilæi litteras, vel nonnullarum Regionum Incolis, per Bullam, ut appellant *Cruciatæ*, vel certis Univerſitatibus, aut Sodalium ſeu Confratrum cœtibus, per ſpecialia privilegia, elargiri quandoque conſuevit facultatem eligendi ſibi unum quempiam Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario ad confeſſiones audiendas, qui eos à culpis, criminibus, & cenſuris, alioquin reſervatis, abſolvere valeat: Etenim eò periculoſiùs in uſu Indultorum hujus generis erratur, quo graviùs in iiſdem agitur negotium, Sacramenti nimirum Pœnitentiæ, lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem prorſus neceſſarii, valida ac legitima adminiſtratio, ejuſdemque reſpectivè ſuſceptio:

Et quidem fel. record. Prædeceſſor Noſter Innocentius Papa XII. ex delatis ad ſe nonnullorum Epiſcoporum Regni Portugalliæ tunc temporis exiſtentium, & aliorum timoratæ conſcientiæ Virorum querelis, intelligens opinionem quandam revixiſſe, cæteroquin per Apoſtolicas Pauli V. Urbani VIII., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones, necnon per plura Congregationum S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridentini Interpretum, quàm negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum Decreta, dudum damnatam, ac reprobatam, qua opinione freti plerique illarum partium Fideles, Privilegia, & Indulta circa prædictam Confeſſarii electionem à Sancta Sede conceſſa & elargita, in litteris Apoſtolicis pro Cruciata Sancta emanatis, quas Bullam Cruciatæ vocant, ita intelligenda eſſe exiſtimabant, ut facultas in Bulla hujuſmodi Chriſtifidelibus attributa, confitendi peccata ſua cuilibet Confeſſario per quemcumque Ordinarium ad Confeſſiones audiendas approbato, & recipiendi ab eo abſolutionem, ut præfertur, à quibuſvis peccatis atque cenſuris in prædicta Bulla non exceptis, locum haberet & habere cenſeretur, etiamſi Ordinarius præfatus non eſſet Ordinarius illius loci, in quo Confeſſiones prædictas excipi contingeret; Hujuſmodi opinionem, in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, tam eorum, qui tunc temporis Epiſcoporum & Regularium conſultationibus prępoſiti erant, quàm aliorum adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum à Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum, de ipſius mandato ex integro examinatam, iterum cenſuit proſcribendam atque damnandam; ſicuti reipſa proſcripſit & damnavit, per Apoſtolicas in forma Brevis litteras incipien. *Cum ſicut*, die decima nona Aprilis anni milleſimi ſeptingenteſimi, Pontificatûs ſui anno nono editas, decernens & declarans prædictam Bullam Cruciatæ, quoad approbationem Confeſſariorum, nihil novi juris induxiſſe, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum Conſtitutionum Apoſtolicarum; adeo ut Confeſſarii tam Sæculares, quàm Regulares, quicumque illi ſint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ à Pœnitentibus ad audiendas ſacramentales eorum confeſſiones electi, nullatenus confeſſiones hujuſmodi audire valeant ſine approbatione Ordinarii & Epiſcopi Diœceſani loci, in quo ipſi Pœnitentes degunt, & Confeſſarios eligunt, vel ad excipiendas confeſſiones requirunt; nec ad hoc ſuffragari approbationem ſemel, vel pluries ab Ordinariis aliorum locorum, vel Diœcesûm obtentam, etiamſi Pęnitentes illorum Ordinariorum, qui Confeſſarios electos approbâſſent, ſubditi forent: Subindeque ſtatuit Confeſſiones aliter inpoſterum factas & reſpectivè auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire præſumpſerint, ſuſpenſionis pęnam ipſo facto incurrendam indixit: Opinionem autem quamcumque contrariam, tamquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam, damnavit, & reprobavit, eamque potiſſimum, de qua ſupra diximus, ullo modo doceri, ſuſtineri, aut ad praxim deduci, prohibuit, ſub pęnâ excommunicationis per contrafacientes ipſo facto incurrendæ, prout latius in ſupradictis litteris continetur.

Has litteras Innocentii Prædeceſſoris prædicti poſt aliquot annos ſua quoque auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit recol. pariter mem. Innocentius Papa XIII. die decima tertia Maji anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi tertii, Pontificatûs ſui Anno ſecundo, editis ſimilibus in forma Brevis litteris incipien. *Apoſtolici Miniſterii*, quibus plura complexus eſt ad Eccleſiaſticam diſciplinam in Hiſpaniarum Regnis ſervandam pertinentia, ac in-

ter

ter alia declaravit, Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares, qui ab Epiſcopis obtinuerint licentiam audiendi confeſſiones, limitatam vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus perſonarum, non poſſe Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel genus perſonarum ab ipſis Epiſcopis præſcriptum; quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente, nullatenus ſuffragante: Necnon Sacerdotibus prædictis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ad Confeſſiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minimè ſuffragari, quòd approbati aliàs fuerint ab Epiſcopo, qui aliquando loci, in quo confeſſiones audiendæ ſunt, Ordinarius fuerit, ſed talis non ampliùs exiſtat, vel quia ab humanis exceſſerit, aut Epiſcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Eccleſiam auctoritate Apoſtolica translatus reperiatur, ſed neceſſariam omnino eſſe illius, qui actualiter, & pro tempore ordinariam Juriſdictionem in ea Diœceſi exerceat, approbationem; hanc tamen ſufficere, etiam tacitam, eamque tamdiu durare, quamdiu præcedens licentia ſive approbatio expreſsè revocata non fuerit; in quo caſu nova de integro approbatio impetranda erit, ſicut etiam, quando prior approbatio, tempore præfinito elapſo, expiraverit.

Cumque ſan. mem. Benedictus Papa XIII. præfatas Innocentii XIII. litteras, ſuis aliis Apoſtolicis litteris incipien. *In ſupremo Militantis Eccleſiæ Solio*, die vigeſima tertia Septembris anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi quarti, Pontificatûs ſui Anno primo datis, earum tenore de verbo ad verbum inſerto, pari auctoritate Apoſtolica in omnibus, & per omnia perpetuò approbâſſet, confirmâſſet, atque innovâſſet; ipſius quoque auctoritate corroborata, innovataque noſcuntur, quæ de facultate eligendi Confeſſarium tam ab Innocentio XII., quàm à XIII., decreta, declarataque fuiſſe commemoravimus.

Quia verò iidem Prædeceſſores Noſtri Innocentius XII., & XIII. in ſuis reſpectivè litteris, Indultum per Bullam Cruciatæ conceſſum tantummodo nominatim expreſſerunt, & ab Innocentio XIII. alterius cujuſcumque generis privilegia generatim dumtaxat ſunt indicata: Idcirco Nos animo proſpicientes, quod niſi clariùs, atque diſtinctiùs declaratum fuerit, quænam Privilegia ſeu Indulta ſub præfatas regulas cadant & cadere debeant, idem fortaſſe reprobatarum, ut ſuprà, opinionum offendiculum, ut olim in prædictæ Bullæ Cruciatæ, ſic etiam in aliorum ejuſdem generis Indultorum interpretatione & uſu, ſubeſſe facilè poſſet; Et vigili cura animum in id intendentes, ne inimicus homo hujuſmodi zizania in agro Dominico ullatenus valeat ſuperſeminare, atque ut Fidelium conſcientiæ ſecuriùs dirigantur, non modò relata ſuperiùs Prædeceſſorum noſtrorum Decreta auctoritate quoque Noſtra approbamus, confirmamus, & innovamus, verùm etiam eadem auctoritate, & ſimili motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & declaramus, quod idem omnino jus, quod vigore Decretorum hujuſmodi, circa intelligentiam & uſum Indulti Bullæ Cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejuſdem generis Indulta pariformiter valere debeat, & obtinere; Volumus etiam reprobationem dictarum opinionum, quatenus reſpiciunt intelligentiam, & uſum Indulti prædicti Bullæ Cruciatæ, à præfatis Prædeceſſoribus proſcriptarum, locum ſimiliter habere, quatenus eaſdem opiniones & ſententias in medium proferri contingeret circa ſimilia etiam Indulta, ſive univerſis per Eccleſiam Chriſtifidelibus, ſive alicui Regioni, aut Loco, Univerſitati, aut Cœtui particulari Sodalium, ſeu Confratrum, quandocumque, & ubicumque conceſſa, vel concedenda.

Inſuper decernimus & declaramus, id, quod generaliter de Indultis præmiſſis ſentiendum eſſe jam diximus, generaliter quoque intelligendum eſſe de omnibus & ſingulis perſonis, quæ ſub eorundem Indultorum conceſſione comprehenſæ reperiuntur, vel quas inpoſterum comprehendi contingat, quæque ſupradictis Indultis uti voluerint: Ita videlicet, ut ſi in aliquo Indulto tam Sæcularibus, quàm Regularibus tribuatur facultas eligendi Confeſſarium ab Ordinario Loci approbatum, tunc Confeſſarius vigore talis conceſſionis, ſive à Sæculari, ſive à Regulari Pœnitente ad audiendas eorum reſpectivè confeſſiones electus, nullatenus hujuſmodi confeſſiones audire valeat, niſi ab Epiſcopo Diœceſano, & Ordinario Loci, ubi confeſſio excipienda eſt, ad Confeſſiones approbatus & deputatus exiſtat; quacumque aliâ approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædeceſſores prædicti declarârunt non ſuffragari, quàm ea, ſi de Regularibus agatur, quæ à ſolo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minimè ſuffragante. Æquum eſt enim & rationi conſentaneum, ut quicumque ſpeciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem Indulto præſcriptas omnino ſervet: neque licitum eſt cuiquam, conditionem illam appro-

bationis Confeſſarii per loci Ordinarium ſaciendæ, alio modo intelligere, quàm eo, quo ipſam intelligendam eſſe toties Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, ut præmiſſum eſt, decreverunt. Quorum Nos quoque veſtigiis inhærentes, præfatam conditionem in eodem planè ſenſu, quem illi tradiderunt, ab omnibus & ſingulis hujuſmodi Indulto ſub ea conditione conceſſo utentibus, accipiendam & ſervandam eſſe ſtatuimus, atque mandamus; quicumque illi fuerint, qui in vim ejuſmodi Indulti Confeſſarium ſibi eligent, ſive Sæculares, ſive Regulares, cujulibet Ordinis & Inſtituti, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, & Ordinum Militarium, etiam Militiæ Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, necnon Societatis Jeſu, atque alterius cujuſvis Congregationis, vel Societatis, tametſi de illis aut illorum, vel illarum aliquo, ſeu aliqua, ſpecialis, & expreſſa mentio quomodocumque facienda foret. Ideoque confeſſiones & abſolutiones in præmiſſis caſibus aliter inpoſterum factas & reſpectivè auditas ſeu impertitas irritas fore & invalidas declaramus, & contrariam quamcumque opinionem, ejuſque praxim, deinceps prohibemus, ac reprobamus, tamquam explanatæ toties ab Apoſtolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti noſtræ, quam ad omnem hac ſuper re ambiguitatem tollendam per præſentes clariùs expoſuimus, penitus adverſantem.

Poſtremò illud monendum exiſtimamus, nihil hìc à Nobis ſtatui, aut pronuntiari ſuper eo, an ſcilicet in uno aut altero Indulto unum aut alterum perſonarum genus comprehendi, & quænam Indulta ſpecialiter Regularibus ſuffragari, vel non ſuffragari, cenſendum ſit; hoc enim ex uniuſcujuſque Indulti tenore ac verbis colligendum relinquimus; firmis tamen manentibus, & perpetuò manſuris, quod ad Bullam Cruciatæ pertinet, plurium Prædeceſſorum noſtrorum declarationibus, eandem ſcilicet Bullam, quantùm ad articulum eligendi Confeſſarium, ſeque à caſibus reſervatis abſolvi faciendi, nequaquam Regularibus ſuffragari; Quod Nos etiam perpetuò tenendum atque ſentiendum, eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum exemplo, ſimiliter declaramus, & contrariam quamcumque opinionem, uti falſam, & perniciosam, interdicimus, & reprobamus.

Decernentes eaſdem præſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo, jus, vel intereſſe habentes &c. Sicque & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos &c. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de Jure quæſito non tollendo &c.

Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut earum præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam faciliùs deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad valvas Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis &c. Utque earumdem præſentium tranſumptis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, Nonis Auguſti, Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Bull. præd. tom. 1. fol. 358.

Beatum Fidelem à Sigmaringa, Ordinis FF. Minorum Capucinorum, Profeſſorem, Miſſionis Apoſtolicæ in Rhætia Præfectum, ac Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Protomartyrem canonizat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

VInea electa, quam plantavit dextera Domini, cujus unica vitis Chriſtus; tot autem palmites, quotquot in Chriſto radicati fideles &c. *Proſecutio hujus Decretalis dabitur in tom. VII. ſeu Supplemento Bullarii extenſa.*

Beatum

Beatum Petrum Regalatum, Ordinis Fratrum Minorum Alumnum, ejuſque diſciplinæ Reſtitutorem in Sanctorum Canonem refert.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

NEgotiatores Cœli, qui, fidelibus Redemptoris noſtri promiſſionibus innixi, quæcumque mundus appetit, quæ caro concupiſcit, quæ Dæmon pollicetur, omnia relinqnunt, ut Chriſtum bajulantem ſibi Crucem, per aſperam anguſtamque viam proſequantur, non modò inæſtimabilem bonæ negociationis fructum in æternæ vitæ poſſeſſione percipiunt, ſed etiam in terris centuplum pro omnibus, quæ dimiſerunt, utiliſſimâ commutatione lucrantur. Dũ enim vitæ hujus oblectamentis, per mortificationis & continentiæ ſtudium renunciant, puris tranquilliſque voluptatibus, de conſcientiæ ſerenitate, ac Divini ſavoris ſuavitate, replentur; dum anxias Mundi divitias, Evangelicam paupertatem amplexi, à ſe abdicant, ſupernorum chariſmatum theſauris abundè ditantur; & pro vanis fluxiſque honoribus, quos contemnunt, veram ſolidamque gloriam, non ſolùm coram Angelis Dei, ſed etiam coram hominibus adipiſcuntur. Vidit hæc cœleſti lumine edoctus BEATUS PETRUS REGALATUS, Ordinis Minorum Alumnus, ejuſque diſciplinæ, quam Sanctus Patriarcha Franciſcus diſcipulis ſuis tradiderat, perſectiſſimus ipſe Sectator, & in aliis quoque Reſtitutor. Guſtavit, quàm ſuave ac bonum eſſet, abnegatis ſæculsribus deſideriis, uni Deo adhærere; reliquit, quæ ſua erant, ut Chriſtum lucriſaceret: Verùm in ipſis etiam voluntariæ paupertatis anguſtiis dilatatum eſt cor ejus, ut, quarum rerum nec poſſeſſione, nec affectu tenebatur, in eas mirum ſæpe jus & imperium, ſuprà id, quod naturæ leges ferunt, Deo concedente, exerceret. Nunc denique ad immenſum Gloriæ pondus, quâ is jamdudum in Cœlis potitur, non exiguus in terris acceſſit honoris cumulus, decreto Eidem cultu univerſæ per Orbem Eccleſiæ, cui Nos, licèt indigni, Divina voluntate præſidentes, ipſum Beatum Virum, Chriſtianarum Virtutum perſectione, & Miraculorum claritate illuſtrem, inter Sanctos Confeſſores à Nobis, cum conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia frequenti numero congregatorum, ritè ac ſolemniter adſcriptum, religioſa veneratione proſequendum, & proficua devotione invocandum proponimus, ac præſentium litterarum tenore denunciamus.

Valliſoleti, Nobili Hiſpaniæ Urbe, natus eſt Petrus Anno ſalutis 1390. ex Nobilibus piiſque parentibus, quorum diſciplinâ & exemplis eruditus, ac Divinâ præſertim gratiâ præventus, cœpit à puero ad Chriſtianæ perfectionis leges vitam moreſque ſuos componere, & conformare; quin etiam vix decimo ætatis anno tranſacto, domeſticis ſacultatibus honoribuſque contemptis, Franciſcani Inſtituti Habitum ac profeſſionem expetere. Reſtitit quidem ab initio amantiſſima Mater, & piis Filii deſideriis obſecundare triennio toto recuſavit; verùm is in ſancto propoſito firmiter perſeverans, Eumque præſerens Matri, quem præſerre jubemur & animæ noſtræ, inſtando & obſecrando tandem obtinuit, ut ad Religioſæ vitæ Tyrocinium, mox etiam ad ſolemnia emittenda Vota in patriæ Civitatis Cœnobio admitteretur. Ex eo tempore, quum in ſuſcepto perſectionis curriculo, per internæ humilitatis, externæque mortificationis ſtudium, per aſſidua orationis, & contemplationis exercitia, per ſollicitam puri cordis & ſenſuum cuſtodiam, novos ſemper progreſſus faceret, numquam reſpiciens retro, ſed ad perfectiora & ſublimiora extendens ſe ipſum, ad illud brevi pervenit virtutis faſtigium, ut & in omnibus religioſi Viri officiis toti Sodalitio exemplis ſuis prælucceret, & ſanctioris diſciplinæ in Minorum Familia nonnihil tunc temporis laxatæ in priſtinum ſplendorem reſtituendæ, inſpirante Deo, conſilium caperet, eodemque adjuvante, ad effectum mirè perduceret.

Etenim occaſionem nactus, quâ Vir pius, ac prudens, Frater Petrus Villacretius, ejuſdem Ordinis Proſeſſor, poteſtate à Superioribus ſibi facta, Hiſpaniæ Cœnobia peragrabat, ut ex iis, qui à ſubinducta libertate ad perſectiorem vivendi rationem tranſire cuperent, peculiarem veluti gregem conflaret, in quo priſtina Franciſcanæ Regulæ puritas, & auſteritas reviviſceret, nihil cunctatus Petrus, ſe illi ſocium adjunxit, & in ſolitariam Domum prope Aquileriam, Oxomenſis Diœceſis Oppidum, permiſſu Epiſcopi extructam, lubens cum eo ſeceſſit. Ibi in perpetuis pietatis & pœnitentiæ exercitationibus ambo viventes, non ſolùm cæleſtium gratiarum copiam, ſed etiam hominum admirationem ſibi conciliârunt; ut eâ permoti quamplurimi, tum ex

ipſo Fratrum Mioorum Ordine, tum è ſæculari Clero, & è Populo, in enrum ſocietatem admitti certârint, corumque diſciplinæ ſe inſtituendos tradiderint. Quare cum nova Reſormatorum Familia ad eum numerum aucta fuiſſet, ut jam Aquilerienſibus Ædibus contineri minimè poſſet, alterum ejuſdem Inſtituti Cœnobium de Abroxo nuncupatum in Agro Tribulano ad Ripam Durii Fluminis conſtrui, opus fuit.

In horum Conventuum regimine quoties naſcentis Reformationis negotia Villacretium aliò vocabant, Petrus Regalatus ipſius vices ſuſtinere conſuevit. Cum verò idem Villacretius, poſt obtenta à ſelicis recordationis Martino V. Prædeceſſore Noſtro, quem præſens adierat, quæcumque ad ipſius Reformationis firmitatem, atque dilatationem maximè optaverat, ex hac vita piè migrâſſet, communi Religioſorum Voto in ipſius locum ſuffectus eſt Petrus, qui ſicut eum viventem in prælaudati operis conſtitutione & adminiſtratione, conſilio ſuo atque opera maximè juverat, ita deinceps non modò Aquilerienſe Cœnobium, in quo præcipuū fixit domicilium, ſed Tribulanum etiam, quod modò per ſe ipſum, modò per Vicarios à ſe delegatos regebat, ad perfectioris diſciplinæ normam ſanctiſſimè gubernavit.

Fuit in eo ad Socios, ſubditoſque in via Mandatorum Dei dirigendos, non ſolùm eximius zelus, & aſſidua vigilantia, verùm etiam in omni virtutum genere præclari exempli lux & auctoritas. Quorum enim jejuniorum obſervantiam ad mentem Sancti Fundatoris in uſum reduxerat, ea ipſe & exactè ſervabat, & voluntariis abſtinentiæ rigoribus cumulabat, quum nullum ferè obſonii genus ad panem & aquam plerumque adjiceret, &, præter dies Dominicos, nihil omnino ad veſperam ſumeret; quinimmo totos ſæpe dies abſque ullo cibo tranſigeret in laboribus aut orationibus, quarum etiam amore nonnunquam integras noctes inſomnes ducebat, vel humi cubando, curabat, ut ne quid ſomni caperet, præter id, quod ineluctabilis naturæ neceſſitas poſtulabat. Duris præterea flagellis, aſperrimis ciliciis corpus affligere, & in ſervitutem redigere non deſinebat. Paupertatis verò adeo amator fuit, ut quæ præ cæteris attritæ, & laceræ veſtes eſſent, eas ipſe ſibi deligeret, nec unquam fere ſandaliis aliove calceamenti genere uteretur, ſed nudis plerumque pedibus ad humilitatis & pœnitentiæ exercitium, incederet.

Quare cum ſibi ac mundo crucifixus omnino eſſet, minimè eſt mirandum, ſi totum cor ejus ſibi vindicavit cæleſtium amor, cujus virtute fortiter tractus, ac dulcedine ſuaviter illectus, ineffabilia Divinitatis attributa, & Redemptionis noſtræ myſteria, præſentiſſimo animi ſenſu aſſiduè contemplabatur, adeoque in piis meditationibus affectibuſque inardebat, ut ſæpe clariſſimus lucis ſplendor ex ipſius corpore diffuſus, non ſolùm ad cubiculi ambitum, ſed longè latèque ſupra Cœnobii tectum emicaret; cujus rei causâ à finitimis cognita, *Domus Dei* nomen Cœnobio inditum ſuit, quo etiam uſque in præſentem diem appellatur. Ex frequentibus verò mentis exceſſibus, quibus ad interiora cum Deo colloquia admittebatur, quum cæleſtium virtutum formam in ſe referret, earum quoque exemplar aliorum animis imprimere vehementer optabat Hinc ortum habuit zelus ille ardentiſſimus, quo ad animarum ſalutem opportuniſſimis rationibus procurandam accendebatur; neque ſolùm Religioſos Viros curæ ſuæ peculiariter commendatos, exemplis præceptiſque ſuis ad perfectionis culmen ducere ſatagebat, ſed cæteris etiam omnibus operâ, conſilio, ſermone, ac potiſſimum impenſis miſericordiæ & charitatis officiis, tutiſſimam ad Cœlum viam commonſtrare & complanare curabat. Hic erat præcipuus ipſius ſcopus, & cum pauperes Chriſti ægritudine afflictos, eoſque maximè, quos propter horrificam morborum ſpeciem, aut contagionis periculum, ab aliis derelictos conſpiciebat, per ſe ipſe adjuvare, hoſpitio recipere, laborioſa curatione ſublevare geſtiebat; & cum, corrogata â ditioribus ſtipe, calamitoſis omnibus opem ferre, potiſſimum verò Chriſtifidelibus apud barbaros in captivitate detentis, libertatem impetrare ſtudebat; cum demum inimicitias omnes & ſimultates inter fideles componere omni ſtudio nitebatur, ut ſcilicet peccata & vitia eliminaret, pericula, occaſioneſque peccandi omnibus ſubtraheret, & proximos â ſe adjutos, non ſibi, ſed Chriſto lucriſaceret, atque ad Divinæ Bonitatis amorem, ad Evangelicæ legis obſervantiam adduceret. Denique purgantium Defunctorum cruciatus pio commiſerationis affectu reſpiciens, oblatis Deo precibus, ſacrificiis, jejuniis, aliiſque voluntariis ſui corporis caſtigationibus, prolatam ipſis æternæ Beatitudinis poſſeſſionem accelerare curabat.

His aliiſque virtutibus apud ſuos, exteroſque clarus, Miraculorum quoque gratiâ, aliiſque ſupernaturalibus donis illuſtris, cum ad ſexageſimum ſextum ætatis annum perveniſſet, jamque proſpiceret, haud procul eſſe depoſitionem Tabernaculi ſui, de apto idoneoque Rectore gregi ſuo poſt ſe relinquendo ſollicitus, longum tempus aſperumque iter ingreſſus eſt, ut Lupum Sa-

la-

Digitized by Google

lazarium antiqui Inſtituti cultorem ac vindicem, ad id muneris ſuſcipiendum ſuaderet. Eâ re impetratâ, quum Tribulanum Cœnobium in reditu viſitâſſet, inde ad Aquilerienſe ſe contulit, ubi lethali morbo correptus decubuit, exactoque inter acerbos cruciatus atque languores integro Quadrageſimæ curſu, tandem die ſancto Paſchæ Euchariſtici Panis viatico munitus, & ſequenti die ab Epiſcopo Palentiæ Oleo Sancto unctus in nomine Domini, quum dilectiſſimos Fratres ad ſeverioris diſciplinæ cuſtodiam, ad paupertatis ſtudium, ad imitationem Chriſti etiam atque etiam hortatus eſſet, animam ſuam in manus Dei fidenter amanterque commendans, juſtorum ſomno obdormivit tertio Kalendas Aprilis Anno ſalutis 1456.

Petri corpus, ut piis Fidelium turbis ad Cœnobium undique concurrentibus ſatisfieret, per aliquot dies inhumatum remanſit; cumque nullas interim mortalitatis injurias pateretur, tandem in communi Fratrum Sepulchro conditum fuit; unde tamen poſt triginta ſex annos translatum fuit ad prænobile loculamentum, quod ipſi clar. mem. Eliſabetha Caſtellæ Regina ex alabaſtrite marmore extrui curavit.

Ibi & propter conſtans hominum judicium de Servi Dei Sanctitate, & propter miraculorum frequentiam, aſſidua venerationis & cultûs obſequia â piis Fidelibus ipſi delata fuerunt.

Et ſanè de generali ipſius Sanctitatis, Virtutum, & Miraculorum fama, Teſtes ſunt antiqui Proceſſus auctoritate ordinaria ſuper eo confecti, qui eum ante hos centum viginti annos ad hanc Sanctam Sedem delati fuiſſent, & pro legitimo cultu eidem Servo Dei aſſerendo, Apoſtolicæ definitionis oracula, inſtantibus etiam Catholicis Hiſpaniarum Regibus, univerſoque Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci, vehementer expeterentur, viſum eſt felic. recordat. Urbano Papæ VIII. Prædeceſſori Noſtro, ſignatâ Chirographo ſuo Commiſſione, ad diſcutiendam in ſpecie ipſius Beatificationis & Canonizationis Cauſam, novorum Proceſſuum conſtructionem demandare. Quibus deinde ad Urbem allatis, & trium antiquiorum tunc temporis Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum examini ſubjectis, quum hi pro ſua integritate & prudentia, eorum validitatem & relevantiam pleniſſimè approbantes, in luculenta relatione eidem Urbano Prædeceſſori exhibita, tam præclaras Servi Dei virtutes in gradu heroico, quàm illuſtria in vita & poſt mortem ejus interceſſione patrata Miracula, ſatis demonſtrata eſſe cenſuiſſent, idem Urbanus Prædeceſſor ipſius Cauſæ judicium remiſit Congregationi Sacrorum Rituum: Quæ poſt approbatam eorumdem Proceſſuum validitatem, & examinis formam, quum decreviſſet, unà cum dubio de Regalati virtutibus, alterum quoque de Miraculis ipſius interceſſione ſequutis proponi & expendi, quatuor infraſcripta Miracula ad trutinam vocavit. Primum, quod olim in viſitatione Conventuum Aquileriæ & Tribuli, quam Dei Servus pedes peragebat, intermedium ſpatium quadraginta millium paſſuum unius horæ intervallo confeciſſet. Alterum, quod quum collectas è communi Menſa reliquias aliquandò deferret ad pauperes, ob idque â Vicario ſibi occurrente objurgaretur, quod ſupra modum in exteros ſe liberalem præberet, quumque is nil aliud quàm flores deferre ſe aſſeverâſſet, flores revera in ſacculo reperti ſunt, quos neque anni tempus, neque Regionis natura ſuppeditare potuerant. Tertium, quod Durii Fluminis aquas, quoties increbuiſſent, & navicula deeſſet ad transfretandum, extento ſuper eas pallio, non ſemel ſicco pede tranſierat. Quartum denique, quod pauperi poſt ipſius obitum aſſuetâ eleemoſyna præ Cœnobii foribus fraudato, eâque de re ad ipſius Petri ſepulchrum conquerenti, exerto è ſepulchro brachio, panem porrexerit. Hisque admirabilibus ſanè prodigiis, quæ etiam â vetuſtiſſimis temporibus marmoreo Servi Dei ſarcophago inſculpta cernebantur, maturè diſcuſſis & approbatis, peracto quoque virtutum examine; eadem Congregatio Decretum edidit die XVI. Novembris anni 1630., quo tam Virtutes ejuſdem Servi Dei, quàm ipſa prædicta Miracula comprobata fuerunt.

Quum verò paulo poſt, ſuper hujusmodi judiciorum ordine & methodo, nova & conſultiſſima ejusdem Urbani PP. VIII. Decreta prodiiſſent, proindeque inducta fuiſſet neceſſitas oſtendendi, quod iis paritum eſſet; antequam ad ulteriora in hac Cauſa procederetur, opus fuit planum facere, quod per centum annos, imò veriùs, per duo ferè ſæcula ante eorundem Decretorum editionem, publicus cultus ipſi Dei Servo præſtitus fuerat. Quare poſt aliquot annorum ſilentium, percrebeſcentibus religioſis Catholicorum Principum & Populorum votis, inſtantibus quoque quamplurimis Epiſcopis, univerſoque prædicto Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci, Anno Domini 1675. à fel. recordat. Prædeceſſore pariter Noſtro Clemente Papa X. de conſilio præfatæ Congregationis Sacrorum Rituum, ſignata fuit Commiſſio pro reaſſumptione Cauſæ in ſtatu & terminis, eum

cum facultate inprimis & ante omnia conficiendi Proceſſum particularem ſuper paritione Decretis Urbani Papæ VIII. de non cultu editis, ſeu ſuper caſu ab eiſdem excepto: & conſequenter ab Epiſcopo Oxomenſi, vigore litterarum à prædicta Congregatione ipſi directarum, confectus fuit hujuſmodi Proceſſus, ac ſententia ritè prolata ſuper Cultu eidem Beato Viro à centenario tempore, & ultra, publicè exhibito, ac proinde de caſu à præfatis Urbani VIII. Decretis excepto: Quam porro ſententiam in prædicta Congregatione Sacrorum Rituum reviſam & approbatam, fa: me: Prædeceſſor pariter Noſter Innocentius Papa XI. Apoſtolica auctoritate confirmavit & roboravit, Decreto edito die XVII. Auguſti anni 1683.

Itaque non ſolùm ipſius Beati Petri cultus impenſioribus Fidelium ſtudiis per totam Hiſpaniam aliaſque Regiones frequentari cæpit, verùm etiam ſubſequutis Apoſtolicæ Sedis Indultis magnopere auctus fuit; Conceſſâ primùm in ipſius honorem Officii Divini, ac Miſſarum celebratione per Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia, & per aliquas Hiſpaniæ Diœceſes; Mox extenſo per gradus hujuſmodi Indulto ad univerſam Franciſcanorum Familiam, & ad omnes Hiſpaniarum Civitates atque Diœceſes, cum Oratione etiam, & Lectionibus propriis, ab eadem Congregatione Sacrorum Rituum examinatis & approbatis; Demum permiſſa ab eodem Innocentio Translatione Corporis ipſius Beati Petri ad novum atque ſplendidius Sacellum, piorum ſumptibus in ipſius honorem excitatum.

Quoniam verò, juxta Apoſtolicarum ſanctionum Decreta, ad ſolemnem Beati Canonizationem minimè procedi poterat, niſi demonſtratum fuiſſet, nova, poſt indultam ipſi venerationem, miracula ſuperveniſſe; ideo quum delatum fuerit ad fel. record. Prædeceſſorem noſtrum Benedictum Papam XIII. nonnulla Miracula ab Omnipotenti Deo ad invocationem ejuſdem Beati Petri recens patrata fuiſſe, placuit ipſi Apoſtolica auctoritate neceſſarias facultates delegare Epiſcopis Oxomenſi, & Palentino, ut, juxta inſtructiones iis tranſmittendas, ſuper hujuſmodi aſſertis Miraculis Teſtes examinarent, aliaſque legitimas probationes colligerent. Hine delatis ad Urbem Proceſſibus ab iis confectis, eorumque validitate, necnon examinis formâ, in Congregatione Sacrorum Rituum recognita, & juxta ipſius Congregationis conſilium, à fel. pariter recordat. Clemente Papa XII. Deceſſore Noſtro approbatâ; mox etiam alio Proceſſu ejuſdem Clementis auctoritate conſtructo ſuper noviſſimo Miraculo, ut ferebatur, in Diœceſi Palentina edito, cujus pariter Proceſsûs validitas approbata fuit; De hujuſmodi Miraculorum relevantia, ſecundùm collectas probationes, à Dilecto Filio Magiſtro Ludovico de Valentibus Promotore Fidei diligenter excuſſas, actum primò fuit inter præfatæ Congregationis Conſultores coram Dilecto Filio Noſtro Antonio Xaverio tituli S. Stephani in Monte Cœlio Presbytero S. R. E. Cardinali Gentili nuncupato, hujus Cauſæ Ponente à Nobis deputato. Deinde, novis animadverſionibus ab eodem Fidei Promotore exaratis, iidem Conſultores coram univerſis Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus præfatæ Sacrorum Rituum Congregationi præpoſitis, in Quirinali Palatio Noſtro congregatis, ſententias ſuas dixerunt: Atque ita demum Cauſa plenè diſcuſſa, & per noviſſimas prædicti Promotoris animadverſiones accuratiſſimè cribrata, ad Noſtrum judicium delata fuit. Nos verò, omnibus geſtorum probationibus examinatis, & tam facti & juris allegationibus, quàm Peritorum judiciis & conſultationibus perlectis; auditis etiam oretenus tum Cauſæ Poſtulatoribus & Patronis, tum etiam præfato Promotore Fidei; Congregationem Generalem prædictorum omnium tam Cardinalium, quàm Conſultorum die ſecunda Junii anni 1744. coram Nobis coëgimus.

Et quamvis ex tam exquiſita rerum omnium diſcuſſione, ex Conſultorum ſuffragiis, quæ Nobis antea in ſcriptis oblata perpendimus, quin etiam in Summarium redacta eidem Cardinalium Congregationi per Noſmetipſos expoſuimus, ac denique ex conſiliis prædictorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum in eadem Congregatione à Nobis auditis, jam ſatis omnia videri potuiſſent clariſſima in luce collocata; Nihilominus, ut uberiorem cæleſtis luminis gratiam perſeveranti oratione impetrare mereremur, Noſtram adhuc ſententiam proferre diſtulimus, uſque ad diem Feſtum S. Bonaventuræ ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, quo die, celebrata Miſſa in Eccleſia S. Mariæ Ara-Cœli nuncupata, ſolemni Decreto edito, duo infraſcripta Miracula ipſius Beati Petri interceſſione à Deo obtenta approbavimus & publicavimus.

Primum eſt de Cæco illuminato, Didaco nimirum Sacerdote, cognomento Plaſentia, qui cum epileptico paroxiſmo correptus in domeſticum focum prunis ardentibus refertum corruiſſet, eoque caſu plenam ferventis aquæ ollam ſubvertiſſet, uſtu-

uſtulatâ facie, crematis palpebris, & oculorum acie labefactatâ, omnem videndi facultatem penitus amiſit, nec eam quatuor circiter menſium ſpatio, pluribus etiam remediis adhibitis, ulla in parte recuperavit. Verùm, quod neque à natura, neque à Medicorum arte obtinere jam amplius ſperabat, id ei ab Omnipotenti Deo mirabiliter conceſſum fuit per merita B. Petri Regalati, cujus Cucullum oculis ſuis admoveri curavit; dum ad illius Reliquiæ contactum, illicò perfectiſſimum oculorum uſum recepit, quem ad mortem uſque haud imminutum retinuit.

Alterum recentius Miraculum experta fuit Birgitta Ortega in ſanatione horrendi ulceris, quod ipſi ex prævio tumore, & interclusâ ſanie, in ſiniſtra lumborum regione obortum, cum integumenta omnia, quibus renes continebantur, & duas quoque coſtas maligna corruptione depaſcendo abſumpſiſſet, contracto demùm callo, & acerbiſſimis doloribus cum febri accedentibus, jam propè erat, ut ipſam Mulieris vitam præcideret. Cum tamen illa ad Beati ſepulchrum adduci ſe poſtulâſſet, ibique Ipſius opem apud Deum cum lacrymis implorâſſet, iter ingreſſa ut domum rediret, ſenſit ſe repentè ſanatam, atque ulceris locum inſpiciens, invenit ampliſſimam fiſtulam coaluiſſe, & cicatrice inductâ, nullas alias morbi reliquias jam ſupereſſe; Quin etiam auctis ſibi corporis viribus, optima deinceps uſa eſt valetudine, dum vita fuit.

His itaque duobus Miraculis cognitis & approbatis, illud definiendum ſupererat, an res eò adducta videretur, ut ad ſolemnem Beati Canonizationem tutò procedi poſſet: Qua in re quum jampridem dubitatum fuiſſet, an obſtaret Decretum à Nobis editum die XXIII. Aprilis Anni 1741., quo ſcilicet, inter alia, ſtatuimus, in Cauſis Servorum Dei per viam Cultûs immemorabilis, ſive Indulti procedentibus, & in quibus virtutes ex Teſtibus dumtaxat de auditu, ſive ex coævorum Scriptorum teſtimoniis probatæ fuiſſent, quum poſt approbationem Cultûs immemorabilis, ad ſolemnem Canonizationem tranſitus fieri vellet, non duo ſolùm, ut olim mos obtinuerat, ſed quatuor inpoſterum Miracula ritè probari debere: Hujuſmodi dubitatio à Nobis ſublata fuerat per aliud Decretum die ſecunda Auguſti ejuſdem anni prolatum, quo declaravimus, hanc Cauſam ab ea lege exceptam eſſe & cenſeri debere; ob eam nimirùm juſtiſſimam rationem, quod quum jam uſque à temporibus Urbani Papæ VIII., ut ſuprà diximus, unà cum heroicis Beati Petri virtutibus, quatuor ſimul Miracula approbata fuerint, jure dici poterat prædicto generali Decreto noſtro antecedenter paritum fuiſſe, proindeque ad ipſius Beati Canonizationem, non quatuor, ſed duo tantùm Miracula approbanda ſupereſſe. Itaque prædicta quæſtione propoſita in Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die XXII. Septembris Anni 1744., unanimis omnium ſenſus fuit, ut ad ſolemnem Beati Petri Canonizationem ſervatis ſervandis quandocumque procedi poſſet; Noſque ipſi deinde ſolemne Decretum in eamdem ſententiam edidimus die VI. Octobris ejuſdem Anni.

Cumque Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Philippus V., & Eliſabetha ejus Conjux, Hiſpaniarum Reges Catholici, cum reliquis ipſorum Regiæ Familiæ Principibus, oblatas jampridem à Prædeceſſoribus ſuis Apoſtolicæ Sedis preces & poſtulationes pro hujus Beati Viri Canonizatione omni ſtudio foverent, accederentque in eum finem complurium Venerabilium Fratrum Hiſpaniæ Antiſtitum, totiuſque Religioſiſſimi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci vota, & obſecrationes; Nos, ut in hoc graviſſimo negocio juxta præſcriptam ſervatamque à Prædeceſſoribus noſtris agendi normam procederemus, univerſi primum Collegii Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in Conſiſtorio ſecreto VI. Idus Aprilis coram Nobis congregatorum ſententiam atque conſilium exquiſivimus. Quibus, poſt auditam à Nobis geſtorum ſeriem, & Beati Viri præclara merita, ad legitimam Cauſæ hujus abſolutionem unanimi voce Nos adhortantibus, non viciniores modò, ſed etiam remotiores per Italiam Epiſcopos & Archiepiſcopos moneri curavimus, ut circiter Kalendas Junias, quibus commodum eſſet, ad Urbem ſeſe conferrent: quò & inſtantem Natalem diem Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli veteri more, nobiſcum unà celebrarent, & Nobis de ſæpedicti B. Petri Regalati, necnon BB Fidelis à Sigmaringa Martyris, Camilli de Lellis, & Joſephi à Leoniſſa Confeſſorum, & Catharinæ de Riccis Virginis, ſolemni Canonizatione deliberantibus, conſiliorum ſuórum ſuffragia, prout Spiritûs Sanctus ipſis ſuggeſſiſſet, exponerent.

Ut autem præclaræ ipſius Beati Petri virtutes, ejuſque inſignia Miracula, necnon adhibitæ cautiones in totius Cauſæ diſcuſſione, neminem laterent, indicto priùs coram Nobis plenario conſeſſu omnium Eccleſiaſticorum Ordinum, & Collegiorum, ac Magiſtratuum Romanæ Curiæ, mandavimus à dilecto Filio Joſepho Aſcevolino noſtræ

Digitized by Google

ſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocato de præmiſſis omnibus verba fieri; mox etiam exactam eorumdem narrationem ex authenticis documentis religiosè collectam, ac typis impreſſam, omnibus ſuffragium laturis exhiberi curavimus. Demum convocatos in Conſiſtorio ſemipublico die XI. currentis Junii univerſos Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui jam frequentes undique in Urbem convenerant, conceptis verbis requiſivimus, an ad ipſius Beati Petri Canonizationem deveniendum Nobis eſſe cenſerent. Ipſi verò ſummo animorum conſenſu, gravibuſque rationibus, omnes in affirmativam ſententiam ire comperti ſunt. Qua de re â dilectis Filiis Apoſtolicæ Sedis Notariis ibi præſentibus publica Inſtrumenta confici, ac præter ea ſuffragiorum ipſorum exempla â ſingulis prædictis ſubſcripta in Tabularium Eccleſiæ Romanæ inferri mandavimus.

Nos autem, priuſquam de ſumma rei definiendo pronunciaremus, ut, quid placitum eſſet coram Deo, ab ipſo Patre luminum edoceri mereremur, indictis per Urbem jejuniis, deſignatiſque Eccleſiis, cum Indulgentia ab iis conſequenda, qui Nobiscum Cæleſtem opem implorarent, orationibus, & obſecrationibus inſtare non prætermiſimus, donec hac die coruſcante Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Natalitio dicatâ, magnam venerandæ ſolemnitatis lætitiam, novo Eccleſiæ gaudio, per definitivæ hujuſmodi Sententiæ prolationem, cumulare decrevimus. Quare, præeuntibus ſupplicationis generalis ritu, omnibus primùm Cleri Regularis Ordinibus, tum Eccleſiarum Collegiatarum, & Baſilicarum, etiam Patriarchalium Cleris atque Capitulis, necnon præfatæ Congregationis Sac. Rituum Conſultoribus, Nos ipſi demum cum dilectis Filiis Aulæ Noſtræ Officialibus, & Familiaribus, cum Schola Cantorum, cunctiſque Romanæ Curiæ Prælatorum Collegiis, Presbyteris quoque Pœnitentiariis Sacerdotali veſte indutis, denique cum Venerabilibus Fratribus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, qui ad octoginta ferè adfuerunt, univerſoque Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E.Cardinalium Collegio, ex Apoſtolicis Ædibus prodeuntes, frequenti Procerum, & Magiſtratuum numero ſtipati, & ſubſequentibus Apoſtolicæ Sedis Notariis, ac Regularium Ordinum Generalibus Superioribus ad Baſilicam Beatiſſimi Apoſtolorum Principis in Vaticano, Cæleſtis Sponſæ ornatu fulgentem, Nos læti contulimus; quò Nos vocabat & ipſa memorabilis diei feſtivitas, & antiquiſſima Prædeceſſorum noſtrorum conſuetudo, quibus ſolemne fuit præclaros hujuſcemodi Sanctorum triumphos non alibi, quàm apud memoriam ejuſdem Beati Petri Apoſtoli, celebrare.

Ibi quum dilectus Filius noſter Joachimus tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter S. R. E. Cardinalis Portocarrero nuncupatus, perorante dilecto Filio Virgilio Montecatino noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocato, enixas, quas ſupra innuimus, ſupremorum Principum, Eccleſiarum, & Ordinum preces atque poſtulationes, pro Beati Petri Regalati, aliasque pro BB. Fidelis, Camilli, Joſeph, & Catharinæ Canonizatione Nobis inſtanter repræſentâſſet; Nos quidem ad graviſſimi Judicii definitionem, abſque iterata cæleſtis auxilii invocatione, procedere non audentes, decantatis cum Venerabili Conſacerdotum cætu & devotiſſimo Populo Sanctorum Litaniis, Deum Optimum Maximum per omnium electorum ſuorum merita precati ſumus, ut Sedium ſuarum aſsiſtricem ſapientiam in cor noſtrum immittere dignaretur. Cumque adhuc inſtantiùs pro exoptatæ Sententiæ prolatione ab eodem Cardinali Promotore urgeremur, Nos iterum in genua provoluti, Paraclitum Spiritum Sanctum Hymno, & Oratione ſolemni rogavimus, ut lucis ſuæ radium emittens, mentis noſtræ tenebras diſcuteret, & trepidantem adhuc fragilitatem noſtram virtutis ſuæ robore confirmaret. Denique ad reiteratas, & inſtantiſsimas præmiſſorum obſecrationes, quin potiùs ad manifeſta univerſæ Catholicæ Eccleſiæ vota, ad maturas deliberationes ritè præhabitas, & declaratum jampridem Eccleſiaſtici Senatûs conſilium reſpicientes, eâque auctoritate fulfulti, quam Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Beatiſsimis Apoſtolis Petro & Paulo, Nobiſque, licèt immerentibus, tribuit, in honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis augmentum, definitivo pronunciato Decreto, prædictum Petrum Regalatum, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Sacerdotem expreſsè Profeſſum, Regularis diſciplinæ adſertorem, & vindicem, Chriſtianarum virtutum præſtantia, & Miraculorum gloria fulgentem, unà cum ſupradictis Fideli, Camillo, Joſepho, & Catharina, Sanctum eſſe declaravimus, & Sanctorum Catalogo adſcripſimus; ſtatuentes ipſius Petri memoriam inter Sanctos Confeſſores non Pontifices ab Eccleſia univerſali quotannis die XIII. Maji pia devotione recoli debere; in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

Mox decantato pro debita gratiarum

actio-

actione conſueto Laudis, & Confeſsionis Hymnn, noſtriſque & Eccleſiæ precibus prædictorum Sanctorum interventioni commendatis, ad Aram Baſilicæ maximam ſupra Sacratiſſimam Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli, incruentam ſalutis noſtræ Hoſtiam oblaturi, reverenter acceſſimus. Porrò poſt Evangelicam Lectionem à Diaconibus utrâque linguâ recitatam, continere labia noſtra non potuimus, quin in tam juſtâ ſanctâque lætitiâ, ſacerdotalibus vocibus ex abundantia gaudii noſtri erumpentibus, ſplendidiſſimam alloqueremur Venerabilium Fratrum, dilectorumque Filiorum Coronam: ut, quos devota Religio, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, non ex Urbe modò, aut ex finitimis locis; ſed ex longinquis etiam & ultramarinis Regionibus, ad ſepulchra Apoſtolorum frequentes attraxerat, antiquis Beatorum Principum victoriis lætantes, & recenti Sanctorum triumpho plaudentes, ad eorum virtutes pro viribus imitandas, ad eorumdem Patrocinia ſtudiosè demerenda, atque in præſentibus potiſſimùm calamitatibus, quibus Eccleſia Dei jamdiu conflictatur, enixè imploranda, Paterno affectu & ſermone accenderemus. Denique, conceſsâ omnibus adſtantibus plenariâ peccatorum Indulgentiâ, bis verò, qui ſingulis annis, prædicta die XIII. Maji, ejusdem Sancti Petri Regalati exuvias, aliiſque ſtatutis diebus aliorum Sanctorum prædictorum ſepulchra devotè viſitaverint, ſeptem annis, & totidem Quadragenis de injunctis eis, ſeu aliàs debitis pœnitentiis, auctoritate prædicta in perpetuum relaxatis, Omnipotenti Deo vota noſtra reddentes, Sacroſancta Myſteria, pro totius Mundi ſalute, pro Eccleſiæ pace, pro ſanctæ Plebis incolumitate, ſolemni ritu peregimus.

Qooniam verò poſt prolatam à Nobis, ut præfertur, hujuſmodi Canonizationis, & Adſcriptionis Sententiam, ab eodem Cardinali Promotore Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut ſuper præmiſſis omnibus Apoſtolicas litteras perpetuò valituras decernere, atque edere dignaremur; ideo Nos juſtiſſimæ petitioni annuentes, præſentium litterarum tenore, atque ex certa ſcientia, & Apoſtolicæ auctoritatis noſtræ plenitudine, omnia & ſingula prædicta confirmamus, roboramus, atque iterum ſtatuimus, decernimus, univerſæque Catholicæ Eccleſiæ denunciamus; Mandantes, ut earundem præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ab omnibus habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Si quis verò paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, tertio Kalendas Julii, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubjunctis Cardinalium, qui ſubſcripſerunt, nominibus.

Bull. præd. tom. 2. fol. 86.

Beatum Joſephum à Leoniſſa, Ordinis FF. Minorum Capucinorum Sacerdotem, Albo Sanctorum inſcribit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

HUmani generis Redemptor, Dei Filius, Sapientia Patris, ita mentes Hominum, disjecta veteri, quâ operiebantur, caligine, novo doctrinæ cœleſtis ſplendore illuſtravit &c. *Reſiduum dabit ſupplementum Operis, ſeu tomus* VII.

Regulares ab Ordinariis Domicilii ordinari debere ſancit: caſu quo ad alios Antiſtites eos ablegari oporteret, in Dimiſſoriis, ab Ordinum Superioribus expediendis cauſam abſentiæ, vel alterius impedimenti Epiſcopi Diœceſani exprimi, & juncto Vicarii Generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii atteſtato muniri mandat, ac privilegium deſuper

ante Concilium Tridentinum, aut per communicationem conceſſum, nullum, & econtra poſt Concilium prædictum alicui Ordini directè, & expreſsè conceſſum, validum declarat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

IMpoſiti Nobis, licèt immerentibus, Apoſtolici Miniſterii ratio poſtulat, ut ad tuendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem, non modò novas interdum leges providè conſtituamus, verùm etiam veteres à Prædeceſſoribus noſtris ſapienter ſtatutas, ſi quidem fallacium rationum præſidio debitis fraudentur effectibus, novis & inviolabilibus ſanctionibus communiamus; ſi verò earum claritas pravis & captioſis interpretationibus involvi & obumbrari dignoſcatur, eaſdem perſpicuis apertiſque declarationibus in propria luce collocemus.

Sanè, quæ olim de Ordinationibus Regularium controverſia viguit, an ſcilicet Regulares à quocumque Catholico Antiſtite indiſtinctè ordinari poſſent, an verò id juris privativè pertineret ad Epiſcopum illius Diœceſis, intra quam ſita eſt Religioſa Domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus & declarationibus jamdudum ſublata fuit. In qua quidem controverſia Epiſcopi locorum Ordinarii jura ſua fundantes in generalibus Canoonm ſtatutis, & in ipſis exemptionum privilegiis, quæ Regularibus indulta ſunt, ajebant, ipſorum Ordinationes, utpote Diœceſanis Epiſcopis expreſsè reſervatas, neque ſpectare poſſe ad Ordinarios eorum Originis, quam Regulares à ſe abdicant, dum ſæculo nuntium remittunt; neque porro ad Ordinarios Beneficii, quoniam ipſi ad titulum Beneficii non promoventur; proindeque unicè ſpectare ad Epiſcopos Ordinarios eorum Domicilii, nimirum illius Diœceſis, ac loci, in quo ipſi Ordinandi commorantur. Contra verò Regulares Apoſtolicis privilegiis innixi, quæ certis Ordinibus recentiùs elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extenſa fuerant, licitum ſibi eſſe contendebant, Sacros Ordines à quocumque Catholico Antiſtite, juxta eorum Privilegiorum tenorem, pro arbitrio ſuſcipere.

Verùm, quum felicis recordationis Prædeceſſor noſter Gregorius Papa XIII. per ſuam Apoſtolicam Conſtitutionem, quæ incipit = *In tanta rerum* = datam apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1573. Kalendis Martii, juſtis gravibuſque de cauſis, alteram Conſtitutionem ſui, noſtrique pariter Prædeceſſoris S. Pii Papæ V., cujus initium eſt = *Etſi Mendicantium* =, ad juris communis & Sacri Concilii Tridentini terminos reduxiſſet, eodem quoque anno in Cauſa Monachorum Ordinis Carthuſiani Decretum edidit, quo ipſos ab Epiſcopis Diœceſûm, in quibus eorum Monaſteria reſpectivè ſita ſunt, vel nonniſi de iſtorum licentia, ab aliis quibuſque Epiſcopis ordinandos eſſe declaravit; quemadmodum legitur in *Lib.* I. Decretorum Congregationis Concilii *pag. 75. à tergo Dub. An Noſtri Ordinandi obligentur habere expreſſam licentiam Ordinarii, in cujus Diœceſi ſunt, pro Ordinibus conferendis ab Epiſcopo alterius Diœceſis = Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, declaravit, obligari.*

Contigit autem, ſub illius ſucceſſore Sixto Papa V. eandem quæſtionem retractari, inſtante univerſo Ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem Prædeceſſor, poſt maturum Cauſæ totius examen in præfata Congregatione Concilii habitum, conſtituit, licere Superioribus Regularibus litteras Dimiſſoriales concedere ſuis reſpectivè ſubditis, ad Ordines ſuſcipiendos; ſed eas tamen Diœceſano dumtaxat Epiſcopo directas, nec alteri unquam, niſi quum fortè is à Diœceſi abſuerit, aut, quatenus in Diœceſi extiterit, Clericorum tamen Ordinationem non ſit habiturus. Ita relatum habetur *Lib.* IV. prædictorum Decretorum *pag.* 108. = *Sanctiſſimus Dominus Noſter Xiſtus V., ex ſententia Congregationis, reſpondit, Regulares poſſe concedere Dimiſſorias ad Epiſcopum Diœceſanum, eoque abſente, vel etiam præſente, & Ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Demum à ſanctæ memoriæ Prædeceſſore quoque noſtro Clemente Papa VIII., ad hujuſmodi controverſias perpetuò extinguendas, ſequens Decretum editum fuit = *De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor*

eſt

Digitized by Google

eſt talis = Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas eſſet habiturus Ordinationes. Verùm, cum à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, Litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac aliàs arbitrio ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ reſervatas pœnas incurrant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. menſis Martii 1596.

Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure ſperandum videbatur hujus generis lites non ampliùs auditum iri; ſed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Epiſcopi ultramontes conſtituti contendere cœperunt, neceſſarias eſſe Regularibus Dimiſſorias etiam Ordinariorum eorum Originis, quò poſſent ab Epiſcopis aliorum locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera verò Regulares obtendentes, in præfato Clementis VIII. Decreto derogatum non fuiſſe Apoſtolicis privilegiis, quæ eorum Ordinibus, ſive directè, ſive per communicationem indulta fuerant, ut ſcilicet à quocumque Catholico Antiſtite ordinari poſſent, hujuſmodi Decreti vim & obſervantiam declinare ſe poſſe putârunt.

Verùm, quod attinet ad Epiſcopos, ipſa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni 1644., ut notatum reperitur *Lib.* XIX. ipſius Decretorum *pag.* 316. ita reſcripſit = *Regulares volentes ſe promovere ad Ordines, non teneri oſtendere Dimiſſorias Ordinariorum propriæ Originis, ſed ſufficere, ut obſervent formam deſcriptam in Decreto ſan. mem. Clementis VIII.* Quod etiam ampliſſimè confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17. Martii anni 1674., Decretorum *lib.* XXVIII. *pag.* 261., *& ſequentibus*.

Quod verò ſpectat ad Regulares, quum eorum præſumptum jus, unà cum rationibus ab ipſis pleniſſimè deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium à felicis recordationis Prædeceſſore noſtro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc exiſtentes noſtram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expenſum, & examinatum fuiſſet; cumque ad hujuſmodi quæſtionem definiendam, id potiſſimùm viſum eſſet in jure ſtatuendum, an ad effectum eximendi Regulares à præfati Decreti Clementini obſervantia, ſufficeret, quod Privilegia ſuſcipiendi Ordines à quocumque, ipſis conceſſa fuiſſent poſt Concilium Tridentinum, à quo hujuſmodi antiqua privilegia abrogata fuiſſe ſatis conſtat; an verò oporteret eadem conceſſa fuiſſe poſt ipſum Clementis Prædeceſſoris Decretum: Ac præterea, an hujuſmodi privilegia æquè ſuffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extenſa dicerentur; ac iis, quibus directè & expreſsè indulta fuerunt; Idem Innocentius Prædeceſſor, audito præfatæ Congregationis particularis conſilio, decrevit, ſatis eſſe, ad ſupradictum effectum, quod hujuſmodi privilegia poſt Concilium Tridentinum conceſſa fuerint, quamvis præfato Clementino Decreto poſteriora non ſint; dummodo tamen directè conceſſa fuiſſe conſtet, non verò in communicatione Privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata aſſerantur, quemadmodum ipſe Innocentius in ſuis Apoſtolicis litteris, incipientibus = *Apoſtolici miniſterii* =, die 30. Maji anni 1723. datis, ac deinde confirmatis à ſanctæ memoriæ Prædeceſſore pariter noſtro Benedicto Papa XIII. per alias ſimiles litteras datas die 23. Septembris anni 1724. quarum initium eſt = *In ſupremo* = apertè declaravit his verbis = *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, ſervetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum à piæ memoriæ Clemente VIII. Prædeceſſore etiam noſtro confirmatum die 15. Martii 1596., quo ſancitur, ad Epiſcopum Diœceſanum Litteras Dimiſſorias pro eorumdem Ordinum ſuſceptione à ſuis Superioribus eſſe dirigendas, præterquam in caſu, quo Diœceſanus à Diœceſi abeſſet, vel Ordinationes non eſſet habiturus: quo etiam caſu in litteris Dimiſſoriis ad alium Epiſcopum dirigendis expreſſa fieri debeat mentio, vel de prædicta Epiſcopi Diœceſani abſentia, vel de illa alia cauſa, videlicet, quod Ordinationes non ſit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, Regularibus illis, quibus per ſpeciale privilegium à Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum fuerit conceſſum, ut à quolibet* Ca-

Catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo indulto nihil per præſentes innovare intendimus.

Porro, ſi aliqui vigilias laboreſq; ſuos, non tam in extricandis inutilibus quæſtionibus, vel fortè in rebus profanis, & ab Eccleſiaſtica profeſſione alienis addiſcendis conſumerent, quàm in ſtudio ſacrarum legum, quibus Eccleſiaſtica diſciplina continetur, utiliter collocarent; ac niſi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atq; in legum etiam clariſſimarum interpretatione, ſuus cuique ſenſus pro auctoritate eſſet; nec olim Nobis in noſtro Bononienſi Archiepiſcopatu reſidentibus contigiſſet, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digreſſus, ſuique Superioris Dimiſſorias ad Epiſcopum finitimum deferens, tametſi nullo pacto docere poſſet, Nos Clericorum Ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratûs Ordinem ſuſciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non ſine pompa offerendum reverteretur; Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Canonicarum ſanctionum rigorem exigere, atque etiam, ſervata Paſtorali manſuetudine, vindicare non prætermiſimus; ut videre eſt in monito Paſtorali à Nobis tunc edito, *inter impreſſ. Monit.* 3. *Lib.* 11. Neque rurſus, ex quo ad univerſalis Eccleſiæ regimen, Deo ſic diſponente, aſſumpti fuimus, plurium Epiſcoporum Fratrum noſtrorum querelæ ad Apoſtolatum noſtrum delatæ fuiſſent; qui nimirum, non ſine magno animi noſtri dolore, apud Nos expoſtulare non deſinunt, à pluribus ſæpe Regularibus in eorum Diœceſibus reſpectivè commorantibus ſimilia perpetrari, in ſpretum Eccleſiaſticarum Legum, atque pœnalium ſanctionum, quibus ipſo facto adſtringuntur; (ſiquidem in authographo ſupra relati Clementini Decreti diſtinctè legitur = *incurrant* =; non autem, quod falsò nonnemo aſſeruit = *incurrent* =), dum ſcilicet, Superiores Regulares, qui ſubditis ſuis non ad præſcriptum ejuſdem Decreti Dimiſſorias Litteras concedunt, ſuorum Officiorum, ac Dignitatum, & vocis activæ, atque paſſivæ amiſſione mulctantur; Ordinati verò, ſuſpenſionis pœnam, atque etiam, ſi in ſuſcepto Ordine miniſtraverint, Irregularitatem incurrunt; ac denique Antiſtites, qui ipſis manus imponunt, non facilè effugiunt Canonicas pœnas adverſus eos propoſitas, qui alienos ſubditos abſque ſufficientibus Dimiſſoriis ordinare præſumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quòd, quum ex uſu rerum intelligere poſſint, complures Regulares non alia de cauſa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quàm ut ſe ſubducant examini Epiſcopi Diœceſani, cujus hac in re juriſdictionem, aut nimium rigorem perhorreſcunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi præmiſſo examine, Ordines ipſis impertiatur; quoties hujuſmodi facilitate erga illos utuntur, toties adverſus conſultiſſima Tridentini Synodi Decreta delinquunt: Ea ſiquidem *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de Reformatione*, ſic ſtatuit = *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quoad hoc penitus excluſis.*

Nos autem conſueta Sedis Apoſtolicæ clementia uti volentes, libenter abſtinemus à deſignandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum exceſſibus in hoc rerum genere graves Epiſcoporum querimoniæ ad Nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinatè ad hunc diem admiſſa ſunt, à diſtrictioris judicii inquiſitione liberamus; Quinimò omnes & ſingulos in hoc delinquentes, ſive Superiores Regulares, ſive Regulares ad Ordines promotos, ſive Antiſtites, qui eos ordinaverint, à quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas hac de cauſa reſpectivè antehac incurrerint, quibuſque innodati forſan exiſtant, auctoritatis noſtræ plenitudine, ac de Apoſtolica benignitate, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutos eſſe & cenſeri decernimus, & cum iiſdem ſuper quacumque irregularitate per eos forſan, cauſa & occaſione præmiſſis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia & ſingula eorum reſpectivè Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine diſpenſamus. De cætero tamen infraſcriptas leges inpoſterum omnino obſervandas, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione præmiſſa, edicimus atque ſtatuimus.

Quæcumque nimirum hac in re à præfatis Prædeceſſoribus noſtris Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII., & Innocentio XIII., in ſupracitatis ipſorum litteris, ſeu Decretis, ſtatuta, mandata, definita atque ſancita fuerunt, ea omnia & ſingula, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine præfatis, earundem præſentium ſerie, confirmamus, roboramus, & innovamus; atque ab omnibus, ad quos ſpectat, ſeu quandocumque in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari præcipimus & jubemus; Tranſgreſſores quoque omnibus pœnis in præmiſſis contentis, aliiſque per Apoſtolicas Conſtitutiones, & per ſacros Canones latis atque ſtatutis, cum effectu ſubjacere, eaſque ipſo facto & abſque aliqua declaratione incurrere decernimus;

Su-

Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas, ut præfertur, ſupradictus Clemens VIII. Prædeceſſor conſtituit & ſanxit; Regulares autem, qui contra illius Decreti præſcriptum promoti fuerint, & Antiſtites eos promoventes, Canonicas pœnas atque cenſuras, quæ adverſus ſacram Ordinationē ſuſcipientes ab Epiſcopo, qui proprius ad hunc effectum dici & haberi nequit, necnon adverſus Epiſcopos, alienos ſubditos indebitè ordinantes, in jure Canonico, & in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ habentur.

Præterea volumus atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimiſſoriæ, quæ ideo ad alium Antiſtitem directæ fuerint, propterea quod Epiſcopus Diœceſanus extra Diœceſim commoretur, vel Ordinationem non ſit habiturus, nullius ſint roboris & momenti, niſi illis juncta fuerit autentica atteſtatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, ex qua conſtet, vel ipſum à Diœceſi abeſſe, vel Clericorum Ordinationem habiturum non eſſe proximo legitimo tempore per Eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto: Hoc enim expreſsè declarari opus eſt, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui, quum Privilegio gaudeant ſuſcipiendi Ordines extra tempora, exiſtimârunt Epiſcopos ipſorum voluntati adeo additos eſſe debere, ut ſi, quandocumque ipſis placuiſſet ad Ordines promoveri, non ſtatim, ipſoque die ab ipſis deſignato, voti compotes fierent, jam dici poſſet, Ordinationem ab Epiſcopo non haberi, proindeque alius Epiſcopus pro ſuſcipiendis Ordinibus adeundus eſſet. Quod ſi aliquis Antiſtes Regularem Virum, in ſua Diœceſi proprium domicilium non habentem, ſolis ipſius Superioris dimiſſorialibus litteris contentus, ſine adjuncta præfata atteſtatione in forma probanti, ad Ordines promovere præſumpſerit, decernimus & declaramus, hunc ipſo facto incurrere in pœnas canonicas adverſus eos conſtitutas, qui alienum ſubditum legitimis Dimiſſoriis deſtitutum ordinaverint.

Quemadmodum verò eorum Ordinum Regularium privilegia firma & rata eſſe volumus, quibus ab Apoſtolica Sede reperitur indultum, ut eorum Alumni à quolibet Catholico Antiſtite ipſius Sedis gratiam & communionem habente ordinari valeant; dummodo hujuſmodi privilegia poſt Tridentinum Concilium, & ipſis Ordinibus nominatim atque directè, non autem per communicationem conceſſa fuerint; Ita porro omnia ſimilia privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum Concilium Tridentinum, ab ipſa etiam Apoſtolica Sede, & ſub quibuſcumque tenoribus & formis, indulta ſint, vel etiam poſt ipſum Concilium non ipſis directè conceſſa, ſed per communicationem ad eos extenſa eſſe dicantur, iiſdem auctoritate & tenore, nulla & irrita, omnique vigore ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus deſtituta & vacua eſſe volumus & ſtatuimus: Decernentes, hujuſmodi privilegia nequaquam poſt Concilium Tridentinum indulta cenſeri, niſi vel poſt ipſius Concilii confirmationem reipſa fuerint conceſſa, vel, quatenus antea conceſſa, & poſteriùs confirmata eſſe aſſerantur, hujuſmodi confirmationes *in forma ſpecifica*, cum litteralis veteris Indulti inſertione, ejuſque expreſſa innovatione, factæ dignoſcantur; ac declarationes alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmiſſum effectum ullo pacto ſuffragari. Quod verò ſpectat ad eorundem privilegiorum uſum & exercitium, monendi ſunt ii, quibus eadem, juxta præmiſſa, pleno jure competere dignoſcuntur, ut non ſine juſta cauſa, nec extra debitas circumſtantias, pro libito ipſis utantur; minimè verò ad oſtentandam dumtaxat ipſorum privilegiorum ſingularitatem; quemadmodum aliquibus in more poſitum eſſe novimus, qui pridie illius diei, quo ab Epiſcopo Diœceſano Clericorum Ordinationes publicè habendæ ſunt, ad alterius Epiſcopi Diœceſim conſultò migrant, moxque ſuſcepto ibidem Ordinationis munere, ad priſtinum domicilium redeunt; idque ſe facere ajunt, ut jurium ſuorum indemnitati conſulant; quaſi verò Apoſtolica Privilegia, nonniſi cum aperto Epiſcopi Diœceſani contemptu, ſuam vim & robur habitura forent.

Denique tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quàm dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Profeſſores, quàm maximo poſſumus Apoſtolicæ voluntatis ſtudio, per miſericordiam Dei noſtri, & per charitatem Sancti Spiritûs hortamur in Domino, & obteſtamur, ut tam in hoc negotio, quàm in cæteris omnibus, ſolliciti ſint unitatem ſpiritûs, & ſinceræ dilectionis concordiam ſervare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei; quod ipſis à Sacroſancta Oecumenica Lateranenſi Synodo ſub Leone X. habita, inculcatum fuit, per hæc verba = *Eoſdem inſuper Fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita & noſtra ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore & congruenti obſervantia venerentur* =. Neque obliviſcantur Epiſcopi, Regulares Viros ipſis datos eſſe adjutores in Dominicæ vineæ cultura;

ſubdit

ſubdit enim eadem ſancta Synodus = *Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes charitativè tractent, ac benignè foveant &c., & tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant* = Demum & Epiſcopi & Regulares ſimul animum advertant ad id, quod ibidem ſubjicitur = *Una eſt Regularium & Sæcularium, Prælatorum & Subditorum, exemptorum & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis* =.

Hæc profectò Chriſtianæ veritatis & charitatis documenta quum utrimque ſervata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticeſcent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recuſantibus Epiſcopis ſacram Ordinationem adminiſtrare, præterquam in temporibus ab Eccleſia ſtatutis, eorum privilegia de Ordinibus extra tempora ſuſcipiendis effectu vacua remaneant; Epiſcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facilè invenient. Epiſcoporum autem ceſſabunt querelæ, quod Superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini obſervantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, ſubditos ſuos domicilio moveant, eoſdemque ſtatim poſt ſuſceptos Ordines, falſis de cauſis ad priſtinum Monaſterium reverti jubeant; ſiquidem Regulares hujuſmodi agendi rationem (quam & aliàs in foro externo graviter vindicatam fuiſſe, & inpoſterum diſtrictè coërcendam fore noverint), tum à probi viri honeſtate & fide alienam, tum etiam debitæ erga ſacros Eccleſiarum Antiſtites obſervantiæ contrariam eſſe, ipſi per ſe facilè cognoſcent.

Præſentes verò noſtras litteras, & in eis ſtatuta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo, jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatûs, gradûs, ordinis, &c. Sicque & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, &c. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus &c. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum &c. Motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes &c. Utque earumdem præſentium tranſumptis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, tertio Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

Bull. præd. tom. 2. fol. 178.

Ordinem pro cauſis ſuper nullitate Profeſſionis Regularis maturè diſcutiendis, & validè definiendis, deinceps adhibendum præſcribit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SI datam hominibus fidem frangere, conventioneſque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet, multò magis neceſſe eſt obligatum Deo mentis propoſitum immutabiliter ſervari, Noſque præſertim, utpote ſacrarum legum cuſtodes à Deo conſtitutos, oportet earum pactionum, quæ Divino & Eccleſiaſtico jure indiſſolubiles ſunt, perpetuam firmitatem & obſervantiam aſſerere. Eam ob rem jam uſque ab anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. Pontificatûs noſtri Anno Secundo, Apoſtolicas litteras dedimus, incipientes: *Dei miſeratione*, in Bullario noſtro deinde editas *tom. 1. num. 33.*, quibus certum præſcripſimus ordinem, in Tribunalibus Eccleſiaſticis ſervandum, quum in ipſis diſcuti & definiri deberent Cauſæ, in quibus de nullitate alicujus matrimonii contracti ageretur; non eo quidem conſilio, ut, ſi quod fortè matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuiſſet, de illius nullitate judicium poſtulari, aut

fieri

ficri prohiberemus; ſed ut in hoc graviſſimo judicii genere, in quo de ſacro Connubiorum fœdere agitur, pleniori veritatis elucidationi conſuleremus; utque Judices, non ſine certiſſima cognitione omnium, quæ ad rem maximè conducunt, hujuſmodi vinculum ex tot rationibus inſolubile ſententiis ſuis, tamquam irritum ab initio, diſſolverent. Cujus quidem Conſtitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem apertè comprobatur; quum ex eo tempore, neque tot Cauſæ ſuper prætenſâ Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, nobis exhibeantur preces pro obtinendis diſpenſationibus ſuper Matrimonio rato & non conſummato, dum ſcilicet ante omnium oculos propoſitæ ſunt difficultates paulò quidem majores, ſed omnino juſtæ, quæ ex novo ordine à Nobis ſtatuto, cuilibet ſuperandæ ſe offerent, antequam optatum finem aſſequatur.

Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus à nobis proviſum fuit, ita nunc de ſpiritualibus animarum nexibus, de Religioſis videlicet utriuſque ſexûs Regularium Profeſſionibus, pari ratione ſtatuere decrevimus: nimirum certam normam, ac methodum tradere, quam obſervare debeant Judices Eccleſiaſtici, quoties judicia ſuper nullitate Profeſſionum in aliquo Ordine Regulari à Sede Apoſtolica approbato factarum, coram ipſis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui juſtis de cauſis hujuſmodi actiones intentare velint, ac poſtulent, Profeſſionem à ſe factam ex capite nullitatis irritam declarari; ſed ut ipſi Judices rerum veritatem in ſpecie dignoſcere, ſuaſque ſententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam ex ignorantia factorum, aliquem decernant ſolutum vinculo, dum is fortè, validâ ſolemnium votorum profeſſione emiſſâ, Religioſo Ordini, cui nomen dedit, re ipſa maneat adſtrictus. Qua ex methodo à nobis tradenda hunc fructum ſimiliter obventurum ſperamus, ut & rariores inpoſterum in Tribunalibus futuræ ſint Cauſæ ſuper prætenſa Profeſſionum nullitate; & qui deinceps hujuſmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, & conſequenter à Religione diſceſſerint, non ampliùs anxiâ aut male tutâ conſcientiâ vivant, ac propterea ad Nos, aut ad Officium Pœnitentiariæ noſtræ Apoſtolicæ, ut non ſemel eveniſſe novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris eſt, in precibus nomine, fatentes ſententiam ſuper Profeſſionis nullitate pravis artibus extortam à ſe fuiſſe, decepto Judice, vel per mendacia in facti expoſitione adhibita, vel per corruptos teſtes; ideoque flagitantes, ut ex gratia & diſpenſatione Apoſtolica, facultas manendi in ſæculo ipſis indulgeatur.

Ut autem ordinatè procedamus, diſtinguendum initio eſt inter Regulares illos, qui intra quinquennium à die factæ Profeſſionis, de illius nullitate actionem promovent; & eos, qui poſt elapſum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre eſt de illis decretum Sacræ Tridentinæ Synodi *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 19.* in hæc verba = *Quicumque Regularis prætendat, ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere, ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die Profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario.* In quo ſanè decreto, licèt in littera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam fœminæ Religionem profeſſæ comprehenduntur; quum ex regulis juris, maſculinum genus etiam fœmininum includat, ubi una eademque cauſa pro fœminis æque ac pro maſcolis militat. Quamvis autem Decreti verba ſatis clara ſint, variæ tamen quæſtiones circa eorum ſenſum ac vim excitatæ fuerunt.

Quum etenim ibi ſermo dumtaxat ſit de Regulari Profeſſo, qui ſuam Profeſſionem nullam fuiſſe contendat = *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem &c.*, nihil verò expreſsè ſtatuatur de ipſa Religione, cujus aliquandò intereſt alicujus Alumni ſui Profeſſionem irritam declarari; ut ſi quis, exempli causâ, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelâſſe, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forſan exiſtente, & non patefacto, ipſius admiſſio à Religione minimè rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujuſmodi caſu ſolus Superior Regularis ſine Ordinario procedere poſſet, an verò etiam in hac facti ſpecie diſcutienda eſſet Cauſa coram Regulari Superiore ſimul & Ordinario loci. Super quo Congregatio S.R.E. Cardinalium ad ipſius Concilii Tridentini Interpretationem ab Apoſtolica Sede deputatorum conſtanter decrevit, Cauſas hujuſmodi ſuper nullitate Profeſſionis, tam à Regulari Profeſſo, quàm à Religione intra quinquennium in judicium deductas, & à Superiore Regulari, & ab Ordinario loci ſimul cognoſcendas eſſe.

Quum

Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adverſus Profeſſionem, S. Synodus computandum voluerit *à die profeſſionis*; cumque potior, atque communior cauſa, quæ pro nullitate Profeſſionis adduci ſolet, in metu conſiſtat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perſeveret; quæſitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii deſumendum ſit ab ipſo die Profeſſionis emiſſæ, an verò à die, quo Profeſſus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem verò Congregatio declaravit, in utroque pariter caſu, conceſſum quinquennii tempus à die emiſſæ Profeſſionis eſſe computandum.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæſtio, an ſcilicet prædicti Ordinarius, & Superior Regularis cognoſcere poſſint Cauſas nullitatis Profeſſionis etiam poſt ipſum quinquennium, ubi nempe Profeſſus intra illius decurſum reclamaverit, ſed judicium proſequi deinde neglexerit aut nequiverit. Decretum eſt autem ab eadem Congregatione, coram præfatis Judicibus à Concilio memoratis agendam eſſe Cauſam, etiam poſt elapſum quinquennium, dummodò ſatis conſtet, eam intra præſcriptum tempus à reclamante ſeriò intentatam fuiſſe.

De ipſis autem Judicibus pro hujuſmodi Cauſarum cognitione à Sancta Synodo deſignatis, per ea verba = *coram Superiore ſuo, & Ordinario*, complures ſimiliter motæ ſunt quæſtiones, quæ majori eorundem verborum elucidationi cauſam dederunt. Et primò quæſitum fuit, quiſnam cenſendus eſſet Superior Regularis in caſu, & ad effectum, de quo agitur; utrum ſcilicet Provinciæ Rector, an Generalis Ordinis Moderator? Congregatio autem ejuſdem Concilii Interpres definivit eſſe Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, ſive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpoſitum ſeu Rectorem illius Monaſterii, aut Cœnobii; in quo reclamans Profeſſionem emiſit; eum nempe, qui hujuſmodi Monaſterii aut Cœnobii regimen exercet, quo tempore Cauſa ſuper nullitate Profeſſionis in judicium deducitur. Quæſitum item fuit, quiſnam Monialium proprius Superior dicendus ſit, ad effectum judicandi unà cum Ordinario de earum Profeſſionis nullitate? Reſponſum fuit, quod, ſi agatur de Monialibus Ordinario loci immediatè ſubjectis, tunc, quum nullus ſit earum Superior Regularis, ſolus Ordinarius judicat de Profeſſione reclamantium intra quinquennium: Si verò Moniales Regularium regimini ſubſint, tunc hujuſmodi Cauſæ judicandæ ſunt ab Ordinario loci ſimul, & à Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum eſt univerſum Monaſterii regimen, non autem à Confeſſario Regulari Monialium. Dubitatum eſt etiam, utrum Superior Regularis jus ſuum cedere poſſit Ordinario loci, eique permittere, ut in hujuſmodi Cauſis ſolus procedat, & judicet? Id autem prædicta Congregatio fieri poſſe negavit; permiſit tamen Superiori Regulari, ut, ſi judicium aſſumere nolit, aut non poſſit, alium ſubrogare valeat vel Regularem, vel etiam Eccleſiaſticum Sæcularem, juris Canonici peritum, qui unà cum Ordinario Judicis partes exerceat. Denique quæſitum fuit, ſi fortè Ordinarii & Superioris Regularis judicia inter ſe diſcrepantia extiterint, quodnam ex ipſis alteri prævalere debeat? At in hoc caſu reſponſum fuit, Cauſam ipſam ad Apoſtolicæ Sedis judicium devolutam cenſeri.

Quum verò inter capita nullitatis Profeſſionem Regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, ſi nempe aliquis Profeſſionem emiſerit in Cœnobio ad Novitiorum inſtitutionem minimè deſtinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Prædeceſſor noſter Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus à ſe edita vim habere mandavit: ſi quis ex hoc capite Profeſſionem à ſe factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam, ſi Religio intra idem quinquennium poſtulaverit alicujus Profeſſionem ex hujuſmodi capite irritam declarari: decretum extat à fel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædeceſſore noſtro, juſtis gravibuſque de cauſis, ac de conſilio præfatæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die 5. Januarii 1726., incipien. *Ad occurrendum*, quo ſtatutum fuit, hujuſmodi Cauſas ad eandem Congregationem privativè pertinere. Hæc ſunt potiora in hoc genere Decreta ex Regeſtis prælaudatæ Congregationis excerpta, quæ, licèt aliàs à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Apoſtolica auctoritate non ſemel approbata fuerint, & confirmata, Nos tamen eadem, præſentium litterarum tenore, atque auctoritate ſimili, novo approbationis & confirmationis noſtræ robore communimus, atque ab omnibus, ad quos ſpectat, ſeu reſpectivè ſpectabit, inpoſterum pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

Quibus ita conſtitutis, firmatâque pertinentiâ Cauſarum, quæ intra quinquennium à die Profeſſionis emiſſæ adverſus illius validitatem introducuntur; conſequens eſt, ut & ea indicemus, quæ de ordine ac methodo in hujuſmodi judiciis ſervanda, à Ma-

à Majoribus ſapienler conſtituta ſunt, tom ea proſeramus, quæ Nos ipſi opportunè addenda cenſuimus, quæque pari auctoritate, ac præſentium litterarum vigore, perpetuis futuris temporibus ſervsri volumus & mandamus. Jam de ipſa hujuſmodi Cauſarum introductione ootum eſt decretum ejuſdem Concilii Trideotini *cit. ſeſſ.* 25. *de Regular.*, *ut, ſi quir antea babitum ſpoutedimiſerit, nullatenus ad allegaudum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tamquam Apoſtata puniatur; interim verò nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur*. Ex quo ſequitur, Regularem poſtulaotem judicium fieri de ſuæ Profeſſionis nullitate, ab ipſo judicii limine repelli, niſi conſtet eum in Religionis ſuæ Clauſtris morari, & Habitum Regularem reſompſiſſe, ſi ipſum antea depoſuerit.

De probstionibus verò, licèt non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinarioſque locorum uſu receptum ſuiſſe, in re tanti momenti, judicia ſua fundare io extrajudicialibus atteſtationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de cætero uſurpari prohibemus; volentes, atque diſtrictè mandantes, ut ad adſlruendas probationes in hujuſmodi cauſis neceſsarias, verus & judicialis Proceſsus omnino conficiatur; in quo & Articnli exhibeantur ex parte illius, qui adverſus Profeſſionem agit; & Interrogatoria dentur ab ea parte, quæ ſtat pro ipſius Profeſſionis validitate; & Teſtes tam ſuper Articulis, quâm juxta hujuſmodi Interrogatoria examinentur: utque hac ſorma non ſervata, Proceſsus ipſe, & Sententia dependenter ab eo prolata, inſanabili nullitatis vitio corruere cenſeaotur: ſalva etiam diſpoſitione juris communis, quoad alia nullitatis capita, ſi quæ ſortè in ipſa Proceſsûs compilatione intervenerint.

Sub eadem pœna nullitatis decernimus atque ſtatuimus, ut in hoc judicio citari & audiri debeant tum Deſenſores Monaſterii, ſeu Cœnobii, in quo Profeſsus Vota Religioſa ſuſcepit, tum ipſius Profeſſi conſanguinei, ſive propinqui, ſive alii, quibus bona ſua donavit, aut ceſſit; uno verbo omnes, quorum intereſt illius Profeſſionem ſuſtineri; in primis autem ii citentur (ſi ſuperſtites fuerint) qui indicati erunt tamquam auctores aut complices metûs eidem incuſſi, ut Votis invitus ſe obſtringeret. Quemadmodum verò in citata Conſtitutione noſtra, quæ incipit: *Dei miſeratione*, decrevimus, ut in ſingulis Diœceſibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cujus officium eſset in cauſis Matrimonialibus in judicio ſtare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus & ſingnlis locorum Ordinariis committimus & mandamus, ut perſonam aliquam ſimilibus qualitatibus præditam in ſuis reſpectivè Diœceſibus eligant, cui *Deſenſoris Profeſſionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, injuncta, & reſpectivè applicata eſſe cenſeantur, quæcumque Nos in præcitatis litteris de Matrimonii Deſenſore ſtatuimus; Nos enim eadem omnia, præſentium tenore, ad hujuſmodi Profeſſionum Deſenſores expreſsè extendimus, & reſpectivè applicamus, & quoad iſtos pari modo locum habere decernimus. Id ſolum peculiariter pro Deſenſore Profeſſionis in præſentibus ſtatuentes, ut ſcilicet quidquid pro ipſius honorario, aut mercede, ſive pro expenſis in deſenſione Cauſæ occurrentibus, eidem præſtandum eſſe Judex prudenter arbitratus ſuerit, id omne ab illis exſolvi debeat, quibus à Profeſſo renunciata ſuerunt bona in Religionis ingreſſu dimiſsa; Si verò hi non exiſtant, aut ſi Profeſsus nihil renunciandum habuerit, ipſa Religio, quatenus ex illis ſit, quæ temporalia bona poſſident, ad hujuſmodi ſolutiones teneantur: *Si* autem nec adſint bona renunciata, nec Ordo Regularis, de quo agitur, quidquam poſſideat, tunc Deſenſori Profeſſionis ſatisfiat ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo Cauſa agitata fuerit, ſive alterius, prout in aliis prædictis litteris noſtris de Matrimonii Deſenſore ſtatuimus.

Latâ demum Sententia à Superiore Regulari, & ab Ordinario loci, ſi ea pro validitate Profeſſionis pronunciata fuerit, neque Profeſsus appellationem apponat, Cauſam finitam eſse non dubitatur. Si verò Profeſsus ad Judicem ſecundæ inſtantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem Cauſa retractanda ſuerit; in omnibus hiſce judiciis volumus ſimiliter Deſenſorem Profeſſionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorsùs modo, quo in citata Conſtitutione decrevimus, Deſenſorem Matrimonii, in ſecunda & ulteriori inſtantia, judicio ſemper adeſse. Ac ſicuti præterea ſtatuimus, hujuſmodi Deſenſoris partes eſse à ſententia Judicis primæ inſtantiæ pro Matrimonii nullitate latâ ad ulterioris inſtantiæ Judicem provocare; & formam proſequendi judicium in ulterioribus hujuſmodi inſtantiis præſcripſimus; ita porrò volumus, ut Deſenſor Profeſſionis à ſententia in prima inſtantia pro nullitate Profeſſionis edita appellare omnino debeat; atque in ſecunda ulteriori hujuſmodi Cauſarum reviſione,

eadem omnia volumus obſervari, quæ pro Cauſis Matrimonialibus in eadem Conſtitutione mandavimus.

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem conſtituimus adverſus eos, qui poſt unicam obtentam ſententiam pro prioris Matrimonii nullitate, ſive pendente appellatione, ſive eâ per incuriam aut fraudem Defenſoris non interpoſitâ, auſi fuiſſent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera Vota tranſire, niſi duæ ſaltem Sententiæ conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint: ita, ſi quis in Ordine Regulari Profeſſus, poſt unicam Sententiam favore Nullitatis Profeſſionis pronunciatam, ſive pendente, ſive omiſſa culpabiliter appellatione, è Clauſtris exire, à Religione diſcedere, quodque magis eſt, Habitum Regularem abjicere præſumpſerit, volumus, atque ſtatuimus, omnibus eum pœnis atque cenſuris à Sacris Canonibus, & à Conſtitutionibus Apoſtolicis contra Apoſtatas latis atque ſancitis, ſubjacere, & obnoxium eſſe, decernentes pariter, in hujuſmodi Cauſis de Profeſſionis nullitate, liberum Profeſſo non eſſe à Religione migrare, niſi duas ſaltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emiſſa Profeſſio nulla & irrita declarata fuerit.

Et primæ quidem Inſtantiæ Judices ſuper validitate Profeſſionum, quę intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut ſupra dictum eſt, Superior Regularis, ſimulque Ordinarius loci eſſe debent. Si verò eædem Cauſæ in ſecunda aut ulteriori inſtantia ſint diſcutiendæ, ſtatuimus, inhærentes antiquis quibuſdam ſæpedictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Decretis, quæ pariter tenore præſentium approbamus & confirmamus, ut Cauſæ hujuſmodi ad eos Judices devolvantur, ad quos de jure aliæ omnes Cauſæ Eccleſiaſticæ, poſt Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis reſpectivè devolvuntur: ita tamen, ut hi quoque Judices, ſicuti Ordinarius in prima inſtantia unà cum Superiore Regulari proceſſit, ſic & ipſi procedere & judicare debeant unà cum Superiore Regulari, non quidem illius Monaſterii, in quo reclamans profeſſus eſt, ſed alterius Monaſterii ejuſdem Ordinis in eorum Civitate aut Diœceſi exiſtentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monaſterii ejuſdem pariter Ordinis, ſeu cum alia perſona Eccleſiaſtica, cui, juxta præmiſſa, Superior ille, ad quem pertinet, ſuas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujuſmodi Cauſæ in ſecunda aut ulteriori inſtantia ad Sedem Apoſtolicam devolvantur, & à prædicta Congregatione Concilii, ſive ab altera ſuper Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditorio Rotæ, ut reſpectivè aſſolet, diſcutiendæ fuerint, nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari: qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii, juxta relatum ſuperiùs Urbani Prædeceſſoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Profeſſionis ex eo capite impugnatæ, quod facta fuiſſe aſſeratur in Monaſterio aut Cœnobio Religioſis Tyronibus inſtituendis minimè addicto.

Hactenus de judiciis ſuper nullitate Profeſſionis, quæ intra quinquennium à die ipſius Profeſſionis emiſſæ introducuntur, de quibus bne etiam declarando decernimus, ut, quæcumque in ſuperioribus ſtatuta ſunt, ea omnia locum habere & obſervari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis, Noſtri & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejusque Diſtrictu Vicarii in Spiritualibus Generalis: quoties hujuſmodi Cauſas intra idem quinquennium ipſius Tribunali Ordinario judicandas eſſe contingat. Jam verò videndum eſt de ejusdem generis Cauſis, quæ poſt elapſum quinquennium hujuſmodi, in judicium adducuntur.

Porro, quum Sancta Tridentina Synodus, poſt quinque annos ab emiſſa Profeſſione tranſactos, omnem aditum ad reclamandum Profeſſis intercluſum eſſe ſanxiſſet, per ea aperta verba ſuperiùs relata = *Non audiatur, niſi intra quinquennium à die Profeſſionis* =, adeo inhærendum hujuſmodi ſanctionis litteræ duxerunt Majores Noſtri, ut ſub piæ mem. Prædeceſſore Noſtro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula ſtatutum, nullius Cauſæ introductionem ſuper nullitate Profeſſionis, elapſo quinquennio, admittendam eſſe, etiamſi Profeſſio per vim & metum facta diceretur, atque probari vellet, hujuſmodi vim & metum toto quinquennii tempore permanſiſſe. Verba Decreti die 5. Martii 1698. editi, quæ habentur *Decretorum Congregationis Concilii tom. 9. fol. 55.*, hæc ſunt = *Gregorius XIII. ex Sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim & metum ſe Religionem profeſſos prætenderent, niſi intra quinquennium reclamaverint, eo elapſo, non eſſe audiendos, tametſi allegarent, vim & metum ſemper duraſſe.*

At verò procedentibus temporibus, non ſine juſtis gravibuſque Cauſis, ut planè perſuaſum habemus, inductum fuit, ut admitterentur inſtantiæ pro *reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii.*

Digitized by Google

De quibus tamen judicium facere ad Apoſtolicam Sedem ſemper privativè pertinuit, ſive ex parte Profeſſi, ſive ex parte Religionis inſtantiæ hujuſmodi proponerentur, ac, licèt ipſa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perſeverans dilata fuiſſe diceretur. Hoc enim remedium reſtitutionis in integrum, extraordinarium in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet aſſerto privilegio; ut patet ex compluribus in eandem ſententiam decretis ejuſdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quæ recenſita fuerunt in Decreto edito die 24. Septembris anni 1740. in Cauſa *Sicula Reſtitutionis in integrum*, quod à Nobiſmet ipſis die 28. ejuſdem menſis & anni approbatum & confirmatum fuit, quodque iterum præſentium tenore approbamus & confirmamus; reſervato Nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus jure concedendi Ordinariis & Superioribus localibus, in quibuſdam peculiaribus caſibus, facultatem examinandi etiam Cauſas reſtitutionis in integrum, ac ſuper ipſis pronunciandi, antequam ad ſententiam ferendam ſuper Profeſſionis validitate aut nullitate deveniant; ut non ſemel ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione factum fuiſſe non ignoramus.

Hujus autem judicii methodus diverſa quondam fuit ab ea, quæ in præſenti obſervatur. Antiquis enim temporibus, viſa probabili ratione, ſeu fumo, ut ajunt, cauſarum reſtitutionis in integrum, ea ab Apoſtolica Sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adverſus Profeſſionem, ut, licèt elapſum eſſet quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Judicibus competentibus actionem promovere poſſent; pro cujus judicii inſtructione deinceps à Superiori Regulari, & ab Ordinario loci legitimus conficiebatur Proceſſus, atque ſententia ſuper validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ ſanè methodus ſi hoc etiam tempore in uſu eſſet, oporteret Nos eorum præcipuè, quæ ad hujuſmodi judicium conſequentia ſunt, rationem habere, ac providere, ne unius tantùm ſententiæ vigore Profeſſiones Regulares diſſolverentur. Sed alius hodierno tempore eſt ordo, qui in præfatis Congregationibus, ſeu Tribunalibus Urbis, pro concedenda reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii obſervatur; Nam priuſquam ſuper eo quidquam decernatur, committitur Ordinario loci & Superiori Regulari, ut Proceſſum conficiant; eoque demum tranſmiſſo, proponitur dubium ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum, idque nonminus accuratè ac ſeverè examinatur, ac ſi dubium propoſitum eſſet ſuper ipſa validitate, aut nullitate Profeſſionis. Si autem petita in integrum reſtitutio concedatur, tunc Ordinario & Superiori locali committitur, ut ſententiam proferant ſuper controverſa Profeſſionis validitate. Sed quamvis in hujuſmodi Commiſſionibus plena ipſis relinquatur facultas judicandi ſive pro validitate, ſive pro nullitate Profeſſionis, prout ipſis juſtum viſum fuerit; uſu tamen compertum eſt, quod, cum iidem ſatis noverint, quàm diligenti & gravi judicio apud Sedem Apoſtolicam diſcuſſæ fuerint Cauſæ, propter quas reſtitutio in integrum conceſſa fuit; viſo dumtaxat hujuſmodi conceſſionis reſcripto, nec ulteriori inſtituto examine, ad ferendam pro nullitate Profeſſionis ſententiam ut plurimùm ſine dubitatione procedunt.

Accuratum hujuſmodi examen Cauſarum reſtitutionis in integrum apud Romanæ Curiæ Judices in more poſitum, non modò non immutare intendimus, verùm etiam approbatione noſtra ſingulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipſis inpoſterum obſervari volumus ac jubemus; hoc tamen addito, ut in Commiſſionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus & Ordinariis locorum pro conficiendis Proceſſibus, iiſdem ſub pœna nullitatis actuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defenſoris Profeſſionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt Teſtes, aliaque ad Officium ſibi impoſitum pertinentia diligentiſſimè præſtare. Item volumus, ut in ipſa propoſitione dubii ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum, tam in præfatis Cardinalium Congregationibus, Concilii Tridentini interpretationi, & Epiſcoporum ac Regularium conſultationibus præpoſitis, quàm in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Congregatione peculiariter forſan deputata, ſub ſimili nullitatis pœna, Defenſor Profeſſionis, ab eo, qui Tribunalis caput eſt, deputatus, expenſis eorum, de quibus ſuprà, ſemper & in omnibus actibus in judicio ſtare debeat; neque ſolùm in prima hujuſmodi dubii propoſitione, ſed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio reſtitutionis in integrum, unica favorabilis reſolutio nequaquam ſufficiat, niſi ea per ſecundam conformem, iterato Cauſæ examine, auditoque ſemper Defenſore Profeſſionis, confirmata fuerit; quemad-

admodum in altera Conſtitutione noſtra, præſentis initio allegatâ, de Cauſis ſuper nullitate Matrimonii conſtituimus; Nos enim præſentium tenore decernimus, ac ſub pœnis adverſus Apoſtatas ſancitis diſtrictè prohibemus, ne quis ſub clypeo unicæ reſolutionis pro conceſſione reſtitutionis in integrum obtentæ, è Religioſis Clauſtris migrare, multòque minus Habitum Regularem deponere audeat, ſeu præſumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, & altera reſolutio ſuper reſtitutione in integrum priori conſentanea, & ſententia ſuper nullitate Profeſſionis â Superiore Regulari & ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec niſi per hujuſmodi ſententiam, â prædictis Judicibus, præviis duabus reſolutionibus pro conceſſione reſtitutionis in integrum, legitimè latam, Judicium abſolutum cenſeri queat.

Quæ omnia ſi ita obſervabuntur, ut â Nobis conſtituta ſunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit inpoſterum, ſedulò obſervanda & implenda â Nobis preſcribuntur, & enixè inculcantur, profectò non dubitamus, quin multò rariores inpoſterum futuræ ſint inſtantiæ & contentiones eorum, qui vel intra quinquennium â die Profeſſionis emiſſæ, vel etiam eo elapſo, ſuſceptum Religioſæ vitæ Iuſtitutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certiùs obtinendum magnopere contulerit, ſi â Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admiſſionibus ea obſervabuntur, quæ & in eorum Conſtitutionibus, & in Decretis fel. recordat. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri ſtatuta ſunt, quæque omnia ab ipſis pleniſſimè obſervari & impleri, Nos pariter ipſis præcipimus ac jubemus; tum etiam ſi ipſi minus facilè conſenſum ſuum præbebunt, ut admittantur ad Profeſſionem Tyrones, ſive qui ætatem quidem â Concilio præſcriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quæ â Conſtitutionibus Ordinis ſtatuta eſt; ſive illi, qui licèt annum Novitiatûs expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulteriùs in eo manere deberent, juxta præſcriptum ſuarum peculiarium Conſtitutionum; multòque magis ii, qui nec per integrum annum, ſed per octo, aut ſex menſes dumtaxat Tyrocinium poſuerunt; ac demum, ſi ipſi Superiores haud ſe interponent, neque curabunt, ut Profeſſi ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcumque enim ſive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Conſtitutionibus, ſive in peculiaribus Ordinum ſtatutis, circa præmiſſa providè conſtituta ſunt, non parum habent momenti ad religioſam vocationem in hominum cordibus ſtabiliendum, & ad cohibendam verſatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut ſola, aut potiſſima cauſa eſt, qua Profeſſi adducuntur, ut vota, quibus obſtricti ſunt, irrita declarari cupiant. Neque verò Apoſtolica Sedes ullas unquam diſpenſationes in præmiſſis concedere conſuevit, niſi prævio aſſenſu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium; quibus nempe æquum & neceſſarium eſt fidem adhiberi in expoſitione Cauſarum, quas urgere aſſerunt pro concedendis diſpenſationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari poteſt, quod tamen apud pleroſque invaluiſſe conſtat, ut ſcilicet reclamantibus adversùs Profeſſionem ſive intra quinquennium, ſive poſt ejus decurſum, Superiores ipſi contradictores ſeſe non exhibeant, aut etiam apertè ſuffragentur; ex falſa nimirum opinione, quod Religioſorum Virorum ſocietate indignus cenſendus ſit, quicumque ab eo diſcedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortaſſe Clericus Sæcularis exiſtere poſſit. Nunquam enim licitum eſt juſtitiam deſerere aut prodere, quæ jubet omni ratione ſuſtineri actum adeo ſolemnem, & natura ſua irrevocabilem, in quo perficiendo, unà cum Profeſſo, ipſa quoque Religio intervenit.

Ad prædictum finem præterea quammaximè proderit, ſi & Eccleſiaſtici Præſules, & Judices, debitas officii ſui partes expleri non prætermittent. Eccleſiarum quidem Præſules, ſi anathemati ſubjectos declarabunt omnes & ſingulos, cujuſcumque qualitatis, conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, ſeu alias quaſcumque Mulieres invitas, præterquam in caſibus in jure expreſſis, coëgerint ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum Habitum cujuſcumque Religionis, vel ad emittendam Profeſſionem; juxta ſanctionem Sacræ Tridentinæ Synodi *Seſſ.25. Cap.18. de Regular.*, ubi etiam pares cenſuræ ſtatuuntur adverſus eos, qui in hujuſmodi factis conſilium, auxilium, vel favorem dederint; ac ſi omnes ſimiliter, quotquot auſi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad Vota profitenda, juſtis gravibuſque pœnis afficient. Judices verò, ſi, falſo ante omnia depoſito præjudicio, quo nonnulli arbitrantur latiſſimam viam, quoad fieri poteſt, aperiendam eſſe iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam juſtitiæ lancem expendent, & numerum, & qualitatem Teſtium, qui ad comprobandam nullitatem Profeſſionis inducuntur; & vim majorem â minori, metum gravem â levi, debilem â

con-

conſtantiori ſexu, interclusſam à permiſſa reclamandi facultate diſcernent; aliaſque omnes circumſtantias ſedulò animadvertent, quæ in hoc toto rerum genere ab Auctoribus conſiderari ſolent.

Itaque prædictis omnibus & ſingulis graviſſimè denunciamus, diſtrictèque præcipimus, ut in cunctis, quæ ad eorum officia pertinent, à juſtitiæ tramite, & à præſcriptis ſibi legibus ne minimum quidem diſcedant; ac meminerint, omnium, quæcumque geſſerint, ſeveriſſimam ſibi rationem, tum apud Divinum Judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos verò, ſi Deo placuerit, valetudinem nobis cum vita ſervare, non parum operæ conferre intendimus, quò planiùs atque faciliùs de Cauſis hujus generis ab ipſis inpoſterum judicari valeat. Siquidem Nobis propoſitum eſt cum conſilio delectorum Virorum in Theologica & Canonica facultate præſtantium, nonnullas quæſtiones accuratè examinare, ac dirimere, quæ varias ſpecies inducentes, juxta diverſas occurrentium caſuum circumſtantias, ancipites atque ſollicitos detinere ſolent Judicantium animos; ut Nobiſmet ipſis in minoribus olim conſtitutis non ſemel eveniſſe meminimus, quum pro munere Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujuſmodi Cauſas ad regulam Juris exigendas præ manibus haberemus. Ejuſmodi ſunt, exempli cauſa, quæſtiones: Utrum Profeſſio, quamvis initio nulla fuerit, per ſubſequentes tamen actus convalidetur? quinam ſint actus, ea quibus hujuſmodi convalidatio, ſeu ratificatio inducatur? & quid momenti habeat ad hunc effectum ſuſceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religioſæ paupertatis*? Præterea, ſi quis fortè ante legitimam ætatem ignorans Profeſſionem emiſerit, & in ea ignorantia per plures annos in Religionem permanſerit, ſeque validè Profeſſum exiſtimans, ea omnia, quæ Profeſſorum ſunt, unà cum Sociis præſtiterit, an hic deinde intelligens, qua ætate Vota emiſerit, non obſtantibus actibus veri Profeſſi à ſe geſtis, adhuc, præfatæ ignorantiæ præſidio, actionem habeat ad reclamandum adversùs Profeſſionem à ſe factam? an verò talis ignorantia nihil eidem ſuffragetur, quominus Profeſſionem initio nullam per ſubſequentes actus ratam habuiſſe cenſeatur? Item, an Profeſſus, qui in Profeſſionis actu impedimentum aliquod, ſive defectum, occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Conſtitutionum, quòd ſcilicet Religio ipſum cum hujuſmodi defectu aut impedimento forſan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Profeſſus, qui Religioni dolum ſtruxit, ejuſmodi commodum ea propria fraude deſumere poſſit, ut validitatem ſuæ Profeſſionis ex eo capite impugnare valeat? Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad ſuadendam Judici nullitatem Profeſſionis, quod reclamantes Profeſſi aſſerere ſæpe non dubitant, ſe in proferendis Religioſis Votis, mentem ſervâſſe alienam à propoſito ſe obligandi. Hæc omnia, aliaque ſimilia in hujuſmodi judiciis frequenter occurrentia, & in utramque partem hactenus diſputata, tum Noſtro, tum aliorum, quos, ut ſupra diximus, in conſilium advocaturi ſumus, diligenti ſtudio, Deo adjuvante, explanare deliberavimus.

Interim præſentes litteras, cum omnibus & ſingulis in ipſis decretis atque ſtatutis, firmas, validas, & efficaces exiſtere, ac perpetuò fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè & inviolabiliter obſervari volumus & decernimus. Sicque & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, &c.

Non obſtantibus, tam Cauſarum forſan ad hunc diem introductarum pendentiâ, quas quidem cauſas, in quibuſcumque ſtatibus & terminis de præſenti reperiantur, juxta ſuperiùs præſcripta omnino tractari, judicari, & definiri debere expreſsè decernimus; quàm Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, &c.

Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut earum præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam faciliùs deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad valvas Eccleſiæ S. Joannis in Laterano &c. Utque earumdem præſentium tranſumptis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum confirmationis, approbationis, voluntatis, mandatorum, ſtatutorum, decretorum, & declarationum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, quarto Nonas Martii, Pontificatûs noſtri Anno Octavo.

Bull. prædict. tom. 2. fol. 393.

NOTA

Digitized by Google

N O T A.

UT completa habeantur, quæ hanc Conſtitutionem reſpiciunt, illi Conſtitutio ſeu Bulla de validitate aut nullitate Matrimonii declaranda edita, & in priore iteratò citata ſubjungitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

DEI miſeratione, cujus judicia incomprehenſibilia ſunt, & viæ inveſtigabiles, in ſuprema Eccleſiæ ſpecula immerentes conſtituti, ut ſuper univerſum Dominicum gregem excubias ſedulò agamus, ad commiſſum paſtoralis officii munus pertinere dignoſcimus, ſubnaſcentes ex infernalis hoſtis aſtutia, & hominum malitia abuſus, quibus & animarum ſaluti perniciės, & Sacramentis Eccleſiæ injuria infertur, radicitus evellere, & poteſtatis Nobis deſuper traditæ operam interponere, ut & humana cobibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis ſervetur auctoritas.

Siquidem Matrimonii fœdus à Deo inſtitutum, quod & quatenus naturæ officium eſt, pro educandæ prolis ſtudio, aliiſque Matrimonii bonis ſervandis, perpetuum, & indiſſolubile eſſe convenit; & quatenus Catholicæ Eccleſiæ Sacramentum, humana præſumptione diſſolvi non poſſe, Salvator ipſe ore ſuo pronunciavit dicens: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet: *ad aures Apoſtolatûs noſtri pervenit, in quibuſdam Eccleſiaſticis Curiis inconſulta nimis Judicum facilitate infringi, & temerè atque inconſideratè de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis ſententiis, poteſtatem Conjugibus fieri tranſeundi ad alia vota. Quos ſanè improvidos Judices humanæ naturæ conditione, & voce ipſa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indiſſolubilem primus humani generis Parens præmonuit inquiens:* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: *Et illud additum eſt:* Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.

Hujuſmodi autem abolendæ pravitatis notitia diverſis ex Partibus Nobis delata eſt, atque etiam indicata ſunt exempla nonnullorum Virorum, qui poſt primam, & ſecundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam Judicum præcipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus ſuperſtitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant, & ſimiliter fœminarum, quæ poſt primum, ſecundum, & tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, ſe junxerant, non ſine puſillorum ſcandalo, & Bonorum omnium deteſtatione, qui ſacra Matrimonii vincula ita contemni, & temerè perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, & non prætermiſimus Apoſtolicæ Noſtræ ſollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatûs Noſtri anno ad Epiſcopos illarum Partium, in quibus prædicta acciderant, pleniſſimis datis litteris, graviter conqueſti ſumus de hujuſmodi pravitate, quæ in Eccleſia Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & paſtoralem zelum attendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Epiſcopis, ubi hujuſmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum uſum irrepſiſſe cognovimus.

Verùm Nobis reſponſum eſt, id ſæpe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus vel in prima inſtantia, cum cauſa coram Judice ordinario ex aliqua legitima cauſa cognoſci nequit, vel in ſecunda, cum in partibus nullus adeſt Judex, ad cujus Tribunal Cauſa in gradu appellationis devolvatur, vel ſi adeſt, juſta de cauſa coram eo diſceptari nequit, cauſæ matrimoniales hujuſmodi à Sede Apoſtolica committuntur, qui vel ob inſcitiam, vel ob malam voluntatem proclives ſunt ad Matrimonia diſſolvenda, atque eadem Matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto Conjugum ſuper nullitate ſuorum Matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantùm eorum, qui diſſolutionem Matrimonii poſtulat, in judicio compareat, & Sententia, nulla contradicente, ſecundum ſua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus

Con-

Conjugibus in Judicium venientibus, alter, qui pro Matrimonio, alter verò, qui contra agit, Sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus eſt, qui ad ſuperiorem Judicem appellationem interponat, vel quia Litigantes in ſpecie quidem diſcordes, revera inter ſe concordes ſunt, & invicem colludentes contractum Matrimonium diſſolvi cupiunt; vel quia Pars, quæ pro validitate Matrimonii ſtabat, ejuſque nullitatem acriter contra Adverſarium impugnabat, lata à Judice Sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia ſibi ad ſumptus litis non ſuppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum neceſſariis, & inceptum opus, ac cauſam poſt primam Sententiam deſerit: Quo fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum Matrimonium ſe conferat.

Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Litigantium commodo cauſæ matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de juſtitia unicuique integrè ſapienterque adminiſtranda ſolliciti eſſe debemus, encyclicis litteris ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſcriptis vigeſima ſexta Auguſti Anno ſecundo Pontificatûs Noſtri, providere curavimus, in quibus ea præſcripſimus, quæ Canonibus, & Concilii Tridentini decretis conſona, ſi diligenter, ut ſperamus, ſerventur, inpoſterum cauſæ nonniſi perſonis congrua juris peritia, & neceſſario probitatis, ſpectatæque fidei munitis præſidio committentur. Inſuper ad ea, quæ in iiſdem encyclicis litteris conſtituta ſunt, id etiam in præſenti adjungimus: Quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo cauſæ matrimoniales ſubtractæ fuerunt Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum Judicio, & Epiſcoporum tantùm examini, & juriſdictioni reſervatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliiſque inferioribus, qui in eadem Diœceſi conſtituti, vel privilegio aliquo, vel præſcriptione, ſaltem in viſitatione cauſarum matrimonialium cognitionem ſibi arrogabant; idcirco minimè obſtet commiſſionibus, quæ pro iiſdem cauſis matrimonialibus definiendis à Sede Apoſtolica alicui coram in ſecunda inſtantia fierent; nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, ad quos hujuſmodi commiſſionum, ſeu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum cauſarum matrimonialium cognitionem non committant niſi Epiſcopis præſertim vicinioribus, vel, ſi nullus ſit Epiſcopus, cui ex legitima cauſa commodè committi poſſit, tum commiſſio, & delegatio dirigatur uni ex iis, qui ſecundùm ordinem & modum à Nobis in præfatis encyclicis litteris præſcriptum pro Judice idoneo ab Epiſcopo cum conſilio ſui Capituli nominatus fuerit.

Quod verò ad ordinem, & ſeriem judiciorum in cauſis matrimonialibus pro debita, & congrua earum terminatione ſervandum ſpectat, motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra in perpetuam valitura ſanctione conſtituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, & ſingulis Locorum Ordinariis in ſuis reſpectivè Diœceſibus perſona aliqua idonea eligatur, &, ſi fieri poteſt, ex Eccleſiaſtico Cœtu, juris ſcientia, pariter & vitæ probitate prædita, quæ Matrimoniorum Defenſor nominabitur, cum facultate tamen eam ſuſpendendi, vel removendi, ſi juſta cauſa adfuerit, & ſubſtituendi aliam æquè idoneam, & iiſdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotieſcumque perſona ad Matrimoniorum defenſionem deſtinata, cum ſe occaſio agendi obtulerit, erit legitimè impedita.

Ad officium autem Defenſoris Matrimoniorum hujuſmodi, ut ſuprà, electi, ſpectabit, in judicium venire, quotieſcumque contigerit, matrimoniales cauſas ſuper validitate, vel nullitate coram legitimo Judice diſceptari, cumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adeſſe examini teſtium, voce, & ſcriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad Matrimonium ſuſtinendum neceſſaria cenſebit.

Et demum Defenſoris hujuſmodi perſona, tanquam Pars neceſſaria, ad judicii validitatem, & integritatem cenſeatur, ſemperque adſit in judicio ſive unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, ſive ambo, quorum alter pro nullitate, alter verò pro validitate in judicium veniant. Defenſor autem, cum ei munus hujuſmodi committetur, juramentum præſtabit fideliter officium ſuum obeundi, & quotieſcumque contigerit, ut in judicio adeſſe debeat pro alicujus Matrimonii validitate tuenda, rurſus idem juramentum præbebit: quæcumque verò, eo non legitimè citato, aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, caſſa declaramus, ac pro nullis, caſſis, ac irritis haberi volumus, perinde ac ſi citata, & intimata non eſſet ea Pars, cujus citari intererat, & quam juxta legum, & canonum præſcripta ad legitimam judicii validitatem citari aut intimari omnino neceſſarium erat.

Cum igitur coram Ordinario, ad quem cauſas hujuſmodi cognoſcere pertinet, controverſia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, & exiſtentibus in judicio vel uno ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter verò pro nullitate actionem intendat, Defenſor Matrimonii partes

omnes

Digitized by Google

amnes officii ſui diligenter adimpleat. Itaque ſi à Judice pro Matrimonii validitate judicabitur, & nullus ſit, qui appellet, ipſe etiam ab appellatione ſe abſtineat; idque etiam ſervetur, ſi à Judice ſecundæ inſtantiæ pro validitate Matrimonii fuerit judicatum, poſtquam Judex primæ inſtantiæ de illius nullitate Sententiam pronunciaverat; ſin autem contra Matrimonii validitatem Sententia feratur, Defenſor inter legitima tempora appellabit adhærens Parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus ſit, qui pro Matrimonii validitate negotium inſiſtat, vel, ſi adſit, lata contra eum Sententia, judicium deſeruerit, ipſe ex officio ad ſuperiorem Judicem provocabit.

Appellatione à primo Sententia pendente, vel etiam nullâ ob malitiam, vel oſcitantiam, vel colluſionem Defenſoris, & Partium interpoſitâ, ſi ambo, vel unus ex Conjugibus novas nuptias celebrare auſus fuerit, volumus ac decernimus, ut non ſolùm ſerventur, quæ adverſus eos, qui Matrimonium contra interdictum Eccleſiæ contrahunt, ſtatuta ſunt, præſertim, ut invicem à cohabitatione ſeparentur, quoadusque altera Sententia ſuper nullitate emanaverit, à qua intra decem dies non ſit appellatum, vel appellatio interpoſita deſerta deinde fuerit; Sed ulteriùs, ut contrahens, vel contrahentes Matrimonium hujuſmodi omnibus pœnis contra Poligamos à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis conſtitutis omnino ſubjaceant, quas in eos, quatenus opus ſit, motu, ſcientia, ac poteſtate ſimili rurſus ſtatuimus, decernimus ac renovamus.

Poſteaquam verò appellationis beneficio ad alterum Judicem cauſa in ſecunda inſtantia delata fuerit, omnia, & ſingula, quæcumque coram Judice in prima inſtantia ſervanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in ſecunda exactè ac diligenter cuſtodientur, citato in quolibet Judicii actu defenſore Matrimonii, qui voce, & ſcripto matrimonii validitatem ſtrenuè, ac pro viribus tuebitur, & ſi Judex in ſecunda inſtantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apoſtolicæ Nuncius, aut Epiſcopus vicinior, Matrimonii Defenſor ſit, qui ab ipſis fuerit deputatus, quemadmodum ipſis deputare mandamus, ut, quæ à Nobis ſuperiùs conſtituta ſunt, peragere poſſit; ſi autem Judex in ſecunda inſtantia erit Judex Commiſſarius, cui à Sede Apoſtolica cauſæ cognitio demandata ſit, & qui Tribunal, & juriſdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat Defenſore Matrimonii, volumus, ut illo Defenſore Matrimonii utatur, qui conſtitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Diœceſi cauſam cognoſcet, etiamſi idem Ordinarius ſit, qui primam Sententiam in eadem cauſa pronunciaverit.

Inſtructo autem in hunc modum judicio, ſi ſecunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc eſt, ſi in ſecunda æquè, ac in prima nullum ac irritum Matrimonium judicatum fuerit, & ab ea Pars, vel Defenſor pro ſua conſcientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpoſitam proſequendam minimè cenſuerit, in poteſtate, & arbitrio Conjugum ſit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam cauſam id vetitum non ſit; poteſtas tamen poſt alteram Sententiam conformem, ut ſupra, Conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, ſalvo ſemper, & firmo remanente jure, ſeu privilegio cauſarum Matrimonialium, quæ ob cujuſcumque temporis lapſum nunquam tranſeunt in rem judicatam; Sed ſi novæ res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, reſumi poſſunt, & rurſus in judicialem controverſiam revocari. Quod ſi à ſecunda Sententia ſuper nullitate, vel altera Pars appellaverit, vel hujuſmodi ſit, ut ei ſalva conſcientia, Defenſor Matrimonii acquieſcendum non putet, vel quia ſibi videtur manifeſtè injuſta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia inſtantia, & ſit revocatoria alterius præcedentis ſuper validitate in ſecunda inſtantia emanatæ, volumus, ut firma remanente utrique Conjugi prohibitione ad alias tranſeundi nuptias, quas ſi contrahere auſi fuerint, pœnis, ut præfertur, à Nobis conſtitutis ſubeſſe decernimus, cauſa in tertia vel quarta inſtantia cognoſcatur, ſervatis diligenter omnibus, quæ à Nobis in prima, & ſecunda inſtantia demandata fuerunt, nempe in quolibet judiciali actu citato, & audito Defenſore Matrimonii, qui à Judice tertiæ inſtantiæ deputatus fuerit. Defenſor autem Matrimonii, quem ad munus ſuum gratis obeundum pro amore Dei, & proximi utilitate, & Eccleſiæ reverentia in Domino hortamur, ſi operam ſuam ſine mercede aut ſalario aliqua ex cauſa exhibere recuſaverit, ab ipſius Cauſæ Judice ei conſtituatur, & ab ea Parte, quæ pro validitate Matrimonii agit, ſi ipſi facultas ſit, ſolvatur; ſin minus à Judice primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ inſtantiæ reſpectivè ſubminiſtrabitur, qui pecunias ex mulctis ſuorum Tribunalium redactas, vel redigendas, & in opera pia erogandas in hujuſmodi ſumptus inſumere poterunt. Cum verò Judices cauſæ erunt Judices Commiſſarii, qui neque forum habent, & conſequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut Defenſori Matrimonii ſatisfiat ex pecunia mulctarum illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Judex Commiſſarius juxta Sedis Apoſtolicæ mandatum juditium exercebit.

Hocte-

Hactenus quidem quoad cauſas Matrimoniales, quæ extra Romanam Curiam pertractantur: Quoad cauſas verò, quæ Romæ diſceptandæ ſunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe, ejuſque Suburbiis, & diſtrictu Vicarium noſtrum in Spiritualibus pro tempore ſpectet, mandamus ac jubemus, ut omnia & ſingula, quæ in aliis cauſis extra Romanam Curiam pertractandis præſcripta fuerant, nempe, ut judicium peragatur, citato & audito Defenſore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut ſupra, omnino ſervetur, tum etiam in aliis cauſis, quæ in prima instantia ex conſenſu Partium, vel in ſecunda per appellationem ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo medio interpoſitam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes judicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium ſuper interpretatione, & executione Concilii Tridentini, vel in cauſarum Palatii noſtri Auditorio, dummodo Nobis, & Romano Pontifici pro tempore juſtis ex cauſis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanæ Curiæ Prælatorum deputanda. Cum autem cauſa ſuper Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Defenſor Matrimonii à Cardinali Præfecto ejuſdem Congregationis, ſi verò in Palatii noſtri Auditorio, ab Auditore Decano præfati Tribunalis, ſi demum in Congregatione particulari, à Perſona ejuſdem Congregationis digniore deputetur. Unica quidem reſolutio pro nullitate Matrimonii emanata, ſi cauſa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoſcatur, & ſimiliter in Palatii noſtri Auditorio unica Sententia ſuper eadem nullitate pronunciata minimè ſufficiat ad tribuendam liberam Conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi, ſed, ſi cauſa in præfata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rurſus in eadem ad Defenſoris Matrimonii inſtantiam reproponatur; Si verò Congregationi particulari commiſſa fuerit, ad petitionem ejuſdem Defenſoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; Si verò in Palatii noſtri Auditorio judicata ſit, à præfata Defenſore appellatione interpoſita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum ſeu turnum definiatur, ſi autem cauſa univerſo Tribunali commiſſa fuerit, ab omnibus Auditoribus rurſus examinabitur, volentes omnino, ut nullo in caſu Matrimonii vinculum diſſolutum cenſeatur, niſi duo judicata vel reſolutiones aut Sententiæ penitus ſimiles, & conformes, à quibus neque Pars, neque Defenſor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint, quod, ſi ſecus factum fuerit, & novum initum Matrimonium noſtræ voluntatis hujuſmodi tranſgreſſores pœnis à Nobis, ut ſupra, ſtatutis ſubmittantur.

Et quoniam ſæpe apud Sedem Apoſtolicam preces porrigi ſolent pro diſpenſatione Matrimonii rati, & non conſummati, quæ ut plurimùm pro voto conſultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam à Romanis Pontificibus pro tempore remitti ſolent, ut hujuſmodi inſtantiæ ordinatè ac ritè procedant, volumus ac mandamus, ut ſupplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accurata totius facti ſpecies contineatur, cauſæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam diſpenſationem conducere poſſe à ſupplicante cenſentur, ut Romanus Pontifex eo lecto, & maturè conſiderato, ſecum deliberare poſſit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat, à qua, poſteaquam ſuum votum conſultivum editum fuerit, à Secretario ejuſdem Congregationis totius negotii ſeries exactè Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro ſua prudentia judicabit, an Congregationis reſolutio ſit approbanda, vel potius totius cauſæ examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rurſus committendum.

Demum volumus ac decernimus, eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, &c. Volumus autem, ut præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, ſtatuti, conſtitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem tertio nonas Novembris Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Bull. præd. tom. 1. fol. 81.

Tum Clauſtralibus ; tum aliis collegialiter viventibua Monialibus, ac Mulieribus & Puellis in iis exiſtentibus Confeſſarium extraordinarium ab eo Superiore, ad quem electio Confeſſarii ordinarii ſpectat, bis vel ter in anno, necnon in periculo mortis, in caſu inſuperabilis reluctantiæ, ac aliàs peculiaris indigentiæ, & ſaltem ſemel ex tribus vicibus, Sæcularem vel Regularem deputari mandat, negligentiæ Superiorum providet, Confeſſarium hujuſmodi, non obſtante quocunque privilegio, ab Ordinario approbari debere ſancit, & durante extraordinarii Confeſſarii munere Ordinarii officium ſuſpenſum declatat &c.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servua Servorum Dai.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis curæ Nobis impoſitæ munus hanc inter alias ſollicitudinem à Nobis expoſcit, ut puſillorum animis in afflictione & anguſtia conſtitutis opportuna ſolatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conſcientiæ tranquillitatem recuperare aut conſervare valeant, ſine qua impoſſibile eſt debitam Omnipotenti Deo ſervitutem alacri & prompta affectione exhibere; Hujuſmodi angoribus & afflictionibus confici paſſim conſtat Religioſas Mulieres in Clauſtris degentes, quibus certus & unicus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter à Monaſterii Prælato ad tres ut minimum annos deſignari ſolet; cui ſi aliquando præ pudore, vel alia quapiam de cauſa, non omnes conſcientiæ ſuæ receſſus aperire audeant, atque ideo Confeſſionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis æternæ ſe ipſas miſerè conjiciunt. Quod ſanè haud raro evenire, ſatis Nobis exploratum atque compertum eſt, tum ex iis, quæ in Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus conſtituti plurium annorum ſpatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio ſuſtinuimus, tum etiam ex iis, quæ in Epiſcopalis Anconitanæ primùm, deinde in Metropolitanæ Bononienſis Eccleſiæ regimine, frequenti uſu cognovimus, tum demum ex his, quæ ſæpiùs ad Nos in Petri Cathedra octavum jam annum Dei miſeratione reſidentes, deferri contingit, ſive ex parte diverſarum hujuſmodi Monialium, quæ animarum ſuarum anguſtias paternis oculis Noſtris identidem ſubjicere coguntur, ſive ex parte Venerabilium Fratrum noſtrorum Eccleſiarum Antiſtitum, qui Nobis earundem Monialium in ſuis Diœceſibus exiſtentium calamitates, ex præallegata cauſa ortas, aut viva voce, aut per litteras non ſemel repræſentârunt, ac ſuper ea re Apoſtolicæ providentiæ opem poſtulârunt. Hinc eſt, quod Nos earum ſpiritualibus indigentiis per hanc noſtram perpetuò valituram Conſtitutionem opportunè proſpicere volentes, non quidem intendamus conſultiſſimam illam, & veteris diſciplinæ auctoritate roboratam legem tollere, aut abrogare, qua generaliter ſtatutum eſſe dignoſcitur, ut pro ſingulis Monialium Monaſteriis unus dumtaxat Confeſſarius deputetur, qui Sacramentales Confeſſiones univerſæ earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confeſſarium pro libito ſibi deligere; ſed hoc dumtaxat Nobis propoſitum eſt conſtituere, ut, ſi quando generalis hujuſmodi legis rigor, in peculiaribus caſibus, non ſine animarum detrimento aut periculo, ſervari poſſe videatur, in promptu ſit opportunæ diſpenſationis & indulgentiæ remedia occurrentibus neceſſitatibus admovere.

Sanè jamdudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps, Eccleſiæque Doctor, *in Supplemento tertiæ Partis, quæſt.8. art.4. ad ſextum*, ſive *in quartum ſententiarum*, ex quo Commentario deſumptum eſt hujuſmodi *ſupplementum*, hoc Superioribus monitum dedit, ut ſubditis ſuis, quibus certum & unicum Confeſſarium deſignare ſolent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata ſua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi & imbecilles animo reperiuntur, qui potiùs eligerent ſine ſacramentali expiatione ex hac vita migrare, quàm ipſa peccata certo alicui Sacerdoti à Superiore deſignato aperire. Jam verò Sacroſancti Concilii Tridentini Patres, hanc legem diſtrictè ſanxerunt, *ſeſſ.25. cap.10. de Regular.*, ut Epiſcopi, aliique Monaſteriorum Prælati, ſubjectis ſibi Monialibus Confeſſarium extraordinarium, duabus, aut tribus vicibus in ſingulos annos, exhibere debeant; per hæc verba = *Præter ordinarium autem Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, aut aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confeſſiones audire debeat*. Quod quidem non alia de cauſa præſcriptum fuit, quàm quia ſatis conſtabat nonnullas aliquando Moniales eſſe, quæ nulla ratione ad-

ad-

Digitized by Google

adduci poſſunt, ut aliquod peccatum ſuum ordinario Confeſſario confiteantur; adeo ut neceſſe omnino ſit, alterius Confeſſarii eo. piam ipſis ſuppetere, ut apud hunc de peccatis ſuis integrè, ritè, atque utiliter confiteri poſſint. Id ipſum probè animadvertit Magnus Eccleſiæ Dei Sacerdos S. Carolus Borromæus, qui prædicti Concilii Tridentini abſolutionem ope ſua plurimum juvit, ejuſque executionem & obſervantiam in ſua Mediolanenſi Civitate & Provincia non ſine immenſis laboribus & curis invexit; Is enim hac de re ita decrevit; *Præterea Superiores, ex decreto Sacri Tridentini Concilii, quotannis idoneum Confeſſorem extraordinarium Monialibus ſibi ſubjectis exhibeant, cui curent, ut univerſæ confiteantur, ut, quæ hujuſmodi indigent medicina, propter aliquem occultum animæ morbum, neque ipſæ eam poſtulare, aut accipere ab uſitato Confeſſore unquam auderent, liberiùs mederi ſuis malis poſſint, ac Diaboli laqueos evadere, unà cum reliquis Confeſſario novo ſua peccata confitendo* =, uti legere eſt *in Actis Eccleſiæ Mediolanen. impreſſ. anno* 1599. *pag.* 53., *in Editione autem Lugdunenſi tom.* 5. *pag.* 46.

Porro quicumque Conciliaris Decreti ſenſus penitus introſpexerit, non modò ſalutarem illius providentiam facilè agnoſcet, ſed & circumſpectam ejuſdem æquitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo injungitur, ut duabus tribuſve vicibus infra annum, Confeſſarium extraordinarium Monialibus exhibeant; *bis, aut ter in anno offeratur*; Hujuſmodi autem Confeſſarius jubetur earum omnium Confeſſiones excipere, quotquot eidem confiteri velint = *Qui omnium Confeſſiones audire debeat.* Neque tamen omnibus & ſingulis Monialibus præcipitur, ut peccata ſua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monaſterio degentibus, tam ſcilicet à Superioriſſa, cæteriſque Monialibus Profeſſis, atque Novitiis, quàm à Sæcularibus, quæ vel educationis causâ, vel alio titulo, in eodem Monaſterio cum debitis facultatibus commorantur, niſi ut extraordinario Confeſſario ſingulæ ſe ſiſtant, ſive ad ſacramentalem Confeſſionem apud ipſum, ſi placuerit, peragendam, ſive ad ſalutaria monita, etiam extra ſacramentalem Confeſſionem, ab ipſo accipienda. Atque ita prudentiſſimè conſultum eſt, ne, ſi Moniales aliquæ extraordinarium Confeſſarium adirent, aliæ autem coram ipſo non comparerent, ſuſpiciones atque oblocutiones excitarentur; & illæ quidem cenſerentur neceſſarias habuiſſe cauſas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ eſſent; aliæ verò ab hujuſmodi neceſſitatibus, & cauſis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam, ſan. mem. Prædeceſſor noſter Clemens Papa XI. Edicto ſuo, (quod eſt *XV. in ſecunda parte ipſius Bullarii*) inviolabiliter ſervari mandavit, eandemque omnium Diœceſûm conſuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum ſupereſt, niſi, ut Venerabiles Fratres noſtros Eccleſiarum Antiſtites enixè hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de ſolis clauſtralibus Monialibus in præmiſſo decreto loquatur, nihilominus eandem diſciplinæ formam obſervent, tam cum aliis Monialibus, quæ, licèt Clauſuræ legibus minimè adſtrictæ ſint, in communitate tamen vivunt; quàm cum aliarum quarumcumque Mulierum, aut Puellarum Cœtibus, ſeu Conſervatoriis, quoties tam illæ, quàm iſtæ unicum Ordinarium Pœnitentiæ Miniſtrum à Superioribus deſignatum habeant. Quæcumque enim circa Moniales in rigoroſa clauſura viventes cavenda ſunt, eadem in aliis quibuſcumque Mulieribus, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus, in Communitate, aut Collegio degentibus, locum habere poſſunt; ideoque pari providentia, iiſdemque remediis arceri, aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc conſuetudinem offerendi Confeſſarios extraordinarios bis, aut ter in anno ſingulis tam Monialium non Clauſtralium Communitatibus, quàm piis aliarum Puellarum & Mulierum Cœtibus & Communitatibus in noſtra Civitate & Diœceſi Bononienſi induxerimus; (qua de re extat Edictum noſtrum *num. LVI.* inter Paſtorales Inſtitutiones Italico primùm ſermone à Nobis vulgatas, deindeque in latinum converſas) omnibus teſtari poſſumus, vel potiùs debemus, uberem ſpiritualium utilitatum meſſem Nos inde evidenter collegiſſe.

Quum verò ſuper relati Conciliaris Textûs intelligentia nonnullæ quæſtiones aliàs excitatæ, eædemque jam pridem per opportuna Sedis Apoſtolicæ decreta definitæ fuerint, operæ pretium ducimus hujuſmodi definitiones ab omnibus, ad quos ſpectat, omnino tenendas, atque ſervandas, his noſtris Apoſtolicis litteris complecti, & auctoritatis quoque noſtræ robore communitas, in prædictorum omnium notitiam deducere. Et primò quæſitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confeſſorem Monialibus deputare, atque offerre? Sed facilis fuit reſponſio, quam Nos quoque decreto noſtro ratam habemus; hujuſmodi ſcilicet deputationem ad eum regulariter ſpectare, ad quem pertinet Confeſſarii Ordinarii electio & deputatio; ideoque Epiſcopus, ſive Ordinarius loci, qui

Monialibus ſibi ſubjectis Confeſſarium Ordinarium dare conſuevit, idem Confeſſarium extraordinarium bis aut ter in anno, ad normam Tridentinæ ſanctionis, eiſdem offerre tenetur; Prælatus verò Regularis, ad quem pertinet ordinarium Confeſſarium ſubditis ſibi Monialibus, ſervatâ Apoſtolicarum Conſtitutionum forma, deſignare & conſtituere; ipſe etiam eiſdem extraordinarium Confeſſarium in vim præfati decreti, & juxta eaſdem Conſtitutiones, duobus aut tribus per annum tēporibus exhibere poteſt ac debet: quę tamē ideò *regulariter* obtinere diximus; quia, ſi Epiſcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo hac in re negligens eſſet, ut Monialibus ſuis, bis terve in anno extraordinarii Confeſſarii copiam facere prætermitteret, obtendens, ut moris eſt, nullam hac de re Monialibus ipſis ſollicitudinem, aut curam eſſe; tunc volumus Dil. Fil. Noſtrum S.R.E. Cardinalem modernum & pro tempore exiſtentem Majorem Pœnitentiarium, ſtatim ac pro parte Monialium hujuſmodi requiſitus fuerit, Ordinarii Paſtoris negligentiam ſupplere debere, earumque Monaſterio extraordinarium Confeſſarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confeſſiones ab ipſo Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus neceſſariis, & opportunis facultatibus, concedere, & deputare. Quod ſi Prælatus Regularis eandem Concilii legem de Confeſſore extraordinario bis aut ter in anno Monialibus ſibi ſubjectis exhibendo, ſimiliter implere neglexerit, tunc locus fiet Decreto Congregationis S. R. E. Cardinalium ad ipſius Concilii interpretationem, & exequutionem auctoritate Apopolica deputatorum, quo ſcilicet eadem Congregatio ad quæſtionem ab Epiſcopo Vercellenſi propoſitam *die 23. Auguſti MDCXXXI.* reſcripſit, ut infra = *Epiſcopus Vercellen. ſupplicat ſibi reſponderi, an deputatio Confeſſarii extraordinarii Monialium Regularibus ſubjectarum ſpectet ad Ordinarium loci: Sacra Congregatio cenſuit ad Epiſcopum non pertinere, niſi in caſu negligentiæ eorundem Regularium* =, ut videre licet *Decretor. Lib. XIV. pag.* 493.; Nec aliter reſpondit quæſtionibus ab Epiſcopis Belgii exhibitis, *die 6. Aprilis anni MDCXLVII.*, ut legitur *Decretor. Lib. XVIII. pag.* 327.. Quæ quidem reſcripta & Decreta Nos etiam præſentium tenore, & Apoſtolica auctoritate, in omnibus & per omnia approbamus, & confirmamus.

Quum autem Tridentina Synodus de univerſa quidem Monialium Communitate, ut ſuprà, decreverit, ſed nibil de ſingulis Monialibus ſtatuerit, ut patet legenti Textum citati Capitis X., utque etiam jam uſque ab anno 1585. judicatum fuit ab ipſa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum, per ſubſequens Reſcriptum, quod extat *Decret. Lib. IV. pag.* 90. = *Sacra &c. cenſuit, extrardinarium Confeſſorem offerendum non alicui Moniali ſingulariter, ſed omnibus Monialibus universè, ut omnium Confeſſiones audire debeat; in arbitrio tamen cujuſque Monialis eſſe, ut Confeſſario extraordinario velit confiteri* =; Hinc ortum habuit alterum controverſiæ, ſeu dubitationis caput; an ſcilicet, ubi jam univerſæ Communitati bis terve infra annum Confeſſarii extraordinarii copia facta eſt, & nihilominus aliqua Monialis Confeſſarium peculiarem extra ordinem ſibi concedi petit, an, inquam, hujuſmodi petitioni ſit indulgendum? Id autem primo loco quæſitum fuit, propoſito caſu Monialis graviter ægrotantis, quæ in mortis periculo, pro ſpirituali conſolatione, poſtulet alium Sacerdotem, qui tunc non ſit Ordinarius Monaſterii Confeſſor, ſuprema ſibi Eccleſiaſticæ pietatis officia, & Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrare. Huic annuendum facilè eſſe, prædicta Congregatio pluries judicavit, ut videre eſt ipſius *Decret. Lib. XVIII. pag.* 322. *à tergo ſub die 6. Aprii. anni* 1647. & eodem Libro *pag.* 586., *die 22. Februar. anni MDCXLIX.*, quæ pariter Decreta à Nobis præſentium tenore approbantur, & confirmantur; ut ſcilicet Epiſcopi ſubjectis ſibi Monialibus in gravi infirmitate conſtitutis, & id expetentibus, peculiarem Confeſſarium concedere debeant; iidemque etiam idipſum præſtent erga Moniales Regularibus Prælatis ſubjectas, quum aliqua ex illis à ſuo Superiore Regulari hujuſmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem caſu nihil ſtatuitur de Cardinali Majore Pœnitentiario, non ideo, quia nequeat is pro ſingulis Monialibus idem facere, quod ſupra diximus eumdem pro toto Monaſterio facere poſſe; ſed quia tunc, ob temporis anguſtias, intercluſa præſumitur via recurrendi ad ipſius Officium. Quod ſi nihilominus ipſum adeundi tempus & modus ſuppetat, ad eum pertinebit, eadem prorſus ratione peculiaribus ſupplicantium neceſſitatibus providere, qua dictum eſt ſuperius, univerſæ Religioſæ Communitati ab ipſo conſulendum eſſe.

Actum deinde fuit de peculiaribus quibuſdam Monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti proximæ, ordinario tamen Miniſtro confiteri obfirmatè recuſant. Iſtarum quoque animi debilitas commiſeranda eſt, & ſublevanda, adeoque, ubi earum reluctantia ſuperari nequeat, Confeſſarius extra Ordinem deputandus eſt, qui earum Confeſſiones peculiariter excipiat. Id verò, circa

circa Moniales Epiſcopo, ſeu Ordinario loci ſubjectas, ab ipſo Ordinario præſtari debet. Quod autem ad illas pertinet, quæ Regularium regimini ſubſunt, ad Regularem Prælatum pertinet, ſervatis ſervandis, peculiarem ipſis deſtinare Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario ad Confeſſiones Monialium; vel ſi Sacerdos ille, cui ejuſmodi Monialis confiteri cupit, pro illis non ſit approbatus, cum ipſo Ordinario agendum erit, ut pro excipienda ſaltem illius Monialis Confeſſione, & pro tot vicibus, quot expedire judicabitur, eundem approbet. Sin autem contingat (neqne id adeo rarum eſt) ut Regularis Superior ad concedendum hujuſmodi Confeſſarinm extraordinarium Moniali communem Confeſſarium recuſanti nullo pacto adduci poſſit, jam huic caſui proviſum eſt per Decretum anno 1573. à prædicta Congregatione Concilii editum, & à ſel. record. Gregorio Papa XIII. tunc Apoſtolicum Thronum obtinente approbatum, & confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Noſtræ auctoritate roboramus. Decreti verba relata *Libro 1. Decretorum ipſius Congregationis pag. 66. à tergo*, hæc ſunt = *Monialis per aliqued tempus noluit confiteri confeſſariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Epiſcopus Regienſis poſſet dare dictæ Moniali Confeſſorem alterius Ordinis Regularem, vel Secularem, cui illa ſemel, vel pluries confiteatar peccata ſua, & à quo abſolvi poſſit. Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex Sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum Caput decimum ita eſſe intelligendum, ut etiam poſſit Epiſcopus concedere Confeſſarium alterius Ordinis, vel Secularem* =. Præterea nihil obſtat, quo minus ipſa Monialis recurſum habeat ad Cardinalem Majorem Pęnitentiarium, à quo ipſi providendum erit, ut ſuprà dictum eſt, per deputationem Confeſſarii ex approbatis ad Moniales, apud quem illa confiteatnr.

Quæſitum denique ſuit de Monialibus illis, quæ neque ægrotant, neque recuſant Ordinarium Pœnitentiæ Miniſtrum à Monaſterii Prælato pro univerſa Communitate deputatum; verùm pro majori animi ſui quiete, atque ulteriori in via Dei progreſſu, facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confeſſiones jam approbato. Qua de re non ſemel Nobis in minori ſtatu degentibus accidit, ut eum aliquibus Epiſcopis, aut Regnlaribus Monialium Superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio ſeveros; qui aſpera quadam verborum brevitate reſpondebant, quod, quum Moniali poſtulanti libera ſuiſſet ſacultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui univerſæ Communitati non ſemel eo anno jam datus fuerat, tunc oportebat eam conſcientiæ ſuæ conſuluiſſe: Quod ſi oblata commoditate uti noluerat, id ſibi imputaret, neque pergeret Superiori moleſtiam afferre, ut peculiarem Confeſsarium extra Ordinem ipſi concederet. Nobis autem objicientibus, Monialem hujuſmodi ad Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Officium facilè recurſum habituram, ibique haud ægrè impetraturam id, quod ab ipſis Superioribus ei denegatum ſuiſset; iterum conſtanter reſpondebant, extraordinarium bujuſmodi Confeſsarium, poſt impletam ab ipſis erga univerſum Monaſterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi poſse, ſed à ſe nunquam conceſsum iri.

At verò, neque tunc Nobis arridebat, nrque profectu nunc Nobis placet rigida iſtbæc agendi ratio; Perſuaſum enim habebsmus, adeoque habemus, non ſolùm integræ Communitati, ſed ſingulis etiam Monialibus indulgendum eſse in iis rebus, quæ juſtè & rationabiliter petuntur, maximè, quum illæ ad earum conſcientiæ quietem & ſecuritatem conferre dignoſcuntur. Neque ſanè hujuſmodi poſtulationes sut temerè exaudiri, aut ſine cauſa rejici debere cenſemus; ſed inquirendum in primis eſse de qualitatibus tum Monialis, quæ Confeſsarium extra Ordinem petit, tum Confeſsarii, qui ab ea requiritur; ut utriſque diligenter inſpectis, deliberari poſſit, an illius votis annuendum ſit, an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adverſæ ſuſpicioni locum, ex altera verò Confeſsarius non modò legitimam Ordinarii approbationem, ſed etiam commune probitatis teſtimonium pro ſe habeat, nullo modo probare poſsumus tam firmum hujuſmodi Prælatorum in renuendo propoſitum; nec intelligimus, cur poſt Confeſsarium extraordinarium integræ Communitati juxta legem Concilii Tridentini oblatum, nulla omnino Monialibus ſingulis ſpes relinquatur obtinendi peculiarem Confeſsarium, cujus conſilio, & opera, juſtis fortaſse de cauſis, indigere ſe arbitrentur. Non ita ſanè bae de re ſciebat ſapientiſſimus ille Animarum Rector S. Frsnciſcus Saleſius, cujus doctrinæ ſummam ex illius Operibus, tum editis, tum manuſcriptis, collectam, bon. mem. Joannes Petrus le Camus Epiſcopus Bellecenſis juſto volumine complexns eſt, eni Titulum ſecit = *Spiritus Sancti Francisci Saleſii* =. In hujus compendio, qnod ex Gallico in Italicum ſermonem converſum Venetiis anno 1745. pro quarta vice Typis editum eſt, *parte XVII. cap. 6.* apertè legitnr, quod, quum Beatus Epiſcopus non ita intelligeret præmiſ-

miſ-

Digitized by Google

miſſum Concilii Tridentini Decretum, ut vetitum exiſtimaret, Confeſſarium extraordinarium, pluribus etiam quam tribus vicibus in anno, Religioſæ Communitati offerre; quæ quidem ſententia plures habet Suffragatores, quos refert *Diana in Editione coordinata Tom.7. Tract.1. reſol.348.*; non ſolùm ſolebat ſuis Monialibus Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis quater io anno, videlicet in ſingulis Hebdomadis Quatuor Temporum, Confeſſarium extraordinarium deputare, verùm etiam earum reſpectivis Superioribus commendatum reliquit, ut ſingulis Monialibus, quæ non ex animi levitate, neque ex indiſcreta affectionis ſingularitate, Confeſſarium extraordioarium peculiariter peterent, haud ſe difficiles io eo concedendo præberent. Nec aliter ſe gerere conſuevit Ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus, Epiſcopus Patavinus; Is enim, ut teſtatur illius quondam Vicarius Generalis Joannes Clericatus in *Tractatu de Pœnitentia, deciſ.41. num.7.*, & Patrum Tridentioorum decretum quoad omnia Monialium Monaſteria in ſua Civitate & Diœceſi exiſtentia quotannis reipſa exequebatur, & nihilominus exorari ſe patiebatur à Monialibus, quæ aliquando rationabilibus de cauſis peculiarem pro ſe Confeſſarium expeterent. Hujuſmodi regulis & exemplis noſtram quoque agendi rationem in ſpirituali Monialium regioine conformare curavimus; maximumque utilitatis & quietis fructum Nos inde percepiſſe cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres Eccleſiarum Antiſtites, atque dilectos Filios quarumcumque Religioſarum Mulierum Rectores hortamur in Domino, & enixè monemus, ut eandem viam, quoad fieri poteſt, inſiſtere non recuſent, & non adeo difficiles ſe præbeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confeſſarium aliquando expetentibus; quin potius, niſi aut Monialis poſtulantis, aut Confeſſarii requiſiti qualitas aliter faciendum ſuadeant, earum juſtis precibus obſecundare ſtudeant: Illud cogitantes, quod, etſi liberum ſit cuilibet Moniali Cardinalem Majorem Pœnitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis à Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea eſt aliquando neceſſitatis urgentia, ut remedium, quud de longinquo petendum eſt, non ſatis tempeſtivè adveniat: Et quamvis etiam quorumlibet negociorum expeditiooes, quæ in Officio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ fiunt, ab omni vel minima pecuniæ ſolutione ioviolabiliter ſint immunes, noo omoibus tamen Monialibus facile eſt iovenire, qui earum negocia in Urbe procurare velit & poſſit.

Jam verò poſtrema ſupereſt quæſtio, nimirum de qualitatibus Confeſſarii extraordinarii, qui vel pro univerſa Monialium Communitate, vel pro aliqna Moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in hujuſmodi Sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur; quas quidem dotes in eo, qui ad hujuſmodi munus adhibetur, neceſſarias eſſe, omnes fatentur. Sicut etiam minimè dubitatur, quin idem ab Ordinario loci ſpecialiter pro Monialibus approbatus eſſe debeat, quum hujuſmodi approbatio, ex Apoſtolicarum Conſtitutionum lege, omnino requiratur non ſolùm in omnibus tam ordioariis, quàm extraordinariis Coofeſſariis, qui Monialibus, etiam Regularibus ſubjectis, ab earum reſpectivè Superioribus deputantur; ſed etiam in iis, qui à Cardinsli Majori Pœnitentiario conceduntur, etiam Apoſtolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus; ut videre eſt in Noſtra Cooſtitutione ſuper illius facultatibus edita, quæ eſt xcv. in Tomo 1. Bullsrii Noſtri, ubi paragrapho 54. eidem coneeditur, ut, vacante Sede, *Monialibus Confeſſarios extra ordinem valeat deputare, ſi eos ex aliqua rationabili cauſa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confeſſiones, eligendos*. Quamobrem ad id dumtaxat redacta eſt cootroverſia, an ſcilicet è Clero Seculari, an vero è Regulari, eligendus ſit hujuſmodi Confeſſarius, tum inter Regulares, an aſsumi poſſit ex quolibet Ordine aliàs permiſſo, an verò ſemper depntari debeat ex ipſo Ordine Prælati Regularis, ad quem Monaſterii regimen ſpectat?

Sanè pro Monialibus Epiſcopo immediatè ſubjectis, regula eſt, ut Ordinarius earum Confeſſor ſit Sacerdos Sæcularis. Extraordinarium verò ex Ordioibus Regularibus ſæpiſſimè aſſumi apud pleroſque Epiſcopos uſu receptum eſſe cooſtat; deficiente forſan per ſingulas Diœceſes Sæcularium Presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares antem Prælati Monialibus ſibi ſubjectis Confeſſarium Ordinarium deſignant ex ipſorum Ordine; extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare poſſunt, juxta Decretnm à ſæpedicta Coogregat. Concilii editum *die xxvi. Septembris anni MDXCV.*, ae relatum io *Libro VIII. Decretorum pag. 149. à tergo*, nbi fic legitur = *Sacra &c. reſpondit, Superiores Regulares teneri offerre Confeſſarium extraordinarium ejuſdem Ordinis, alterius verò Ordinis poſſe quidem, ſed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus, nl-

lum

Digitized by Google

lum Sacerdotem Sæcularem, aut diverſi Ordinis Regularem, vidimus à Regulari Prælato Monialibus ſibi ſubjectis extraordinarium Confeſſorem deputari. Denique quum aliquando evenire poſſit, ut in caſu negligentiæ Superioris Regularis, ad Epiſcopum, ut ſuprà dictum eſt, pertineat deputatio Confeſſarii extraordinarii etiam pro Monialibus Regularium regimini ſubjectis; nulla ipſe lege tenetur ad hujuſmodi Confeſſarium eligendum ex eo Ordine, cujus eſt Monaſterii Prælatus; ſed tali caſu liberum eſt illi quemlibet idoneum Presbyterum Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem, ad audiendas earum Monialium Confeſſiones deputare.

At quum ſuperioribus annis Apoſtolicæ Sedi expoſitum fuiſſet, pluribus de cauſis, iiſque graviſſimis, quas hìc referre opus non eſt, non tam opportunum, quàm planè neceſſarium videri, ut Monialium Monaſteria Regularium regimini ſubjecta, ſemel ſaltem in anno Confeſſarium extraordinarium diverſi Ordinis Regularem, aut è Sæculari Clero Presbyterum haberent; hujus rei examen, jubente fel. recordat. Prædeceſſore Noſtro Innocentio Papa XIII., aſſumptum fuit à peculiari Congregatione ex quinque tunc exiſtentibus S.R.E. Cardinalibus compoſita, cui Nos tunc in Minoribus conſtituti in Secretarii munere operam præſtabamus; quæque per annum & ultra, ſingulis Hebdomadis cogebatur, ad diſcutienda, & definienda complura Eccleſiaſticarum quæſtionum capita, quæ deinde inſerta ſunt in Apoſtolicis Literis ab eodem Innocentio Prædeceſſore editis die XIII. Maii anni MDCCXXIII., quarum initium eſt = *Apoſtolici Miniſterii* =, quæ etiam à ſan. mem. Prædeceſſore quoque Noſtro Benedicto Papa XIII. in forma ſpecifica confirmatæ fuerunt, per alias ſimiles Literas datas die XXIII. Septembris anni MDCCXXIV.

Cum autem negocia, quæ in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, ſed de reſtituenda potiſſimum Tridentini Concilii obſervantia in quibuſdam Catholici Orbis Regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unicè ageretur; neceſſarium minimè judicatum fuit, aliquem velut in judicium vocare, ad deducenda jura, ſi quæ ſibi adverſus illa, quæ decernenda viderentur, competere forſan putaret. Sed noſtra peculiaris cura erat, ad ſingula propoſita capita totidem Diſſertationes, unicuique ex præfatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare; ad demonſtranda videlicet fundamenta illius diſciplinæ, quæ in uſum revocanda cenſebatur. Nec aliter ſe res habuit, quum in eadem Congregatione, ut præfertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut Regulares Monaſteriorum Prælati, unâ ſaltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confeſſarium Monialibus ſibi ſubjectis in annos ſingulos exhibere debent, aliquem Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, utque ipſis hac in re deficientibus, liberum eſſet Epiſcopis Locorum Ordinariis eorum defectum ſupplere & emendare.

Verùm, quum Regularibus innotuiſset, à prædicta Congregatione conditum eſſe Decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minimè adſtringi volebant ad hujuſmodi annuam deputationem Confeſſorum extraordinariorum è Clero Sæculari, vel ex aliis Ordinibus, nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujuſmodi Decreto obſtare putabant; Cumque id facilè impetrâſſent, ac ſuam, totiuſque Cœtûs Regularium cauſam per eximios illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curâſſent, ſed nihilominus prædicta Cardinalium Congregatio in priori Sententia permanſiſſet, placuit præfato Prædeceſſori Innocentio, antequam Decretum hujuſmodi approbatione ſua confirmaret, aliorum Cardinalium Sententias audire. Itaque excluſis illis omnibus, qui ex ipſius Pontificis deputatione, in præcedentibus Seſſionibus per annum integrum negocia diſcuſſerant, aliiſque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi ſecretò fecerat conſcriptarum allegationum exempla, Nos etiam adeſſe juſſis, qui rationum momenta à priori Congregatione præ oculis habita, ſi opus eſſet, exponere poſſemus; novam Cardinalium Congregationem ex improviſo coram ſe convocavit, in qua iterum propoſita quæſtio diligenter ac maturè diſcuſſa fuit; ac demum ipſe Pontifex, de ipſius Congregationis conſilio & aſſenſu, ſuper hac re decrevit, ut ſequitur = *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confeſſor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confeſſiones audiat; ſi inpoſterum Superiores Regulares, quoad Monaſteria ipſis ſubjecta, toties prædictum extraordinarium Confeſſorem deputare neglexerint, vel, ſi etiam ex proprio eodem Ordine ſemper deputaverint, nec ſaltem ſemel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut Sæcularem, aut Regularem alterius diverſi Ordinis profeſſorem, in his caſibus Epiſcopi, pro ſuo arbitrio & conſcientia, deputationem hujuſmodi facere poſſint, nec illa quovis titulo, aut prætextu, à Superioribus Regularibus valeat impediri* =

Per-

Perſcriptum ſanè fuit hujuſmodi Decretum ea occaſione, qua agebatur de reſtituenda in certis quibuſdam Regionibus Eccleſiaſtica diſciplina ad ſormam Concilii Tridentini; Verùm ipſius Deereti vigor ad eas dumtaxat Regiones minimè reſtrictus fuit; quum & animarum pericula, quæ ex perpetua Confeſſorum ejuſdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monaſteriis Regularium regimini ſubjectis locum habere poſſiut, & quæcumque adverſus Decretum ipſum adducta fuerunt; ex Generalibus Ordinum Statntis, & ex Conſtitutionibus Monialium Regularibus ſubjectarum, ſuerint deſumpta. Cumque judicatum fuerit, ea omnia nequaquam obſtare, quò minùs ita decerneretur; ſequitur, ut, quamvis eidem Decreto canſam dederint peculiarium quarumdam Regionum neceſſitates Apoſtolicæ Sedi eo tempore expoſitæ, illud tamen generale ſit,& univerſos per Orbem Regulares Monaſteriorum Monialium Prælatos afficere debeat. Cum verò deinde alter laudatus Prędeceſsor Benedictus XIII. Innocentii Litteras in forma ſpecifica confirmârit, Nobis cōſtat, illius mentem fuiſſe, ut hujuſmodi Decretum univerſalis, & inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus, ne ulla apud aliquos ſuperſit dubitatio, Nos ipſi, præſentium Litterarum vigore, ac Motu proprio, & certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ipſum relatum Innocentii Prædeceſſoris Decretum, ſtatutum, mandatum, atque præceptum, ad omnia per Orbem ubique exiſtentia, & Regularium regimini ſubjecta Monialium Monaſteria, quatenus opus ſit, expreſsè extendentes & ampliantes, decernimus atque ſtatuimus, ut ſingulis annis, incipiendo à proximo milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono à Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monaſteriornm Prælati teneantur bis aut ter in anno Confeſſarium extraordinarium univerſis Monialibus in iis degentibus offerre; ſi verò ipſi forſan hujuſmodi Confeſſarii extraordinarii deputationes intra præſcripta tempora omiſerint, vel ſemper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint; ita ut præfatę Moniales ſemel ſaltem in anno Confeſſarium extraordinarium è Clero Seculari aut ex alio Ordine Regulari non habeant; ad Epiſcopos Diœceeſanos, omni appellatione remota, devolvatur jus ſupplendi eorundem Prælatorum defectum (ſi nempe penſatis rerum circumſtantiis, ita expediens eſſe judicaverint) per deputationem Confeſſarii extraordinarii, quem tam in uno, quàm in altero caſu, aut è Clero Sæculari, aut ex alio Regulari Ordine, pro ipſorum arbitrio, deligere poſſint, & valeant.

Quocirca dilecto Filio Noſtro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, moderno Noſtro, & pro tempore exiſtenti Romani Pontificis in Urbe ejuſque Diſtrictu Vicario in Spiritualibus Generali, earundem præſentium tenore eomittimus, & mandamus, ut hæc noſtra Decreta, atque Statuta, tam in omnibus ejuſdem Almæ Urbis Monaſteriis, quæ Regularium regimini ſubſunt, quàm in aliis quibuſque Regularium aut Sæcularium Mulierum aut Puellarum Domibus, ſeù Collegiis, atque Conſervatoriis, quibus unicus ordinarius Confeſſor â Superioribus deputari ſolet, in omnibus & per omnia, juxta earundem Litterarum præſcriptum, exactiſſimè obſervari & adimpleri faciat; ne fortè audiri contingat, quod cum magna animi noſtri moleſtia dictum aliquando eſſe cognovimus, Apoſtolieas Conſtitutiones Romæ quidem ferri, & publicari, ſed eas minimè in ipſa Urbe ad effectum perduci.

Eandem porro euram & ſollicitudinem injungimus, & demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis per omnes univerſi Orbis Eccleſias conſtitutis; quibus, ut ſatis perſpectum putamus voluntatis noſtræ ſtudium, tam in eorum rationabilibus querelis, juſtiſque petitionibus ſuſcipiendis, quàm in corruptelis, quas irrepſiſſe judicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio noſtro quidquam ſtatuendo, nec peregrinas novitates indueendo; ſed veteres ut plurimum leges & regulas, vigili Prædeceſſorum noſtrum providentia jampridem conſtitutas, in priſtinum debitumque vigorem & uſum revocando; Ita eoſdem meminiſſe volumus, proprium zeli Paſtoralis officii non in eo ſitum eſſe, ut adverſus ea, quæ contra leges fiunt, inutiliter deplorando declament, ſed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem jam præſtitutis; implorato etiam Apoſtolicæ Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati, & legum executioni, afferri contingat, omneſque diligentias & curas, quas corrigendis abuſibus ipſi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Quoniam verò tam in ſuperiùs allegato Clementis XI. edicto, quàm in Synodalibus plurium Epiſcoporum Conſtitutionibus ſtatutum eſſe conſpicimus, ut, quo tempore extraordinarius Confeſſor alicui Communitati deputatus miniſterio ſuo fungitur, ordinarius Confeſſor nullum ipſi impedimentum afferre audeat, multòque minùs præſumat per id temporis alicujus Monialis, ſive Superiorisſæ, ſive Novitiæ, ſive Converſæ, neque demum alterius cujuſcumque Perſonæ intra ſepta Monaſterii, aut piæ Do-

mus

mûs commorantis, & Sacramentalem Confeſſionem audire; Nos id quoque approbatione noſtra roborantes & confirmantes, ſtatuimus & mandamus, ut Epiſcopi quidem, ſi de Monaſteriis, aut Domibus eorum regimini ſubjectis agatur, Regulares autem Superiores, quod ad illas Communitates attinet, quibus ipſi præſunt, pro hujuſmodi legis implemento advigilent, & contravenientes meritis pœnas coërceant, & afficiant.

Ac demum quibuſcumque Confeſſariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ in Monaſterio degenti, conceſſi, ac deputati fuerint, diſtrictè inhibemus, ſub pœnis adverſus accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares, à Prædeceſſoribus noſtris quandocumque ſtatutis (quas etiam præſentium vigore confirmamus, & innovamus), ne, poſtquam ſuum officium impleverint, ad idem Monaſterium ulteriùs accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum quomodocumque continuare & fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis obtentu & colore, audeant, aut præſumant.

Decernentes, ipſas præſentes litteras &c. Non obſtantibus quibuſcumque etiam Apoſtolicis &c. Volumus demum, ut earundem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, Nonis Auguſti, Pontificatûs Noſtri Anno Octavo.

Bull. præd. tom.2. fol.471.

N O T A

Punctum de Confeſſario Monialium Regularibus ſubjectarum, ob privilegia aliis in contrarium conceſſa non leves jam prius habuit contradictiones, quæ autem jam ante editam hanc Conſtitutionem à Sac. Congregatione Concilii per varias deciſiones ſuerunt ſublatæ, quarum duas ſubjungo:

URATISLAVIEN. Cum Abbas Lubenſis Ordinis Ciſtercienſis ſibi arrogaret jus approbandi Confeſſarios pro Sanctimonialibus Monaſterii Trebrinicenſis ſuo Ordini ſubjectis, licèt Monaſterium ſitum eſſet in Diœceſi Uratiſlavienſi, habitus fuit ab Epiſcopo recurſus ad Sedem Apoſtolicam, & cauſa ex reſcripto Auditoris Sanctiſſimi delegata fuit huic noſtræ Congregationi cum voto Rotæ.

Prodierunt Rotales Deciſiones Epiſcopo favorabiles, quæque ab eodem exhibentur: cumque Abbas Summo Pontifici ſupplicaſſet pro facultate ſibi ex gratia concedenda dictos Confeſſarios approbandi, reſponſum fuit à Summo Pontifice, quod ſua jura deduceret in hac Sacra Congregatione, quatenus exiſtimaret, Deciſiones Rotales adverſum ſe editas, eſſe inſubſiſtentes, & multò magis cum cauſa fuerit huic Sacræ Congregationi delegata non de Voto, ſed cum Voto Rotæ, ita ut ſit in facultate Sacræ Congregationis amplecti, aut rejicere Deciſiones Rotales.

Fundamentum Epiſcopi latè exornatum in Deciſionibus Rotalibus conſtituitur in Bulla 18. Gregorii XV. Bullar. tom.4. *In dictis quoque Deciſionibus firmatur, non prodeſſe Abbati allegata privilegia, nec conſuetudinem immemorabilem eſſe probatam: addique poſſet ultra deducta in Deciſionibus, quod immemorabilis, quatenus eſſet probata, non relevaret, in Bulla etenim 7. Clementis X.* Bullar. tom. 6. *ſtatuitur idipſum, quod fuit ſtatutum in Bulla Gregoriana, indigere videlicet Regulares approbatione Epiſcopi pro excipiendis Confeſſionibus Monialium ſibi ſubjectarum*, uti legitur in §. 4. *& in hac Bulla Clementina continetur derogatio conſuetudini etiam immemorabili*, uti legitur §. 9. *Adeoque onus erit EE. VV. decernere: An Votum Rotale ſit exequendum in caſu? &c.*

Sacra Congregatio Concilii die 30. Januarii 1723. reſpondit:

Approbationem Confeſſariorum pro Monialibus pertinere ad Epiſcopum.

Theſaur. reſol. Congr. Conc. tom.2. fol.263. & 266.

Cui reſolutioni concordat & alia edita in cauſa Pharaonenſi, Sacro Conſeſſui ita propoſita, & ab eo deciſa:

Quoad Regulares audiendis Confeſſionibus Monialium deſtinatos, in eadem Conſtitutione Gregorii XV. §. 5. ita ſtatuitur = Confeſſores verò, ſive Sæculares, ſive Regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.

Idque etiam edixit Clemens X. in Conſlit. 7. quæ incipit: Superna, §. 4. *his verbis* = Religioſos generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expletâ deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Hæc cum ſatis clara & aperta ſint pro Eminentiſſimo Epiſcopo Cardinali Pereyra, duæ tamen objectiones à Regularibus proponuntur. Altera depromitur ab Apoſtolico Brevi Urbani VIII. qui anno 1626. juſſit ſuperſederi executioni memoratæ Conſtitutionis Gregorii XV. in Luſitano Regno, donec aliter vel à ſe, vel à Succeſſoribus proviſum fuiſſet.

At reſpondet Eminentiſſimus Epiſcopus hujuſmod ſuſpenſionem jam ceſſâſſe, ac de medio ſublatam fuiſſe, cum per Decretum hujus Sacræ Congregationis editum anno 1639. ſub eodem Pontifice Urbano VIII. in d. Conimbricen. *demandata fuerit executio ejuſdem Gregorianæ Bullæ: cumque etiam poſtea Clemens X. ad removendas contentiones & controverſias circa ipſam Gregorianam Conſtitutionem ſubortas, legem generalem illam tulerit, quam continet citata Conſtitutio 7.*

Objiciunt prœterea Ciſtercienſes non conſueviſſe hactenus Epiſcopos Pharaonenſes ſe ſe interponere iis, de quibus jus ſibi competere putat Eminentiſſimus Pereyra. Verùm, ex quo alii prædeceſſores Antiſtites uſi non fuerint eâ poteſtate, quâ uti potuiſſent, cenſeri nequit (ut inquit Eminentiſſimus Pereyra) abrogata facultas, ipſi quoque attributa à Pontificiis illis Conſtitutionibus.

Non ſemel etiam declaravit hæc Sacra Congregatio nullam eſſe habendam rationem de conſuetudine contraria iis, quæ in Bulla Gregoriana ſancita: ſiquidem in Cadurcen. 12. Julii 1658. *ad ſecundum dubium ita reſcripſit* = Confeſſarios, etiam extraordinarios, Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, poſt Conſtitutionem Gregorii XV. hac de re editam, nullatenus poſſe earum confeſſiones audire, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur & approbentur, non obſtante quacunque contraria conſuetudine, *ut in lib. 19. Decret. pag. 60.*

Poſtremo in Uratislavien. 30. Januarii 1723. *definitum fuit approbationem Confeſſariorum pro Monialibus ſubjectis Abbati Lubenſi Ordinis Ciſtercienſis petendam eſſe ab Ordinaria, non refragante conſuetudine contrariâ, quam Abbas contendebat immemorabilem, ut in* lib. 73. Decret. pag. 31. *Et rectè quidem, quia in prædicta Bulla Clementis X. § 9. expreſſè derogatum legitur cuicunque conſuetudini, etiam immemorabili. Quare in Conſtitutione fa. mem. Innocentii XIII. pro Hiſpanis Regnis edita, quæ incipit*: Apoſtolici Miniſterii &c. §. 18. *ſic cautum legitur* = Meminerint quoque Regulares ſe excipere non poſſe confeſſiones Monialium, tametſi eorum regimini & gubernio ſubjectæ ſint, niſi ultra licentiam ſuorum Prælatorum, præcedat examen coram ab Epiſcopo Diœceſano faciendum, ejuſque ſpecialis quoad confeſſiones dictarum Monialium approbatio: remotâ quacunque contraria conſuetudine, etiam immemorabili.

Pertinet igitur ad EE. VV. determinare:

An idem Eminentiſſimus Ordinarius poſſit inhibere Regularibus, ne ſine prævia ejus approbatione excipiant confeſsiones Monialium, etiam ſubjectarum regimini ipſorum Regularium, non obſtante aſſerto Brevi Urbani VIII. atque prætenſa conſuetudine in caſu &c.

Sacra Congregatio 14. Novembris 1733. reſpondit.

Affirmativè in omnibus.

Theſaur. præd. tom. 6. fol. 178. & 184.

Finis Tomi Sexti.

APPEN-

APPENDIX.

Conſtitutionum Apoſtolicarum & Decretorum, quæ tum juxta Decretum Urbani VIII. inferius citandum, tum juxta notam anno 1672. in Typographia Camerali impreſſam in publica Regularium menſa quotannis prælegi debent, & huic tomo inſerta non ſunt: necnon annotatio illarum & horum, quæ illi illata reperiuntur, pro Conventuum noſtrorum commodo ad factas inſtantias ita adjuncta, prout in Libro in dicta Typographia noviſſimè edito annotantur.

Nota ſupradicta eſt tenoris ſequentis:

Primò. *Feriâ ſecunda poſt primam Dominicam Adventûs, vel in uno decem dierum immediatè ſequentium, Superiores locales cujuſcumque Monaſterii, Conventûs & Domûs Regularis in menſa publica nota facere tenentur Decreta* de celebratione Miſſarum, *à Sacra Congregatione Concilii cum ſpeciali Suæ Sanctitatis auctoritate 21. Junii 1626. emanata, quæ incipiunt* = Cum ſæpe contingat &c. *& quidem ſub pœna privationis ab officio, ac vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda.*

Secundò. *Idem ſub iiſdem pœnis feriâ ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, vel in uno decem dierum immediatè ſequentium facere tenentur.*

Tertiò. *Feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis B. V. Mariæ, vel ſaltem per totum menſem Auguſti, iidem Superiores locales in publica menſa, vel in Capitulo, ad hunc effectum ſpecialiter convocato, ſubditos ſuos ad obſervantiam, & executionem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorum ad Sanctum Officium ſpectantium, & ſpeciatim eorum, quæ in Decreto à Sua Sanctitate 15. Decemb. 1633. publicato, incipiente* = Sanctiſſimus Dominus noſter ſedulò incumbens = *& poſtea 5. Novemb. 1637. confirmato memorantur, ſub pœnis pariter privationis ab officio, vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrendis, aliiſque ad Sanctitatis Suæ arbitrium monere tenentur.*

Quartò. *Ad quod idem ſub iiſdem pœnis faciendum reſpectivè alii Superiores Ordinis in quolibet Capitulo Generali, & Provinciali, & in omni congreſſu & cœtu Capitulari obligantur. Qui & inſuper curare debent, ut in omni Conventu copia dicti Decreti* Sanctiſſimus Dominus noſter ſedulò incumbens, *in loco publico, in quo à Religioſis ſubditis opportanè videri & legi queat, ſemper affixa perſiſtat, debentque Sacræ Congregationi Inquiſitionis Romanæ de ſubditis, ut ſuprà, admonitis rationem dare. Advertatur quoque, quod Tranſgreſſores infallibiliter ſint puniendi, & contra ipſos in Tribunali S. Officii, uti in Decreto prædicto anni 1632. memoratur, ſit procedendum.*

Quintò. *Saltem duabus vicibus per annum dicti Superiores in quolibet Conventu, Monaſterio vel Domo Regulari in publica menſa Decreta* de Regularibus Apoſtatis & Ejectis *à Sacra Congregatione Concilii cum ſpeciali Suæ Sanctitatis facultate 21. Septembris 1624. edita & incipientia* = Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Regularium ejectorum & fugitivorum = *Simulque Decreta generalia ſa. mem. Clementis VIII. ad reformationem Regularium, receptionem, profeſſionem, & inſtitutionem Novitiorum ſpectantia legi facere tenentur. Quæ quidem Decreta ab eadem S. Congregatione Concilii in dictis Decretis de Regularibus Apoſtatis & Ejectis fuerunt innovata. Qui contraire præſumet, incurrit pœnam privationis omnium officiorum, quæ habet, vocis activæ*

Digitized by Google

& paſſivæ, & Inhabilitatis perpetuæ ad eadem officia & votem, quæ pœna Suæ Sanctitati reſervata eſt.

Sextò. *Intra menſem Januarii pariter ſub privatione officii, vociſque activæ & paſſivæ Decreta Urbani VIII. & Clementis VIII.* de Largitione munerum *prælegi debent.*

Septimò. *Quolibet anno Kalend. Martii Decretum Sanctiſſimæ Inquiſitionis 8. Julii* 1660. *coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Alexandro VII. editum, & incipiens* = Licèt aliàs per Conſtitutionem *legi, & à Superioribus fides ſeu teſtimonium de lecto prædicto Decreto, tum ab ipſis, tum à duobus vel tribus aliis ejuſdem Conventus ſubſcriptum Sac. Congregationi Sanctiſſimæ Inquiſitionis Romanæ exhiberi debet.*

Attento proin tum Decreto Urbani VIII. ſuprà citato, tum hac nota ad menſem publicam prælegi debent.

In Menſe Januarii.

I.

Conſtitutio *de largitione munerum* Clementis VIII. incipiens *Religioſæ Congregationes* poſita ſupra *fol.* 31S.

II.

Ejus confirmatio & moderatio facta per Urbanum VIII. incipiens *Nuper à Congregatione* videnda ſuprà *fol.* 404.

In Menſe Martii & ex indulto Sanctæ Inquiſitionis 7. Novembris 1668. per totum Martium.

I.

Decretum Sacræ Congregationis de hæretica pravitate incip. *Licèt aliàs* ſuprà *fol.*418.

II.

Decretum Urbani VIII. Conſtitutiones legendas exprimens, & incipiens *Sanctiſſimus Dominus Noſter ſedulò incumbens*, extenſum ſuprà *fol.*401.

III.

Contra impedientes Inquiſitores hæreticæ pravitatis in eorum officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes: & contra ipſos Inquiſitores, laicos ad criminis hæreſis cognitionem admittentes.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licèt à diverſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, etiam per ſpeciales Conſtitutiones in corpore juris inſertas fuerit ritè & ſalubriter ſancitum, atque decretum, ut ſæculi Poteſtates, & Domini temporales, ac Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum quorumcunque Rectores, quibuſcunque dignitatibus vel officiis, aut nominibus cenſeantur, Diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in ipſo Inquiſitionis negotio faveant, & aſſiſtant, nemoque ex prædictis Poteſtatibus, Dominis, & Rectoribus, eorumque Officialibus de crimine hæreſis, cum merè ſit Eccleſiaſticum, quoquomodo cognoſcat, vel judicet, neque Diœceſano Epiſcopo vel Inquiſitori ipſius Inquiſitionis negotio incumbenti ſe opponere, aut ipſum aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium aut favorem ſcienter dare audeat, perpetuæ damnationis ſententia in eos, qui contra prædicta fecerint, promulgatâ, quam ſi per annum animo ſuſtinuerint pertinaci, ex tunc veluti hæretici condemnentur, uſque adeo tamen in omnibus fere non ſolùm Italiæ, verùm etiam aliis Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis complurium Laicorum (ut accepimus) mundanæ gloriæ proceſſit ambitio, vel Sacrorum Canonum inſcitia, vel Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptus, ut in animarum ſuarum perniciem, atque interitum, Diœceſanos Epiſcopos & Inquiſitores à Sede Apoſtolica inſtitutos Inquiſitionis Officium exercentes, alij ſub juſtitiæ prætextu, alii verò ſub pietatis colore, ut ſontes ſcilicet ſeveriùs puniantur, ſe ipſis Diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus adjungere, & unà cum eis de ipſo hæreſis crimine cognoſcere, proceſſus formare, formatoſque ſuo judicio ſubmittere non erubeſcant.

Cui ſanè morbo jam minùs latè progredienti, ſolitam ac ſalutarem Eccleſiæ medicinam pro noſtra paſtorali ſollicitudine afferre cupientes, ſæculi Poteſtates, Dominos temporales, ac Provinciarum, Civitatum & locorum Rectores ſupradictos, necnon quaſcunque aliss ſæculares perſonas tam privatas, quàm publico quovis munere fun-

ſungentes, requirimus & monemus, ac eis Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri, cujus vices (licèt immeriti) gerimus in terris, nomine præcipimus, ne Dięceſanos Epiſcopos, & Inqniſitores ipſos in ſuo Inquiſitionis negotio ullo modo impediant, ſeu perturbent, neque ſe in hæreſis crimine cognoſcendo, vel judicando, quovis, etiam aſſiſtentiæ, & favoris colore, cauſa, vel occaſione (niſi quatenus ab ipſis Diœceſanis Epiſcopis aut Inquiſitoribus ſpontanea, & liberâ eorum voluntate fuerint requiſiti) ſe ingerant, ordinationes, proviſiones, & leges quaſcunque de ipſius crimine cognitione latas Sacris Canonibus obſiſtentes, & Eccleſiaſticam juriſdictionem impedientes ſine mora abrogent, & deleant, prout etiam Nos eas omnes invalidas fuiſſe & eſſe decernimus, & declaramus, ac ex nunc pro abrogatis & deletis haberi volumus & mandamus.

Qui monitis his noſtris non obtemperaverint, quique ſcienter in prædictis conſilium, auxilium, aut favorem dederint, noverint ſe non ſolùm per Sacras dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, verùm etiam per hanc noſtram Sanctionem, ſive ſententiam & declarationem perpetuò duraturam (quam auctoritate Omnipotentis Dei ac BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtrâ in ipſos non obtemperantes, quacumque illi præfulgeant dignitate, in his ſcriptis proferimus) communione fidelium, & omnium Eccleſiaſticorum Sacramentorum perceptione privatos, ac maledictionis, & execrationis æternæ vinculis ligatos, anathematiſque & majoris excommunicationis mucrone percuſſos, ita ut nemo unquam in præmiſſis delinquens, niſi à Nobis, & Succeſſoribus noſtris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcunque facultatum, confeſſionalium nuncupatarum, etiam à Nobis & dicta Sede hactenus emanatarum, vel in poſterum emanandarum, ſpecificam, & expreſſam, ac aliàs quàm per verba generalia, de præſentibus noſtris litteris mentionem non facientium, præterquam in mortis diſcrimine, abſolvi poſſit.

Quibus etiam cenſuris ipſos Diœceſanos Epiſcopos & Inquiſitores ſubjacere volumus, ſi Laicos ſecum quomodocunque de ipſo crimine cognoſcere aut judicare permiſerint.

Ut autem præmiſſa omnia, ad eorum, quorum intereſt, notitiam deducantur, nulluſque de eis ignorantiam juſtè prætendere poſſit, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod præſentes litteræ per aliquos Curſores noſtros, aut Notarios publicos in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, & Eccleſiæ Lateranenſis, ac Cancellariæ valvis, necnon acie Campi Floræ, ut moris eſt, publicentur, earum exemplo ſingulis valvis, & aciei hujuſmodi affixo, & dimiſſo. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, quintodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Lecta & publicata fuit die Veneris Sancti in Capella Sanctitatis Suæ, cum Divina celebrarentur Officia.

I V.

Contra offendentes Statum, res, & Perſonas Sanctiſſimi Officii Inquiſitionis hæreticæ pravitatis; eorumque Filios, nec non complices & fautores.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SI de protegendis cæteris omnibus Eccleſiæ Miniſtris, quos in fidem, & clientelam noſtram à Domino recepimus, cura Nobis quotidiana inſidet, quanto majore ſtudio eam Nos ſollicitudinem capeſſere neceſſe eſt, ut, qui in ſacro Inquiſitionis hæreticæ pravitatis officio verſantur, ſub tutela inviolatæ auctoritatis hujus Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur?

Cum itaque ejus generis impiorum vis quotidie magis invaleſcat, qui omnibus malis artibus prædictum Officium ſubvertere, Miniſtroſque ſanctionibus diſturbare moliuntur, eò jam Nos detruſit neceſſitas, ut nefariam & ſceleſtam illorum audaciam acerbiore caſtigationis verbere reprimamus.

Hac igitur generali Conſtitutione de Fratrum noſtrorum conſilio ſancimus, ut, quicunque ſive privatus, ſive cuncta Civitas, ſive Populus, ſive Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo Illuſtris, quemvis ex Inquiſitoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliiſve Miniſtris prædicti Officii, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi aut Provincia obeuntium, ſeu accuſatorem, denunciatorem, aut teſtem in cauſa fidei quomodocunque productum, vel evo-

Google

evocatum occiderit, verberaverit, dejecerit, ſeu perterrefecerit.

Quive Eccleſias, ædes, aliaſve res, ſive publicas, ſive privatas Officii aut Miniſtrorum expugnaverit, invaſerit, incenderit, expilaverit, aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, protocolla, exempla, ſcripturas, aliave inſtrumenta, ſive publica ſive privata, ubicunque poſita, combuſſerit, diripuerit, ſeu interverterit, ſeu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo, illa exportaverit, ſeu, qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, ſive capiendi, ſive comburendi, ſive ſupprimendi cauſa fuerit, ſive res, aut perſonas ſervari, deſendive prohibuerit.

Quive carcerem, aut aliam cuſtodiam, ſeu publicam, ſeu privatam effregerit, vinctum extraxerit, captumve eripuerit, receperit, occuluerit, ſeu facultatem effugiendi dederit, ſeu juſſerit id fieri: qui cœtum, concurſumque fecerit, ſive, ut aliquid prædictorum fieret, homines accomodaverit, ſive aliàs auxilium, conſilium, aut favorem publicè vel occultè in quolibet prædictorum ſcienter præſtiterit, licèt nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, ſuccenſum direptumve, nullum denique damnum re ipſa ſit ſecutum: nihilominus is ſit anathemate præſentis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque læſæ Majeſtatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali & perpetuo eo ipſo privatus, ſæcularis Judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipſas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per Conſtitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebuſque omnibus Fiſci juribus applicatis, uti etiam eſt de damnatis hæreticis per ſanctiones Canonicas conſtitutum; ejus filii paternâ infamiâ ſubjecti, omnis & cujuſcunque hæreditatis, ſucceſſionis, donationis & legati, ſive propinquorum, ſive extraneorum omnino ſint expertes, eiſdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum.

Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam ullam proponere vel prætendere poſſit, qui tantum neſas in contemptum & odium hujus Officii admiſerit, niſi contrarium per claras probationes docuerit ſe feciſſe. Quod porro de prædictis, eorumque filiis ſtatuimus, illud idem de omnibus Clericis & Presbyteris Sæcularibus & quorumvis Ordinum, etiam exemptorum Regularibus, & quacunque etiam Epiſcopali & majore dignitate prædìtis, ac etiam privilegio quomodocumque ſuffultis, decernimus exequendum, ita ut ipſi beneficiis, & officiis omnibus Eccleſiaſticis præſentium auctoritate privati, per Judicem Eccleſiaſticum hæreticorum more degradentur, demum poteſtati ſæculari traditi, pœnis prædictis Laicorum inſtar ſubjiciantur. Pontificum tamen cauſis, Nobis & Succeſſoribus noſtris, reſervatis, ut re quæſitâ & Nobis renunciatâ, contra eos ad depoſitionem, & alias pœnas prædictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur poſtulare.

Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentaverint, in eaſdem illas pœnas, quæ in hæreticorum ſautores à Sacris Conſtitutionibus inferuntur, ipſo facto ſe noverint incidiſſe.

Verùm, ſi quis etiam hujuſmodi criminum conſcius, vel affinis, ſive religionis ſtudio, ſive pœnitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, ſupplicio liberetur.

Cæterùm eam omnium & quarumcunque abſolutionum rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationum & reſtitutionum, etiam ad famam & honores, ita deinceps habendam optamus, ut Succeſſores noſtri nullas, niſi ſaltem ſemeſtri poſt cujuſque aſſumptionem ad hujus dignitatis faſtigium excurſo, ac precibus apud ſupremum Officium Inquiſitionis hîc inſtitutum verificatis, concedant. Decernentes omnes & quaſcunque hujuſmodi abſolutiones, habilitationes & reſtitutiones, quæ precibus ſic non verificatis, de cætero fient, nemini prorſus prodeſſe, ſed nec præſentibus, niſi toto ipſarum tenore ad verbum inſerto, & gratia ex certa Romani Pontificis ſcientia facta, & propria manu ſubſignata, ulla in parte derogari, nec derogatum cenſeri debere, & ſi illis ex quacunque cauſa aliter derogari contigerit, derogationes hujuſmodi nullius prorſus fore roboris & momenti.

Jubemus igitur univerſos & ſingulos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros Eccleſiarum Prælatos per univerſum Orbem conſtitutos, ut per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, aut earum exempla in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus & locis ſolemniter publicari, &, quantùm in ſe eſt, firmiter obſervari procurent: contradictores quoſcunque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ipſaſque cenſuras & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii brachii ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut præſentium exempla

pla etiam impreſſa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuſcumque Curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem ubique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Cæterùm omnes Orbis Terrarum Principes, quibus gladii ſæcularis poteſtas ad malorum vindictam eſt commiſſa, per eam, quam ſe tueri promiſerunt, fidem obteſtamur, ita ſuas quiſque partes, ſive in præſtando Miniſtris prædictis auxilio, ſive in criminum poſt Eccleſiæ ſententiam animadverſione, interponere, ut eorum quoque præſidiis Miniſtri ipſi tanti Officii munus pro Dei æterni gloria, & Religionis incremento feliciter exequantur, ampliſſimum à Domino præmium recepturi, quod fidei prædictæ aſſertoribus in æternæ Beatitudinis conſortio præparavit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, legationis, ſtatuti, decreti, juſſionis, obteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono Kalend. Aprilis Pontificatûs noſtri anno quarto.

V.

Conſtitutio Pii IV. de facultatibus Inquiſitorum contra ſollicitantes, incipiens *Cum, ſicut nuper* inſerta,

VI.

Confirmationi & ampliationi Gregorii XV. incip. *Univerſi Dominici Gregis fol.* 386.

VII.

Juriſdictio Inquiſitorum in eos, qui ad Ordinem Presbyteratûs non promoti Miſſas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrant.

GREGORIUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Officii noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, ut dubia, quæ variis Doctorum opinionibus hinc inde diverſa ſentientibus agitantur, & ad juriſdictionem Sanctiſſimi Officii Inquiſitionis hæreticæ pravitatis pertinent, noſtræ declarationis oraculo (prout ratio ipſa ſuadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occaſio in poſterum relinquatur.

Ad aures noſtras ſiquidem nuper pervenit, multos eſſe, qui dubitent, an contra eos, qui in Sacro Presbyteratûs Ordine non conſtituti, Miſſas celebrare, confeſſiones audire, ac abſolutionem impartiri auſi fuerint, per Officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis hæreticæ pravitatis, in Hiſpaniarum Regnis inſtitutum, & illius Inquiſitores procedendum, vel etiam animadvertendum ſit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquiſitores prædictos puniri debeant? nam, etſi multorum ſententiâ affirmetur, prædictum delictum ab Inquiſitoribus plectendum eſſe, hiſce præſertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam Sæculares eorum Sacramentorum Miniſtros eſſe poſſe, non deſunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni, unde plerumque per eorumdem Regnorum Inquiſitores in diverſa feruntur in hujuſmodi cauſis ſuffragia. Nos itaque, ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur, animadvertentes eos, qui Presbyteratûs Ordine non ſunt inſigniti, & ſe in adminiſtrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto Catholicam veritatem impugnare, quæ ſolos Presbyteros Miniſtros eorumdem Sacramentorum conſtituendo, illis duntaxat, quibus eadem munera congruere exiſtimavit, committi voluit, eorum, qui in Presbyteratûs Ordine non conſtituti, Miſſas celebrant, ac confeſſiones audiunt (ut præfertur) cognitionem & punitionem, etiam ad Inquiſitionis Officium, & Inquiſitores antedictos pertinere: & quod hujuſmodi delicti ratione adverſus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire Officium, & Inquiſitores prædicti valeant, Apoſtolica authoritate præſentium tenore perpetuò declaramus, & diffinimus. Et ita ab omnibus & ſingulis Ordinariis & delegatis Judicibus, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis alia judicandi & interpretandi facultate, judicari & diffiniri debere: irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, nec non juribus municipalibus, legibus Regnorum prædictorum, pragmaticiſque ſanctionibus, ac Statutis & conſuetudinibus Civitatum & locorum quorumcunque dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis forſan per Nos, ac quoſcunque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſub quibuſvis verborum formis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque

&aliis

& aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ſeu de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, vel ad ſupplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum conceſſis & confirmatis, quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris VI. Auguſti MDLXXIV. anno à Nativitate Domini, Pontificatûs autem noſtri tertio.

VIII.

Quod Inquiſitores & locorum Ordinarii eos, qui ad Presbiteratûs Ordinem non promoti Miſſas celebrant, vel Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrant, prævià degradatione, Curiæ Sæculari debitis ab ea plectendos pœnis tradant.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETſi aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter ad nefariam, & ſacrilegam quorundam hominum temeritatem coërcendam, qui, cum ad ſacrum Presbyteratûs Ordinem minimè promoti ſint, Sacerdotis tamen auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, Miſſarum celebrationem uſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumunt, decreverit hujuſmodi delinquentes à Sanctæ Inquiſitionis Judicibus tradi debere Curiæ ſæculari debita animadverſione puniendos; & poſtea rec. me. Sixtus Papa V. etiam Prædeceſſor noſter prædictum Pauli Papæ IV. decretum innovari, ac ſeriò obſervari mandaverit, eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut, prætextu ignorationis hujuſmodi decretorum, ac pœnarum contra ipſos, ut præfertur, inflictarum, illis ſe minimè ſubjacere, & obnoxios eſſe putent, ac propterea ſe ab eiſdem liberari, & abſolvi poſſe prætendant. Nos igitur animadvertentes hujuſmodi perditos, & nefarios homines ad ſacrum Presbyteratûs Ordinem non promotos, Miſſarum celebrationem uſurpare præſumentes, non ſolùm actus idololatriæ ſaltem extrinſecè, ſeu per externa, & viſibilia Religionis, & pietatis ſigna exercere, ſed etiam, quantùm in ipſis eſt, efficere, ut Chriſtifideles, qui credunt eos ordinatos eſſe, & ritè conficere Sacramentum Euchariſtiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet Panem, & Vinum, tanquam verum Chriſti Domini Noſtri Corpus, & Sanguinem eiſdem adorandum proponentes. Confeſſiones autem audientes non ſolùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Chriſtifideles decipere, dum ſcilicet iniquè ſibi aſſumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem abſolvendi à peccatis magno cum periculo, & ſcandalo plurimorum. Propterea, ut graviſſima hæc ſcelera committentes, poſthac debito ſupplicio puniantur, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine S. Inquiſitionis Judicum conſcientiæ conſulere, & ne in futurum de pœna hiſce delinquentibus imponenda dubitari poſſit, providere volentes, ſupradictorum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, atque ſtatuimus, ut, quicumque non promotus, ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem repertus fuerit Miſſarum celebrationem uſurpâſſe, vel Sacramentalem confeſſionem audiviſſe, à Judicibus Sanctæ Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Eccleſiæ miſericordia indignus à foro Eccleſiaſtico abjiciatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim Curiæ ſæculari tradatur per Judices ſæculares debitis pœnis plectendus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis, etiam generalibus editis, etiam in corpore juris clauſis: Quibus omnibus & ſingulis, illarum tenores pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem hujuſmodi Conſtitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam poſſit, atque, ut præſentes Literæ omnibus innoteſcant, volumus illas ad valvas Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in Acie Campi Floræ more ſolito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earundem exempla, etiam impreſſa, ibi affixa relinqui, factâque hujuſmodi publicatione omnes, qui in Urbe, poſt menſem, qui verò extra eam, & citra Montes, poſt quatuor menſes, qui demum ultra Montes fuerint, poſt decem menſes à die publicationis præſentium computandos afficere, & arctare, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Ac præterea mandamus earundem præſentium Literarum exemplis, etiam impreſſis, & manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Officii Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, vel alicujus perſonæ in digni-

gnitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem haberi, quæ hiſce præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die prima Decembris 1601. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

I X.

Ampliatio hujus Conſtitutionis ad omnes, etiam minores 25. annis, dummodo vigeſimum ętatis annum compleverint.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolatûs officium, cui meritis licèt imparibus, diſponente Deo, præſidemus, à nobis poſtulat, ut, quantùm Nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compeſcamus in iis præſertim, quorum eò ſacrilega proceſſit audacia, ut ſe beneficio minoris ætatis ſpretis Apoſtolicis Conſtitutionibus confoveant in delictis, quorum ſtatutis pęnis ſe idcirco jactant minimè ſubjacere. Aliàs ſiquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro emanârunt literæ tenoris ſequentis; videlicet. Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Etſi alias felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter *reliqua, uti in folio collaterali.* Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli privilegio minoris ętatis nimis temerè confiſi, & legum indulgentia freti, pęnas à d. Clementis Prædeceſſoris conſtitutione in hujuſmodi delinquentes ſtatutas parvipendere præſumant: Nos deteſtantes, &, quantùm in nobis eſt, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrociſſimo hoc ſcelere Catholicam veritatem, quæ ſolos Presbyteros dictorum Sacramentorum miniſtros eſſe docuit, facto impugnant, negocio hujuſmodi in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. Generalium Inquiſitorum coram nobis habita maturè diſcuſſo, inhærentes conſtitutioni prædictæ, aliiſque decretis per fel. record. Paulum IV. & Sixtum V. Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros contra ſimilia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine ampliantes, & extendentes hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, qui inpoſterum ad ſacrum Presbyteratûs Ordinem non promotus Miſſam celebrare, aut ſacramentalem confeſſionem audire præſumpſerit, ætate minori annis vigintiquinque, non excuſetur, quominus eidem Clementis conſtitutioni ſubjiciatur, dummodo vigeſimum ſuæ ætatis annum compleverit, ipſeque non promotus ſic delinquens nulla habita conſideratione præfatæ minoris ætatis, ſive Laicus, ſive Clericus ſæcularis, aut cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ Regularis, aut cujuſvis alterius inſtituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, Nobiſque & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjecti, necnon Militiarum quarumcunque, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, fuerit, tradatur Curiæ ſæculari pęnis debitis plectendus, ſicque & non aliter per quoſcunque Sanctæ Inquiſitionis Judices, & Inquiſitores, etiam generales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & locorum Ordinarios, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatutum, decretum, & conſtitutionem hanc noſtram inviolabiliter obſervent, & obſervari faciant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis, etiam generalibus editis, etiam in corpore Juris clauſis, necnon Legibus, Statutis, Decretis, Conſuetudinibus, & Privilegiis ad favorem minorum vigintiquinque annis, quomodolibet, & ubicumque locorum editis, ac aliàs in ipſorum favorem facientibus, Apoſtolica etiam confirmatione, ac juramento, ſeu quavis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, harum literarum publicationem, & affixionem fieri juxta formam in prædicta Clementis conſtitutione præſcriptam, eaſque publicatas, & affixas omnes intra Urbem, & extra, tam citra, quàm ultra montes & mare, poſt tempus in ipſa Clementis conſtitutione præfixum arctare, & afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Mandamus pariter, ut earundem tranſumptis, etiam impreſſis, manuque Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Officii Sanctæ Romanæ Inquiſitionis,

nis, vel alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus hiſce adhiberetur, fides adhibeatur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII. Martii MDCXXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

X.

Contra exercentes artem Aſtrologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, libroſque tenentes, vel legentes.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CŒli, & Terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad juſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem, etſi homini, quem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creavit, mentem dederit, quæ non ſolùm Divino Fidei lumine illuſtrata myſteria illa cognoſceret, quæ humanam intelligentiam ſuperant, ſed etiam naturæ ſuæ vi, magno licèt cum labore, præclara multa inveſtigaret, atque intelligeret, tamen, ut ſuperbum animal homo non altum ſaperet, ſed timeret, & immenſam Conditoris ſui majeſtatem humi ſtratus veneraretur, ſibi ſoli eorum, quæ eventura ſunt, ſcientiam, & futurarum rerum cognitionem reſervavit. Solus enim ipſe, cujus oculis omnia nuda, & aperta ſunt, ad intimas hominum cogitationes penetrat, & conſequentes eorum actiones intuetur: ſolus ipſe, qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculos poſita habet: ſolus denique omnia, & ſingula, quæcumque totius temporis decurſu, & ſæculorum ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia diſpoſuit, quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec dœmones ipſi præſentire poſſunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falſitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Iſaiam illis verbis: Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos: & in novo Teſtamento Chriſtus Dominus diſcipulorum ſuorum de futuris eventibus paulò cupidiùs inquirentium interrogationem gravi illa reſponſione retudit, qua etiam omnium fidelium ſuorum curioſitatem coërcuit: Non eſt veſtrum ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nec verò ad futuros eventus, & fortuitos caſus prænoſcendos (futuris eventibus ex naturalibus cauſis neceſſariò, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces & vanæ, improborum hominum aſtutiâ, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio omnis divinatio dimanat, ſive quod expreſſè ad futura manifeſtanda invocentur, ſive quod ipſi pravitate ſua, & hodie in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere depraventur: Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & aliis quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt, in hujuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquiſitione, & præcognitione, diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, ut ſua fraude, ac dolis, miſeros homines à via ſalutis avertat, & laqueo damnationis involvat. Quæ cum ita ſint, nonnulli hæc fideliter, & religioſè, ut debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes: tales in primis ſunt Aſtrologi, olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarii vocati, qui vanam, falſamque ſyderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, divinæque diſpoſitionis ordinationem, ſuo tempore relevandam prævenire audaciſſimè ſtagentes, hominum nativitates, ſeu genituras, ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac judicant futura, ſive etiam præſentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſive quavis alia temporum, & monumentorum vaniſſima obſervatione, & notatione, de uniuſcujuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, divitiis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliiſque proſperis, & adverſis caſibus, & eventibus præcognoſcere, judicare, & affirmare temerè præſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis; cum S. Auguſtinus, præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſervat, qui attendit, qui credit, qui in domum

Digitized by Google

mum recipit, qui interrogat, Chriſtianam Fidem, & Baptiſmum prævaricâſſe affirmet, ut illos meritò Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos, timeo vos, ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis. Hi igitur leviſſimi, & temerarii homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam, grave fidelium ſcandalum, & Chriſtianæ Fidei detrimentum, futuros rerum eventus, & quæcumque proſperè, vel adversè obventura ſunt, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiſcuntur, aſtris, ſyderibuſque adſcribunt, eiſque eam facultatem, vim, ſeu virtutem, & efficaciam tribuunt ſignificandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, ut ſic omnino & non aliter eventura ſint, atque ob eam cauſam de iis rebus omnibus judicia facere, prognoſtica, prædictiones, & præcognitiones ſibi aſſumere, & palam venditare non dubitant: quibus pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præſtant, ut ex hujuſmodi judiciorum, & prædictionum præſcripto, aliquid certò eſſe credant, aut ſperent, quorum ſanè & mendacium magiſtrorum temeritas, & infelicium diſcipulorum credulitas magnoperè deploranda eſt, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præſtantiam, cui Cœli, & Stellæ, & clariſſima Cęli ſydera Sol, & Luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſerviunt; ſic enim Moyſes Populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat: Ne ſortè elevatis oculis ad Cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt. Sed quid ſydera mirandum eſt homini ſervire? nonne nobiliſſimæ intelligentiæ Angeli ipſi, omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Nam rationales oves ita diligit Deus, ut non ſolùm Epiſcopos, quemadmodum à S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinaverit, ſed etiam Angelos deſtinaverit. Præclarè etiam Sanctus Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid adverſus Angelorum cuſtodiam, & tutelam aſtra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſunt comparanda? Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt eximii Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſſimi Pontificis Magni Gregorii ſententia, qui Priſcillianiſtas hæreticos unumquemque hominem ſub conſtitutionibus Stellarum naſci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Abſit, inquit, à fidelium cordibus, ut aliquid eſſe ſatum dicant, vitam quippe hominum ſolus hanc Conditor, qui creavit, adminiſtrat, neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt, & ſi ſtella ſatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur. Utinam inſani homines hæc ſaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Neque enim, quæ Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto ſtudio inveſtigarent, iiſdemque miſerè ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impii, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxiè habere ſtudent, ut ob eadem prænoſcenda, & inveſtiganda in divinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Acromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliiſque ſortilegiis, & ſuperſtitionibus, non ſine Dęmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alii verò aliquas priſtinæ & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ Idololatriæ reliquias retinentes, quibuſdam auguriis, auſpiciis, ſimilibuſque ſignis, & vanis obſervationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inſerno, qui ſimiliter ad occultorum divinationem, ad inveniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, vel veneficia adhibent, circulos & diabolicos characteres deſcribunt, Dęmones invocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliave ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obſequia præſtant, cultum, venerationemve tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut parvas phyalas ſibi fabricant, aut ſabricari curant ad Dœmones in eis alligandos, ſeu includendos, ut putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus Dœmones, de futu-

futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut meritò ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendaceſque referant reſponſiones. Alii quoque præſtigiatores, frequentiùs verò mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ in phyalis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſia candelis, etiam benedictis, ſub nomine Angeli Sancti, & Albi, Diabolum omnium malorum ſatorem ſupplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manûs, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum Architectum orant, ut ſimiliter futura, vel occulta quævis ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacii Diabolo aliis incantationibus, aut variis ſuperſtitioſis obſervationibus, futurorum & occultorum hujuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumeravimus, conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod Dœmonis præſtigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt, illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in ſeipſis conſiderare, antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſariò conſequitur, ut Aſtrologi, & alii prædicti, qui hujuſmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocunque modo, niſi Deo revelante, audent, injuſtè, atque impudenter, quod Dei eſt, ſibi aſſumant, & uſurpent. Sic fit, ut, dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris, perperam creaturis tribuitur, Divina Majeſtas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioſo Chriſti ſanguine redemptis, peſtis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licèt jampridem regulis Indicis Librorum prohibitorum ex Decreto ſacri generalis Tridentini Concilii confecti, illud inter cætera conſtitutum fuerit, ut Epiſcopi diligenter providerent, ne hujuſmodi Aſtrologiæ judiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent, permiſſis tamen judiciis, & naturalibus obſervationibus, quæ navigationibus, agriculturæ, ſive medicæ artis juvandæ gratia conſcripta fuiſſent: Libros verò omnes, & ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ; ſive, in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus rejici, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abuſuum prædictorum extirpationi uſque adeo proviſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cum valdè frequenter detectis diaboli inſidiis, divinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur.

§. 3. Nos igitur, qui pro noſtro Paſtoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conſervare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantùm divina gratia adjutrice poſſumus, ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo auctore ad Fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent: Cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim, ubi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & providentia, ab omni erroris labe, integram atque incorruptam, ut par eſt, retineri: Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac hujuſmodi illicitarum divinationum, & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Chriſtiano populo meritò dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt: Non eſt augurium in Jacob, neque divinatio in Iſrael. Hac perpetuò valitura Conſtitutione, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumque dictæ judiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam, in poſterum exercentes, aut facientes judicia, nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm contra alios utriuſque ſexûs, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas divinandi artes, ſive ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quive hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cujuſcumque dignitatis, gradûs, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eo ſeveriùs Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. Probibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus hujuſmodi judiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac, ut ſuprà, in memorato Indice interdictos, ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis, à quibuſcumque Chriſtifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nibilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta hujuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter iidem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere poſſint.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Ut autem præſentes noſtræ Literæ ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, jubemus illas in valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, ſeu appendi, eiſque detractis, ipſarum exempla etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et inſuper univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Locorum Ordinariis, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet conſtitutis, per hæc committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes Literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum notitiam habuerint, in ſuis, & ſingulis Parochialibus Eccleſiis, dum in eis populi multitudo ad Divina convenerit; deinde verò ſemel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari ſermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia verò difficile foret præſentes Literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac parvo Sigillo Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, Nonis Januarii, Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

X I.

Contra Aſtrologos judiciarios, qui de Statu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vitâ Romani Pontificis, aut ejus conſanguineorum judicia facere; nec non eos, qui illos deſuper conſulere præſumpſerint, cum innovatione ſimilis Conſtitutionis Sixti PP. V.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabilis Judiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus tenebroſo corporis carcere conſtrictus, ſuper aſtra ſe extollens, arcana in ſinu Divino recondita, & ipſis beatiſſimis Spiritibus ignota, nefaria curioſitate, non solùm explorare, ſed etiam tanquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioſo exemplo venditare præſumat.

§. 1. Hinc eſt, ut, quamvis civilibus, canoniciſque ſanctionibus, ac noviſſimè fel. record. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri Conſtitutione deſuper edita, Aſtrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum, qui eventura divinare, ſeu prædicere audent, quoſque uti homicidas, & maleficos antiquitas æſtimavit, illorum potiſſimum, qui de ſumma Reipublicæ, vel Principis ſalute judicia ferre præſumerent, ars, profeſſio, ſive exercitium gravibus pœnis inhibita eſſe noſcantur, attamen, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii propriæ puſillitatis obliti, ac lenitate forſan, vel conniventia audentiores facti, vanamque fatidicorum æſtimationem aucupantes, in deplorandam animarum ſuarum perditionem, graveque Chriſtifidelium ſcandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis ſollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum novandarum occaſionem ea ratione inferre ſatagentes, prognoſtica, & prædictiones verbo, vel etiam ſcripto edere non erubeſcunt.

§. 2. Nos itaque pernicioſis hujuſmodi abuſibus, quantùm Nobis ex alto conceditur, obviam ire, ac, quos Dei reſpectus in officio non continet, pœnarum gravitate, & ſeverioris

rioris diſciplinæ frœno coërcere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Conſtitutionem per præfatum Sixtum Prædeceſſorem deſuper, ut præfertur, editam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus.

§. 3. Et inſuper omnibus, & quibuſcumque Laicis, cujuſcumque ſexûs, conditionis, ſtatûs, gradûs, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ejuſque uſque ad tertium gradum inclusivè conſanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, Vaticinatoreſve nuncupatos, vel alios Aſtrologiam judiciariam exercentes, ſeu aliàs quomodolibet profitentes de cætero conſuluerint, ſive deſuper eorum judicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcognitiones, etiam ſibi oblatas receperint, illiſve quomodolibet uſi fuerint, vel illas penes ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint, necnon iiſdem Mathematicis, Ariolis, Aruſpicibus, Vaticinatoribus, ſive aliis Aſtrologiam Judiciariam, ſeu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profitentibus, qui Judicia, Prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis, etiamſi id non certò ſe affirmare proteſtentur, fecerint, ſive à ſe, vel ab aliis jam facta, ſeu factas impoſterum penes ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut de eis quovis modo etiam improbando, ſcripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ſed etiam uti læſæ Majeſtatis reis, ultimi ſupplicii, ac confiſcationis omnium bonorum ſuorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcumque Civitatum, Caſtrorum, & locorum juriſdictionalium, & feudalium:

§ 4. Clericis quoque, & Presbyteris, aliiſque Perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, ſeo Inſtituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, aliiſque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectis, Regularibus utriuſque ſexûs, ultra prædictas, etiam privationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Eccleſiaſticorum, etiam Monaſteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa impoſterum obtinenda, ita quod Perſonæ Eccleſiaſticæ prævia illarum degradatione Curiæ ſæculari tradantur puniendæ, in Epiſcopali verò, Archiepiſcopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam ſuperiori Eccleſiaſtica, vel mundana, quantumvis ſublimi, excellente, & ſpeciali nota digna, etiam ſuprema, conſtitutis dignitate, eaſdem excommunicationis, ac adminiſtrationis etiam regiminis, ac privationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum, quantumvis ampliſſimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum ſuorum, & inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrendas Apoſtolica auctoritate tenore præſentium infligimus, & imponimus.

§. 5. Cognitionem autem cauſarum hujuſmodi quoad perſonas Eccleſiaſticas, tam Sæculares, quàm Regulares, in Urbe noſtra, & illius diſtrictu ad dilectos filios noſtrum in eis Vicarium in ſpiritualibus generalem, necnon ejuſdem Urbis Gubernatorem, ac Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditorem Generalem, & eorum quemlibet in ſolidum, extra verò Urbem, & diſtrictum prædictum in Provinciis Nobis, & Apoſtolicæ Sedi ſubjectis, ad S. R. E. Cardinales in eiſdem Provinciis de Latere Legatos, & Prolegatos, ac Præſides in dignitste Eccleſiaſtica conſtitutos pro tempore exiſtentes, in aliis verò omnibus, & ſingulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis, tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quàm cujuſvis alterius Principis ditione comprehenſis, privativè quoad omnes, etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum, ubilibet verò locorum, etiam ad hæreticæ pravitatis Inquiſitores ſpectare volumus.

§. 6. Mandantes dilectis filiis noſtris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præſidibus prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus, necnon Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis, videlicet in ſuis Civitate, & Diœceſi, & quoad loca intra fines alicujus Diœceſis, non tamen de Diœceſi exiſtentia, ipſarum Diœceſûm, intra quarum fines eadem loca extiterint, quò verò ad ea, quæ extra fines alicujus Diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, ac etiam Inquiſitoribus prædictis, quatenus ad inſtantiam cujuſvis Fiſci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio cauſarum hujuſmodi cognitiones ſuſcipientes, prævia etiam avocatione à quibuſvis aliis ſuprà non expreſſis, nec à Nobis ſpecialiter delegatis, in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant omnibus juris, & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii ſæcularis.

§. 7.

§. 7. Inhibentes inſuper Decanis, & Capitulis Ecelefiarum Cathcdralium Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Inſtitutorum, ac etiam Hnſpitalis, prædictnrum Superioribus, Conventibus, & Fratribus, quantumvis exemptis, ne ſub privationis beneficiorum, & officiorum quorumeumque per eos reſpectivè obtentorum, ac ſimiliter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & paſſivæ, necnon excommunieationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, ſeu Vicelegatos, alioſque prædictos in cauſis hujuſmodi procedentes quoquomodo impedire, moleſtare, ſeu perturbare audeant, vel præſumant, ac etiam mandantes, ut, quotiès ad id ſuerint requiſiti, Religioſos ipſos, etiamſi alicujus loci Regularis Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, ſeu Vicelegatis, ae aliis prædictis, ſeu quibus iidem mandaverint, conſignent cum ſcripturis, & actis, ſi quæ ſacta fuiſſe reperiantur.

§. 8. Sicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, Delegatos, & Commiſſarios, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Præſidentes, necnon Cauſarum Palatii Apoſtolici, & Curiæ ejuſdem Cameræ generales Auditores, ae S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Vice-Camerarium, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi ſacultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum qunque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſeienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 9. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon noſtra in numero ſeptuageſimo, & aliis Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ae Provinciarum, Regnorum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Eccleſiarum, Monaſterinrum, Militiarum, Hoſpitalium, etiam S. Joannis prædictorum, alinrumque Religioſorum, & piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Eceleſiis, Mnnaſteriis, Hoſpitalibus, & Militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorum Univerſitatibus, Capitulis, Superioribus, & perſonis in cnntrarium ſorſan quomodolibet eonceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpeeifiea; expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per elauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda ſoret, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſun robore permanſuris, bae viee dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

§. 10. Volumus autem, qnod præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, neenon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ, poſtquam ſie affixæ, & publicatæ ſuerint, quoſcunque tam in ſtatu noſtrn temporali, quàm extra eum, ubique locorum perinde arctent, & afficiant, ac ſi unieuique nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 11. Quodque earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publiei ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſnnæ in dignitate Eceleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & eatra, ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi fnrent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, innnvationis, inflictionis, impoſitionis, inhibitinnis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe nnverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Annn Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo, Kalendas Aprilis, Pontificatûs Noſtri Anno octaro.

X I I.

Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber, & publicus cultus, ſive uſus Catholicæ Religionis non exiſtit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut non ſine magno animi noſtri dnlore accepimus, quamplures Chriſtifideles ex diverſis Italiæ partibus, eorum patriis, ubi vera, & Sancta, Catholica, & Apoſtolica Religio viget, & publicè prædicatur, diſeedentes, abeant in longinqua loca, ubi non ſnlùm hæreſes impunè graſſantur, ſed, quod pejus eſt, Catholicæ Religionis

Google

nis uſus publicè interdicitur, & prohibetur; quo fit, ut perſonæ ibi permanentes, etiamſi Catholicæ ſint, cogantur tamen contra eorum pia deſideria, Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, aliiſque divinis Officiis, ac Sanctorum Sacramentorum perceptione in ſuarum animarum diſcrimen diutius carere.

§. 1. Quare Nos his, & aliis malis, & periculis inde provenientibus, quantùm cum Domino poſſumus, obviare cupientes, hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, ut de cætero nullus Italus, ſive Mercator, ſive cujuſvis alterius conditionis, vel ſtatûs exiſtat, quovis quæſito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Civitate, Oppido, ſeu loco, ubi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Paſtore, ſeu Sacerdote Catholico non exiſtat, in qua liberè, & ſine omni periculo palam, & publicè celebrari, & audiri poſſint Sacroſanctæ Miſſæ, & aliæ Divina Officia, & Conciones, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari, mortuorum corpora ſepeliri, & cætera fieri juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

§. 2. Utque iidem Itali abſtineant à Matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis, filios ſuos de Sacro Fonte levari per hæreticos non permittant, nec ipſi viciſſim hæreticorum filios, niſi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, levare præſumant, Medicorum quoque hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, &, ubi adſit copia Catholici Medici idonei, non utantur.

§. 3. Cum verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, ſeu inhabitandum in partibus prædictis, id ſignificent ſuis Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum, à quibus ſerio admoneantur, ut in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem conſtanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & Feſtos dies, abſtinentias, & ſacra jejunia ab Eccleſia præcepta religiosè colant, atque omnem hæreſim, & errorem, hæreticos, ſchiſmaticos, & ab Orthodoxa Fide aberrantes fugiant, & evitent, ac, ut ſaltem ſingulis annis de eorum Sacramentali peccatorum Confeſſione, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione per eos facta, fidem, ſeu teſtimonium ipſis Ordinariis, vel Inquiſitoribus in Italiam tranſmittant, ad quod & Nos dictos Italos tenore præſentium teneri, & obligatos eſſe decernimus, & mandamus.

§. 4. Quod, ſi quis propriæ ſalutis immemor, contra præmiſſa facere præſumpſerit, poſſit adverſus eum per locorum Ordinarios, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis, uti de hæreſi ſuſpectum, procedi.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVI. Julii, MDXCVI. Pontificatûs Noſtri Anno quinto.

XIII.

Conſtitutio Pauli V. de facultatibus Regularium cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad S. Officium pertinentes revocatis incip. *Romanus Pontifex* ſuprà fol. 356.

XIV.

Innovatio Conſtitutionum à Sixto IV. & S. Pio V. de Conceptione B. M. Virginis editarum, impoſitioque majorum pœnarum in tranſgreſſores à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus puniendos.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regis pacifici, quanquam nullo noſtro merito divina diſpenſatione vices gerentes in terris, ex muneris noſtri debito, pacis & concordiæ inter Chriſtifideles, præſertim Eccleſiaſticas perſonas, quæ aliis in viam pacis dirigendis, & in unitate Spiritûs continendis ſunt præpoſitæ, conſervationi ſedulò invigilare cupientes, ea, quæ à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ad ſcandalorum ſemina tollenda ſalubriter conſtituta ſunt, cum hoſtis antiqui inſidiis, qui ab initio diffidia ſerere cœpit, minimè obſervari, aut variis modis eludi dignoſcuntur, ut inviolata ſerventur, opportunis remediis, quantùm cum Domino poſſumus, munimus.

§. 1. Olim ſiquidem per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum Prædeceſſorem noſtrum, accepto, quod nonnulli diverſorum Ordinum Prædicatores, in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diverſas Civitates, & Terras affirmare non erubuerant, & quotidiè prædicare non ceſſabant, omnes

Digitized by Google

omnes illos, qui tenebant, aut aſſerebant glorioſam, & Immaculatam Dei Genitricem, abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe Hæreticos, ejuſdemque Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmabant, graviter peccare; ſed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos ſuper eiſdem ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum aſſertionibus, & prædicationibus non levia ſcandala in mentibus fidelium exorta erant, & majora meritò exoriri formidabantur in dies, idem Sixtus Prædeceſſor hujuſmodi temerariis auſibus, & perverſis aſſertionibus, & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poterant, obviare volens, hujuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujuſmodi Officium Conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falſas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc reprobavit, & damnavit, ac ſtatuit, & ordinavit, quod Prædicatores verbi Dei, & quicumque alii cujuſcumque ſtatûs, gradûs, aut ordinis, & conditionis eſſent, qui auſu temerario præſumerent in eorum ſermonibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per eum improbatas, & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrerent, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, nequirent abſolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ & cenſuris ſubjecit eos, qui auſi eſſent aſſerere contrariam opinionem, tenentes videlicet, glorioſam Virginem MARIAM cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum id eſſet à Rom. Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum.

§. 2. Hanc verò Sixti Prædeceſſoris Conſtitutionem Oecumenica Tridentina Synodus poſtea innovavit.

§. 3. Ac deinde ſimilis recordationis Pius Papa Quintus etiam Prædeceſſor noſter, ſtatuit, ordinavit, & mandavit, quatenus nemo cujuſcumque ordinis, vel dignitatis exiſteret, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo convenire ſolet, de hujus controverſiæ alterutra parte diſputare, rationibus vel Doctorum auctoritate aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipſa quæſtione cujuſvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumeret, qui contrafaceret, ſuſpenſionis pœnam à divinis abſque nova declaratione ipſo facto incurreret, ſi modò eſſet in ſacris conſtitutus, & quocumque præterea gradu, ſive dignitate, vel adminiſtratione fungeretur, illis omnibus foret ipſo jure privatus, & ad eadem, vel ſimilia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ, ipſo etiam facto obnoxius foret, ſuper quibus, niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari, ſive abſolvi non poſſet, & nihilominus aliis pœnis, ſi opus foret, à proprio Prælato pro delicti menſura infligendis ſubjectus eſſet, prout ſubjecit.

§. 4. Cæterùm, quamdiu per Apoſtolicam Sedem altera pars diffinita non eſſet, oppoſitaque ſententia condemnata, liceret Viris doctis in publicæ Academiæ diſputationibus, ſive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel, ubi aliàs intereſſent, qui rem capere poſſent, nec ſcandali ullæ ſubeſſet occaſio, de illa quæſtione diſſerere, & argumentis utramlibet partem aſſerere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, ſervarenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædeceſſore ſtatuta ſunt, quorum ſingula, etiam quantùm ad alias pœnas, duxit innovanda, & innovavit, prout in Sixti, & Pii Prædeceſſorum litteris deſuper confectis pleniùs continetur.

§. 5. Verùm, licèt hæc providè ſtatuta ſint, nihilominus, ſicut accepimus, nonnulli in diverſis Chriſtiani Orbis partibus, interminatis quæſtionibus nimis intenti, diſſenſionum hujuſmodi, jampridem Eccleſiæ diſciplinæ vigore reciſa, germina coaleſcere procurant, indeque contentiones, & rixæ non ſine Dei offenſa, & ſcandalo plurimorum exortæ ſunt, & graviores in dies, ne exoriantur, periculum eſt, niſi à Nobis opportunè provideatur.

§. 6. Quamobrem Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Conſtitutionum Sixti, & Pii Prædeceſſorum hujuſmodi veriores tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, eaſdem Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & etiam quoad earum pœnas quaſcunque etiam abſolutionis reſervationem innovamus, & in-

Digitized by Google

violabiliter ab omnibus, etiam Regularibus quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus perſonis, cujuſvis ſtatûs, gradûs, ordinis, & conditionis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſariò facienda mentio, obſervari præcipimus, & mandamus, donec à Romana Apoſtolica Sede hujuſmodi controverſia fuerit diffinita.

§ 7. Ac præterea, ſi quis quovis modo contravenerit, præter ſupradictarum Conſtitutionum pœnas reſpectivè ipſo facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſſiva in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatus exiſtat, necnon concionandi, & publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas ſimiliter ipſo facto incurrat, abſque alia declaratione, à quibus nonniſi à Nobis ipſis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pariter abſolvi, ſeu ſuper iis diſpenſari poſſit, & nihilominus aliis pœnis noſtro, & eorumdem Romanorum Pontificum Succeſſorum noſtrorum arbitrio infligendis, ſubjiciatur, prout eum ſubjicimus per præſentes.

§. 8. Et contra hujuſmodi tranſgreſſores, etiam Regulares, cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſæculares perſonas cujuſcumque ſtatûs, gradûs, ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, ut præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſeverè animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet, contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iiſdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eoſque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire præcipimus, & mandamus.

§. 9. Non obſtantibus omnibus iis, & ſingulis, quæ tam Sixtus, quàm Pius Prædeceſſores prædicti in litteris ſuis hujuſmodi voluerunt non obſtare. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 10. Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentes literæ, ſeu illarum exempla, ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 11. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem proſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die VI. Julii, MDCXVI., Pontificatûs Noſtri Anno duodecimo.

XV.

Ampliatio & declaratio prohibitionis aſſerendi B. Mariam Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe.

Feria III. die 24. Maji 1622.

In generali Congregatione &c.

Sanctiſſimus Dominus Noſter auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, decretum aliàs editum à fel. rec. Paulo V. ejus Prædeceſſore tenoris ſequentis, videlicet:

Sanctiſſimus Dominus Noſter poſt longam, & maturam diſcuſſionem, auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, re accuratè, ac diligenter perpenſâ, providè conſiderans, quod quamvis in Conſtitutione fel. rec. Sixti IV. ſuper Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ pro ſubmovendis inter Chriſtifideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, à Sacra Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Conſtitutione ſan. mem. Pii V. ſuper eadem re, quas ſimiliter Sanctitas Sua innovavit, cum quibuſdam proviſionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſervatione relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi utramque partem, quod ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, & dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in Populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia,

gia, & diſſenſiones. Propterea volens hujuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus, & aliis quibuſcunque, tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus Perſonis cujuſvis conditionis, ſtatûs, gradûs, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſariò mentio facienda, ut inpoſterum, donec articulus hujuſmodi à Sancta Sede Apoſtolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; Contrafacientes autem eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis: Per hujuſmodi tamen proviſionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſuprà diſpoſita. Ulteriùs ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandavit, ut extra hos caſus expreſſos publicorum actuum in reliquis omnibus ſupradictæ Conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſerventur perinde ac ſi præſens decretum non emanâſſet. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari, non obſtantibus in hac parte ſupradictis Conſtitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus &c.

§. 2. Hoc ſuo præſenti decreto ex eiſdem cauſis ad evitanda ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, &, ut accepit, in aliquibus Regionibus jam ortæ ſunt ex ſermonibus privatis, occaſione aſſertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, & ſcripta, mandans, & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne de cætero, donec articulus hujuſmodi à Sede Apoſtolica diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen, quibus à S. Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in ſupradicto fel. record. Pauli V., & hoc ſuo decreto diſpoſita.

§. 3. Eademque Sanctitas Sua voluit, & expreſsè mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujuſmodi decretis non adverſantur Conſtitutiones Sixti IV., Alexandri VI., & Pii V., ac Pauli V. ejus Prædeceſſorum ſuper Conceptione Beatiſſimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obſerventur, perinde ac ſi hujuſmodi decretum non emanâſſet.

§. 4. Et inſuper eadem Sanctitas Sua, cum Sancta Romana Eccleſia de Beatiſſimæ Virginis Conceptione Feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, ut in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publicè, quàm privatim, non alio, quàm Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas Sua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus, ac præfato decreto ſuorum Prædeceſſorum ipſo facto incurrendis. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari.

§. 5. Non obſtantibus in hac parte Conſtitutionibus ſupraſcriptis, decreto præfato Pauli V., conſuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & ſingulis, quæ Prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare, ac aliis quibuſcumque in contrarium facientibus.

§. 6. Volens, & decernens pro obſervatione, & executione præſentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujuſmodi tranſgreſſores, etiam Regulares, cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, ac alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & Sæculares perſonas cujuſcumque ſtatûs, conditionis, gradûs, ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeverè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem con-

contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi.

§. 7. Voluit demum, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quod præſens decretum, ſeu illius exempla ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent; quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

XVI.

Conſtitutio Gregorii XV. de revocatione Vivæ Vocis oraculorum incip. *Romanus Pontifex* ſuprà fol. 384.

XVII.

Ejuſdem extenſio Urbani VIII. incip. *Aliàs felic. rec.* ſuprà fol. 399.

XVIII.

Revocatio quarumcunque licentiarum legendi, & habendi quomodolibet libros prohibitos quibuſcunque Perſonis, à quocunque, etiam Romanis Pontificibus conceſſarum.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolatûs Officium Nobis, nullo licèt meritorum ſuffragio, Divina Providentia commiſſum poſtulat, ut ad ea vigilantiæ noſtræ partes propenſiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, ubi Divinâ gratiâ illæſa viget, conſervetur, & ubi reſtitutione indiget, reſtituatur.

§. 1. Quapropter cum librorum prohibitorum lectio magno eſſe ſinceræ fidei cultoribus detrimento noſcatur, &, ſicut accepimus, licentiæ libros hujuſmodi legendi nimis excreverint; Nos, ut huic malo maturè occurratur, & inpoſterum quàm cautiſſimè licentiæ hujuſmodi concedantur, quantùm cum Domino poſſumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcumque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuſcumque perſonis cujuſcumque gradûs, & conditionis exiſtentibus, etiam per Litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocumque, & ex quacumque cauſa, tam per Litteras in forma Brevis, quàm aliter quomodocumque à Nobis, ſeu Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu ab habentibus à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem conceſſas, earum tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium revocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro revocatis, caſſis, & annullatis haberi, nullique inpoſterum ſuffragari.

§. 2. Quinnimò libros per licentias hujuſmodi permiſſos legentes, aut habentes, pœnas in Sacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Indicibus Librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, ut præſentes litteræ, poſtquam in valvis Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in Acie Campi Floræ affixæ fuerint, infrà duos menſes ex tunc proximos, omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent: quodque dictis duobus menſibus durantibus, ii, qui libros prohibitos hujuſmodi habuerint, eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, qui illos quantocitius comburere debeat, deferre, qui aliquos ſimiles libros prohibitos habere ſciverint, eos denunciare teneantur, neque de cætero ſimiles licentiæ, niſi à Congregatione S. Officii, quæ ſingulis hebdomadis coram Nobis haberi ſolet, concedantur.

§. 4. Ac quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Decemb. MDCXXII. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

XIX.

Ejuſdem confirmatio.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

APoſtolatûs Officium Nobis, nullo licèt meritorum ſuffragio, Divina Providentia commiſſum poſtulat, ut ad ea vigilantiæ noſtræ partes propenſiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, ubi divina gratia illæſa viget, conſervetur, & ubi reſtitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter, cum librorum prohibitorum lectio magno ſinceræ fidei cultoribus

bus detrimento eſſe noſcatur, &c, ſicut accepimus, nimis exceſſiva ſit, hujuſmodi libros legendi licentiarum copia; Nos, ut huic malo maturè occurratur, & inpoſterum quàm cautiſſimè licentiæ hujuſmodi concedantur, quantùm cum Domino poſſumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcumque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per Conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuſcumque perſonis Laicis, & Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus, ac quacumque dignitate, etiam Eccleſiaſtica fulgentibus, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, ac per Litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocumque, & ex quacumque cauſa, tam in forma Brevis, quàm aliter quomodocumque à Prædeceſſuribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu à quibuſcunque aliis à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à Nobiſmetipſis per Litteras Apoſtolicas etiam in forma Brevis, ſeu Chirographum manu noſtra ſignatum, conceſſas, earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, revocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro revocatis, caſſis, & annullatis haberi, nullique ſuffragari.

§. 2. Quinimò libros per licentias hujuſmodi permiſſos legentes, aut habentes, pœnas in ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, ut præſentes Litteræ, poſtquam valvis Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in Acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos citrà montes, ultra verò montes infra quatuor menſes ex tunc proximos, omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent; quodque dictis duobus, & reſpectivè quatuor menſibus durantibus, ii, qui Libros prohibitos hujuſmodi habuerint, eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, qui illos quantocitius comburere debeat, deferre; quique aliquos ſimiles Libros prohibitos habere ſciverint, eos denunciare teneantur: neque de cœtero ſimiles licentiæ, niſi à Congregatione Sancti Officii, dum ſingulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per, Nos etiam in eadem Congregatione ſpecialiter deputandis concedantur.

§. 4. Ac quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 11. Aprilis MDCXXXI. Pontificatûs Noſtri Anno octavo.

XX.

Diffinitio quoad imagines, à Sede Apoſtolica nondum Canonizatorum vel Beatificatorum cum radiis, ſplendoribus, & laureolis exponendas, vel tabellas & luminaria ad eorum ſepulchra apponenda &c.

Feria v. die XIII. Martii 1625.

In generali Congregatione &c.

Sanctiſſimus Dominus Noſter ſollicitè animadvertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia, à Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.

§. 1. Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus, pro debito Officii Paſtoralis occurrere, re etiam cum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus communicata, & maturè conſiderata, ac diſcuſſa, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum ſanctitatis, ſeu martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud, venerationem & cultum præſeferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccleſiis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut

aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſitæ ſunt) amoveantur, proùt eas ſtatim amoveri mandavit.

§. 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoſcendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos Viros in conſilium adhibeat; & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, ejusque reſponſum expectet: Revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus hactenus ſine recognitione, atque approbatione hujuſmodi, impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum ſepulcbra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque Imagines, ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque ſculptas appendi, aut affigi, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi, ſine recognitione ab Ordinario omnino, prout ſuprà ſacienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.

§. 4. Declarans, quod per ſupraſcripta, præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per commuoem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur.

§. 5. Ut autem præmiſſa diligentiùs obſerventur, univerſis, ac ſingulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipit, ut in ſua quiſque Diœceſi, vel Provincia ſedulò pervigilent, ne ſine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra ſuperiùs diſpoſita, fiant.

§. 6. Tranſgreſſores verò, ſi Regulares fuerint, privationis ſuorum Officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, necnon, & ſuſpenſionis à Divinis: Si verò Clerici Sæculares, privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à Divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum Ordinum reſpectivè, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpę infligendis pœnis plectendo.

§. 7. Qui autem libros impreſſerint, aut Imagines pinxerint, ſeu ſculpſerint, quoquo modo effinxerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis, juxtà criminis gravitatem eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Et ne præmiſſorum ignorantia uti ſuprà *fol. 556.*

XXI.

Prohibitio, ne degentes in Statu Eccleſiaſtico, mediatè vel immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecto, libros ab eis ubicumque compoſitos, de quacunque materia tractantes abſque Cardinalis Vicarii & Magiſtri S. Palatii in Urbe, & extra eam abſque Ordinarii, & Inquiſitoris loci licentia deferant, aut imprimendos tranſmittant.

Feria v. die XVIII. Septembris 1625.

In generali Congregatione &c.

SAnctiſſimus D. N. pro debito ſui Paſtoralis Officii corrigere volens abuſus nonnullorum in Statu Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubjecto exiſtentium, qui libros à ſe compoſitos extra præfatum Statum abſque ulla Ordinariorum, & Inquiſitorum loci, ubi degunt, approbatione, imprimendos tranſmittunt, ſtatuit, & decrevit, ut inpoſterum nemo in Statu prædicto degens, cujuſvis conditionis, gradûs, ordinis, & dignitatis exiſtat, libros de quavis materia tractantes, & ubicumque compoſitos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos, ſine expreſſa in ſcriptis approbatione Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Card. SS. D. N. Vicarii, & Magiſtri Sac. Palatii ſi in Urbe, ſi vero extra Urbem exiſtat, ſine Ordinarii, & Inquiſitoris loci illius, ſive ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda.

§. 2. Libros autem, quos contra præfatis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio Suæ Sanctitatis infligendas, abſque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expreſsè prohibitis haberi vult, & mandat, contrariis quibuſcumque non obſtantibus &c.

XXII.

XXII.

Conſtitutio Urbani VIII. de Regularibus utcunque privilegiatis in Conſtitutionibus Apoſtolicis editis & edendis, Fidem Catholicam & S. Inquiſitionis Officium concernentibus, comprehenſis, incip. *Cum, ſicut accepimus* ſuprà fol. 398.

Feria VI. *poſt Octavam Corporis Chriſti, & juxta Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium ſub* 12. *Martii* 1638. *editum, per decem dies ſubſequentes leguntur.*

Primò. Decretum de celebratione Miſſarum incipiens *Cum ſæpe contingat*, ſuprà *fol.* 390.

Secundò. Declarationes ad dubia de hujus Decreti intelligentia incip. *Super primo*, ſuprà *fol.* 393.

Tertiò. Confirmatio Decreti & Declarationum hujuſmodi facta ab Innocentio XII. per Conſtitutionem *Nuper à Congregatione*, ſuprà *fol.* 459.

Quartò. Decretum de ejectis & ejiciendis incip. *Inſtantibus Procuratoribus*, ſuprà *fol.* 451.

Quintò. Decreta Sacræ Congregationis Concilii de Regularibus Apoſtatis & ejectis incip. *Sacra Congregatio*, ſuprà *fol.* 452.

Sextò. Decretum de caſibus reſervatis incip. *Sanctiſſimus*, ſuprà *fol.* 315.

Septimò. Decreta pro Reformatione tum Monachorum, tum aliorum Regularium incip. *Nullus omnino*, ſuprà *fol.* 324.

Octavò. Alia Decreta Generalia de eadem re, ac Novitiis incip. *Regularis diſciplinæ*, ſuprà *fol.* 328.

Nonò. Renovatio & ampliatio ejuſdem Decreti incip. *Sanctiſſimus*, ſup. *f.* 328.

Decimò. Formula concedendæ facultatis Novitios recipiendi incipit *Sanctiſſimus*, ſuprà *fol.* 329.

Undecimò. Decretum de dicta formula incip. *Sanctiſſimus*, ſuprà *fol.* 330.

Duodecimò. Inſtitutiones de receptione & educatione Novitiorum, incip. *Cum ad regularem diſciplinam*, ſuprà *fol.* 330.

In Menſe Auguſti.

Feria VI. *poſt Octavam Aſſumptionis, & per totum dictum menſem leguntur ea omnia, quæ ſuprà in menſe Martii legenda annotata ſunt, adjuncto ſaltem pro menſe Auguſti.*

Decreto noviſſimo contra Sollicitantes incip. *Sanctiſſimus*, ſuprà *fol.* 497.

Feria II. *poſt Dominicam primam Adventûs, & per decem dies ſubſequentes.*

Leguntur Decreta *de celebratione Miſſarum*, & pertinentia ad Regulares, quæ ſuprà pro Feria 6. poſt Octavam Corporis Chriſti legenda notantur.

INDEX
RERUM NOTABILIORUM
IN HOC SEXTO TOMO CONTENTARUM

Studio peculiari ad faciliorem uſum & clariorem normam confectus.

A

ABbatiſſarum exemptarum electioni Epiſcopus vel per ſe, vel per alium adeſſe poteſt, *fol.* 368. debet ei à Regularibus dies electionis indicari, *fol.* 369. loquens Regularis etiam cum Abbatiſſa ſine licentia incurrit pœnas &c., *fol.* 503.

Abſolvunt *Prælati Regulares in genere* ſubditos tum Fratres, tum Moniales ab omnibus exceſſibus & cenſuris, *fol.* 225. non deductis ad forum contentioſum, vel per particularem ſententiam latis, *ibi.* & ab omnibus iis, à quibus Epiſcopi ſuos abſolvunt ſubditos, *fol.* 272. excipiuntur ſaltem in Italia caſus 6. 227. in Viſitatione eos abſolvunt à cenſuris dubiis &c. 189.

Prælati Ordinis Minorum in ſpecie ab excommunicatione ante—vel poſt profeſſionem contracta, *fol.* 18. 167. 226. Necnon recipiendos, vel receptos ad Ordinem, *fol.* 25. Solutis prius debitis, *fol.* 26. 168. & juncta relapsûs conditione, *ibi*. Hos & illos abſolvunt etiam ab excommunicatione Canonis *ſi quis*, *fol.* 19. 227. Prælati hujuſmodi ſunt Generalis, Provinciales, eorum Vicarii, ac Cuſtodes, *fol.* 226. Guardiani apud Capucinos quoad ſotum exteroum hac facultate non gaudent, *fol* 226. abſolvunt itidem advenas, *fol.* 227. Abſolvuntur iidem Prælati per Confeſſorem à ſe electum, à quibus ipſi abſolvunt ſubditos, *fol.* 36. 167. 227. privilegio hoc utuntur apud nos Guardiani, *ibi*.

Abſolvunt FF. Minores à Prælatis deputati Confratres ab omnibus caſibus non reſervatis, & in foro conſcientiæ tantùm, *fol.* 200. 226. &c. Viget hoc idem apud Capucinos, *ibi.* Semel in vita & in mortis articulo cum licentia Superioris in utroque foro, *fol.* 226. apud nos non in uſu dicitur, *ibi*. Abſolvunt Prælatos ab ipſis electi, *fol.* 226. ſicut & commenſales &c., *fol.* 165. 166. 227. *Vide Confeſſarius, Bulla Cœnæ Domini, Bulla Cruciatæ, Monialis, Caſus reſervati Epiſcopales, cenſuræ &c.*

Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum prohibetur, *fol.* 153. quænam cenſeantur bona pretioſa, *fol.* 154. ſuppellex Eccleſiaſtica poteſt commodari, *ibi*. quando? *ibi*.

Altare quid ſit, *fol.* 470. ejus diviſio in ſtabile & portatile, *ibi.* hujus uſus antiquus, *ibi*. Minoribus in hoc celebrandi datum privilegium, *fol.* 7. 164. extenſum, *fol.* 184. revocatum, *fol.* 471. nec juvat Jeſuiticum privilegium, *ibi.* in Altari portatili Ædium privatarum celebrandi Epiſcopus licentiam dare nequit, *ibi.* ſaltem urgentiſſimâ occaſione excluſâ, *ibi*. procedit tamen cenſuris contra Regulares in hujuſmodi Ædibus celebrantes, *fol.* 472. *Vide Miſſa*.

Alexandri Papæ V. Ordinis Minorum, Epitaphium, 121.

Ven. Dei Servi Andreæ de Comitibus Cultus immemorabilis confirmatur, *fol.* 474.

B. Antonius Patavinus Sanctorum albo inſcribitur, *fol.* 13. ejus feſtum quotannis præcipitur, *ibi*. *Vide Indulgentia*.

Apoſtata ab Epiſcopo loci, etiamſi portet Habitum, capitur, etiam invocato brachio ſæculari, *f.* 173. debet autem conſignari Superioribus Ordinum, *f.* 453. nec concionari, nec confeſſiones excipere poteſt, 25. 173. omnibus beneficiis & gradibus privatur, *f.* 244. ab executione Ordinum eſt ſuſpenſus, *ibi.* eum recipere prohibetur, *fol.* 246. privilegia illum recipiendi abolentur, *ibi* & 265. Superiores eum inquirere debent *fol.* 453. ac ad Ordinem redire compellere, *fol.* 245. aliàs cenſuram incurrunt, *ibi.* poteſt ut talis publicari, *ibi.* olim Birettum portare debebat, *ibi*. Bona tempore apoſtaſiæ acquiſita devol-

volvuntur ad Ordinem profeſſionis, *fol.* 246. legenda de iis ad menſam, *f.* 452. *&* 559. *Vide Expulſus*.

Aqua pro reconcilianda Eccleſia jam prius conſecrata debet eſſe benedicta ab Epiſcopo, *fol.* 221. cauſæ, quæ excuſant, *ibi*.

B

BEnedici debent veſtes Sacræ, 218. benedictionis origo ibi, *ibi*. duplex eſt, *ibi*. Benedicendi privilegium conceſſum Ordini Ciſtercienſi, *fol.* 208. ac Ordini Minoritano, *fol.* 218. quoad omnia, in quibus non intervenit chriſma, *ibi*. Non ſolùm pro Eccleſiis Fratrum, ſed etiam Monialium ſui Ordinis, ac Tertiariorum, *ibi*. an etiam pro aliis Eccleſiis extra Ordinem, dubium privilegio clarè non exbibito manet, *f.* 219. in quo favere videtur conſuetudo centenaria, *ibi*. Benedicentes ſunt Prælati Ordinis, Provinciarum, eorum Vicarii, Cuſtodes, ac Guardiani, ac Superiores Locales, *ibi*. necnon Vicarii, Guardianatu vacante, aut Guardiano diutius abſente, *ibi. &* 219. non verò Sacerdotes ſimplices, *fol.* 219. qui licèt peccarent, res tamen ab iis benedicta maneret ſacrata, *ibi*. poteſt tamen iis facultas ſubdelegari, *ibi*. Benedicunt itidem FF. Minores Eccleſias, Oratoria, Cœmeteria &c. *fol.* 220. Benedictio ſolemnis, in quo conſiſtat, *fol.* 221. *Vide Aqua, Eccleſia &c.*

Benedicti XIII. Conſtitutiones quædam cur omittantur, *fol.* 488. revocatæ recenſentur, *f.* 491.

Ad Beneficia promoti Regulares gaudent privilegiis Ordinis, *fol.* 201. poſſuntque promoveri ad dignitates, *ibi*.

B. Bernardinus Senenſis in Apotheoſin refertur, *fol.* 146. *Vide Indulgentia*.

Bona ſtabilia Superiores nulli Religioſo permittere poſſunt, 325. à Novitiis incertis Dominis reſtituenda ad pios uſus applicari poſſunt, *fol.* 175. Regularium extra clauſtra degentium, vel decedentium ad Ordinem Profeſſionis devolvuntur, *fol.* 262. ſicut & Apoſtatarum, *fol.* 246.

B. Bonaventura à Balneoregio Sanctorum Catalogo ingeritur, *fol.* 204. ejus feſtum inter Sacri Palatii feſta refertur, *fol.* 207. officium cum octava indulgetur, *fol.* 207. & tempore interdicti privilegiatur, *fol.* 212. Doctor Sanctæ Eccleſiæ declaratur, *fol.* 289. Doctrina commendatur, *fol.* 292. 294. Opera ejus typo Vaticano imprimuntur, *fol.* 293. Collegium ad illius honorem inſtituitur, *ibi*.

Bulla Cœnæ Domini, ſeu Proceſſus extenſus, *fol.* 339. ab illius caſibus ſæculares vi privilegii abſolvere quotannis probibetur, 228. an Regulares ſuos ſubditos ab iis abſolvere poſſint, duplex ſententia adducitur, *ibi*. *Vide Cœnæ Domini, Confeſſarius.*

Bulla Cruciatæ quæ ſit, 172. vi illius non poteſt eligi Confeſſarius, abſolvens Regulares ſine Superiorum licentia, *f.* 272. debet & inſuper eſſe approbatus ab Epiſcopo, *fol.* 503. Regularibus quoad caſus reſervatos non ampliùs ſuffragatur, *fol.* 506.

C

CAdavera aſſociant Regulares Mendicantes, *fol.* 262. præſertim invitati, 402. non tamen poſſunt compelli ad ea extra eorum Eccleſiam recipienda, 435 ſine Parocho olim ad Eccleſias Regularium portata, 186. 276. jam debet præmoneri, 274. 416. 435. Prius tamen ad Eccleſiam Parochialem deferri non debent, 186. 188. 435. nec exequiæ in Eccleſia Parochiali fieri, 402. Nec ad id Hæredes poſſunt compelli, 416. nec poteſt Parochus ob ſepulturam in Eccleſia Regularium electam majorem exigere eleemoſynam, 433. 435. Parocho ingreſſus in Eccleſiam Regularium inhibetur, 433. in Mantuana conceſſus, *ibi*. etiam cum Stola, abſq; Cruce tamen & functione, *ibi*. Officia nec ab eo in dictis Eccleſiis peraguntur, 262. ſed ab ipſis Regularibus, 416. 432. 433. Quoad tempus cadavera ſepeliendi debet ſervari Synodus, 435. poſſunt per modum depoſiti ad quamcunque Eccleſiam deferri, *ibi*. & in hac Regulares debent convenire, *ibi*. ſepelienda cum Habitu Ordinis debent portari cum eo patente, 155. pœnæ contra impedientes, *ibi*.

Camera Apoſtolica Conventibus Mendicantium in Statu Eccleſiaſtico ſalis eleemoſynam tribuit, *fol.* 254.

Campanas Regulares liberè pulſant, *f.* 262. non tamen in Sabbato Sancto ante Eccleſiam Matricem, 384. niſi obſtet conſuetudo immemorialis, *ibi*.

Canonica portio de Legatis piis, libris, ornamentis &c. non detrahitur, 27. inhibitio ampliatur, 46. 181. 189. ad eam olim Minores obligati, 78. factum moderamen, 81. denuo ab ea eximuntur,

tur, 157. quæ motiva, 81. in Italia & Inſulis adjacentibus portio funerum à quibuſvis Regularibus dari jam debet, 181. 478. *Vide Quarta funerum*.

Capucini non admittunt onera Miſſarum perpetua, *f.* 394. circa numerum Fratrum Conventuum, debent dumtaxat exhibere notam de numero præfixo, 396. nec debent dare notam eleemoſynarum, *ibi.* in Italis &c. ſolvunt quartam, 482. *Vide Minores, Regulares.*

Caſtitas ſuſpecta conſortia excludit, 130. horum pœnæ, *ibi.* ſicut & alterius criminis, *ibi.*

Caſus, in quibus Regulares ſubſunt Epiſcopis, recenſentur, 369. &c.

A' Caſibus & cenſuris reſervatis Epiſcopo Regulares non abſolvunt, 336. 430. etiamſi poſſint abſolvere à caſibus Sanctæ Sedi reſervatis, *ibi*. abſolvunt tamen pœnitentem ab his in Diœceſi, ubi ſunt approbati, & caſus non reſervatus, *ibi.* abſolutus in foro interno debet ſe gerere, ac ſi non eſſet abſolutus, *ibi.*

Caſus reſervati *Regularibus*, quinam, 315. ab Ordine Capucinorum omnes acceptati, 316. modus in hoc ab illis abſolvendi, 317. Caſibus reſervatis Regulares cenſuram annectere nequeunt. *ibi*.

Cellarum ſuppellex debet aptari ex communi maſſa, 325. clavem, quæ omnes cellas aperiat, Superior tenere debet, 326. unam Cellam ſolùm habeat Religioſus, *ibi.* quæ non ſit ſeparata à comuni Dormitorio, *ibi.* in cellis camini non permittuntur, *ibi.* Caſus exceptionis, *ibi.* nec feneſtræ proſpicientes in vias, & ædes ſæcularium, *ibi.*

Cenſuras contra Fratres Minores publicare vetitur, 183. 189. caſus eximuntur & recenſentur, *ibi.* an contra Regulares Epiſcopus in iis, in quibus ipſis non ſunt ſubjecti, cenſuris poſſit procedere, triplex adducitur ſententia, *ibi.* ad eas publicandas FF. Minores olim non tenebantur, 170. mandante Epiſcopo extra feſta Ordinis jam obedire debent, 376. abſolutio Fratrum à cenſuris in viſitatione, & feſtis operatur in foro conſcientiæ tantùm, 229. data ante electionem capitularem durat ad tempus electionis tantùm, *ibi.* *Vide caſus reſervati, Regulares, Interdictum*.

Chriſti paupertas. *Vide paupertas Chriſti.*

Ad Chorum obligantur Mendicantes, 324. caſus exemptionis, *ibi.*

Ciſtercienſi Ordini datum eſt privilegium benedicendi paramenta pro ſuis & alienis Eccleſiis, 208.

B. Claræ Aſſiſienſis Sanctarum Virginum faſtis inſeritur, 29. ejus feſtum cum octava celebrari mandatur, *ibi.* Ordinis illius privilegia confirmantur, 249. 295. *Vide Indulgentia*.

Clauſuram Virorum non intrant Mulieres prætextu indulgentiarum, 356. editæ pro illis Conſtitutiones confirmantur, 499. privilegiis Mulierum Nobilium reſervatis, *ibi.* ſicut & illæ pro Clauſura Monialium, 501. huic Epiſcopi invigilant, 365. & delinquentes Regulares puniunt, *ibi.* ſicut & Moniales, licèt exemptas, 376.

Cæmeteria FF. Minoribus conceduntur, 26. 26. ab iis benedicuntur & reconciliantur, 220.

Cœnæ Domini Mandatum Mendicantes in ſuis Eccleſiis ſolemniter faciunt, 262. ac illa die horâ, quâ eis libet, concionantur, *ibi*. *Vide Bulla Cœnæ*.

Commodare ſupellectilem ſacram quomodo liceat, 154.

Communio Paſchalis in ipſa Reſurrectionis die non eſt neceſſaria, 138. *Vide Confeſſio, Euchariſtia.*

Conceptio B. V. M. *Vide Mariæ Conceptio.*

Concionatores in Religione Minoritana approbandi mos, 12. ad Provincialem, & Definitores devolutus, 64. 163. debent ad hoc munus eligi qualificati, 81. licentiam datam Miniſtri revocare poſſunt, 133. Pœnæ contra Prædicantes indebitè &c. *ibi*. *Vide Indulgentia*.

Concionator Regularis quicunque Prædicaturus in ſui Ordinis Eccleſiis debet habere ſui Superioris licentiam, 428. ac petere benedictionem ab Epiſcopo, *ibi*. & 429. quâ tamen non obtentâ prædicare quidem poteſt, 429. non tamen Epiſcopo expreſsè contradicente, *ibi*. Benedictionem prædictam debent petere & Concionatores Monialium exemptarum, *ibi.*

Concionaturus in Eccleſiis extra Ordinem debet habere præter licentiam à Superiore, etiam illam ab Epiſcopo, 370. 429. qui eos pro arbitrio examinare poteſt, 429. contra inobedientes cenſuris procedit, 356. 429. & licentias pariter ſuſpendere poteſt, 429. ſcandala diſſeminantem punit, 371. generatim tamen omnes Conventûs Regulares, quin in ſuis prædicent Eccleſiis, inhibere nequit, 428. Monitum de norma concionandi, 431.

Conferentias Morales Regulares accedere non tenentur, 177. 415. 416.

Confeſſarius Minorita *quoad ſæculares*: olim excipiebat confeſſiones ſæcularium

Epi-

Epiſcopo tantùm præſentatus, 77. 119. 223. approbari jam debet, 223. excipit confeſſiones quoad jurisdictionem ubique & omnium, 251. &c.

Confeſſarius Minorita *quoad Fratres*. *Vide abſolvunt*, *Bulla Cœnæ Domini*, *Cruciatæ*, & fol. 185.

Confeſſarius Mendicantium Regularis debet ab Epiſcopo approbari, 365. 375. 428. abſolvens vel ignoranter, vel inadvertenter, à cenſuris abſolvitur, 137. excipit confeſſiones, etiam infirmarum, 259. 429. relictâ ſaltem pro notitia Parochi ſcripturâ, *ibi*. & quocunque tempore, *fol.* 406. etiam Paſchali, 407. 429. niſi facultas fuerit reſtricta, 407. Non tamen in aliena Diœceſi audit ſubditos Epiſcopi, à quo licentiam habet, ſi non ſit & ibi approbatus, 429. abſolvit ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, 242. non tamen reſervatis Epiſcopo, 336. 430. imò in foro interno abſolutus gerere ſe debet, ac ſi non eſſet abſolutus, *ibi*. nec abſolvit à caſibus Bullæ Cœnæ in Italia, 242. 336. nec extra Italiam vi privilegii, 338. approbatus non re-examinatur ab Epiſcopo, 429. niſi prius fuerit approbatus à Vicario tantùm, vel ab Epiſcopo anteceſſore, 429. generaliter idoneus repertus generaliter debet approbari, *ibi*. inventus minus babens ad arbitrinm Epiſcopi, 429. nec poteſt ſuſpendi, niſi ex cauſa confeſſiones concernente, 429. quæ Superioribus non debet manifeſtari, *ibi*. nec omnes Conventûs Confeſſarii poſſunt ſimul ſuſpendi, 430. approbatus pro ſæcularibus non eſt approbatus pro Monialibus, 429. approbatione non indiget quoad confeſſiones Fratrum & ſæcularium de Familia vel commenſalium, 165. 257. 429. *Vide Abſolvunt*, *Caſus reſervati Epiſcopus*, *Cenſuræ*, *Sollicitantes*.

Confeſſarius Regularis Monialium ſub cura Regularium exiſtentium olim approbatione Epiſcopi non indiguit, 259. jam indiget, 366. 383. 429. expletâ deputatione aut triennio re-examinatur, 368. approbatus pro uno Monaſterio non eſt approbatus pro alio, 429. cauſa petitæ ab Epiſcopo amotionis Superiori aperiri nō debet, 368. abſolvit etiam Moniales exemptas alterius regulæ ſibi ſubjectas, 227. etiam â caſibus Epiſcopo reſervatis, 345. caſibus juriſdictionis delegatæ exceptis, *ibi*. tempore, quo Confeſſarius extraordinarius confeſſiones audit, ille quieſcit, 536. *Vide Sollicitantes*.

Confeſſarius Regularis Monialium extraordinarius debet ab Epiſcopo approbari, 366. 429. approbatus pro una vice non poteſt excipere confeſſiones pluries, 368. 429.

Confeſſio proprio Sacerdoti facta non requiritur, 80. 97. 114. 116. 122. 142. 215. opinio contraria damnatur, 92. 97. 122. 195. in ipſa die reſurrectionis non eſt neceſſaria, 138. Mendicantibus quocunque tempore facta licita declaratur, 314. FF. Minoritis extra Ordinem olim prohibita, 176.

Confraternitatum in Eccleſiis Regularium viſitatio pertinet ad Epiſcopum, 373. ad quæ ſe extendat, *ibi*. Confraternitates obligantur ad Decreta Miſſarum, 462.

Conſecratio Eccleſiarum debet ab Epiſcopo Diœceſano peragi, 224. *Vide Indulgentia*.

Conſervatores Privilegiorum eligendi forma, 362. illorum qualitates, *ibi*. & 224. facultates, 202. defendendi Regulares iis non eſt adempta facultas, *fol.* 363.

Conventualitas Domorum ſeu Eccleſiarum FF. Minorum unde proveniat, 26.

Conventuum fundatio olim fiebat ſine Epiſcopi licentia, 277. jam requirit ejus aſſenſum, 180. 262. & conſenſum Sedis Apoſtolicæ in locis nō privilegiatis, 412. debent audiri Regulares præexiſtentes in loco, 345. ac alii intra quatuor milliaria, 385. non poteſt acceptari, niſi in eo 12. ali poſſint Religioſi, 392. 394. Sanctio hæc afficit omnes, etiam extra Italiam, *ibi*.

Conventus parvi in Italia ſupprimuntur, 410. in reſtitutis debet eſſe numerus ſex ſaltem Religioſorum, 413. quo redit ad primæva jura, *ibi*. minore numero extante ſubſunt Epiſcopo, 381. cujus jura in hujuſmodi parvos Conventus recenſentur & limitantur, 414. *& ſeq.* gratiâ reſtitutionis non annullatur ob abſentiam unius vel alterius Fratris fraude ceſſante, *ibi*. Econtra non ſuppreſſus durante hujuſmodi abſentiâ ſubditur Epiſcopo, *ibi*. redeunte tamen Fratre redit exemptio, *ibi*. ut ob defectum ſex Religioſorum Conventus denuo ſuppreſſus cenſeatur, requiritur declaratio, *ibi*. à quo Regulares tantùm appellare poſſunt quoad effectum devolutivum, *ibi*. Decreta de hujuſmodi Conventibus extra Italiam non vigent, 416.

In Conventibus figendus eſt numerus Fratrum,

trum, qui ibi poteſt ali, 394. confirmatur, 408. exeundi è Conventu nulli generalis licentia detur, 326. *Vide Monaſteria*.

Cruciatæ Bulla. *Vide Bulla Cruciatæ*.

Cuſtos unus tantùm ad Capitulum Generale olim miſſus, 12. 23. 65.

D

Decimas FF. Minores non ſolvunt, nec de hortis, nec virgultis, 174. nec de oleribus, aut aliis, 189. 252.

Decretalem *Exiit* gloſſari vetitur, 66. prohibitio fuit per tempus ſuſpenſa, 98.

Denuntiari poſſunt ab Epiſcopo Regulares cenſurâ affecti, 191. non declarari.

B. Didacus Complutenſis Canoni Sanctorum inſcribitur, 297. ejus feſtum celebrari præcipitur, 304. *Vide Indulgentia*.

Dieta duplex, vulgaris & legalis, 221.

Dimiſſorias ſuis ſubditis dant Superiores, 374. 514. in datis ad alium Epiſcopum debet exprimi ratio non ordinationis, 514. cum atteſtato, 517. Dimiſſoriæ ab Epiſcopo originis à Regularibus non exigi debent, *ibi*.

Diſpenſare. *Vide Irregularitas, Illegitimus*.

Doctrinam Chriſtianam Regulares tradunt in ſuis Eccleſiis, 431.

S. Dominici Ordinem inter—& Minorum communicatio privilegiorum ſpecialis, 195. uterque Ordo commendatur, 199. utriuſque privilegia confirmantur, *ibi*. ac eorum Monialibus & Tertiariis communicantur, *ibi*.

Dominium rerum & locorum FF. Minorum ad Sanctam Sedem transfertur, 60. &c. olim abdicatum, 103. variè reaſſumptum, 105.

Donata de incertis & malè acquiſitis FF. Minores recipiunt. 45. donare modica cum licentia Superiorum Minoribus licet, 23. 63.

E

Eccleſiæ FF. Minorum cur Conventuales dicantur, 26. olim à jure Ordinarii Eccleſiæ Minorum, etiam curatæ, erant exemptæ, 194. jam ſubſunt, *ibi*. & 223. à Clero ſæculari Miſſas in Eccleſiis Regularium dici, non debet prohiberi, 223. Eccleſias ſuas benedicunt Fratres Minores, & pollutas reconciliant, 220. aquâ tamen ab Epiſcopo benedictâ, 221. niſi adſit cauſa, *ibi*. Pollutio Eccleſiarum fit 6. modis, *ibi*. ante reconciliationem divina officia in ea non peraguntur, *ibi*. ad Eccleſiam conſecrandam quicumque olim à FF. Minoribus poterat vocari Epiſcopus, 68. &c. jam revocatum, 69. 221. Eccleſia jam conſecrata, & poſtea polluta, re-conſecrari non poteſt, 220.

In Electione tempus à jure ſtatutum in Religione Minorum non currit, 161. & eximuntur ab accidentalibus ſolemnitatibus, *ibi*. Nomina eligentium non debent publicari, 154. electio ad Prælaturam in diſcordia facta non tenet, 75. in ea votorum procuratio prohibetur, 327. pœnæ, *ibi*. forma eligendi, *ibi*.

Eleemoſynas FF. Minores quærunt etiam in terris excommunicatorum, 19. ac abſque litteris commendationis, 119. & liberè ſicut alii Mendicantes, 261. quin ab Epiſcopis poſſint prohiberi, 201.

S. Eliſabeth Reginæ Hungariæ feſtum tempore interdicti privilegiatum, 233. *Vide Indulgentia*.

Ejectus. *Vide infra Expulſus*.

Ad Epiſcopatum abſque Superiorum licentia FF. Minores promoveri prohibentur, 36. Promoti libros & alia Ordini renuntiant, 34. 53. Regulares ad Epiſcopatum promoti, & ad clauſtra redeuntes ad officia Ordinis incapaces, 247.

Epiſcopi *quoad Minores*: Moleſtias his inferre prohibentur, 21. ſuis Conſtitutionibus FF. Minores non ligant, 179. qui & olim in Conventuum fabricis ab iis non dependebant, 180. ac Eccleſias illorum conſecrare renuentibus ad alium Antiſtitem recurrere poterant, 68. jam prohibitum, ſeu limitatum, 69. 224. nec illorum confeſſiones ſine Superiorum licentia excipiunt, 176. caſibus quibuſdam exceptis, *ibi*. nec Minores fugitivos ſeu egreſſos ſecum retinere poſſunt, 51. *Vide infra Exemptio, FF. Minores, Caſus, Confeſſarius*.

Epiſcopi *quoad Moniales*: in illarum exemptarum gubernio ſe non immiſcent, 261. clauſuræ earum quidem invigilare debent, 365. eam tamen non intrant, 260. nec jus in eas exercent, *ibi*. *Vide Clauſura*.

Epiſcopi *quoad Regulares quoslibet*: Privilegia horum non interpretantur, 51. qui nec coram illis in cauſis conveniri queunt, 182. 358. 372. niſi extra Monaſterium degant, *ibi*. Eo mandante cenſuras in ſuis Eccleſiis publicare jam debent, 170. Articuli Epiſco-

ſcoporum contra horum privilegia recenſentur, 257. non ſe immiſcent in Regularium gubernio, 261. nec in bonis extra clauſtra degentium, vel decedentium, 262. ad eos indebitè recurrentes Regulares à Superioribus puniuntur, *ibi.* animarum curam habentes eis ſubſunt, 365. 379. puniunt Regulares peccantes circa perſonas intra ſepta degentes, 366. 383. necnon peccantes circa clauſuram Monialium, *ibi.* etiam in delictis non notoriis, 368. ſicut & illos, qui eorum juriſdictionem turbant, 383. aut in materia fidei peccant, 381. Eccleſias Regularium viſitate nequeunt, 367. 463. niſi ſint ſæculares, 372. nec horum privilegia quoad confeſſiones reſtringere, non habita facultate ſpeciali, 368. caſus, in quibus Regulares Epiſcopo ſunt ſubjecti, 369. *& ſeq. Vide ſuſius Regularis, Concionator.*

Equitandi cauſas pro FF. Minoribus S. Bonaventura refert, 131.

Euchariſtiæ adminiſtratio in Regularium Eccleſiis tempore Paſchali licita, *fol.* 406. etiam ſine licentia Parochi, 407. excipitur dies Reſurrectionis, 406. an & iis, qui præcepto jam ſatisfecerunt, hoc die poſſit adminiſtrari, quæritur, 407. 408.

Euchariſtiæ expoſitio debet cum licentia Epiſcopi fieri, 379. qui & cenſuris contra inobedientes procedit, *ibi.* conſuetudo immemorialis Regularibus ſavere cenſetur, 380.

Exemptio FF. Minoribus addicitur, 71. confirmatur, 73. ampliatur, 82. 118. 359.

Expelli poteſt à Religione, qui gravia crimina reticuit, 222. ac incorrigibilis, 453. quinam ſint incorrigibiles, *ibi.* à quibus Superioribus & quomodo poſſint expelli, *ibi.* concurrit Epiſcopus cumulativè, 379. 519. vel ſaltem debet ei de ejectione dari notitia, *ibi.* expulſus olim intra tres menſes ad alium Ordinem tranſire debuit, 172. in habitu Clericali incedere debet, *ibi.* eſt perpetuò ſuſpenſus, quin Epiſcopus cui ſubditur, ſuſpenſionem moderari poſſit, 453. expulſus Fr. Minor nec confeſſiones excipit, nec concionatur, 25. 173. & abſque licentia Sedis Apoſtolicæ jam ad alium Ordinem tranſire nequit, *ibi.* Decreta contra hos ad menſam legi debent, 457. 539. *Vide Apoſtata, Incorrigibiles.*

F

FAmuli FF. Minorum interdicto vel excommunicationi generali olim non ſuberant, 27. 165. iis Minores & Regulares adminiſtrant Sacramenta, 165. qualitates deſuper requiſitæ, *ibi.* gaudent indulgentiis Ordinum Mendicantium, 238. & ſepultura Regularium, 166. hiſque, etiam non approbatis, conſitentur, 165. 429. nec debent confeſſionis vel communionis fidem Epiſcopis exhibere, 432.

B. Felix à Cantalicio Sanctorum Confeſſorum faſtis inſertur, 478.

Feſti dies ab Epiſcopis indicti à Regularibus ſervari debent, 376. in quibus, *ibi.* poſſunt in horum Eccleſiis publicari, 431.

B. Fidelis à Sigmaringa Sanctorum Martyrum catalogo inſcribitur, 506.

Franciſcus Aſſiſias Eccleſiæ Prælatis commendatur, 1. ejus Regula confirmatur, 2. cui teſtamentum unitur, 5. Sanctorum Canoni inſcribitur, 8. quod Eccleſiæ Prælatis renuntiatur, 10. ejus feſtum de præcepto celebrari mandatur, 156. *Vide Stigmata, Indulgentia.*

B. Franciſcus Solanus Sanctus declaratur, 485.

Fugitivi. *Vide Apoſtata.*

Fundatio Conventuum. *Vide Conventuum fundatio, Monaſteria.*

G

GAbellas non ſolvunt Minores, 277. nec contribuunt pro Seminario, *ibi.*

Generalis Miniſter. *Vide Miniſter Generalis.*

Gloria in Excelſis à Minoribus in Miſſis votivis de Spiritu Sancto, & B. V. Maria dicitur, 35.

Gloſſa in Decretalem *exiit* prohibetur, 56. prohibitio ad tempus ſuſpenditur, 98.

Gorcomienſes Martyres Beatorum nomine & cultu decorantur, 436.

Guardianus vi electionis aſſumit regimen, 162. *Vide Abſolvant.*

Guilielmi à S. Amore liber contra Minoritas &c. damnatur, 37. errores recenſentur, 39. liber novus ab eo editur, 50.

H

HAbitum FF. Minorum vel ei conſimilem portare per cenſuras prohibetur, 20. 174. Pueri eum uſque ad ſepti-

ptimum annum portant, *ibi.* patens eſſe debet, in quo cadavera ſepeliuntur, 155. 201. & ſepultura apud Fratres fieri debet, 194. 201. aut requiri licentia, 194. quæ jam ceſſat, *ibi.* recipiendi ad Habitum Minoriticum abſolvuntur, 168. conditiones præſcriptæ, *ibi.* recipiendi debent examinari, 309. eorum qualitates, *ibi.* debent Habitum recipere in Conventibus deſignatis, 327.

Habitus Tertiariorum ſine licentia Ordinis non poteſt portari, 403. portantibus pœnæ dictantur, *ibi*.

Hæredes. *Vide Minores*.

Hoſpitari Milites Regulares non debent, 254. 280.

I

B. Jacobus à Marchia Sanctus declaratur, 483.

Ad jejunia Eccleſiæ Fratres Minores tenentur, 86.

Jeſu Nominis Feſto eæ Indulgentiæ conceduntur, quæ in feſto Corporis Chriſti, ac ejus octava conceſſæ ſunt, 241.

Illegitimi quinam dicantur, 311. eorum ex inceſtu, ſacrilegio &c. receptio & profeſſio inhibetur, 308. admiſſi olim ad Habitum Converſorum ſine profeſſione & ordinibus, 309. prohibitio revocatur, 307. ita tamen, ut Filius non recipiatur in Ordine, in quo Pater eſt profeſſus, *ibi.* alii ex minus legitimo thoro nati cum cautela recipiantur, 309. cum iis olim ſola Sancta Sedes diſpenſavit quoad honores & gradus, 311. qui ſunt Guardianatus, Cuſtodiatus, Provincialatus, & Generalatus, 312. non autem Lectoratus, Magiſterium &c. niſi ſint ex inceſtu, *ibi.* jam cum iis quoad hoſce gradus diſpenſant Generales, & Provinciales cum Capitulo, 307. *Vide Irregularitas*.

Incorrigibiles quinam ſint, 453. ante ejectionem olim per annum in carcere detineri debebant, 454. qui per fugam non implebatur, *ibi.* jam annus ad ſex menſes reſtrictus, 451. proceſſus contra eos juxta Ordinis ſtylum confici debet, *ibi.* facultas eos ejiciendi ad Provinciales extenditur, 451. qui cum conſilio ſex Fratrum procedere debent, 455. aliàs ad Sac. Congregationem pro ſingulis caſibus recurrendum eſt, *ibi.* Fratres dicti in Capitulo eligi debent, 454. qui per litteras votum dare poſſunt, *ibi*.

Indulgentiæ *in communi* non transferuntur cum feſto, 356. illarum publicatio ad Epiſcopos pertinet, 372. clauſula, *ut ſi aliàs*, quomodo intelligenda, 355. quando illarum ſeptennium incipiat, *ibi.* ob indulgentias Mulieribus non patet ingreſſus intra Clauſuram, 356.

Indulgentiæ in feſtis Sanctorum Ordinis &c. In die feſto *S. Antonii*: Viſitantibus ejus ſepulchrum, ac per octavam Indulgentia unius anni *fol.* 14. unius anni & 40. dierum, 120. Viſitantibus Eccleſias Minorum in eodem feſto 100. dies, 49. decem annorum & 50. dierum, 112. tandem 50. annorum, & tot Quadragenarum, 200. reducuntur ad plenariam perpetuam, 289. 438.

S. Bernardini: Viſitantibus Eccleſias Minorum anni 50. & totidem quadragenæ, 200. jam plenariæ perpetuæ, 289. 438.

S. Bonaventuræ: Balneoregii, Lugduni, & in Eccleſia SS. Apoſtolorum de Urbe indulgentia plenaria, viſitantibus autem alias Minorum Eccleſias eodem die feſto 10. anni & tot quadragenæ, 294. Viſitantibus ejus ſepulchrum 100. dies &c. 207. jam plenaria in omnibus Minorum Eccleſiis, 289. 438.

S. Claræ, ac ejus octava viſitantibus ſepulchrum annus unus, 29. Viſitantibus Eccleſias Minorum dies centum, 49. decem anni, 112. anni 50., & tot quadragenæ, 200. jam plenaria, 289 438.

S. Didaci. Viſitantibus Eccleſiam Compluti, ac ejus Altaria eæ indulgentiæ, quæ aliis Eccleſiis in Ordinis feſtis ſunt conceſſæ, conceduntur, 305.

S. Eliſabeth anni 50. & totidem quadragenæ, 200.

S. Patris Franciſci: centum dies, 49. decem anni, 112. annos decem cum tot quadragenis, 157. decem anni & 50. dies, 112. centum anni & tot quadragenæ, 200. plenariæ perpetuæ, 289. 438.

S. Ludovici Epiſcopi: Viſitantibus ejus ſepulchrum anni duo & tot quadragenæ, 93. ac infra feſti octavam annus unus & 40. dies, *ibi.* Viſitantibus Eccleſias Minorum anni 50. & tot quadragenæ, 200. plenariæ, 289. 438.

Nominis Jeſu. Vide ſupra *Jeſu Nomen*.

S. Paſchalis: anni ſeptem & tot quadragenæ viſitantibus ejus ſepulchrum, 445.

Feſtis Sanctorum Ordinis conceduntur eæ indulgentiæ, quæ ſunt conceſſæ in feſtis Sanctorum Ordinis S. Dominici, 213.

Indulgentiæ Viſitantium Eccleſias FF. Minorum: in conſecratione Eccleſiarum, ac Altarium, in die Dedicationis, ac ejus octava, necnon in feſtis B. Mariæ Vir-

Virginis, ac Sanctorum, in quorum honorem Altaria majora ſunt conſtructa, eentum dies 112. Audientibus in iis Verbum Dei, centum dies, *ibi.* vel Miſſas de B. Virgine, ae S. P. Franciſco tnt, *ibi.* Viſitantibus loca Minorum 40. dies, 112. Viſitantibus Eeclesias eorum devotionis cauſa toties quoties 80. dies, *ibi*. in Solemnitatibus 100. dies, 112. quæ extenduntur ad annum & dies 40. *ibi.* accedentibus quaeunque die vel hora anni 2., & 40. dies, *ibi.*

Indulgentiæ *Benefactorum* FF. Minnrum ſive in Domibus, ſive in via conſtitutorum 40. dies, 112. extenduntur ad 100. dies, *ibi.*

Indulgentias 80. dierum dant FF. Minores extra Domum Concionantes, 112. & 351. Concionantes in ſuis Domibus dies, 100. 112.

Indulgentiæ Regularium generaliter inter Mendicantes commuuicantur, 237. ſive Perſonis, ſive Eccleſiis conceſſæ, *ibi.* extenduntur ad Moniales & Tertiarios, *ibi.* Perſonis Regularium conceſſæ revoeantur, 347. nec unquam ſuêre revalidatæ, 350. aliæ autem ſubſtitutæ, *ibi*. quæ recenſentur, 352. conceſſæ Regularium Eccleſiis in revocatione non ſunt eomprehenſæ, *ibi.* nec illæ Regularium Parentibus & Familiaribus datæ, *ibi.* nee illæ, quas Concionatores ex privilegio diſpenſant, 351. nee aliæ Regularibus pro defunctis directè datæ, *ibi.*

Indulgentiis Regularium in articulo mortis aliæ ſubſtitutæ, 350. 353. *Vide Tertiarii.* Gaudent Regulares præter ſubſtitutas Eccleſiis ſuis & alienis generaliter etiam aliis coneeſſis, 352. ſicut & conceſſis Coronis &c. *ibi*. lucrantur & indulgentias Eecleſiis coneeſſas extra Domum morantes, 355. Indulgentiæ primitiarum quæ, 353.

Indulgentiæ Eccleſiæ S. Mariæ de Populo Mendieantibus olim conceſſæ, 238. jam revocatæ, 239. ſubſiſtunt tamen pro illorum Familiaribus, *ibi.*

Indulgentiis Novitii gaudent in mortis articulo profeſſi, 267. in tranſitu ad alium Ordinem reacquiruntur indulgentiæ Novitiis aliàs conceſſæ, 353.

Indulgentiæ *Stationum* Regularibus conceduntur 352. iis fruuntur extra Domum, 355. Minoribus coneeſſæ, 150. revocatæ & aliæ ſubſtitutæ, 151.

Indulgentia *Stationis Sacramentalis dictæ* duplex circa illarum vigorem adducitur opinio, 235. ſolitum ſervari ſuadetur, 236. *Vide Tertiarii*.

Inquiſitores quinam ſint, 172. à Superioribus Ordinum corriguntur, 202. Inquiſitores Minores contra PP. Prædicatores, & vieiſſim, olim agere non poterant *ibi*. Cauſas omnes Regularium in fide peceantium judieat Inquiſitionis officium, 356. 381. quin ſe iis Superiores non privilegiati ingerere poſſint, 401. 418. Conſtitutiones deſuper editæ ad menſam legendæ, 401. 419. 540.

Interdicti tempore FF. Min. olim divina officia celebrabant, 20. 164. privilegio gaudentibus Familiaribus & Procuratoribus, 27. 165. 184. quod jam ad eerta feſta reſtringitur, 321. an aliis Ordinibus hoc ſit eommune, quæritur, 322. ſit commune, 321. feſta recenſentur, 233. privilegium ad feſtum S. Eliſabeth extenſum, 233. ac ad feſtum S. Bonaventuræ, 212. privilegium pro aliis feſtis in Deeretali *Alma* expreſſum adhuc ſubſiſtere cenſetur, 323. Eeeleſias Minorum interdici curantes debent iis providere de victu, 237. Fratres ſuos pulſatis eampanis &c. tempore interdicti ſepeliunt, 212. interdicta in feſtis Ordinum olim ſuſpenſa, 260. jam ſine privilegio Mendicantes ea publicare debent, 376.

Joannes PP. XXII. Paupertatem Minoriticam impugnat, 105. de fide nihil definit *ibi*. Minorum ſautor *ibi*.

B. Joannis à Capiſtrano Apotheoſis publicatur, 475.

Joannis à Poliſco doctrina damnatur, 96. 122. 142. ejus character, 97.

V. D. Servus Joannes à Prado Beatorum cœtui annumeratur, 487.

B. Joſephus à Leoniſſa in Sanctorum numerum refertur, 513.

In Irregularitate diſpenſant Prælati Minores cum ſubditis, 18. facultas ampliatur, 194. etiam ex defectu Natalium, 229. 307. quod in Capitulo vel Generali vel Provinciali fieri debet, *ibi* excepti caſus *ibi*. Diſpenſantes ſunt Generales, Provinciales, eorum Vicarii, caſu urgente Cuſtodes, ac ii, quibus ii id committunt, 200. 229. exeluſis apud nos quoad forum externum Superioribus localibus *ibi*, in aliquibus tamen caſibus ut ſua facultate non utantur, monentur *ibi*. Diſpenſatio in Capitulis, Viſitatione, & feſtis operatur quoad forum conſcientiæ tantùm *ibi*. Generatim Superiores Mendieantium diſpenſant cum Fratribus & Sororibus ſicut Epiſcopi, 272. 167. ac ipſi diſpenſantur à ſubditis, 167. 185.

L

AD labores tenentur Minores, 132. à manuali eximuntur ſpiritualiter laborantes, 64.

Laiens ad ſtatum Clericalem tranſire non permittitur, 333. debet pro profeſſione habere 20. annos completos 458.

Lampas in medio Dormitorii per totam noctem ardere debet, 326.

Largitio munerum Regularibus interdicitur, 318. peccaminosè data Conventui reſtitui debent, 320. & acquiſita Superioribus tradi, 325. rigor reſtringitur, 404. licentiâ tamen Superioris reſervata *ibi*, *vide Donata*.

Lectio S. Scripturæ vel caſuum in Monaſteriis haberi debet, 325. 370. Qnoad Monachos ſiaa, & quoad alios pro commodo *ibi*. Præſcripto ſatisfit per lectionem Theologiæ *ibi* & 162.

Lectores, etiam graduati pro confeſſionibua Sæcularium examinantur, 273. non tamen ab eodem Epiſcopo, ſed ejus ſucceſſore *ibi*.

DD. Legatnrum S. Sedis quadruplex ſpecies, 169.

Libros ex Bibliothecis Minorum furtive ſurripientes excommunicantur, 264. Regulares ſine licentia Epiſcopi non imprimunt, 369. nec de Miſſionibus agentes abſque Sac. Congregationis de Propaganda Fide licentia, 435.

Litteræ Apnſtolicæ *Vide Minores*.

B. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus in cœlitum Ordinem refertur, 90. ejus feſtum præſcribitur, 93. *Vide Indulgentia*.

Ludnvico Regi Ordines PP. Prædicatorum & Minorum commendantur, 42.

M

B. V. Mariæ Conceptionem publicè impugnsntes ſubduntur Epiſcopo 384., Decreta deſuper ad menſam legenda, 403..552. *Vide Indulgentia*.

Martyribus Jsponiæ Ord. Min. cultua addicitur, 397. Gorcomienſes Beati declarantur 436.

Matrimonia diſſolvendi ordo præſcribitur, 526.

FF. Mendicantes calumniosè traducuntur, 140. vindicantnr, 141. non contribuunt ad Seminaria, 261. nec decimant *ibi* eorum bona & ædes ab omni onere liberæ *ibi* elemoſynas liberè quærunt *ibi* Moniales ſibi ſubditas ſepeliunt, 262., ſicut & Sæculares, ſepulturam apud eos eligentes *ibi*. *Vide proceſſio*, *indulgentia*, *elemoſynas*.

Milites non hoſpitantur Regulares, 254. 280.

Miniſter Generalis Minorum electus ſtatim regimen ſuſcipit, 159. quando poſſit deponi, 160. ei obedire tenentur Fratres cujuſcunque Nationis, 131. etiam privilegiati, 145. exactiones non facere debet, 133. *Vide electio*, *abſolvunt*, *benedicendi*, *irregularitas*.

Miniſter Provincialis Minorum, approbat ſubditos pro officio Concionis cum Definitorio, 163. *Vide abſolvunt*, *irregularitas*, *Novitius &c.*

FF. Minores S. P. Franciſci nec ad teſtamentum S. Patris, nec ad alia Evangelii conſilia præceptoriè in Regula non expreſſa tenentur, 10. 22. 56. 84. nec in communi nec in particnlari proprietatem habere poſſunt, 11. 23. 86. conveniri non poſſunt per litteras Apoſtolicas non facientes privilegii mentionem 15. nec coram ordinario ratione rei, delicti, vel contractûs, 26. 182. 358. nec ad acceptandas cauſas & ſententiarum executiones olim obligati, 17. In terris excommunicatorum morari eis permittitur, 19. extra Conventum aliia quoad Officium Divinum ſe conformant, 20. in aliorum obſequiis morantea Superioribns ſubſunt, 24. 145. etiam Epiſcopis ſervientes poſſunt revocari, 34. 118. 171. Pacta Fratrnm ſine Superiorum licentia non ſubſiſtunt, 46. In eorum locis vinlentiam exercere ſub cenſuris vetitur, 48. Vocati ab Epiſcopis, Monaſteria Monialium cum iis intrant, 75. Defunctia Epiſcopis uſque ad alterius electionem facultates eaercent, 50. In rebus conſumptibilibua uſum facti ſimplicis habent, 59. legata relicta modo licito recipiunt, 62. ad res commutandas ſeu vendendas Syndico utuntur, 24. 63. 67. 127. Eximuntur à jure Epiſcopi, 71. 73. 82. 118. 359. Nec ei fidelitatem & obedientiam promittnnt, 179. proceſſus faciunt ſummariè & ſine rimis juris, 74. hæredes non poſſunt inſtitui, 87. nec redditus annuos recipere *ibi* nec in curiis comparere *ibi* nec executores ultimarum voluntatum eſſe pnſſunt *ibi* conſilium autem dare non prohibentur *ibi*. Vineas & hortos ad fructus venditionem habere nequeunt, 88. Ædificia curioſa, Eccleſiæ pretioſæ, & collectiones nimiæ iis prohibentur *ibi* tenentur ad uſum arctum *ibi* Minores in Habitu, & obſervantia diſcrepantes gratiis Apoſtolicis non gaudent, 113. olim extra Ordinem confiteri prohibiti, 176.

ad

ad negotia tractanda ſine licentia Superiorum aſſumi nequeunt, 171. nec poſſunt eſſe compatres, 135. ab Ordine diſcedere prohibentur, 172. ad alia loca tranſeuntes ſupellectilem ſecum tranſportant ex privilegio ſpeciali, 32. 181. abutentes gratiis Apoſtolicis, iis privantur, 207. ad nulla Statuta nova ſub mortali ligantur, 203. gravia crimina reticentes, ejiciuntur extra Ordinem, 222. ad Tribunalia Sæcularia recurrere prohibentur, 283. intra 150. cannarum ſpatium prope Minorum Conventus fabricare prohibetur, 52. Miſſas celebrant ubique, 260. *Vide abſolvunt, confeſſarius, Epiſcopus, Regulares, interdictum, ſepultura*.

Miſſa in Eccleſiis Minorum & Regularium diebus Dominicis & feſtis liberè auditur, 28. 233. 260. 314. in eorum Eccleſiis Miſſam celebrari debet permitti, 223. Pro reductione Miſſarum debet recurri ad S. Sedem, 390. malitiosè reducentibus vel omittentibus indulta Fabricæ S. Petri, vel Pœnitentiariæ non favent, 459. ſunt celebrandæ in Eccleſia à Benefactore electa, 498. elemoſyna alteri Sacerdoti debet dari integra, 391. 394. 498. contrarium faciens tenetur ad reſtitutionem *ibi* nec juvat, quod minorem recipiens conſentiat *ibi* elemoſyna Miſſæ perpetuæ debet inveſtiri, 391. onera autem hujuſmodi ſine licentia Epiſcopi vel Generalis vel Provincialis acceptari non debent, *ibi*. elemoſynam minorem recipiens, debet tamen legere numerum præſcriptum, 394. ubi à teſtatore elemoſyna non fuit taxata, taxatur ab Epiſcopo, 395. privilegia celebratione quarumdam Miſſarum, plurium oneri ſatisfaciendi revocantur, *ibi*. de eleemoſyna poteſt aliquid retineri pro Miſſarum expenſis *ibi*. Ubi magnus eſt concurſus, plures Miſſæ, quibus diutius ſatisfieri non poteſt, non poſſunt acceptari, niſi cum dantium conſenſu, 395. nec licet ſub alio prætextu vel fructu ſpeciali aliam elemoſynam recipere, 396. Decreta de Miſſis ad menſam quotannis bis legenda, 392. onera nimia ſuſcipere Superioribus prohibetur, 391. 460. quem in finem, quæ obſervanda? *ibi* 461. 462. ad Miſſam dicendam ſollicitantes perpetuò inhabiles redduntur, 497. ſicut & eâ abutentes ad ſortilegia *ibi*.

Miſſa de Requiem in feſtis duplicibus prohibetur, 419. exceptis diebus obitûs *ibi*. Per Miſſam de feſto in Altari Privilegiato obligationi ſatisfit, 421. 438. etiamſi Altare nec ſit perpetuò, nec quotidiè privilegiatum, 421. 438. ob abſentiam Religioſorum longiorem privilegium non ſubſiſtit, 422. non tamen ob infirmitatem vel funus *ibi*.

Monachandæ voluntas debet ab Epiſcopo explorari, 378. exploratio ad 3. quæſtiones reducitur *ibi* ſemel facta ſufficit *ibi*.

Monaſteria *Vide Conventus*.

Monialium Monaſteria ingredi FF. Minoribus generaliter prohibetur, 12. iis tamen patet acceſſus ad loca, ubi Sæculares conveniunt, 12. 24. ab Epiſcopis vocati, cum iis ea intrant, 75. bona Monaſteriorum à Monialibus deſertorum ad Conventum Fratrum vicinum transferuntur, 193. ingrediendi ea Regularium exemptarum dant licentiam Superiores, 260.

Moniales ſub cura Minorum & PP. Prædicatorum fruuntur horum privilegiis, 200. ſi ſexui non ſint contraria *ibi* iis fruuntur & earum Syndici & Procuratores *ibi* à quarta exemptæ, 261. Monialium bona adminiſtrantes, coram Epiſcopo rationem reddere debent 383. gaudent jure reclamandi contra profeſſionem in caſu, 519. allocutio ſine licentia vetita, 502. *Vide Confeſſarius Monialium, Epiſcopus quoad Moniales, Clauſura*.

N

Nicolai PP. IV. Ordinis Minorum Epitaphium, 60.

Nomen Jeſu, *Vide Jeſu Nomen*.

Notarios creandi privilegium Ordini PP. Prædicatorum conceditur, 268. quod aliis Regularibus communicatur, 270. præſertim Ordini Minoritano, *ibi*. eos creant Generales, eorum Vicarii, Provinciales *ibi*, quos creant Superiores locales, ſunt Notarii impropriè dicti *ibi* modus & formula eos creandi *ibi*. Actus officii referuntur, 271. & opinio Regulares in Notarios creari non poſſe refellitur *ibi*.

Novitiæ in articulo mortis conſtitutæ ante legitimam ætatem Profeſſionem emittunt, 266. gaudēt & indulgentiis, quibus Moniales Profeſſæ & decedentes gaudent, 267. 353. Nec tenentur explere probationis annum, ſi convaleſcant, 267. nec vota iterare *ibi*. Si profeſſio data ſit abſolutè *ibi*. Privilegium eſt inter Regulares utriuſque ſexûs commune, 266. *Vide Monachanda*.

Novitiatûs locus deſcribitur, 331. Magiſtri dotes & cura, 332. Novitiorum exercitia *ibi* Superior Novitiatûs debet habere librum &c. 333. ad alterius Ordinis Novitiatum tranſiens lucratur indulgentias Novitiis conceſſas, 353.

Novitii Ord. Minorum tempore Capituli Generalis à Vicario Provinciali non recipiuntur, 12. 64. 130. recipiendorum qualitates, 131. abſolvuntur à cenſuris &c. 25. 168. 226. ſub conditionibus præſcriptis *ibi*. Novitiorum bonis & eorum diſtributioni Superiores ſe non immiſcent, 85. 131. liberè data tamen juxta ſtatum recipiunt *ibi*.

Novitius in Italia debet ad Habitum & profeſſionem admitti in locis ab Apoſtolica Sede deſignatis, 327. 334. aliàs profeſſio olim nulla, 328. à Sacra Congregatione deſuper jam deciditur, 520.

Novitios recipiendi Formula, 329. Novitius Profeſſus quomodo habendus, 333. legenda ad menſam de Novitiis, 328. 559. *in append. Vide Profeſſio*.

Novitius Laicus qualis eſſe debeat, 333. ad Statum Clericalem tranſire probibetur *ibi*.

O

OFficia Divina Regulares celebrant liberè in ſuis Eccleſiis, 260. Minores extra Conventus in iis aliis ſe conformare poſſunt, 20.

Officia Deſunctorum, *Vide Cadavera*.

Officium Inquiſitionis, *Vide inquiſitio*.

Oleum Sacrum triplex, 382. à Regularibus petitur ab Epiſcopo Diœceſano *ibi* qui & illud iis dare debet *ibi* ab uſu hoc non recedi moneтur *ibi*. Receptum ſi non ſufficiat, poteſt aliud, etiam pluries, admiſceri *ibi*.

Operarii Minorum interdicto non ſubjacent, 27. *Vide Interdictum*.

Oracula vivæ vocis revocantur, 384. revocatio ampliatur, 399. Conſtitutiones debent legi ad menſam, 556.

Oratorium duplex, 468. In privato ex privilegio non amplius celebrari poteſt *ibi* & ſeq. In tali etiam per S. Sedem privilegiato non poteſt celebrari, niſi adſit Patronus, 473. & non niſi Miſſa unica *ibi*. Quid de Regularibus itinerantibus? 473.

Oratoria interna Regularium non viſitantur ab Epiſcopo, 473. privilegium in iis celebrandi à Tridentino non læditur *ibi* præſertim poſt Concilium conceſſum, & communicatum viget. *ibi* Oratoria ſua benedicunt Minores, 220.

Ordinandus Regularis Epiſcopo obedientiam non ſpondet, 180. ab eo examinari poteſt, 224. 364.

Ordines Sacri debent recipi ab Epiſcopo Diœceſano, 224. Recipiebant eos olim Minores à quocunque Antiſtite, 163. & abſque examine *ibi* utrumque revocatum *ibi*, 374. 514. niſi poſt Tridentinum privilegium fuerit renovatum, 515. debet eſſe directè datum *ibi*. Quanto tempore Regularis in Conventu conſiſtere debeat, ut poſſit cenſeri de illius Familia, 374. mutatio Fratrum in fraudem prohibetur, 518. *Vide Dimiſſoriæ*.

Ordines Regulares, *vide Ciſtercienſis, S. Claræ, S. Dominici, Mendicantes, Minores, Regula, Tertius S. P. Franciſci Ordo*.

P

PActa ſine Superiorum licentia facta non ſubſiſtunt, 46. & illa in receptione Domorum debent à Min. Generali ratificari 69. Inita cum Prælatis & Parochis ſubſiſtunt, niſi ſint à Capitulo reſciſſa, 224.

Patavinæ Civitati Apotheoſis S. Antonii annuntiatur, 14.

Parochorum præſentia ad condenda Teſtamenta non requiritur, 262. ad eos jus ſepeliendi olim privativè ſpectabat, 480. *Vide Cadavera*.

B. Paſchalis Baylon Canonizatio publicatur, 440. *Vide Indulgentia*.

Paupertas Chriſti impugnatur, 105. opinio, quod nihil in communi habuerit, agitatur *ibi*. Nihil de fide deciſum *ibi* & 105.

Paupertas Minoritana excludit omne dominium, 58. 130. admittit ſimplicem uſum facti, 59. eſt meritoria, 58.

Paupertas Religioſa commendatur, 43. Impugnatur, 115. vindicatur *ibi*.

Pecuniæ à Minoribus non acceptantur, 132. acceptantium pœnæ *ibi* etiam illarum contrectatio prohibita, 87. modus ad eas recurrendi licitus dictatur, 11. 22. 61. 86.

B. Petrus de Alcantara albo Sanctorum jungitur, 422.

B. Petrus Regalatus itidem, 507.

Philippus Norreys calumnioſè contra Mendicantes agit, 139. doctrinæ articuli damnantur, 140. character ejus perſonalis, 142. publicatur hæreticus, 144.

Pixis Tabernaculi à Minoritis benedici poteſt, 218.

Portio Cannnica quid ſit, 481. diſſimilis quoad res & quotam *ibi* de legatis piis, libris, ornamentis Minoribus relictis nihil detrahitur, 26. inhibitio ampliatur, 46. 181. 189. 479. 481. Semel quidem ad eam Minores fuêre obligati, 78. poſtea factum autem moderamen, 81. denuo fuêre ab ea exempti, 157. etiam poſt Concilium Tridentinum, 240. 261. ab ea ſunt exemptæ etiam Moniales, 277. in Italia jam ſolvitur quarta funerum, 478. *Vide Quarta*.

Præcedentiæ controverſiæ inter Regulares ab Epiſcopis dirimuntur, 260. 284. 377. ſemel terminatæ non amplius innovantur *ibi* præſcribitur modus eas terminandi *ibi*.

Præcepta in Regula Minorum variant, 85. undenam vis præceptiva dignoſcatur *ibi* & 129.

Prælati Minorum, *Vide abſolvunt*.

Privilegia Ordinis Minoritani confirmantur, 49. 138. 152. 157. 247. 249. 263. in illorum uſu turbari non debent, 196. 202. ea S. Sedes interpretatur, 51. complexus ſeu Marc Magnum privilegiorum, 158. confirmatur, 199. 240. privilegia Concilio Tridentino non adverſantia confirmantur, 295. ea ſolemnizat Perſona in Eccleſ. dignitate conſtituta, 210.

Privilegia Mendicantium confirmantur, 263. præjudicia iis illata recenſentur, 257. Tridentino adverſantia revocantur, 253. explicantur, 274. ad terminos juris communis reducuntur, 282.

Privilegiorum communicatio Minores inter—& Prædicatores peculiaris, 195.

Ad Proceſſiones olim compelli nequibant Minores, 179. jam accedere debent, publicas 223. & tam ii, quàm alii Mendicantes ad eas compelli poſſunt, 262. 285. 286. 377. quænã illæ ſint, 285. 286. Quid de proceſſione in ingreſſu Epiſcopi? 286. eas adire non debent Regulares diſtantes medio milliari, 287. niſi obſtet mos *ibi* debent convenire cum Clero in Eccleſia, in qua incipit proceſſio, 287. debent & adeſſe fini, uſu non oſtante *ibi* debent vocari per edictum *ibi* liberè faciunt Proceſſiones intra claustra, 286. *vide præcedentia*.

Proceſſus criminalis liber, & ſine juris rimis à Minoribus conficitur, 74.

Procurationes quid ſint, 182. ad eas præſtandas Minores non tenentur *ibi*.

Procuratores Minorum non ſubſunt interdicto, 27. Procuratorem Sæcularem admittit Martinus V., 130. à Capucinis generatim non acceptatur, 68. Gaudent privilegiis, 201. Procuratores Ordinis Minorum in Curia nihil exigant, 135.

Profeſſio contra Conſtitutionem Sixti V. facta declaratur nulla, 335. Conſtitutio ad terminos juris revocatur, *ibi*. Ætas profeſſionis in Clerico ſunt anni 15. completi, in laien 20., 458. Contra eam intra quinquennium reclamari debet, 519. reclamatio conceditur & Viris & Monialibus, *ibi*. etiamſi cauſa intra quinquennium inducta, & poſtea fuerit deſerta, 520. Quinquennium debet computari à die Profeſſionis, *ibi* olim poſt quinquennium reclamare fuit prohibitum, 522. jam aliquoties à S. Sede dumtaxat permittitur, 523. ex cauſa tamen gravi, *ibi*. reclamandi motiva, 519. Profeſſus reclamans debet morari in clauſtris, 521. ac Habitum portare, *ibi*. nova methodus procedendi in hujuſmodi cauſis præſcribitur *ibi* Judices primæ inſtantiæ quoad Religioſos & Moniales exemptas ſunt Ordinarius, & Superior Regularis cumulativè, 379. 519. 522. Epiſcopus verò ſolus quoad Moniales ſibi ſubjectas, 520. Superior Regularis quoad Viros eſt Rector cœnobii, in quo reclamans profeſſionem emiſit, 520. ſeu ille, qui regimen exercet, dum cauſa agitatur, *ibi*. quoad Moniales ille, qui Monaſterium regit, & non Confeſſarius, *ibi*. Superior Regularis jus ſuum Epiſcopo cedere non poteſt, *ibi*. poteſt autem ſubrogare alium pro ſe Regularem, vel Eccleſiaſticum ſæcularem, *ibi*. diſcrepante Epiſcopi & Superioris judicio cauſa devolvitur ad S. Sedem, *ibi*. Probationes extrajudiciales, etiam juratæ, non amplius ſufficiunt, 521. ſed debet fieri proceſſus judicialis, 521. debet audiri Defenſores Monaſterii, Conſanguinei Profeſſi &c. ſicut & Procurator ſeu Defenſor Profeſſionis in omnibus Diœceſibus conſtituendus, 523. ejus officium & ſolutio, *ibi*. unica ſententia pro nullitate lata, executioni dari non debet, ſed appellari, *ibi*. & apoſtatarum pœnas incurrit, qui eum una ſententia Habitum dimittit, *ibi*. Judices ſecundæ inſtantiæ ſunt ii, ad quos aliæ cauſæ poſt ſententiam Ordinarii in gradu appellationis devolvitur, *ibi*. ubi & alius ex Ordine Profeſſi admittitur. Non verò, ſi cauſa Romam devolvatur, *ibi*. Superiores reclamationi non contradicentes arguuntur, 524. ſicut & Profeſſio Monialium coacta, *ibi*. Cau-

ſa Profeſſionis in Italia annullandæ ex eo, quod Profeſſio non fuerit facta in loco ad Novitiatum deſtinato, devolvitur ad S. Sedem, 520.

Profeſſus Juvenis debet collocari in locis perfectioris obſervantiæ, 457. Superioribus contra agentibus pœnæ dictantur, *ibi.*

Protectorum Ordinum facultates coarctantur, 446.

Provincialis. *Vide Miniſter Provincialis.*

Pueri non aſſumantur intra clauſtra, & chorum, 458.

Q

QUæſtustionis abuſus proſcribitur, 372. Quarta Canonicæ portionis conſiſtit in quarta parte intorticiorum, & candelarum, quæ in itinere ad Eccleſiam tumulantem, & in Eccleſia circa cadaver, vel in Altari accenduntur, 479. non in candelis, quas aſſociantes in manu portant, *ibi.* Debet dari Parocho, funere etiam translato ad alium diem, *ibi.* In locis, ubi eſt uſus majoris portionis, debet ſervari, *ibi.* Miſſæ & alia pia Legata Eccleſiæ tumulanti relicta ſub ea non comprehenduntur, *ibi.* à Quarta Minores ſunt exempti, 157. 252. 277. etiam poſt Concilium Tridentinum, 240. 261. gaudent hac exemptione & Moniales, 261. 277. extra Italiam privilegia manent, 483. In Italia & Inſulis adjacentibus ſine exceptione jam ſolvitur, 479. *Vide Portio Canonica, Capucini.*

Quinquennium. *Vide Profeſſio.*

R

REcipiendi ad Ordinem. *Vide Habitus.*

Recurſus ad Miniſtros, in quibus caſibus fieri poſſit, 134. ad tribunalia ſæcularia interdicitur Minoribus, 283.

Regula S.P. Franciſci confirmatur, 2. commendatur, 7. declaratur, 10. 22. 56. 128. Declaratio Martini V. cautè legenda, 137. gloſſæ relaxativæ prohibentur, 66.

Regulares animarum curam habentes ſubjacent Epiſcopo, 223. 362. 379. ad quam curam etiam Mendicantes admittuntur in Monaſteriis, quibus hæc incumbit, 260. quam & per ſe, vel Vicarios exercere poſſunt, 262. peccantes in materia fidei ſubduntur pariter Epiſcopo & Inquiſitioni, 381. ab eoque coërcentur turbantes ſuam juriſdictionem, 383. & peccantes circa Perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, & adminiſtrationem bonorum Monialium, *ibi.* caſus alii, in quibus ſubjacent Epiſcopo, 369. Matrimonio non jungunt, 224. ad Epiſcopatum promoti, & ad clauſtra redeuntes ad Officia Ordinis non promoventur, 247. Miſſas ubique celebrant, 262. Campanas pulſant, & cadavera aſſociant, *ibi.* ab aliis recipi non debent, niſi præexhibitâ licentia, 310. Eorum numerus in Conventibus debet eſſe fixus, 326. Nullo gaudent privilegio, niſi legant, aut prædicent, *ibi.* Romam ſine licentia non adeunt, *ibi.* Duo inſimul dormire non debent, *ibi.* coram Ordinariis conveniri nequeunt, 182. 358. 372. conveniuntur in cauſis mercedum & miſerabilium extra clauſtra degentes, 372. Regularis peccans extra Monaſterium degens & extra delinquens ab Epiſcopo punitur, *fol.* 37. 371. ad quod duæ conditiones requiruntur, *ibi.* & modus præſcribitur, 323. Intra Monaſterium degens & extra peccans à Superiore punitur, Epiſcopo inſtante, 377. quo in caſu Epiſcopus ſtatim informationem capit, *ibi.* non tamen poteſt Regularem tenere in carceribus ſuis, 378. debet autem à Superiore de ſententiæ executione informari, *ibi.* Peccans in Eccleſia an dicatur extra clauſtra peccare? 377. Punitur ab Epiſcopo vagus, & ſine licentia itinerans, 375. *Vide Cadavera, Concionator, Confeſſarius, Indulgentia, Sepulturæ jus, Conventus, Cenſura, Epiſcopus, Inquiſitio, Ordines Sacri, Privilegia, Profeſſio, Proceſſio, Quarta.*

Renuntiatio in Novitiatu debet fieri cum licentia Epiſcopi, 378. ante ingreſſum facta non continetur in capite Tridentini, *ibi.* nec etiam Teſtamenta, Codicilla &c., *ibi.*

Richardus Archiepiſcopus Armachanus, Privilegia Regularium, & paupertatem Religioſam impugnat, 115. cauſæ cedit, 116. diverſum de eo auctorum judicium, *ibi.*

S

SAlis eleemoſynam Mendicantibus Status Eccleſiaſtici annuatim dat Rever: Camera Apoſtolica, 254.

Sacramenta adminiſtrantur à Regularibus iis,

iis, quibus ea Parochi malè negant, 193. 223. conditiones ad hoc requiſitæ, *ibi.* & cauſa debet eſſe teſtimonio probata, *ibi.* in Eccleſiis Regularium infirmato ſæculari &c. adminiſtrantur à Superiore Regulari, 166. Euchariſtiæ Sacramentum à Regularibus adminiſtratur in ſuis Eccleſiis, ſolo die Paſchatis excepto, 259. *vide Euchariſtia.*

Scholas regere Minoritis probibetur, 132.

Sepulturæ Jus Regularibus communicatum, 480. in ſpecie Minoribus, *ibi.* & 35. 78. 115. 175. 186. 224. Capucinis malè denegatur, 175. *Vide Habitus.* Nominatim excommunicato, ac maniſeſtè uſurario non conceditur, 381.

Sixti Papæ IV. Ordinis Minorum, Epitaphium, 155.

Sixti Papæ V. Ordinis Minorum, Epitaphium, 280.

Societas Jeſu gaudet ampla abſolvendi facultate, 242. ac Miſſam dicit ante diem &c. *ibi.*

Solitudinem amantes Minoritæ bene tractentur, 134.

Sollicitantes Regulares Epiſcopis & Inquiſitioni ſubduntur, 386. Præter pœnas dictatas, *fol.* 387. incurrunt inſuper inbabilitatem perpetuam dicendi Miſſam, 497. de quo Decretum ad menſam legi debet, *ibi.* Conſtitutiones deſuper editæ confirmantur, 493. Complici Sacramentum pœnitentiæ non poteſt adminiſtrari, 493. quid de articulo mortis? 496. & quoad Moniales complices? 345.

Ad Sortilegia abutentes Miſſæ Sacrificio fiunt inhabiles, 497.

Statio quid ſit, 353. ejus indulgentiæ partiales, *ibi.* quænam ſint Stationes, in quibus indulgentia conceſſa eſt, 355. an in diebus Stationum acquirantur & aliæ Indulgentiæ Baſilicis Stationum aliàs conceſſæ, duplex opinio, *ibi.*

Statio Sacramentalis, *vide Indulgentia.*

Stigmata S. P. Franciſci credi debent, 15. Epiſcopus cum iis Sanctum Patrem pingi prohibens arguitur, 16. ac Religioſus ea laceſſens ad audientiam Papæ vocatur, 17. veritas illorum confirmatur, 33. 44. pœnæ illa negantibus dictantur, 47. Concionatoris doctrina contra ea improba declaratur, 72.

Stipendium Miſſæ, *vide Miſſa.*

Studia linguarum in quocunque Ordine inſtitui jubetur, 360. in iis conſtituti in officiis debent aliis præferri, *ibi.*

Supellex in tranſitu ad alium locum à Minoritis transfertur, 181. & illa Monaſteriorum Monialium deſertorum cedit vicinæ Fratrum Domui, 193.

Superiores Regulares communi vita uti debent, 325. bonorum adminiſtrationem quomodo habeant? *ibi.* Decreta Reformationis interpretari probibentur, 326. debent habere clavem, quæ omnes cellas aperiat, *ibi.* uſus Ordinum ſervari curare debent, 327.

Syndicos inſtituendi Prælatis Minorum facultas datur, 24. 63. 67. 127. inſtituti privilegiis gaudent, 201. apud nos generatim non vigent, 68.

Synodum non accedunt Minores, nec alii Regulares non Parochi, 177. 375. *vide Conferentias.*

T

Tertii Ordinis S. P. Franciſci Privilegia confirmantur, 240. dummodo non ſint contraria Concilio Tridentino, 258. fruitur privilegiis Ord. Minorum conceſſis & concedendis, 201. ſicut & illius Syndici & *ibi.*

Tertiarii clauſtrales ſeu collegialiter viventes, aut votum caſtitatis habentes gaudent privilegiis illius Ordinis, cujus Habitum portant, 224.

Tertiarii Sæculares Euchariſtiam tempore Paſchali, ac extremam unctionem à proprio Sacerdote recipere debent, 224. onera laicis communia perferunt *ibi* poſſuntque conveniri coram Judice Sæculari *ibi* tempore interdicti ad divina admittuntur 184. niſi huic cauſam dederint, 224 olim gaudebant indulgentiis Stationis Leoninæ, 236. *Jam verò per noviſſimam Conſtitutionem glorioſè regnantis Summi Pontificis, quæ in Tomo de Tertio Ordine agente dabitur, tum hæ, tum aliæ fuerunt revocatæ, iiſque aliæ ſubſtitutæ, ita, ut, quæ de indulgentiis ſupra fol.* 236. *dicta ſunt, jam nulla haberi debeant.*

Teſtamentum S. P. Franciſci extenditur, 5. ad ejus obſervantiam Minores non tenentur, 10. 22. 56. 84.

Theologi, etiam graduati, pro confeſſione Sæcularium poſſunt examinari, 273. ac re—examinari ab Epiſcopo ſucceſſore, *ibi*, *vide Confeſſarius Regularis.*

Theologia Scholaſtica commendatur, 292.

S. Thomæ Aquinatis Doctrina laudibus effertur, 293.

Tranſeuntes Minores ad aliam Religionem, in hac ad officia olim promoveri prohibebantur, 71. tranſitus Mendicantibus ad

alium

alium quàm Carthuſianorum Ordinem prohibetur, 125. nec fieri poteſt, niſi prius Superiori de receptione conſtet, 452.

V

Vagabundus Minorita extra clauſtra nec con feſſiones audire nec concionari poteſt, 25. ab Epiſcopo nec protegi, nec retineri debet, 262. ab eo tamen puniri poteſt, 375. commorans extra Conventum vagabundo æquiparatur, 376.

Valetudinarium in ſingulis Conventibus habeatur, 326.

Vectigalia, *vide Gabellas*.

Veſtimenta plura attentâ neceſſitate Minoribus conceduntur, 63. 86. 129. De illis, qui de iis providere debent, 63. In iis debet comparere neceſſitas & vilitas, 86. quæ utraque judicio Superiorum relinquitur *ibi* vilitas conſiſtit in pretio & colore, 131. aliàs de veſtimentis Minorum declarata confirmantur, 93. Regularium omnium veſtes ex communi maſſa debent comparari, 325. ac aſſervari in loco opportuno *ibi*.

Vicarii Generales Minorum abſolvunt, & abſolvuntur, 167. benedicunt, *vide benedicendi*.

Vicarii Provinciales in Ordine Minoritano ad Habitum tempore Capituli Generalis non recipiunt, 12. 64. 130. *vide abſolvunt, Benedicere, Notarius*.

Vice—Dominus à Vicedominis Placentinus, Ordinis Minorum, electus Summus Pontifex probatur, 55.

Virgulta, *vide Decimas*.

Viſitare Eccleſias Regularium non poteſt Epiſcopus, 368. 463. niſi ſint Sæculares, 372. cenſuræ contra Regulares propterea latæ declarantur nullæ, 464. Diſpoſitio Concilii Tridentini Epiſcopis in hoc non favet, 466.

Vita communis Regularibus Italiæ inculcatur, 455. decreta deſuper edita confirmantur *ibi*.

Vota Mendicantes cum RR. PP. Societatis Jeſu communicantes commutant, 242. exceptis iis triplicis peregrinationis, 243.

Uſurario manifeſto ſepultura non datur, 381.

Uſus Juris & facti diſtinguitur, 59. diſtinctio impugnatur, 100. 104.

Digitized by Google

Errata. *Corrigenda.*

Fol. 17.	col. 1.	lin. 5.	ſecundo Kal.	*lege*	Kal. Aprilis
		lin. 8.	tom. 3.	*lege*	tom. 2.
	col. 2.	lin. 2.	ſecundo Kalendas	*lege*	Kalendas
19.	col. 1.	lin. 11.	injectione	*lege*	injectionem
20.	col. 1.	lin. 43.	confirmandi	*lege*	conformandi
46.	col. 2.	lin. 28.	Mente ſolita	*lege*	Mente ſollicita
63.	col. 2.	lin. 47.	tanctùm	*lege*	tantùm
65.	col. 1.	lin. 9.	Generalem	*lege*	Generale
73.	col. 1.	lin. 15.	Ordinis	*lege*	Ordini
		lin. 16.	Prælatorum	*lege*	Prælatorum jure
74.	col. 2.	lin. 1.	Ad augumentum	*lege*	augmentum
79.		lin. 11.	verba	*lege*	verbo
95.	col. 2.	lin. 45.	hæſreſim	*lege*	hæreſim
142.	col. 1.	lin. 20.	ceſuris	*lege*	cenſuris
167.	col. 1.	lin. 23.	diſpoſitione	*lege*	diſpenſatione
194.	col. 1.	lin. 52.	ex quovis cauſa	*lege*	ex quavis cauſa
200.	col. 2.	lin. 48.	Ornum	*lege*	Ordinum
201.	col. 2.	lin. 34.	habilitationis	*lege*	habilitatione
260.	col. 1.	lin. 7.	emanaverint	*lege*	emanaverit
		lin. 20.	Ordinari	*lege*	Ordinarii
312.		lin. 34.	Congregationes	*lege*	ad Congregationes
324.	col. 2.	lin. 36.	reformare	*lege*	reformatione
334.		lin. 49.	profecti	*lege*	profeſſi
353.		lin. 20.	indipendenter	*lege*	independenter
355.		lin. 20.	Cancelleriæ	*lege*	Cancellariæ
360.		lin. 9.	anullatum	*lege*	annullatum
385.	col. 2.	lin. 7.	circumvinia	*lege*	circumvicinis
388.		lin. 26.	Urbano VIII.	*lege*	Urbanus VIII.
408.	col. 1.	lin. 35.	tantùm	*lege*	tantus
416.		lin. 24.	difficultibus	*lege*	difficultatibus
493.	col. 1.	lin. 8.	Pœna	*lege*	Pœnas
503.	col. 1.	lin. 42.	ſententium	*lege*	ſentientium

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google